8
1 L
10

C. 2L. d.

R. P. F.
GESVALDI
DE BONONIIS
PANORMITANI CAPVCCINI
THEOLOGIÆ
MORALIS
Tomi Tres.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. F.
GESVALDI
DE BONONIIS
PANORMITANI CAPVCCINI

S. Theol. Profeſſoris, Eminent.mi S. R. E. Cardinalis Columnæ Theologi, ac S. Officij Regni Siciliæ Qualificatoris:

OPERVM MORALIVM
Tomus Primus.
DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

Tractatus perutiles omnibus Confeſſarijs, ac Pœnitentibus, omnibuſque Theologis.

Cum duplici Indice: Altero Tractatuum, & Capitulorum: Altero Materiarum Copioſiſſimo.



VENETIIS, *Apud Iuntas, & Baba.* M. DC. XLIX.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ILLVSTR.[mo] ET EXCELL.[mo] DOMINO

DON MARCO ANTONIO COLVMNA

PRINCIPI ROMANO

MAGNO REGNI NEAPOLITANI COMITI STABILI, Duci Taliæcozzi, Marſorum, & Crubaræ: Principi Caſtrileonis: Marchioni Attiſſæ, & Iulianæ: Comiti Rhegij, Cluſæ, & Monoppelli: Baroni Burgij, Aidonis, Carſoli, S. Catharinæ, & Comitiſſæ, & Domino Status Dianæ.

F. GESVALDVS DE BONONIIS CAPVCCINVS PANORMITANVS.

S. P. D.

BELLE' quidem hoc quicquid eſt Opellæ, Princeps Excellentiſſime, ſibi iam prudens conſulit, vel cum primos ineuntis vitæ dies, atque annorum exordia vix enumerat, dum ad aſylum, & aras, ad tuum inquam præſidium confugere à natalis horæ primordijs non veretur. Ridebo Momos, argutulorum obtrectationes, eludam cenſorium, liuidęq; frontis ſupercilium aſpernabor; & conſilium ſagaciſſimum, optionem alta mente excogitatam, cordatiſſimum inuentum admirabuntur omnes; & fœlix habebitur volumen, cui Principis nomen, natalitia, quaſi Sydus, ipſumq; auſpicatiſſimum fortunatos euentus feliciſſimè ominatur, fœlix dum tutiſſimum Principis nactus eſt ſinum: hic tanquam in portu otio perfruetur tranquilliſſimo; hic aureos ſoles, dieſque feſtiuiſſima luce, gemmeis ſignandos lapillis illuceſcere videbit, hic mirum quanta orietur deliciarum illi, ac plauſuum plena ad immortalitatem alacritas; nihil profectò auguſtius, nihil opportunius, nihil auſpicatius, nihil illius cadere poterat fœlicitus. Tua ergò Princeps fauſtitas, tua ſine ambitione potentia, tua ſine inuidia gloria, tua ſine aſperitate facilitas, tuus denique Animus omni exaggerata virtute ad miraculum futuræ poſteritati cumulatiſsimus, & ad maxima natus, exiles haſce lucubrationes nòn dedignabitur, nam Cœlum ipſum, cui ſolis lampas accenditur, minores faculas non aſpernatur, & in tua Columna altè honorum amplitudine euecta, veluti in quietis, & optatæ tranquillitatis ſtatiuis commorabitur, hanc aſpexit pulcherrimis virtutum tuarum decoratam munimentis, hanc eſt amplexa, verum Patriæ faſtigium, quo labantes res ſemper innixæ, ad fœlicitatem

Digitized by Google

efflorefcere viſę ſunt; Hęc Columna ad ſuæ nobiliſsimum originis fontem me quoque rapit conſpiciendum. At certè ſuæ Iſthmum ipſe perfodiam, ſi velim Columnæ huius percenſere ornamenta, dum ipſa, vel ditionibus, vel affinitatibus totam totius ferè orbis terrarum amplitudinem, ac vaſtitatem amplectitur; nam ex Columnenſium domo, ex equo veluti Troiano, non ad Vrbis excidium, ſed ad orbis præſidium prodierunt inſtructi, & ſi ſæculorum ætates reuocabimus, deprehendemus profectò Ottonem Columna Sancti Georgij Cardinalem, à Conſtantienſi Concilio Pontificem Maximum acclamatum, admirabimur Ioannem, Iacobum, Agapitum, Petrum Ioannem, Ioannem alterum, Stephanum, Proſperum, Ioannem tertium, Pompeum, Marcum Antonium, Aſcanium, Hieronymum, in purpuratum ordinem admiſſos, auguſtiſsimis purpuræ ſplendoribus Columnenſem illuſtrantes maieſtatem inueniemus Petrum Franciſcum, Fabium, Marcum Antonium, Hieronymum Archiepiſcopos, Pompeum, & Scipionem Epiſcopali dignitate inſignitos, Stephanum contemplabimur, Henricum, & Ludouicum Bauarum Imperatorio diademate exornantem, Iordanum Salerni Principem, Sarram Laurentium. Albæ Comitem, Antonium Crotonienſem Marchionem, Euerardum Amalphitanorum Principem, Thomam, Hieronymum, Proſperum Palliani Dominum, à Carolo V. Summos militaris Imperij titulos promerentem, & ob integerrimæ vitæ virtutes apud Inſubres, Cęnomanos, & Venetos Laudatiſsimum, & Italię gentis Patrem nuncupatum, Veſpaſianum, Octauianum, Martium, qui verè Martem in armis referre viſus eſt, Iulium, Marcellum, Camillum, Marcum Antonium S. Michaelis equitem, Fabritium magni Regni Cancellarium, & Marini dominum, Fridericum, Ferdinandum, Aſcanium ab Italiæ Principibus maximo honore habitum, Proſperum, Marcellum, Marcum Antonium Sicilię Proregem Pontificiæ claſsis ductorem Turcas, & Barbaros debellantem, Fabritium, Proſperum, Philippum, Fridericum; qui Regis viceſgerens poſt præclara contra Gallos facinora apud Tarraconam è viuis viriliter diſceſsit; Carolum Marſorum Ducem, Ioannem Proſperum Hieroſolymitanum Equitem, & Hiberniæ Priorem, & Petrum Abbatem, qui Regum, aut Imperatorum aures conſilijs cum rexerint, exercitus armis adminiſtrarint, claſſes gubernaculis compoſuerint, regna legibus formarint, caſtrenſes chlamydes, ſacroſanctas infulas, nauales coronas, iuſtitiæ lances, bellicam lauream capitis ornamenta, equeſtria inſignia adepti ſunt, nec te inter hos tam nobiles heroes miſsum faciemus, nam vel Hypſæa cæcior videbit exaggeratas gloriæ acceſſiones, Columnenſium abs te factas maieſtati, dum hiſce ſplendoribus, tuos admiraculum adiungis, & ad immortale tuæ domus ornamentum, ſed ne tuos nobiliſſimæ originis ſplendores ingenij culpa deterere videar, ſilentio eos veneror, & dum munuſculum hoc grati animi teſſeram pro tua humanitate benignius accipis, perennem felicitatem tibi à Deo Maximo apprecor, & ſoſpitatem.

Illuſtriſsimæ, & Excellentiſsimæ Dominationis Veſtræ

Humillimus Seruus.

AD CHRISTIANVM LECTOREM

Præfatio.

PLVRES (Lector mi) anni ſunt, ex quo ipſe operam Theologiæ Morali, & mihi, & fratribus publicè, atque priuatim lector caſuum conſcientiæ in hoc Cœnobio noſtro Panormi libenter impendi; ſemper tamen labores huiuſmodi, tum caſuum reſolutorum, tum doctrinæ, quàm voce tradebam ex naturali quadam ſolertia (licèt non ſine aliquo incommodo) de die in diem ſcriptis mandando conſeruabam: Quibus deindè excreſcentibus ſi optimum eius animi fui, vt ſolùm paucis, & ad ſummum exiſtentibus in Prouincia mea Sicula Patribus Ordinis noſtri communicarem, deindè tamen placuit prorſus toti Reipublicæ Literariæ permittere, adeòque publici iuris facere. Excitabat ſi quidem partus, ſed cum me non lateret illud Ambroſij ad Sabiſum (*Vnumquemque fallunt ſua ſcripta, & auctorem prætereunt, atque, vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam Scriptorem indecori ſermones ſui palpant*) iccirco per multos annos mentis oculis inſpectum, conſiderationeque profunda ſæpius reuolutum, amicis ab omni alienis paſſione, patribuſque integritate, atque doctrina multa præditis, quæ tanto ſtudio peperam exhibui, vt nimirum rectis poſtquam inſpexiſſent oculis, ſtricta cenſura ſtatuerent, & incorruptam ſententiam ferrent: Tandem horum iudicium, & amicorum hortatio excitauerunt, & opus eius, qui parere ſemper didicit, comparere iuſſerunt: Annui, & quoniam in ætate ſumus librorum tam feraci, quæ non abundat modò, ſed penè dixerim laborat, in qua quotidiè numeroſa volumina, præſertim moralia, non adhuc in luce viſa, ſed incognita inopinatò emergunt, ne quis miretur ſi aquas aquis, vt eſt in prouerbio, corriuo cogitet, numquam fandi deeſſe facultatem de ea præſertim materia ſcribere, quæ fandi ſemper tribuit facultatem: fateor ſanè altiſſimam eſſe ſcientiam Theologiam, & præcipuè Moralem, quæ Scholaſtica etiam face indiget, vt claram oſtendat faciem: Hac nimirum conſcientiæ, tum in foro exteriori, tum in interiori reguntur; atque ad ſalutis portum velut naues ducuntur. Et ſicut faces cùm multiplicantur lumen augetur, ita clarius pericula videntur, & cauentur, ideò cum alijs ego quoque facem accenſam tibi præferam vbi multa, quæ forſitan alij prætericre, tum pro ſæcularibus, tum pro Regularibus, præcipuè pro Minoribus deteguntur, & oſtenduntur. Scribendi ſtylo non alto, ſed medio, nonnumquam infimo, vt eſſe debet, & res quæ ſcribuntur requirunt, ex conſilio vtar. (Si ſcire volumus, verborum floſculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, deſpicit amœna camporum; Violæ, roſæ, lilia, narciſus grati flores; ſed gratior panis. Seponenda eſt ergò eloquentiæ voluptas, quando ſcientiæ fortitudo depoſcitur:) Duo tamen obſeruabo; claritatem in explicando, & breuitatem in ſcribendo, Doctores in opinionibus ſtabiliendis, tum primos, tum excellentiores, atque illos quorum fama peruiget, in cæteris tamen, vbi res fert Scotum ſequar, qui à Scoto primæ Philoſophiæ habui rudimenta. Opus erit diuiſum in Tres Partes. In prima de Sacramentis in genere, necnon in ſpecie ſum pertractaturus: In ſecunda de Indulgentijs, Iubilæo, Purgatorio, & Suffragijs, item de cenſuris Eccleſiaſticis, tam in communi, quàm in ſpecie, quatenus ſpectant ad Eccleſiæ claues ſoluendi, atque ligandi; In Tertia de Legibus hoc eſt de præceptis diuinis, & Eccleſiæ, ac de Votis Deo factis, quatenus ſunt leges obligatoriæ, & tandem de Virtutibus, atque Vitijs, Vale.

IN PRINCIPIS LAVDEM, ET HONOREM

ANAGRAMMA

Marcus Antonius Columna

Columna Martis non caſura

Nil timet, en Martis ſtat, non caſura Columna,
Altaque perpetuas ſtabit Olympiadas.

ALIVD ANAGRAMMA

ENCOMIASTICON

Don Marcus Antonius Columna

Conatu, mundi Coronam ſaluas

Inſurgens Cœlo propior, qui maximus Atlas,
Elato Æthereum vertice portat onus,
Sideribus fertur, cœloque educta Columna
Ne depreſſa ſuo pondere ad ima ruant.
Imperium firmas Regum tu ſtemmate auito,
Et mundi propria mole labantis onus.
Sat victor Michael, ſat Proſper profuit orbi
Fertur, & horum humeris incubuiſſe Salus,
At nunc Conatu mundi, tu Marce, Coronam
Saluas, atque opibus Imperium reparas.

CARMEN

ADM. VEN. P. F. LEONIS SALERNI PANORMITANI
Sacerdotis Capuccini, Socij, & Scriptoris auctoris in librum,
iam Typis excuſum, & Auctorem.

Vade, ſed excuſus qualem decet eſſe libellum,
Quod pennæ ſcripto non datur eſſe meæ.
Vade, nec inuideo, tu fortunatus ad auras,
Vt ſcripti partus ſic videare mei.
Vade Liber, cunctiſque meos memorato labores,
Quos habui Romæ, & Sedibus in Patrijs.
Luce bona, dominoq; tuo felicior ipſo
Orbem percurres, vt mala cuncta leues.
Te memorent populi, totoque oriente legatur
Vna ſalus Ieſus, cum GESVALDVS adeſt.

ADM.

Digitized by Google

ADM. R. P. VRBANI A POLITIO ORDINIS MINORVM CAPVCCINORVM
SACRÆ THEOL. PROFESSORIS, OPERISQVE REVISORIS, ET APPROBATORIS

ANAGRAMMA ACROSTICHON.

IN LAVDEM AVCTORIS

Pater Frater Geſualdus à Panormo,

Grata profers, Saluas, Dæmon pauet.

PRincipe tetrorum primæuis Vita repulſa
Altiſono à ſummo preſtita flante Viris.
Tetraque clara prius gemitu condigna paratur;
Emittendo roſam, ſpinea fraude tulit.
Rector, & ipſe ſuis gaudebat ſorte triumphis
Flammiger, humano vertice dante manum.
Rore dato dantis clementia Diua micabat
Allophylis ſicco germina nulla dedit.
Talia tantorum pangebat cauſa malorum
Errando Impauidus, Victa pauebat humus.
Rex ſertis capiti rutilantibus indè ſuperbit,
Gloria ficta, ſcelus, lux tenebroſa ſibi.
Ecce nouum lumen Cælorum è Vertice fulges,
Summaque laus Patrię, tu Geſualde micas.
Vbera lactanti admouit ſapientia; iamque
Altrici PROFERS, munera GRATA tuę,
Lumine pręclarus, doctrinę illuſtris ad auras
Ducis; & errantes vertere terga doces.
Viue diu fœlix, cui cęlica Flamma medullas,
Sacraque percurrit pectora dulcis amor.
An non ſaluantis, qui geſtas nomen, & omen
Pectora tu SALVAS Dura terendo pius?
An non inuidię rabiem, qui corde gerebat
Nectitur, & vanas concrepat ore minas?
Obſtrepit, atque animas fruſtra ſub tartara DAEMON.
Raptas opem preſto Raptor adeſſe PAVET.
Miro ergò ingenio ſacer hic, dum ſacra refundit
Optima queque Auctor Ritè paneſce miſer.

Appro-

Approbatio Adm. R. P. F. Vrbani à Politio Theologi Concionatoris Capuccinorum.

EX ſpeciali commiſſione Reuerendiſſimi Patris Innocentii à Calatayerone Miniſtri Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, accuratè vidi, & omni qua potui diligentia, & vigilantia legi, & perlegi Tomum primum Sacræ Theologiæ Moralis, in quo Tractatus triginta quinque de ſeptem Sacramentis nouæ legis continentur, cum ſpeciali Tractatu de Celebratione Miſſarum per Reuer. Patrem Fratrem Geſualdum de Bononijs Panormitanum Capuccinum Sacræ Theologiæ Profeſſorem, mira eruditione compoſitum, ſtudiosèque elaboratum, opus vtique nouum, varium, & amęnum, cuius quidem nouitate, varietate, & amęnitate ductus, fateor me in laboribus non laboraſſe, in Vigiliis non vigilaſſe, incommodis incommoda non ſenſiſſe, ſed per fragrantia potius, & floribus ſtipata viridaria me peragraſſe, & ociatum fuiſſe teſtor. Opus profectò, quod inſtructiſſimum Sacræ Doctrinæ penarium, ſi dixerim à vero non aberrauerim, parat enim charitate Magiſtra, nec non recondita ſeruat, quæ cunctis ad ſalutem neceſſaria ſunt cibaria, vndè, & lapſi à mortis faucibus erui, & ſani vitæ ipſius incolumitate frui facillimè poterunt. Opus denique omni laude dignum, in quo cum nihil, aut fidei noſtræ dogmatibus contrarium, aut bonis moribus diſſonum repererim, digniſſimum iudico, vt quantocius imprimatur, vtpotè vtilitatis plurimum omnibus allaturum, eis præcipuè, qui curam gerunt animarum. Quinimò in maximam Dei gloriam, & Chriſtianæ reipublicæ emolumentum ceſſurum ſpero.

Datum Politij 10. die menſis Decembris Anni 1643.

Fr. Vrbanus qui ſupra.

Approbatio R. P. F. Ludouici Panormitani Concionatoris Capuccini, ac vtriuſque Theologiæ Lectoris, & Sancti Officij Regni Siciliæ Qualificatoris.

EX præſcræſcripto Reuerendiſſimi Patris Innocentii à Calatayerone, vniuerſi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum Miniſtri Generalis, attentè legi, ac diligenter euolui Tomum primum Moralis Theologiæ de ſeptem nouæ legis Sacramentis in Tractatus triginta quinque diſtributum, per Reuer. Patrem Geſualdum de Bononiis Capuccinum Panormitanum Sacræ Theologiæ Profeſſorem ſummo ſtudio elaboratum, ac miro ordine digeſtum. In eo omnia reperi non ſolùm Orthodoxæ fidei, ac bonis moribus conſentanea, ſed ad curam animarum in adminiſtrandis, & ſuſcipiendis Sacramentis valdè neceſſaria; viam enim ad ſalutem adipiſcendam tutam aperit; quare typis, & luce digniſſimum cenſeo, ac vtiliſſimum fore toti Reipublicæ Chriſtianæ. Hoc meum iudicium.

Panormi die 10. Maii 1644.

Fr. Ludouicus qui ſupra.

Approbatio R. P. F. Thomæ à Panormo Capuccini, Concionatoris, ac vtriuſque Theologiæ Lectoris.

EGo Frater Thomas à Panormo Concionator, & Lector Capuccinus de mandato Reuerendiſſimi Patris Innocentii à Calatayerone Ordinis Minorum Capuccinorum Miniſtri Generalis accuratè legi primam partem Theologiæ Moralis in Tractatus triginta quinque diſtributam, Auctore Reuerendo Patre F. Geſualdo de Bononiis Capuccino Panormitano Sacræ Theologiæ Profeſſore: In ea nihil eſt contra fidem, & bonos mores, ſed pro fide omnia, proque moribus ordine ſuo diſpoſita; Quare typis mandari poſſe exiſtimo: in cuius confirmationem præſentes manu mea ſubſcripſi.

In loco noſtro Panormi die 1. Iunii 1644.

Fr. Thomas, qui ſupra.

F A C V L T A S
REVERENDISSIMI PATRIS MINISTRI
G E N E R A L I S.

Nos Fr. Innocentius à Calatayerone Vniuerſi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum Generalis Miniſter, licèt immeritus.

CVm opus titulum habens *Tomus Primus Theologiæ Moralis, continens Tractatus triginta quinque de Sacramentis nouæ legis* per Reuer. Patrem Fratrem Geſualdum de Bononiis Capuccinum Panormitanum Sacræ Theologiæ Profeſſorem compoſitum; à Theologis eiuſdem Ordinis noſtri, quibus id commiſimus, relectum, & approbatum fuerit, vt typis mandetur, licentiam, & facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes manu propria ſubſcriptas, & ſigillo maiori Officii noſtri munitas dedimus. In Loco noſtro Panormi, Die 4. Iunij 1644.

Fr. Innocentius Miniſter Generalis.

Locus † Sigilli

Imprimatur
Si Reuerendiſſimo Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici videbitur.
Alphonſus Sacratus Epiſcopus Com. Vicesgerens.

Approbatio facta per Adm. R. P. Melchiorem Inchofer Societatis Ieſu Sacræ Theologiæ profeſſorem, Sanctæque R. E. Congregationis Indicis Conſultorem.

REuerendiſſime Pater. Tomus hic primus Theologiæ Moralis de ſeptem nouæ legis Sacramentis, Authore Adm. R. P. F. Geſualdo de Bononiis Panormitano Capuccino Ordinis Minorum Capuccinorum, nihil continet doctrinæ ſanæ, aut bonis moribus pugnans, poteſtque ſi ità videatur Reuerendiſs. S. P. T. cuius authoritate eum cenſui, ad publicam Sacræ rei Literariæ vtilitatem, publico iuri præmitti. Romæ 27. Nouembris 1644.

Melchior Inchofer S. C. I. C.

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Serronius Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi P. F. Michaelis Mazzarini Sac. Palatij Apoſt. Magiſt. Ordin. Prædicatorum.

Cenſura Adm. R. P. Mariani Bechetti Societatis Ieſu, in Collegio Panormitano Philoſophiæ, ac Theologiæ Moralis olim Profeſſoris.

DE mandato R. D. D. Franciſci Salerni Vicarij Generalis Illuſtriſs. Domini D. Ferdinandi Andrada, & Caſtro Archiepiſcopi Panormitani, vidi Primam Partem Theologiæ Moralis de ſeptem nouæ legis Sacramentis, Auctore Adm. R. P. F. Geſualdo de Bononijs Panormitano Ordinis Minorum Capuccinorum, & non ſolùm nihil in ea ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus repugnans offendi, ſed magna potius eruditione refertum, breuique, ac lucido ſtylo elaboratum opus agnoui. Quare ad publicam vtilitatem, atque ad Ordinis Minorum Capuccinorum non vulgare ornamentum eam typis exiſtimaui demandandam.
Panormi die 1. Ianuarij Anno 1646.

Marianus Bechetti Societatis Ieſu.

Imprimatur

Salernus Vicarius Generalis

Imprim. de Denti Præſid.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
TRACTATVVM. ET CAPITVLORVM.
Quæ in hoc Primo Tomo continentur.

Tractatus I.

De Sacramentis in Genere.

Proœmium. pag. 1

Cap. I. Quid, & Quotuplex ſit Sacramentum. pag. 3
Cap. II. De Materia, & Forma Sacramentorum. pag. 5
Cap. III. De Cauſa efficiente Sacramentorum. pag. 8
Cap. IV. De Cauſa Finali Sacramentorum. pag. 11
Cap. V. De Sacramentorum effectibus. pag. 13
Cap. VI. De Neceſſitate, & Numero Sacramentorum. pag. 16

Tractatus II.

De Sacramentis in Genere.

Proœmium. pag. 19

Cap. I. De Iis, qui poſſunt licitè ſacramenta miniſtrare. pag. ibi.
Cap. II. De conditionibus Miniſtrorum in Sacramentis adminiſtrandis. pag. 21
Cap. III. De Benedictionibus, aliiſque functionibus ſacramentalibus. pag. 23
Cap. IV. An à malis Miniſtris liceat Sacramenta recipere. pag. 26
Cap. V. De Præceptis ſpectantibus ad eos, qui recepturi ſunt ſacramenta. pag. 28

Tractatus III.

De Sacramento Baptiſmi.

Proœmium pag. 29

Cap. I. Quid, & Quotuplex ſit Baptiſmus. pag. ibid.
Cap. II. De Baptiſmo Flaminis, & Sanguinis. pag. 31
Cap. III. De Inſtitutione Sacramenti Baptiſmi. pag. 33
Cap. IV. De Materia Sacramenti Baptiſmi. pag. 34
Cap. V. De Forma Sacramenti Baptiſmi. pag. 36

Tractatus IV.

De Sacramento Baptiſmi.

Proœmium pag. 39

Cap. I. De Miniſtro Sacramenti Baptiſmi. pag. 40
Cap. II. De Subiecto Sacramenti Baptiſmi. pag. 41
Cap. III. De Baptiſmo Adultorum. pag. 42
Cap. IV. De Effectibus Sacramenti Baptiſmi. pag. ibid.
Cap. V. De Patrinis, ſeu ſuſceptoribus, & de cæremoniis, quæ in ſolemni Baptiſmo fieri ſolent. pag. 44

Tractatus V.

De Sacramento Confirmationis.

Proœmium pag. 46

Cap. I. De Quiditate, & eſſentia Sacramenti Confirmationis, Deque eius Inſtitutione. pag. ibid.
Cap. II. De Neceſſitate Sacramenti Confirmationis. pag. 47
Cap. III. De Materia Sacramenti Confirmationis. pag. 48
Cap. IV. De Forma Sacramenti Confirmationis. pag. 51

Tractatus VI.

De Sacramenro Confirmationis.

Proœmium pag. 52

Cap. I. De Miniſtro Sacramenti Confirmationis. pag. ibid.
Cap. II. De Subiecto Sacramenti Confirmationis. pag. 53
Cap. III. De Effectibus Sacramenti Confirmationis. pag. 54
Cap. IV. De Cæremoniis, & Ritu ſeruando in adminiſtratione huius Sacramenti. pag. 55

Tractatus VII.

De Sacramentis, & de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Tractatus I.

Proœ-

Index Tractatuum, & Capitulorum.

Proœmium pag. 56

Cap. I. De Nominibus, & Quiditate Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. pag. ibid.

Cap. II. De Inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. pag. 57

Cap. III. De Neceſſitate huius Sanctiſſimi Sacramenti. pag. 58

Cap. IV. De Vnitate Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. pagina. 59

Tractatus VIII.

De Sacramentis, & de Euchariſtia. Tractatus II.

Proœmium pag. 61

Cap. I. De Materia, & Forma Sanctiſſimi Sacramenti corporis. pag. ibid.

Cap. II. De Materia Sanctiſſimi Sacramenti Sanguinis. pag. 63

Cap. III. De Neceſſitate conficiendi Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie. pag. 64

Cap. IV. De Mixtione aquæ in vino ante conſecrationem, & in qua quantitate ſit apponenda. pag. 66

Cap. V. An in conficiendo Euchariſtiam ſit determinata quantitas materiæ conſecrandæ. pag. 67

Cap. VI. De Præſentialitate materiæ conſecrandæ. pag. 68

Tractatus IX.

De Sacramentis, & de forma Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Tractatus III.

Proœmium pag. 69

Cap. I. De Forma conſecrationis Corporis Chriſti. pag. ibid.

Cap. II. De Forma conſecrationis Sanguinis Chriſti. pag. 71

Cap. III. Quid efficiatur in hoc Sacramento ex vi verborum, & quid per concomitantem. pag. 73

Tractatus X.

De Sacramentis, & de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Tractatus IV.

Proœmium pag. 74

Cap. I. De Chriſti reali præſentia in Euchariſtia. pag. ibid.

Cap. II. An quando miraculoſè in Euchariſtia videtur caro, ſiue ſanguis, ſiue puer, ſit ibi verè caro, & ſanguis Chriſti. pag. 76

Cap. III. De Tranſubſtantiatione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti. pag. 77

Cap. IV. Quomodo deſinat eſſe panis, & vini ſubſtantia, & tranſubſtantietur in Corpus, & Sanguinem Chriſti. pag. 79

Cap. V. Quonam modo Chriſtus Dominus ſit ſub ſpeciebus conſecratis. pag. 80

Cap. VI. De corruptione ſpecierum conſecratarum, & quomodo ex illis generentur vermes ſine alia ſubſtantia. pag. 81

Cap. VII. An quando ſpecies conſecratæ miſcentur cum aliquo liquore non conſecrato deſinat eſſe Sacramentum. pag. 84

Tractatus XI.

De Sacramentis, & de Miniſtro Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Tractatus V.

Proœmium pag. 85

Cap. I. De Miniſtro neceſſario ad conficiendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. pag. ibid.

Cap. II. De Miniſtro Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, quo ad adminiſtrationem. pag. 87

Cap. III. De diſpoſitione requiſita in ſacerdote pro adminiſtratione Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. pag. 89

Tractatus XII.

De Sacramentis, & de ſubiecto Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Tractatus VI.

Proœmium pag. 90

Cap. I. De ſuſcipientibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & de modis, quibus recipi poteſt. pag. 91

Cap. II. De Diſpoſitionibus ex parte Animæ pro digna Sanctiſſimi Sacramenti Communione. pag. 92

Cap. III. De Diſpoſitione ex parte corporis pro Sacra Communione recipienda. pag. 94

Cap. IV. De Præcepto ſumendi Euchariſtiam per Communionem. pag. 98

Tractatus XIII.

De Sacramentis, & de effectibus Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Tractatus VII.

Proœmium pag. 101

Cap. I. De effectibus Principalibus Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. pag. ibid.

Cap. II. De Diſpoſitionibus Animæ ad effectus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ conſequendos, & quando conſequuntur in Anima ſuſcipientis. pag. 103

Tractatus XIV.

De Sacramentis, & de ſacro Sanctæ Miſſæ ſacrificio. Tractatus I.

Proœmium pag. 106

Cap. I. De Ratione, & eſſentia ſacrificij Miſſæ. pag. ibid.

Cap. II. De Partibus eſſentialibus ſacrificij Miſſæ. pag. 107

Cap. III. De Perſonis offerentibus, & de illis, pro quibus offerri poteſt Miſſæ ſacrificium. pag. 109

Cap. IV. De effectibus, & valore ſacrificij Miſſæ. pag. 112

Tractatus XV.

De Sacramentis, & de ſacrificio Miſſæ. Tract. XI.

Proœmium pag. 116

Cap. I. De Tempore, & hora celebrandi. pag. ibid.

Cap. II. De Loco, & vaſis celebrandi. pag. 119

Cap.

Digitized by Google

Cap.III. De Præparatorijs ad Miſſam, & Diuino officio, & ſacris veſtibus, alijſque requiſitis ad celebrandum. pag. 122
Cap.IV. De ritu ſeruando in verbis, & actionibus, ac de defectibus ſupplendis in Miſſæ ſacrificio. pag. 124

Tractatus XVI.

De Sacramentis, & de Myſterijs Miſſæ. Tractatus III.

Proœmium pag. 126

Cap. I. De partibus Miſſæ, eiuſque myſteriorum explicatione. pag. ibid.
Cap. II. De offertorio Miſſæ, vſque ad Canonem excluſiuè. pag. 129
Cap.III. De Canone Miſſæ. pag. 131
Cap.IV. De ſecunda parte Canonis Miſſæ poſt conſecrationem. pag. 135
Cap. V. De tertia parte Canonis Miſſæ, pertinente ad conſumptionem ſacrificij. pag. 137
Cap. VI. De vltima parte Miſſæ, quæ dicitur: Poſt Communionem. pag. 142

Tractatus XVII.

De Sacramentis, & de Miſſæ ſacrificio. Tractatus IV.

Proœmium pag. 143

Cap. I. De obligationibus celebrantis, ac miniſtri ſeruientis. pag. ibid.
Cap. II. De præceptis adſtantium, & audientium Miſſam. pagin. 147

Tractatus XVIII.

De Sacramentis, & de Sacramento Pœnitentiæ. Tractatus I.

Proœmium pag. 153

Cap. I. De pœnitentia in communi, quatenus virtus eſt, & quatenus ſacramentum eſt. pag. ibid.
Cap.II. De Inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 155
Cap.III. De neceſſitate pœnitentiæ, & eius duratione. pag. 156
Cap. IV. De partibus ſacramenti Pœnitentiæ. pag. 158

Tractatus XIX.

De Sacramentis, & de peccatis. Tractatus II.

Proœmium pag. 160

Cap. I. De peccatorum diuiſione, & Quiditate. pag. ibid.
Cap. II. De circumſtantijs peccatorum in genere. pag. 163
Cap. III. De circumſtantijs peccatorum in ſpecie. pag. 165
Cap. IV. De quibuſdam caſibus reſoluendis circa prædictas circumſtantias. pag. 167
Cap. V. De effectibus peccati mortiferi. pag. 172
Cap.VI. De peccati malitia. pag. 175

Tractatus XX.

De Sacramentis, & de Contritione. Tractatus. III.

Proœmium pag. 176

Cap. I. De contritionis Etymologia, ſignificatione, ac definitione. pag. ibid.
Cap. II. De Materia contritionis. pag. 179
Cap.III. De Quantitate, & qualitate contritionis. pag. 181
Cap.IV. De neceſſitate contritionis. pag. 183
Cap. V. De effectibus contritionis. pag. 185
Cap.VI. De contritione imperfecta, ſiue de Attritione. pag. 187

Tractatus XXI.

De Sacramentis, & de Confeſſione Sacramentali. Tractatus IV.

Proœmium pag. 190

Cap. I. De Confeſſionis Etymologia, & quiditate. pag. ibid.
Cap.II. De conditionibus, & qualitatibus Confeſſionis ſacramentalis. pag. 191
Cap.III. De integritate Confeſſionis. pag. 194
Cap.IV. De peccatorum numero. pag. 198
Cap.V. De Confeſſione iteranda. pag. 203
Cap.VI. De neceſſitate Confeſſionis. pag. 206
Cap.VII. De præcepto Eccleſiaſtico Annuæ Confeſſionis. pagina. 209

Tractatus XXII.

De Sacramentis, & de ſatisfactione ſacramentali. Tractatus. V.

Proœmium pag. 212

Cap. I. De Etymologia, ſignificatione, ac definitione ſatisfactionis. pag. 213
Cap.II. De Quantitate, & Qualitate ſatisfactionis. pag. 215
Cap.III. De neceſſitate ſatisfactionis. pag. 219
Cap.IV. De effectibus ſatisfactionis ſacramentalis. pag. 220
Cap. V. De ijs, quæ ad Confeſſarium ſpectant, quo ad pœnitentiam iniungendam. pag. 223
Cap.VI. De ijs, quæ ad pœnitentem ſpectant, quo ad pœnitentiam adimplendam. pag. 228

Tractatus XXIII.

De Sacramentis, & de forma abſolutionis. Tract. VI.

Proœmium pag. 233

Cap. I. De forma abſolutionis. pag. ibid.
Cap.II. De eſſentialibus verbis formæ ſacramentalis abſolutionis. pag. 235
Cap.III. De ſenſu verborum formæ. pag. 237
Cap.IV. De effectibus abſolutionis ſacramentalis. pag. 239

Tractatus XXIV.

De Sacramentis, & de Miniſtro abſolutionis ſacramentalis. Tractatus VII.

Proœmium pag. 243

Cap. I. De Miniſtro abſolutionis ſacramentalis, & de poteſta-

te Ordinis, & Iuriſdictionis ipſius. pag. ibid.
Cap. II. De qualitatibus, & conditionibus, quæ in Confeſſario requiruntur. pag. 247
Cap. III. De facultate pœnitentium eligendi Confeſſarium. pag. 250
Cap. IV. De aliquibus quæſtionibus, ſitu dignis circa hanc facultatem eligendi Confeſſarium. pag. 251
Cap. V. De præceptis, ſpectantibus ad Confeſſarium. pag. 255

Tractatus XXV.

De Sacramentis, & de Sigillo Confeſſionis. Tractatus VIII.

Proœmium pag. 257

Cap. I. De Sigillo ſacro Confeſſionis. pag. ibid.
Cap. II. De perſonis, qui tenentur ſeruare Sigillo. pag. 258
Cap. III. De illis rebus, quæ cadunt ſub ſigillo Confeſſionis. pag. 261
Cap. IV. De vſu notitiæ Confeſſionis ſine fractione ſigilli. pag. 263
Cap. V. De aliquibus dubijs explicandis, circa Sigillum Confeſſionis. pag. 265
Cap. VI. De pœnis infligendis contra Confeſſarios propter ſigilli fractionem. pag. 268

Tractatus XXVI.

De Sacramentis, & de caſibus reſeruatis. Tractat. IX.

Proœmium pag. 269

Cap. I. De caſibus reſeruatis in communi. pag. ibid.
Cap. II. De caſibus Summo Pontifici reſeruatis. pag. 270
Cap. III. De caſibus Epiſcopo reſeruatis. pag. 273
Cap. IV. De Abſolutione à caſibus reſeruatis. pag. 276

Tractatus XXVII.

De Sacramentis, & de caſibus reſeruatis, quo ad Regulares. Tractatus X.

Proœmium pag. 278

Decretum Clementis VIII. Super eaſnnm reſeruationem ab omnibus Regularium ſuperioribus obſeruandum. pag. 279
Cap. I. De veneficijs, incantationibus, & ſortilegijs. pag. ibid.
Cap. II. De Apoſtaſia à Religione. pag. 281
Cap. III. De Nocturna egreſſione conuentus. pag. 282
Cap. IV. De proprietate contra paupertatis votum. pag. 283
Cap. V. De Iuramento falſo in iudicio Regulari. pag. 285
Cap. VI. De Abortu mulieris grauidæ. pag. 286
Cap. VII. De falſificatione manus, ſiue ſigilli officialium Monaſterij, ſiue conuentus. pag. 287
Cap. VIII. De furto rerum Monaſterij, ſiue conuentus. pag. 288
Cap. IX. De Lapſu voluntario in peccatum carnale. pag. 289
Cap. X. De homicidio voluntario, ſiue graui percuſſione. pag. 291
Cap. XI. De Aperitione litterarum ſuperiorum. pag. 292

Tractatus XXVIII.

De Sacramentis, & de dubijs reſoluendis, quò ad caſus reſeruatos. Tractatus XI.

Proœmium pag. 294

Cap. I. De dubijs emergentibus circa verba ſubſequentia decreti. pag. ibid.
Cap. II. De alijs difficultatibus circa tertium §. in verbo ſuperiores. pag. 297
Cap. III. De quibuſdam alijs difficultatibus circa quartum, & quintum §. Decreti. pag. 301
Cap. IV. An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint abſolui à reſeruatis ſine licentia ſuorum ſuperiorum. pag. 302
Decretum Vrbani PP. VIII. pag. 303

Tractatus XXIX.

De Sacramentis, & de clauibus Eccleſiæ. Tractatus XII. de Pœnitentia.

Proœmium pag. 304

Cap. I. De quiditate, quantitate, & qualitate clauium. pagina ibidem.
Cap. II. De vſu, & effectibus clauium. pag. 307

Tractatus XXX.

De Sacramentis, & de Sacramento Extremæ Vnctionis. Tractatus vnicus.

Proœmium pag. 310

Cap. I. De Nomine, Inſtitutione, Vnitate, Neceſſitate, & Quiditate huius Sacramenti. pag. ibid.
Cap. II. De Materia Sacramenti extremæ Vnctionis. pag. 312
Cap. III. De forma Sacramenti extremæ vnctionis. pag. 315
Cap. IV. De Miniſtro Sacramenti extremæ vnctionis. pag. 317
Cap. V. De ſubiecto Sacramenti extremæ vnctionis. pag. 320
Cap. VI. De effectibus Sacramenti extremæ vnctionis. pag. 323

Tractatus XXXI.

De Sacramentis, & de Sacramento ordinis. Tractatus vnicus.

Proœmium pag. 326

Cap. I. De Nomine, Inſtitutione, & quiditate Sacramenti ordinis. pag. ibid.
Cap. II. De Nnmero Ordinum, & an quilibet ordo ſit Sacramentum, & de vnitate ipſius? pag. 327
Cap. III. De Materia, & forma Sacramenti ordinis. pag. 329
Cap. IV. De Miniſtro Sacramenti ordinis. pag. 334
Cap. V. De ſubiecto Sacramenti Ordinis, deque conditionibus in eo requiſitis. pag. 338
Cap. VI. De inhabilitate ſubiecti ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos. pag. 343
Cap. VII. De ſpeciebus alijs irregularitatum, prouenientium ex delicto. pag. 346
Cap. VIII. De effectibus Sacramenti ordinis. pag. 347

TRA-

Digitized by Google

Index Tractatuum, & Capitulorum.

Tractatus XXXII.

De Sacramentis, & de Matrimonij Sacramento. Tractatus I.

Proemium pag. 349

Cap. I. De Nominibus, Inſtitutione, & definitione Sacramenti Matrimonij. pag. ibid.

Cap. II. De Materia, & forma Sacramenti Matrimonij. pagin. 352

Cap. III. De Miniſtro Sacramenti Matrimonij. pag. 354

Cap. IV. De Matrimonio contrahendo per Procuratorem, ſiue per Epiſtolam in abſentia. pag. 355

Cap. V. De Matrimonio clandeſtino. pag. 359

Cap. VI. De Matrimonio clandeſtino ex defectu denunciationum. pag. 363

Cap. VII. De validitate, & inualiditate Matrimonij. pag. 367

Cap. VIII. De conſenſu Matrimonij ſub conditione præſtito. pag. 369

Cap. IX. De indiſſolubilitate vinculi Matrimonij. pag. 372

Cap. X. De Benedictionibus nuptiarum, quæ fieri ſolent in Eccleſia. pag. 376

Tractatus XXXIII.

De Sacramentis, & de ſponſalibus præuijs Matrimonio. Tractatus II.

Proemium pag. 379

Cap. I. De Nomine, Natura, & quiditate ſponſalium. pagina. ibid.

Cap. II. De obligatione conſurgente ex ſponſalibus, validè contractis. pag. 382

Cap. III. De Aetate, & habilitate requiſitis ad ſponſalia ineunda. pag. 386

Cap. IV. De Arrhis, & pœnis, quæ in ſponſalibus imponi ſolent. pag. 389

Cap. V. De diſſolutione ſponſalium pag. 392

Cap. VI. De Mutatione incompoſſibilis ſtatus ſponſi, cum Matrimonio contrahendo. pag. 394

Cap. VII. De alijs cauſis ſuperuenientibus, & antecedentibus, quibus ſponſalia inita diſſolui poſſunt. pag. 399

Tractatus XXXIV.

De Sacramentis, & de Impedimentis Matrimonij. Tractatus III.

Proemium pag. 4●3

Cap. I. De Impedimentis Matrimonij in communi. pag. ibid.

Cap. II. De Impedimentis erroris, & conditionis. pag. 406

Cap. III. De Impedimentis voti ſolemnis, & Ordinis ſacri. pag. 410

Cap. IV. De Impedimento cognationis. pag. 414

Arbor conſanguinitatis. pag. 416

Cap. V. De Impedimentis affinitatis, & publicæ honeſtatis. pag. 419

Cap. VI. De Impedimentis criminis, vi, & Raptu mulieris. pag. 424

Cap. VII. De Impedimentis diſparitatis cultus, ligaminis, & impotentiæ. pag. 427

Cap. VIII. De Impedimentis merè impedientibus ad Matrimonium contrahendum. pag. 431

Cap. IX. De Impedimentis alijs non dirimentibus, ex crimine prouenientibus. pag. 433

Cap. X. De diſpenſationibus obtinendis circa impedimenta Matrimonij. pag. 436

Tractatus XXXV.

De Sacramentis, & de Vſu Matrimonij. Tractatus IV.

Proemium pag. 441

Cap. I. De Vſu licito, ſiuè illicito circa actus coniugales. pag. ib.

Cap. II. De obligatione coniugum in reddendo debitum coniugale inter ſe. pag. 444

Cap. III. De peccatis, quæ contingere poſſunt inter coniuges, non debitè exercentes vſum coniugalem. pag. 448

Cap. IV. De obligationibus inter coniuges ex Matrimonij effectibus. pag. 452

Cap. V. De diuortijs inter coniuges quo ad torum, & habitationem. pag. 455

Cap. VI. De ſpeciebus luxuriæ, fornicationis ſimplicis, Adulterij, & Inceſti. pag. 461

Cap. VII. De tribus alijs ſpeciebus Luxuriæ, Stupro, Raptu, & Sacrilegio. pag. 467

Cap. VIII. De peccatis luxuriæ contra naturam. pag. 472

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ MORALIS PARS PRIMA

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS TRACTATVS PERVTILES.

AVCTORE

R. P. F. GESVALDO DE BONONIIS PANORMITANO Ordinis Minorum Capuccinorum Sacræ Theologiæ Profeſſore.

PROŒMIVM.

AD fidelium ſalutem, animarumque vtilitatem, Deo Optimo Maximo, à quo tanquam vniuerſorum fonte bona cuncta procedunt, atque inceſſanter emanant, liberaliter dante, & annuente: De conſcientiæ caſibus tractatus ſub titulo Sacræ Theologiæ Moralis ſcribere propoſui; cuius eſt noſtræ voluntatis actiones, quibus beatum aſſequimur finem, dirigere (finem inquam vltimum, quem Deum eſſe clarè viſum ex ſpeculatiua Theologia ſatis, ſuperque certum eſſe hoc loco ſupponimus) verùm enim verò, cùm non niſi medijs habitis, benèque diſpoſitis ad finem perueniatur, inter quæ præcipua ſeptem nouæ legis ſacramenta, à quibus (vt Sancta Tridentina Synodus inquit: *Omnis noſtra iuſtificatio, vel incipit, vel certè augetur, vel amiſſa reparatur*,) opportuniſſima reputantur. Concil. Trid. Diuina quandoquidem bonitas ſuam cùm mundo voluiſſet gloriam manifeſtare, vnaque cum ea bonitatem ſuam omni meliori modo creaturis omnibus communicare, ipſo in mundi exordio hominem inter cæteras creaturas ſuis manibus (vt ita dicam) de limo terræ formauit, ipſumque ad ſui imaginem, & ſimilitudinem anima rationali informatum exhibuit: ab eoque, vt ſummum bonum intelligeretur, intellectum amaretur; atque amatum poſſideretur; poſſeſſo verò in æterna beatitudine frueretur, tantummodò requirebat. Ac propterea poſt animi, corporiſque creationem in delitijs Paradiſi, vt iuſtitia, quæ præditus, ornatuſque fuerat diligenter per operationem cuſtodita, ad cœleſtem quando ei placuiſſet gloriam, traſportare decreuerat. Heù! Infeſtiſſimus ille humani generis hoſtis, ardens inuidia, pollens aſtutia, & fraude, cùm hominis ſociam decepiſſet, per eam ipſum quoque virum in peccati miſeriam præcipitem dedit. Hinc exul effectus, atque è Paradiſo eliminatus pro ſe, ſuiſque poſteris, quos tanquam in radice vitiauerat; pœnam mortis, damnationiſque contraxit. Vndè Pater miſericordiarum, vt hominem perditum ad Cœleſtem, tum gratiæ, tum gloriæ vitam reuocaret, Verbum Æternum Filium ſuum ab æterno generatum, vt carnem humanam aſſumeret, mittere in mundum, vt aſſumptæ carnis morte, & ſanguine perditum redimeret, non ſine altiſſimo conſilio determinauit. Quò tandem, redemptionis completo myſterio, priuſquam rediret ad Patrem, Eccleſiæ ſuæ ſuper firmam petram ſundatæ, ſeptem nouæ legis Sacramenta, quæ inſtituerat, tanquam ſeptem columnas reliquit: *Sapientia enim* (inquit Salomon in Prouerbijs) Salomon in Prouerbijs.

ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum ſua diuinæ iuſtitia, cum aqua ſalutari, & ſanguine, quæ de eius in Cruce pendentis latere emanarunt: poſuitque ſuæ diuinæ gratiæ menſam, ſuoſque miſit Apoſtolos, vt omnes vocarent homines: qui, fide mediante, ad eam accederent, atque in ea Panem viuum, qui de cœlo deſcendit comederent, vinumque pretioſiſſimi Sanguinis Agni Immaculati biberent, necnon Sacramenta reliqua opportunè libarent. Hæc dedit, quaſi ſeptem vberrimos fontes de Paradiſo lateris Chriſti emanantes, cuius impetu tota Dei ſanctificatur Eccleſia: de quibus Iſaias vaticinans dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, non de fontibus Ægypti (ait Hieronymus) ſed de fontibus Ieſu Chriſti, qui in ſuo Euangelio clamat dicens; ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat; & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: quod dixit de Spiritu, quem erant accepturi credentes in eum. Hæc etiam ſunt ſeptem illæ lucidiſſimæ ſtellæ, quas in Spiritu Apoſtolus ille dilectus in dextera ipſius Verbi incarnati conſpexit, de quorum immenſo ſplendore, ac lumine ipſamet Eccleſia Chriſti Sponſa mirabiliter vndique nitoris, atque ſplendoris radios emittit. Hæc illa ſunt ſeptem ſigilla, quibus vitæ liber ſignatus intus, & foris theſauros illos pretioſiſſimos, quibus Eccleſia militans à ſuo amantiſſimo Sponſo Chriſto Domino liberaliter ad animarum fidelium ſanctificationem fuit dotata, continebat. Cùm ergo hæc nouæ legis diuina Sacramenta vera ſint media, eaque infallibilia, ad noſtram perfectam iuſtificationem ſufficientia, meritò in hac prima parte noſtræ Theologiæ Moralis de ipſis diligenter operæ pretium duxi pertractare; vtiliſſimos de ipſis inſtituens tractatus, non modò Theologis, atque Sacris Dei miniſtris Sacerdotibus (inquam) vt ſanctè nimirum ſancta attrectare, atque fideliter fidelibus adminiſtrare; verùm etiam omnibus in Chriſto credentibus, vt dignè ea recipere valeant: Peccata enim, quæ in Sacramentorum adminiſtratione, atque receptione committuntur & ſacrilegia dicuntur, & ſunt.

Iſaias. Hieronym.

Humiliter igitur Dei Omnipotentis, atque miſerentis auxilio implorato, ſub Dei Genitricis auſpicijs, atque Seraphici Patris noſtri Franciſci, quibus meos omnes labores libentiſſimè impendo, ſacro, donoque Ordini inſtitutum. In hac autem prima parte de Sacramentis nouæ legis erit prius dicendum de Sacramentis in genere per duos tractatus, deindè in ſpecie de vnoquoque ipſorum per tractatus reliquos, vſque ad trigeſimum quintum. Quorum occaſione pertractatur etiam de ſacrificio Miſsæ, de peccatis, & circunſtantijs peccatorum, & de malitia peccati, de caſibus reſeruatis, de clauibus Eccleſiæ, de ſponſalium impedimentis, & vſu Matrimonij: inter hæc autem nonnullas quæſtiones, quæ in ſacra Scholaſtica Theologia à Theologis in 4. ſent. vel in 3. p. diſputari ſolent conſulto prioribus labris (vt dicitur) quantum ad rem noſtram facere videbuntur deguſtabimus, ſingula, qua maiori poterimus, tum breuitate, tum claritate peragemus.

Cum autem ex ſapientum doctrina, documentiſuè in cuiuſcumque facultatis veſtibulo optimum ſit, Conſilium, atque neceſsarium vniuerſaliora præmittere, quibus perceptis, clariùs, atque faciliùs minùs vniuerſaliora habentur: Antequàm nouæ legis ſpecialiter Sacramenta explicarem duos tractatus de ipſis in genere præmittere exiſtimaui. Ex quibus ſecundum rectum ordinem, ſicut doctrinæ expoſtulat methodus, iſte eſt primus, in quo primo eſsentia, natura, ipſorumque quiditas Sacramentorum in communi; vnà cum definitione diſcutiuntur: Deindè de quatuor cauſis materiali vid. formali, efficienti, & finali examinabuntur. Cumque legis nouæ ſint effectiua Sacramenta, idque efficiat, quod ſignificant, nempè gratiam; de effectibus; & ad hæc de neceſſitate; necnon de numero ipſorum agendum erit, atque ſit.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quid, & Quotuplex ſit Sacramentum.

CAP. I.

1 Obiectum huius tractatus.

QVoniam Sacramentorum exacta cognitio eſt obiectum adæquatum huius primæ partis noſtræ Theologię moralis: ad ipſa enim Sacramenta omnia conſideranda reducuntur, ac ipſorum gratia conſiderantur: ideò oportet, vt in ipſo facultatis veſtibulo, Quid ſibi nomen Sacramenti importet, & quidnam ſit, ſecundum quiditatẽ explicemus: De ſubiecto enim opus eſt quid nominis, & quid rei explicare: nominum enim, ac rei quidita te ignorata ad cognitionẽ illius peruenirí non poteſt.

De ſubiecto præſupponi debet quid, & quia.

2 *Triplex modus cognoſcendi.* At quoniam triplici via ad rerum cognitionem perueniri poteſt, etymologia, videlicet, deſcriptione, ac definitione. Ideò, vt à nominis etymologia incipiamus: Dico primò: quod hæc vox Sacramentum deriuata eſt à ſacro, ſiue ſacrando; adeò vt illud dicatur Sacramentum, quo aliquid ſacratur, ſicut dicitur ornamentum, quo aliquid ornatur: Sacramentis enim, Animę fidelium ſanctificantur, mediante ſanctificante gratia, quæ in ipſis confertur ex vi operis operari: ſub illis enim elementis ſenſibilibus, à Deo inſtitutis Diuina gratia ſecretius operatur.

Etymologia nominis Sacramenti.

3 *Sacramentũ à Græcis dicitur myſtirion. Myſterium quid ſignificet. Coninch. Sacerdos, quaſi ſacrum dans. Iob cap. 12. Apoc. c. 17. Dan. cap. 2.*

Quapropter id, quod nos dicimus Sacramentum, Græci appellant μυςήριον deducendo vocem iſtam à verbo Græco μυρέω, ideſt, ſacris imbuo, quapropter Sacramentorum miniſter à Græcis appellatur μύςης qui à Latinis dicitur Sacerdos, quaſi ſacrum dans: Ita Coninch. de ſac. q. 60. art. 1. nu. 1. Hinc eſt, quod quoties, in ſcriptura Græca occurrit vox iſta μυςήριον Latini interpretes modò vertunt myſterium, modò Sacramentum: vt in lib. Iob, cap. 12. Apoc. c. 17. & Dan. c. 2. Et hęc quantum ſpectat ad etymologiam nominis.

4 *Deſcriptio Sacramenti. Æquiuoca diſtinguenda ſunt. Sacramentũ eſt nomen æquiuocum.*

Quantum verò ſpectat ad deſcriptionem, ſiuè definitionem, eſt primò ſciendum, quod ex doctrina Philoſophi æquiuoca nomina priuſquam de eorum ſignificatis mentio fiat, diſtinguenda, & declaranda ſunt: At quoniam vox iſta Sacramentum eſt æquiuoca: plura enim ſignificata ſub eodem nomine diuerſis rationibus continentur, ideo, ne in ęquiuocis laboremus, oportet ipſam vocem in ſua ſignificata diſtinguere, antequam ſacramentum in communi deſcribamus, ſiuè definiamus.

5 *Depoſita in loco ſacro dicebantur Sacramenta. Varro.*

Quare eſt primò ſciendum, quod apud Gentiles (prout refert Varro. lib. 4. de ling. Lat.) Sacramentum dicebatur quædam pecunia, ſiuè depoſita, quæ

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

ponebantur in templo penès Pontificem à duobus litigantibus, cum hac conditione, vt qui vinceret pecuniam ſuam recuperaret, qui verò perderet litem conteſtatam, pecuniam ſuam amitteret in pœnam iniuſtæ litigationis, quæ depoſita appellabantur Sacramenta, eo quod in loco ſacro depoſitata fuerant.

Secundò; apud Iuriſtas ſignificat; Iuramentum, factum per rem aliquam Sacram. Hinc eſt, quod pactum, iuramento firmatum inter contrahentes per actum publicum: Sacramentum dici ſolet, eo quod Deum, ſiuè rem ſacram illam vocet in teſtimonium omnis, qui iurat, ait enim: Teſtor Deum: pro vt dicitur in Can. Si iuramenta 22. q. 4. ita Suarez tom. 3. de Sac. in gen. in Procem. Filliuc. tom. 1. tract. 1. c. 1. n. 1. Coninch. loco ſupra citato. 6

6 Secundò ſignificat iuramentum. Qui iurat vocat Deum in teſtem. Suarez. Filliucius. Coninch.

Tertiò; Sacramentum ſignificat arcanum, ſiuè quodcumq; myſterium occultum, qua ſignificatione vſus eſt Salomon in lib. Sap. c. 2. loquens de Iudęis Chriſtũ negantibus, quando dixit: *Neſcierunt Sacramenta Dei, ideſt myſteria, & ſecreta Dei:* & Daniel. c. 2. ait: *Mihi Sacramentum hoc reuelatum eſt:* & infra. *Verè Deus es, reuelans myſteria, quia tu potuiſti explicare hoc myſterium;* Vndè per ſimilitudinem deinde extenſum eſt ad ſignificanda ſecreta Regum, vel amicorum, iuxta illud Tob. c. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* 7

7 Tertiò ſignificat ſecretũ. Sap. cap. 2. Daniel. c. 2. Tob. c. 12.

Quartò; Sacramentum accipitur pro myſterio, ſecundum illud Apoc. 1. *Sacramentum ſeptem Stellarum:* & Paulus ad Eph. 5. dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico de Chriſto, & Eccleſia:* Vndè communiter apud Gręcos idem eſt Sacramentum, quod myſterium occultum: vti ſupra declaratum eſt. 8

8 4. Significat myſterium. Apoc. c. 1. Epheſ. c. 5.

Quintò; Tandem accipitur à Theologis, & Canoniſtis pro ſigno illo rei ſacræ à Chriſto Domino inſtituto ad conferendam gratiam ſanctificantem infallibiliter, non ponentibus obicem ex vi operis operati: & ita communiter ab omnibus accipitur, pro vt etiam nos in præſenti tractatu de iſtis Sacramentis nouæ legis intelligimus, quod vt melius intelligatur, ad ipſum Sacramentum in communi definiendum, ſiuè deſcribendum accedimus. 9

9 Sacramentũ propria acceptio:

Sciendum tamen, eſt quod multiſariam, multiſque modis Sacramentum in communi à Doctoribus deſcribi ſolet: quorum definitio prima eſt illa celebris Magiſtri Sent. in 4. d. 5. vbi ait. *Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum:* quem ſequuntur communiter omnes ferè Theologi, vt D. Bonau. Soto. Richard. in d. 4. d. 1. D. Thom. in 3. p. q. 60. A. 1. Nauar. in man. c. 22. num. 1. alijq; permulti, quamuis D. Thom. pro maiori declaratione addidit particulam illam, ſiuè determinationem, dicens: *Sacramentum eſſe ſacræ rei ſignum quatenus ſanctificat homines*, vt autem ſignificaret, non ſatis 10

10 Multiplices deſcriptiones Sacramenti. 1. Deſcriptio Magiſtri Sẽt. Particula addita à D. Thoma.

eſſe ad rationem Sacramenti, vt ſignificet quamcumque rem ſacram, ſed oportet, quod ſignificet ſanctificationem animæ, quæ fit mediante gratia ſanctificāte.

11 Insuper ipſemet Magiſt. aliam definitionem ipſius Sacramenti in communi paulò explicatius aſſignauit; dicens: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtens:* Omneſque alij Theologi illum ſequuntur.

2 Deſcriptio Magiſtri ſēt.

12 Tertia Definitio non multum diſſimilis ab iſta, eſt illa, qua vſus eſt Pius V. in Catech. Rom. dicens: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram iuſtificationem inſtitutum*, accipiendo ly viſibile pro ſenſibili aliquo ſenſu externo, maximè, quo ad duos diſciplinabiles, viſus, & auditus.

3 Deſcriptio Pij V. in Cat. Rom.

13 Quarta definitio eſt illa, quam tradidit D. Iſidor. libro Etym. c. 18. dicens: *Sacramentum eſt, quod ſub tegumento rerum corporalium Diuina gratia ſecretius operatur*, quæ refertur à Gratiano in Sacris canonibus in Can. Multi ſcelerum 1. q. 1.

4. Deſcriptio D. Iſidori. Can. Multi ſcelerum.

14 Quinta definitio tradita fuit ab Hugone de Sancto Victore lib. 1. q. 9. cap. 2. de Sacramentis: qui explicatius, & diffuſius Sacramentum deſcripſit dicens: *Sacramentum eſt corporale, ſiuè materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignificans inuiſibilem, & ſpiritualem gratiā.*

5. Deſcriptio eſt Hugonis Vict.

15 Artificioſius autem, & accommodatius locutus eſt Pater Suarez tom. 3. de Sacr. D. 1. ſect. 4. dicens: *Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile ad ſanctificationem aliquam conferendam, & veram Animæ ſanctitatem ſignificandam inſtitutum.* ſimiliter etiam Bonac. t. 1. de Sacr. D. 1. p. 1. num. 1. ait: *Sacramentum eſt ſignum Sacrum, non ſolum ſignificans, verum etiam infallibiliter efficiens rem ſacram ſanctificantem homines viatores*, cuius verba definitionis ab ipſiſmet pleniùs explicātur.

6. Deſcriptio eſt Suarez.

Bonacina.

16 His itaque, & aliis modis ſimilibus definiri, ſeù potiùs deſcribi ſolet à Doctoribus Sacramentum in cōmuni, qui licèt diuerſificentur verbis, in rei tamen veritate idem omninò dicere videntur; Inter quas præcipua, & principalis eſt illa Catechiſmi Conc. Trident. dicentis: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & iuſtitiæ, tum ſignificandi, tum efficiendi vim habet:* Omnes itaque prædictæ definitiones, aliæque ſimiles, quæ à Doctoribus dantur, quamuis legitimæ ſint, & bonæ, declarantes conditiones illas octo, quæ ad ſacramenta nouæ legis conſtituenda requiruntur: ſecundum Bellarmin. tom. 3. lib. 1. cap. 9. ait enim iſte Doctor, ex communi omnium Theologorum conſenſu: Sacramentum debere eſſe ſignum ſacrum ſenſibile, ex Dei inſtitutione habens ſimilitudinem, & analogiam cum re, quam ſignificat, efficaciter rem ſacram repræſentans, per cæremoniam ſolemnem, per quam homines Deo conſecrantur ex vi operis operati. Quæ omnia aliquo modo implicitè, vel explicitè in ſupradictis deſcriptionibus continentur, vt patet ex eorum declarationibus, quas ipſi faciunt:

Definitio Conc. Trid.

17 Octo conditiones, quæ requiruntur ad Sacramentū ſecundum Bellarm.

18 Verùm tamen eſt, quod licèt prædictæ deſcriptiones, vt dixi, ſint in ſe bonæ, ac legitimæ, non tamen ſunt definitiones propriæ, & quiditatiuæ, & formales, declarantes propriam eſſentiam, & rationem Sacramenti, prout eſt ens rationis relatiuum: quod quidem eſt principale in ſacramentis nouæ legis: Nā relatio rationis, ſiuè ſignificatio ex inſtituto eſt forma totius ſacramenti, fundata in ſigno illo ſenſibili, tanquàm in ſubiecto, & termino. quæ ſunt materia totius, ſeù materiales partes ſacramenti vt benè probat Doctor ſubtilis in 4. D. 1. qu. 2. A. 2. dicens; Sacramentum pro formali in ratione Sacramenti quatenus eſt ſignum, non eſt ens reale, ſed ſecunda intentio, quam ſolus facit intellectus, & nō eſt tale ſignum extra intellectum, quod quidem ſignum fundatur in ente reali, conſtans ex rebus ſenſibilibus, & verbis.

Limitatio dictarum definitionum.

Forma totius Sacramenti eſt ſignificatio.

Scotus. ſacramētum eſt ens rationis.

19 Exemplificat Scotus de ramo lauri, appoſito ante Tabernam, quod eſt ſignum vini venalis, & non eſt talis ſignificatio extra intellectum; Non enim poteſt dari ſecunda intentio, niſi fundetur in prima, alioquin non eſſet intelligibilis, cum nihil poſſit eſſe in intellectu, quin prius fuerit ſub ſenſu; Ita dicendum eſt de Sacramento; Nam illud eſſe ſignum efficax ex inſtitutione Diuina non eſt quid reale extra Animam: non enim ſignificatio illa conſequitur ex natura rei, ſed ſolum ex Diuina voluntate, & promiſſione: Illa ergo ſignificatio, fundata in illa re ſenſibili eſt relatio rationis, ſiuè ens rationis relatiuum.

Exemplum de ente rationis.

20 Et quamuis res illa ſenſilis ſit apta ad illam habendam ſignificationem; actualiter tamen non habet, niſi ex Diuina voluntate (Quicquid dicat Bonacina loco ſupra citato, exiſtimans; Sacramentum ſecundum ſe, & formaliter eſſe ens reale:) Non enim eſt tale, ſed ſolum fundamentaliter, pro vt benè probat, & declarat Scotus cum ſuis aſſeclis; Confert tamen gratiam ſanctificantem realiter ex pacto facto ab ipſo Deo, ſecundum ſuam promiſſionem infallibilem, vt ſuo loco videbitur in ſequenti capitulo.

Impugnatur Bonacina.

Scotus.

21 Ex quo manifeſtè colligitur: Duo eſſe in Sacramētis, Vnum formale, Alterum materiale, quorum primum eſt: Eſſe ſignum, efficaciter ſignificans ex Diuina inſtitutione, & hæc eſt ratio formalis Sacramenti: Secundum eſt materiale, ſupra quod relatio illa relatiua fundatur, & tale eſt, eſſe ſignum ſenſibile, quod cadit ſub ſenſu, conſtans ex rebus, ſiuè elementis, iuxta Domini inſtitutionem determinatum ad talem ſignificationem faciendam, iuxta verborum formam, præſcriptam in vnoquoque Sacramento.

Duo ſunt in Sacramento, vnum formale, alterum materiale.

22 Qua propter ſubtiliſſimus Scotus in d. 4. ſent. D. 1. ita Sacramentum in communi definiuit; *Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, gratiam Dei, ſiuè effectum eius gratuitum, ex diuina inſtitutione, efficaciter ſignificans, ad ſalutem hominis viatoris ordinatum.*

Definitio Sacramenti aſſignata à Scot. Amplectitur

Hanc ergò definitionem Scoticam optimam, & quiditatiuam eſſe exiſtimo. Et quamuis non ſit pura ſimpliciter, ſicuti definiuntur entia realia, eſt tamen data per additamentum eo modo, quo definiuntur omnes intentiones ſecundæ, quæ ſunt entia relatiua rationis, vt videbitur ex verborum declaratione.

23 Dicitur ergo primò (*Sacramentum eſt ſignum,*) in quo aſſignatur genus proprium ipſius Sacramenti, quod eſt in genere ſigni de mente omnium Theologorum in 4. ſenten. D. 1. Signum autem ſecundum D. Auguſt. lib. de doctrina Chriſti c. 1. eſt ſpecies aliqua ſenſilis, ſpeciem ingerens ſenſibus aliquid aliud ex ſe in cognitionem faciens deuenire.

Declaratur definitio Sacramenti.

Signum quid ſit D. Aug.

24 At quoniam quodlibet ſignum, ſecundum D. Tho. 3. p. q. 60. A. 3. triplex eſſe poteſt: Vel enim eſt ſignū demonſtratiuum. ideſt rei præſentis, Vel rememoratiuum. ideſt rei præteritæ, vel Prognoſticum. ideſt rei futuræ: Quæ quidem tria in quolibet Sacramento inueniuntur. Eſt enim Sacramētum ſignum rememoratiuum rei præteritæ, Chriſti Vid. paſſionis: Eſt ſignum demonſtratiuum gratiæ præſentis iuſtificantis, & ſanctificantis, quæ confertur efficaciter virtute Diuina, mediante illo ſigno, non ponentibus obicem, & tandem eſt ſignum prognoſticum futuræ gloriæ conſequendæ mediante Diuina gratia.

D. Thom. Signum triplex demonſtratiuum, rememoratiuum, & prognoſticum.

25 Quapropter de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento canit Eccleſia, dicens: *O Sacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mēs impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur:* Et hoc etiam intelligendum eſt de quolibet Sacramento: ex quo manifeſtè patet Sacramentum eſſe in ge- ad

Sacramētum, eſt in gen. ſigni ad placitum.

Digitized by Google

nere ſigni non quidem naturaliter ſignificantis, ſed ad placitum ipſius inſtituentis.

26 Ex diuina inſtitutione. At quoniam in plus ſe habere poteſt ſignũ ad placitum, quàm ad Sacramentum nouæ legis, ideòque addita eſt particula illa determinatiua; (*ex Diuina inſtitutione, efficaciter ſignificans*) tanquam differentia eſſentialis conſtitutiua, & diſtinctiua, coarctans ipſum genus, vt pro ſola re definita ſumatur: Eſſentia enim Sacramenti in hoc conſiſtit, prout patet ex doctrina Trid. Concil. ſeſſ. 7, can. 8. dicentis: *Sacramenta nouæ legis infallibiliter conferre gratiam, quam ſignificant ex vi operis operati, non ponentibus obicem*, & ideò

Conc. Trid. — Efficaciter ſignificans. dicitur *efficaciter* ideſt infallibiliter ex promiſſione facta ab ipſo Deo.

27 Gratia Dei. Additur 3. (*gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum*,) quia illud, quod tale ſignum ſignificat eſt Dei inuiſibilis gratia, mediante illa forma ſenſibili, iuxta definitionem datam à Magiſtro.

28 Effectus gratuitus. Additurque (*vel effectus eius gratuitus*) propter Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod nõ conſiſtit in vſu, cùm ſit Sacramentum permanens, vt dicetur: In ipſa enim Euchariſtia, res Sacramenti non eſt gratia habitualis, inhærens Animæ, ſed gratia, per ſe ſubſiſtens; ideſt Chriſtus Dominus, qui eſt fons gratiæ, realiter adens ſub illis accidentibus conſecratis per tranſubſtantiationem, factam virtute Diuina ex efficacia verborum ipſius Chriſti, & ideò rationabiliter addidit Scotus verba illa (*Vel effectus eius gratuitus*) vt includeret in definitione omnia Sacramenta nouæ legis, aliter enim Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non eſſet incluſum.

Res Sacram. in Euchariſtia eſt gratia ſubſiſtens.

29 Senſibile ſignum. Appoſita fuit etiam particula illa in principio (*ſenſibile*) tanquam ſubiectum, & fundamentum ipſius ſecundæ notionis; Non enim poteſt dari ſecunda intentio niſi in prima eſſet fundata; & omnis relatio debet habere fundamentum, & terminum, in quo fundatur, & ad quod refertur.

30 Ad ſalutem hominis viatoris. Additurque tandem: (*Ad ſalutem hominis viatoris ordinatum*) ad oſtendendam eius cauſam finalem: Finis enim principalis ipſius Dei, inſtituentis Sacramenta fuit ſalus animarum hominum viatorum, quæ particula addita fuit pro maiori declaratione.

31 Definitio Scoti eſt optima, conſtãs ex quatuor, cauſis. Ex quo manifeſtè patet definitionem Sacramentorum in communi, aſſignatam à Scoto eſſe optimam, & perfectam, totalem, eſſentialem, & propriam; declarat enim ipſius definiti quiditatem, non modo per eſſentialia, & intrinſeca, quæ ſunt genus, & differentia, tanquam materia, & forma, verum etiam per efficientem, & finalem cauſam, modo ſuo, quę omnia ad totalem, perfectamquè alicuius intelligentiam requirũtur.

32 Obiectio Thomiſtarũ. Vndè immeritò hæc definitio Scotica à quibuſdam calumniatur, dicentibus: eſſe nimis longam, & contra Ciceronis doctrinam 4. lib. Reth. dicentis: *Definitionem rei debere eſſe breuem, circumſcriptèque rei quiditatem explicantem*. Reſpondetur enim, negando aſſumptum; Non enim eſt longa, (vt ipſi dicunt,) cùm ſit breuis oratio, quantum ſufficit, & nulla particula ex illis ſit ſuperflua, cùm omnia ſint neceſſaria ad perfectam Sacramenti naturam, & quiditatem explicandam: Vndè Ariſt. 8 Met. tex. 9. ait; *Definitionem eſſe debere orationem longam, explicantem quid, & quale*; Explicare enim debet quicquid definitum, implicitè includit genus, vid. & differentiam, ſiuè materialem, & formalem cauſam eo modo, quo poſſit explicari, iuxta rei cuiuſcumque naturam; expertis autem credendum eſt in arte ſua.

Soluitur.

Ariſt. Definitio debet explicare quid, & quale.

33 Concluditur definitionem Scoti eſſe optimam. Cùm ergo definitio iſta Scotica comprehendat totum illud, quod ad Sacramenti eſſentiam explicãdum requiritur, & breuiter ſit, quantum fas eſt, artificioſèque compoſita, declarans Sacramenti quiditatem per omnes quatuor cauſas, quæ ad totalem alicuius intelligentiam requiruntur, & conuertatur cum ipſo definito abſolutè, concludimus: eſſe optimam, & perfectam.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Sed contra hanc aſſertionem noſtram, & Scoti doctrinam arguunt nonnulli præſertim Bellarm. libr. 1. de Sac. cap. 10. & Suar. tom. 3. de Sacr. D. 1. ſect. 6. alijquè aſſecli dicentes; Ad rationem, & eſſentiam Sacramenti pertinere non ſolum ſignificationem, ſiuè ſignum efficax ex Diuina inſtitutione, ſignificans, ſed etiam ipſam rem ſenſibilem, quæ ſubſtantia quædam eſt, & verba, quæ ſunt forma Sacramenti, quæ cum adiũcta ſignificatione faciunt vnum ens compoſitum morale per accidens; Nam ſi in ſola ſignificatione eſſentia Sacramenti conſiſteret, res ipſa ſenſilis, non eſſet, niſi Sacramenti fundamentum, ſiue ſubiectũ, quod eſt contra Eccleſiæ, & Cõciliorum determinationem, dicentium: Sacramenta conſtare ex rebus, & verbis, & illas eſſe materiam, iſta verò formam; Quomodo ergo ad eſſentiam Sacramenti non pertinent ea, quæ materia, & forma Sacramentorum dicuntur, & ſunt? 34 Obiectio Bellarm. & Suarez. Ratio obiectionis.

Volunt ergo dicere DD. iſti, quod Sacramentum, cùm ſit quid compoſitum ex ente reali, & rationis, nõ poteſt eſſe vnum per ſe compoſitum Phyſicũ, ſed morale, ideóque exiſtimant; Omnes definitiones ipſius Sacramenti à DD. aſſignatas non poſſe eſſe quiditatiuas, & formales, ſed ſolummodò deſcriptiuas, & morales, eo modo, quo definiuntur, & deſcribuntur cetera entia moralia. 35 Intentio obijcientium.

Reſpondetur concedendo, quod res ipſa ſenſilis; ideſt res, & verba pertinent ad eſſentiam Sacramenti; Sed eſſentia Sacramẽti ſtat dupliciter, vno modo pro eſſentia, & quiditate formali, & hoc modo dico, quod: Nec res ſenſilis, nec gratia inſenſibilis pertineant ad eſſentiam, & rationem formalem Sacramenti; Non enim ens reale poteſt eſſe quiditas, & ratio formalis entis rationis, Secundo modo concipi poteſt pro integritate, & perfectione Sacramenti; vt ſic, tam ſubiectum, quàm terminus pertinent ad rationem Sacramenti, & tunc illa duo ponuntur, vt additamenta. 36 Solutio: Eſſentia Sacramẽti duplex formalis, & totalis.

Exemplum patet de relatione paternitatis; Nam ad rationem paternitatis, & relationis non pertinent extrema: Pater videl. & Filius; Ad integram tamen, & completam rationem, quietantem intellectum pertinent: Non enim intellectus quieſceret, niſi in relatione ponerentur extrema, ſupra quæ fundatur, & inter quæ oritur illa relatio. 37 Exemplum de relatione Paternitatis.

Ita in Sacramentis ſignum ex inſtitutione, ſignificans, eſt relatio conſurgens inter ſubiectum, & terminum, ex ſigno videlicet ſenſibili, & gratia iuſtificante, quę apponuntur, vt additamenta ad integram, & perfectam eſſentiam Sacramenti declarandam: Et ideò dicunt Concilia, & determinationes Patrum: *Sacramenta conſtare in rebus, & ſignis*. 38 Applicatur exemplum. Reſpondetur ad Concilia.

Ad illud, quod res dicatur materia, & verba dicãtur forma: Dicimus: Ità denominari per quandam analogiam, & ſimilitudinem ad materiam, & formã, & per comparationes ad res Phyſicas, reſpectu fundamenti: Nam elementum ex ſe eſt indeterminatum, & verba illud determinant ad propriam ſignificationem: quapropter illud dicitur materia; hæc verò forma: quod melius declarabitur in ſequenti capitulo. 39 Res, & verba quare dicuntur materia, & forma.

DE MATERIA, ET FORMA Sacramentorum.

CAP. II.

QViditate Sacramentorum in genere Metaphyſica, quaſi ratione per genus, & differentiam, ſu- 1

perius iam explicata, triplici via ipſam indagãdo, etymologia vid. deſcriptione, ac definitione; Ipſarum etiam quiditatem, & eſſentiam pro clarioris vbertate doctrinæ per quatuor cauſas etiam Phyſico more indagare, operæ pretium eſſe duxi.

2 Quatuor ſunt cauſæ rerum Phyſicalium. Materialis, & formalis, Efficiens, & finalis.

Quatuor enim in Phyſicis ſunt cauſæ, quarum duæ ſunt intrinſecæ componentes, quæ ad eſſentiam rei pertinent, & hæ ſunt materia, & forma, ſine quibus cõpoſitum Phyſicum eſſe non poteſt, cùm ſint partes eſſentiales ipſius entis phyſici: Aliæ duæ cauſæ dicuntur extrinſecæ, & ſunt cauſa efficiens, & finalis, quæ faciunt ad perfectam cognitionem totius entis, non tamen ſunt de eſſentia.

3 Cognitio materiæ, & formæ neceſſaria eſt in Sacramentis.

In hoc ergo præſenti capitulo primo dicendum eſt de intrinſecis, quæ ſunt materia, & forma, ex quibus quaſi ex partibus componitur illud ſignum, quod Sacramentum dicitur; poſtea verò in ſequenti capitulo dicendum erit de extrinſecis, de cauſa videlicet efficienti, & finali: Nam ad diſtinctam Sacramentorum cognitionem nil magis conducit, quàm rectè cognoſcere: An habeant materiam, & formam, & quænam illa ſint; cùm enim Sacramentales partes eſſentiales ſint materia, & forma, niſi iſta rectè cognoſcantur Sacramentorum eſſentia percipi nullatenus poteſt.

4 Aſſertio P. Scoti. Materia, & forma duplex totius, & partis.

Quapropter dico primo de mente Scoti in 4. ſent. d. 3. q. 2. & alibi: Dupliciter in Sacramentis materiam, & formam conſiderari poſſe ad ſimilitudinem rerum phyſicalium; Datur .n. in rebus phyſicis materia partis, & forma partis, ſic etiã datur forma totius, & materia totius; Tunc dico, quod ſi loquimur propriè de materia, & forma reſpectu totius compoſiti, dicendum eſt: Materiam Sacramenti eſſe tantum illud ſignũ ſenſibile, conſtans ex rebus, & verbis, quæ conſtituunt illud ſignum tanquam fundamẽtum, ſupra quod fundatur relatio, quæ eſt forma totius Sacramenti, fundata ſupra illud ſignum.

5 Sacramentum eſt ens rationis. Materia, & forma totius in Sacramento quæ?

Ratio autem huius eſt, quia cùm Sacramentum pro formali (vt ſupra dictum eſt) ſit ens rationis relatiuum; relatio autem rationis cùm ſit accidens intentionale, non habet propriè materiam ex qua, cùm ſit ſimplex forma, vt ſupra iam dictum eſt: Vndè ipſius materia, propriè loquendo eſt ſubiectum, ſiuè fundamentum, ſupra quod fundatur relatio illa, & relatio ipſa eſt forma: Sacramentum enim componitur ex illo ſenſibili fundamento, & ſignificatione efficaci, quæ ſignificatio eſt relatio rationis, & eſt formale in Sacramento: vndè vna pars ſine altera Sacramentum eſſe non poteſt, & ideò Sacramentum ex his intrinſecè componitur, tanquam ex materia, & forma. Nam illa relatio diſtinguit, & determinat fundamentum ad eſſe Sacramẽti, & relatio vnaquæq; particularis determinat materiam illam ſenſibilem ad tale, & tale Sacramentum.

6 Exemplificatur, inductione ad Sacramenta. De Baptiſmo.

Patet hoc, diſcurrendo in omnibus Sacramentis. Quamuis enim diſtinguatur relatio Sacramenti Baptiſmi à cæteris Sacramentis per materiam, & formã, quod eſt fundamentum ipſius, & eſt totum illud ſenſibile ſignum, aqua videlicet, & ablutio, & verba formę, quæ pertinent ad fundamẽtum Baptiſmi; Vndè quodlibet Sacramẽtum propriam ſuam habet ſignificationem, quæ eſt eius propria forma, per quam diſtinguitur à cæteris Sacramentis.

7 De Confirmatione.

Ità etiam in Sacramento Confirmationis: nã Confirmatio conſtituitur per ſuam ſignificationem, quę eſt vnctio animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum conſtantia Fidem Chriſti: Materia verò eſt illud ſignum ſenſibile, in quo fundatur relatio, oleum videlicet Chriſmatis, vnctio cum cæteris verbis, & reliqua, quæ ad illud pertinent fundamentum. Et ità de cæteris Sacramentis; Propriè ergo loquendo, materia cuiuſcumque Sacramenti eſt fundamentum, ſupra quod fundatur relatio, & ſignificatio ſpecialis efficax illius Sacramenti: Forma verò eſt relatio, fundata ſupra illud fundamentum.

8 Materia partis, & forma partis.

Si autem loquimur de materia, & forma Sacramenti, non propriè in ratione compoſiti, ſed metaphoricè, & per quandam analogiam: Dico, quòd, tam materia, quam forma deſumitur ex parte fundamenti, ſiuè ex parte illius ſigni ſenſibilis: ſi enim in fundamento ſint plura, quæ non æqualiter ſe habeant, ſed alterum ſit quaſi præuium, & determinabile, & alterum, quaſi poſterius, & determinatio præcedentis: Primum poteſt dici quaſi materia per quandam ſimilitudinem ad materiam, & alterum dici poteſt quaſi forma per quandam ſimilitudinem ad formam.

9 Exemplificatur.

In propoſito res ſenſibilis, v.gr. Aqua in Baptiſmo eſt indifferens ad plura ſignificanda, determinatur autem per verba à miniſtro prolata ad ſolùm animæ ablutionem ſignificandam; & ideò verba ſe habent, quaſi forma, reſpectu fundamenti, & aqua quaſi materia, ex quibus integratur totum fundamentum, & fit vnum ſignum ſenſibile, tanquam ex duabus partibus eſſentialiter componentibus conſtitutum.

10 Res, & verba quomodo dicuntur materia, & forma Sacramenti. Intentio miniſtri neceſſaria.

Et hoc eſt, quod dicunt Concilia: Sacramenta nouę legis tribus perfici, rebus, vt materia, Verbis vt forma, & intẽtione miniſtri faciẽdi, quod intendit facere Eccleſia: Ex quo patet, quod res, & verba ſe habẽt, quaſi materia, & forma, non propriè, ſed analogicè modo ſuo reſpectu fundamenti; Vndè iſta ſola non ſufficiũt, niſi adſit miniſtri intentio faciendi Sacramentum, ſecundùm Chriſti Domini inſtitutionem: ergo ſignificatio eſt pars eſſentialis reſpectu Sacramenti: ergo forma principalis conſtituens Sacramentum eſt illa ſignificatio infallibilis, ſignificans ex impoſitione Diuina gratiam inuiſibilem, quæ ſignificatio eſt ſecunda intentio, vt ſuprà iam dictum declaratumque eſt.

11 Materia, & forma quoad eſſentialia, ſunt immutabilia.

Ad conſtituendum ergo fundamentum neceſſariò requiruntur res illæ ſenſibiles, tanquam materia; & verba à miniſtro prolata, tanquam forma, ex quibus duobus, vt dixi, conſtituitur illud ſignum ſenſibile: Quæ quidem ità fuerunt à Domino inſtituta, & determinata, quòd nec Eccleſia poſſet illa mutare, quo ad eſſentialia: Nam Sacramenta ex illis rebus neceſſariò conficienda ſunt, ſicut per inſtitutionem ab ipſo Domino ad ſignificandum fuerunt determinata, cùm ſint ſigna ad placitum ex Diuina inſtitutione.

12 Materia, & forma, vel ſecundum genus, vel ſecũdum ſpeciẽ.

Si autem ſolùm ſit facta determinatio de tali re ſecundum ſpeciem, illa erit neceſſaria ad Sacramentum ſecundum ſpeciem, vt Aqua in Baptiſmo, Oleum in extrema vnctione: Chriſma in Confirmatione: Si verò ſolum ſit facta determinatio, ſecundum genus, illa etiam ſufficit, vt in alijs ſacramentis, in quibus ſufficit vnitas generica: e. g. Confeſſio doloroſa eſt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, ſiuè ſit doloroſa per attritionem, ſiuè per contritionem, quæ ſpecie differunt, ſiuè ſit de peccatis venialibus, ſiuè mortalibus, ſiuè verbis, ſiuè nutibus explicentur: & ità de reliquis, vt in proprijs locis fuſius dicetur.

13 Mutatio accidentalis nõ vitiat Sacramentum. Suarez. Bonac. Filliuc. Can. Retulerunt de conſ. D. 4. Zaccharias Papa.

Dixi autem quo ad eſſentialia, quia quando in rebus ſenſibilibus, quæ ſunt materia Sacramenti fiat tãtummodò mutatio accidentalis non omninò deſtruitur Sacramentum, vt eſt communis ſentẽtia omnium Theologorum: in 4. D. 1. vt videre eſt apud Suarez tomo 3. de Sacr. D. 2. ſect. 3. & 4. concordant Bonacin. tom. 1. qu. 2. de Sacram. p. 1. n. 8. Filliuc. tom. 1. tract. 1. c. 4. q. 7. n. 65. cum alijs. Quæ doctrina deſumitur ex can. Retulerunt, de conſ. D. 4. vbi Zaccharias Papa dixit: Mutationem accidentalem, factam à quodam Sacerdote in Sacramento Baptiſmi, qui baptizando quẽdam ignarus latini idiomatis, infringens linguam dixit: *Ego te baptizo in nomine patria, & filia, & Spiritua Sancta:*

Sancta: validum fuiſſe Baptiſmi Sacramentum, itá adminiſtratum, eò quia talis mutatio fuit accidentalis, & non eſſentialis, dum ille non intendebat nouum ritum in Eccleſia Dei introducere, ſed hoc proceſſit ex ignorantia, ſiuè inaduertentia: ſecus autem ſi malitioſè talem mutationem verborum feciſſet, quia tūc fuiſſet mutatio eſſentialis: Itá in propoſito intelligendum eſt de alijs Sacramentis: pro vt melius explicabitur in particulari in quolibet Sacramento, loco ſuo.

14 Queſtio. An verba formæ debeant coniungi phyſicè, vel moraliter.

Sed pro complemento huius capituli videndum eſt: An verba, quæ ſe habent, vt forma reſpectu fundamēti debeant coniungi phyſicè cum re ſenſibili ad determinandum vnum ſignum, quod eſt fundamentum Sacramenti: An ſufficiat vnitas moralis inter materiam, & formam?

15 1. opinio.

Reſpondetur in hac re: Duas eſſe opiniones Doctorum; quorum vna exiſtimat; Non eſſe neceſſariam omninò vnionem phyſicam inter materiam, & formam Sacramentorum, pro vt requiritur in rebus phyſicis, ſed dicunt ſufficere vnitatem moralem: Vndè dicunt, eam ſimultatem ſufficere inter materiam & formam Sacramentorum, quæ requiritur in rebus moralibus, adeò vt forma verborum cenſeatur moraliter cadere ſuper illam materiam ad conſtituendum vnum ſignum: Quæ propinquitas non poteſt deſignari quanta debeat eſſe metaphyſicè, ſed moraliter eſt penſanda, adeò vt non intercedat tanta interpellatio temporis, quæ impediat cognoſci vnum per aliud determinari. Ita Soto in 4. D.3. q.1. A.8. & Suarez d.tom.3.D.2. ſect.2. cum ſuis aſſeclis.

Soto, Suarez.

16 2. opinio Scoti, Bonacin. Caietanus.

Secunda ſententia eſt Scoti in 4.D.6.quæſt.3.& omnium Scotiſtarum, multorumq; modernorum, vt Bonac.tom.1.de Sacr. D.1.q.2.n.2.concordatq; Caiet.to.1.opuſc.tract.16.cum alijs, dicentibus: Inter materiam & formam Sacramentorum requiri talem ſimultatem, qualis requiritur in actibus humanis, quæ ſaltem debet eſſe talis, vt antequám deſinat vnum totaliter, aliud incipiat: E.g. Ante quám finiatur prolatio verborum in Baptiſmo incipiat ablutio, & verba formæ pro aliquo inſtanti temporis ſint ſimul.

17 Quando iudicantur eſſe diſiuncta forma à mater.

Et è contra Verba prius incipiant proferri, & poſtea incipiat ablutio, quod itá intelligendum eſt de reliquis Sacramentis; Si enim non ſit aliqua coniunctio inter materiam, & formam, ſaltem in principio vnius cum perfectione alterius non poſſent dici eſſe ſimul ad faciendum vnum ſignum ſenſibile ad conficiendum tale Sacramentum.

18 2. Sententia ampleꝺitur.

Et hæc ſententia videtur probabilior, & ſecurior, & in praxi verior: certum enim eſt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe verba, quæ ſunt Sacramentorum forma, vt conficerent vnum ſignum integrum ſimul cum rebus ſenſibilibus, quæ ſunt ipſorum materia ad ſignificandum talem effectum illius Sacramenti: quæ ſi non coniungantur, ſaltem pro aliquo inſtanti, non continerent vnum ſignum integrum ad ſignificandum talem effectum infallibiliter ſignificantem illicò conferri inuiſibilem gratiam iuſtificantem ex vi operis operati: Et itá non erit infallibilis illa enunciatio formæ, dicendo: Ego te, baptizo, Confirmo, Abſoluo: Per iſtam ſanctam vnctionem: Accipe poteſtatem: Vndè poſſet quis dubitare: an Sacerdos intendiſſet per præteritam, vel futuram formam abſolutionis, Vnctionis, conferre Sacramentum, quod maximè eſſet inconueniens, & cauſa multorum ſcrupolorum, & perplexitatis conſcientiæ: quapropter hæc ſententia videtur tenenda.

19 Obiectio contrariorum. Suarez. Soto.

Et quamuis arguant Suarez, & Soto, dicentes: Opinionem iſtam Scoti non poſſe habere locum, ſaltem in Sacramento Pœnitentiæ, in quo contritio, & confeſſio poſſunt præceſſiſſe per horam, vel diem, & aliquod aliud tempus, & poſt abſolutam peccatorum confeſſionem datur, & poteſt dari Sacramentalis abſolutio, neque neceſsè, vt pro illo tunc exerceatur aliquis dolor, vel actus pœnitentis: Nam ſi confeſſio facta fuit doloroſa, ſi in illo actu quando confertur Sacramentalis abſolutio pœnitens ſit omninò diſtractus, vel phrænetícus, perficitur tamen verum Sacramentum.

20 Confirmatur obiectio.

Sic etiam ſatisfactio poſtea futura magis diſtat, & fieri poteſt, vt nunquam ſequatur, cùm non ſit pars eſſentialis: ſic etiam in Matrimonio, quod poteſt legitimè fieri per procuratorem in abſentia contrahentis: ergo ſignum eſt quod non requiritur talis ſimultas, vt dicebat Scotus ſaltem in omnibus Sacramentis.

Scotus.

21 Solūtio.

Reſpondetur tamen, quod licèt confeſſio doloroſa præcedat, & ſatisfactio ſubſequatur abſolutionem, quia hoc requiritur ad perfectionem iudicij: In iudicio enim ad hoc, vt reus abſoluatur præcedere debet pœnitudo criminis commiſſi, confeſſio, & ſatisfactio eiuſdem, & tunc ſequitur abſolutio, tanquam perfectio iudicii: Cùm ergo Sacramentum Pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum iudicij, ideò actus pœnitentis debent præcedere, tanquam quid neceſsariò per requiſitum ad perfectionem iudicij: Abſolutio autem, eſt proprium fundamentum intrinſecum ipſius Sacramenti, vt loco ſuo videbitur ex doctrina Doctoris ſubtilis.

Sacramētum Pœnitētiæ eſt actus iudicii proprij fundamentū Sacramenti Pœnitentiæ.

22 Aliquis actus pœnitentis requiritur cum abſolutione.

Nihilominus tamen poſsumus dicere, quod aliquis actus pœnitentis debet ſimul tempore adeſſe cum abſolutione: Contritio, videlicet, vel attritio peccatorum commiſsorum. Vndè ſi quis pro illo tunc, quando abſoluitur, non haberet, ſaltem virtualem attritionem peccatorum commiſſorum, non eſſet verè abſolutus, nec eſſet Sacramentum validum, licet ergo confeſſio præcedat tempore, non tamen omnes actus, & hoc ſufficit ad ſimultatem formæ; eò quod natura huius Sacramenti hoc requirit, vt aliquis actus præcedat, vt confeſſio; aliquis comitetur, vt contritio; & aliquis ſubſequatur, vt ſatisfactio.

23 Ad inſtantiā de phrænetico, ſiue diſtracto.

Ad illud de diſtracto, vel phrænetico, Reſpondetur quod licèt ille talis quando abſoluitur non habeat actualem dolorem de peccatis; habet tamen virtualem, & hoc ſufficit, niſi antea habuiſſet actum contrarium voluntatis, dum eſſet rationis compos, quia tunc non eſset legitimè abſolutus, nec eſset validum Sacramentum propter incapacitatem ſubiecti.

24 In Sacramento Pœnitētiæ nō requiritur tanta ſimultas rigoroſa.

Verum tamen eſt, quod in Sacramento Pœnitentiæ non requiritur tanta ſimultas rigoroſa, quanta in cæteris Sacramentis, in quibus materia perficitur actione ipſius miniſtri, quod indicatur per illud pronomen demonſtratiuum, & verbum indicatiui modi: vt in Baptiſmo, Cōfirmatione, Euchariſtia, Extrema-Vnctione, & Ordine: Itá Bonac.tom.1.de Sacr.in gen.d.1.p.1.num.2. Coninch.q.60.art.6.num.40. Tolet.lib.2.nu.2. cap.19.

Bonacin. Coninch. Toletus.

25 Matrimoniū, quare poteſt fieri per procuratorem.

In Matrimonio autem tanta propinquitas requiritur inter mutuam traditionem corporum coniugum, & acceptationem, quanta eſt ad humanum contractum neceſsaria, & ideò poteſt fieri etiam per Procuratorem, vt ſuo loco videbitur. In Sacramento verò Pœnitentiæ, in quo præcipuum fundamentum intrinſecum eſt abſolutio, & actus pœnitentis ſunt tanquam quid perrequiſitum ad valorem Sacramenti, non eſt neceſsaria tanta ſimultas, ſed ſufficit eo modo, quo dixi, vt ſaltem virtualis attritio comitetur, vt poſtea meliùs, & clariùs hæc omnia explicabuntur in proprijs Sacramentis.

DE

Digitized by Google

DE CAVSA EFFICIENTE Sacramentorum.

CAP. III.

1 CAuſis eſſentiabilibus,& intrinſecis abſolutis, quæ ſunt genus, & differentia, ſiuè materia, & forma, dicendum ſupereſt de Extrinſecis, quæ ſunt efficiens, & finalis,quæ licèt non ſint de eſſentia ipſius definiti,requiruntur tamen ad perfectam,& totalem cognitionem ipſius definiti: Vndè in hoc præſenti capitulo dicendum eſt de cauſa efficiente Sacramentum.

2 *Cauſa efficiēs duplex principalis, & inſtrumentalis.* Hæc autem cauſa efficiens in Sacramentis nouæ legis, quæ ſunt ſigna ex Diuina inſtitutione, ſignificantia gratiam inuiſibilem iuſtificantem: Dupliciter à Theologis conſideratur: Vna dicitur Efficiens principalis auctoritatiuè, & abſoluta; Altera dicitur: Inſtrumentalis:Prima cauſa,quę Principalis dicitur eſt abſoluta,omninò independens, in qua dicunt Theologi eſſe poteſtatem excellentiæ, & iſta cauſa eſt ſolus Deus; *Deus eſt cauſa efficiens principalis.* Ipſe enim ſolus ex auctoritate abſoluta, non dependente ab aliquo habet pleniſſimam facultatem creandi, & conferendi gratiam ſanctificantem, iuxta Dauidicum illud Pſalm.8. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & conſequenter eſt cauſa efficiens principalis omnium Sacramentorum nouæ legis,quibus mediantibus confertur gratia infallibiliter ab ipſo Deo ex vi operis operati. *Pſalm. 8.*

3 *Aſſignatur ratio.* Ratio autem huius eſt, quia inſtituere Sacramenta non eſt ſolum inſtituere ſignum, ſed eſt dare certitudinem ſignato, ſiuè dare efficaciam infallibilem tali ſigno ad conferendam gratiam:ſed efficacia iſta Sacramentorum non poteſt eſſe ab alio inferiori ipſi Deo inſtituente; ergo à ſolo Deo habent efficaciam,& cōſequenter inſtitutionem: Hæc doctrina eſt communis omnium Theologorum.in 4.ſent.D.2.& D.Tho.3.p.q. 64.A.1.Coninch.ibi A.4.Bellar.lib.1.de Sac.c.23.Suar. to.3.D.12.ſect.conc.2.Valēt.to.4.D.3.q.5.p.3.Bonac. to.p.de Sac.in gen.q.3.p.1.n.2.Cham.de Sac.tit.1.c.5.

D. Thomas. Coninch. Bellarminus. Suarez. Valentia. Bonacina. Chamerota.

4 *Nulla creatura poteſt eſſe cauſa gratiæ.* Ex quo ſequitur: Nullum præter Deum poſſe eſſe cauſam principalem gratiæ,ſeù principaliter producere gratiam effectiuè, quæ immediatè creatur ab ipſo Deo: Nulla autem creatura, vt talis eſt poteſt creare, nec producere gratiam, tum quia effectus gratiæ eſt efficere filium Dei adoptiuum, & hæredem Regni illius, ergo nulla creatura poteſt eſſe principaliter cauſa gratiæ, & conſequenter, Si quid gratiæ confert,confert ex conceſſione,& inſtitutione Dei,non ex propria virtute. Hinc ait Scotus in 4. D.2.q.1.in Corp. *Sacramenta nouæ legis à ſolo Deo habere efficaciam, tanquam à cauſa principali: à Chriſto autem patiente, ſiuè à Chriſti Domini paſſione habere efficaciam, tanquam à cauſa meritoria,qui in ſua Sacratiſſima paſſione meruit nobis de condigno gratiam, & gloriam.*

Scotus. Paſſio Chriſti fuit cauſa meritoria gratiæ.

5 *Cauſa inſtrumētalis dup. Inſtrumenti coniuncti, & ſeparati.* Altera cauſa,dicitur: Inſtrumentalis, & hæc duplex eſt: Vna dicitur: Inſtrumenti coniuncti,in qua dicunt Theologi eſſe poteſtatem excellentiæ; Altera inſtrumenti ſeparati,in qua eſt ſolum poteſtas miniſterialis: miniſtri enim Sacramentorum concurrunt ad conferendam gratiam, vt inſtrumentum ſeparatum, in quibus neceſſaria eſt poteſtas à Chriſto tradita ad conficiendum tale ſignum, mediante quo confertur gratia ab ipſo Deo ex pacto facto cum Eccleſia, & talis poteſtas dicitur, Character, qui concurrit moraliter, ſeù tanquam conditio, ſine qua non.

6 *Exemplificatur de ſcriptura.* Exemplo res manifeſte fiet: Scripturæ principale agens eſt Intellectus hominis,cauſa inſtrumentalis inſtrumenti coniuncti eſt manus ipſius ſcribentis, quæ coniuncta eſt cum ipſo homine: Inſtrumentum ſeparatum eſt calamus ſcribens; Admotio manus ad chartam eſt conditio, ſine qua non.

7 *Applicatur exemplum. Chriſtus fuit inſtitutor Sacramentorū.* Ità in propoſito: In Sacramentis cauſa principalis eſt Deus ipſe, qui eſt fons viuus indeficiens, & cauſa gratiæ; Chriſtus, vt homo, eſt cauſa inſtrumentalis inſtrumenti coniuncti: nam Chriſti humanitas, ſecundū Theologos eſt inſtrumentum coniunctum Diuinitati per vnionem hypoſtaticam cum Diuino Verbo, & vt ſic Chriſti humanitas eſt cauſa principalis inſtituens Sacramentorum, non abſoluta, ſed moralis; Chriſtus enim ſolum meruit pro nobis gratiam de condigno, quæ in Sacramentis confertur, & ita Chriſtus dicitur, & eſt cauſa efficiens meritoria Sacramentorū: At quia Chriſti humanitas eſt coniuncta Diuinitati,& Chriſtus ipſe eſt Deus,pariter,& homo,ideoq; dicunt Theologi: Chriſtum Dominum inſtituiſſe per ſe immediatè omnia Sacramenta nouæ legis: prout definitum eſt de fide per Conc.Trid.ſeſſ.7.can.1.de Sact.in gen. Vbi dicitur: *Si quis dixerit: omnia Sacramenta nouæ legis non fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtituta, Anathema ſit:* Apoſtoli autem non fuerunt inſtitutores Sacramētorum, ſed tantummodo promulgatores, & diſpenſatores myſteriorū Dei:prout teſtatur Apoſt.1.Corinth. 3.c.3.& 4.Ita communiter oēs Theologi ſupra citati.

Concil.Trid. Apoſtoli fuerunt promulgatores Sacramentorū. 1.Corint.c.3.

8 *Inſtrumentū ſeparatū eſt miniſter. 2.Corinth.3.* Secunda cauſa efficiens Sacramentorum inſtrumēti ſeparati,& miniſterialis ſunt illi, quibus ab ipſo Domino tradita fuit poteſtas adminiſtrandi,& cōficiendi Sacramenta, iuxta illud Apoſt.2.Cor.cap.3. dicentis: *Qui idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti*: Quilibet enim miniſter Sacramenti, etiam effectiuè inſtrumentaliter attingit effectum, quatenus eius actio eſt pars Sacramenti, ad quam Deus ex pacto infallibiliter,concurrit, niſi ponatur obex ex parte recipientis: Nam miniſtri actio,ſi cōſideretur moraliter,eſt ab ipſo phyſicè,ſi autem formaliter ad cauſandam gratiam per influxum Dei eſt ab ipſo miniſtro, vt à particulari agente, mediante charactere, ſeu poteſtate à Chriſto tradita,vt à cauſa morali,& conditione, ſine qua non: Deus enim non concurrit niſi cum eo, qui tali charactere ſit inſignitus ad illum effectum; Quapropter character eſt cauſa moralis actionis cauſæ inſtrumentalis, ad quam ex pacto concurrit Diuina gratia Sacramentalis; Miniſter autem eſt cauſa efficiens miniſterialis inſtrumenti ſeparati, vt ſupra iam exemplificatum eſt; Ità Diuus Thomas,3.p.quæſt.64.art.1.Sayrus lib.2.de Sacram.cap.3.quæſt.7.art.1. D.Ant. 3.part.tit.14.c.2. §.9. Vazq. de Sacram. d.135.c.3.art.4. Chamerota de Sacram.in gen.tit.1.c.5.Scotus ſupra cum alijs citatis.

Actio miniſtri quomodo conſideretur. Character eſt conditio ſine qua non.

D. Thom. Sayrus. D. Antonin. Vazquez. Chamerota. Scotus.

9 *Concluſio. Homines viatores ſolummodo poſſūt eſſe Sacramētorum miniſtri.* Ex quo ſequitur, *Solummodo homines viatores,quibus à Chriſto Domino talis poteſtas fuit collata poſſe eſſe miniſtros ſufficientes Sacramentorum, ſed non omnes, & circa omnia.*

Probatur prima pars. Prima pars huius aſſertionis patet: nam ille eſt miniſter ſufficiens, & neceſſarius ad Sacramentum conficiendum, quem Chriſtus Dominus ſua inſtitutione deſignauit: ſed ſolis hominibus Chriſtus dedit talem poteſtatem,ergo.

10 *Ratio conuenientiæ. D. Thom. Coninch.* Quod quidem conueniens fuit, nam illi, quibus Sacramenta adminiſtranda erant, ſoli homines ſunt, qui Sacramentorum ſunt capaces, & ideo à ſolis hominibus erant adminiſtranda Sacramenta; Ita Diuus Thomas tertia part. quæſt.64. artic.7. Coninch.161. num. 55. cum alijs.

11 *Angeli, & animæ ſeparatæ non poſſunt eſſe Sacramentorū miniſtri.* Ex quo ſequitur: Non poſſe Angelos,neque animas ſeparatas de poteſtate ordinaria Sacramenta conficere, & miniſtrare,eò quia non ſunt homines,neque poſſunt propria verba naturaliter proferre: Si autem corpus aliquando aſſumant, illud corpus non eſt verè humanum,ſed compoſitum ex Aere,ſicut Angeli multoties facere ſolent, & ideò tunc nō erunt veri homines.

Et

Digitized by Google

An poſſint, & in corpore aſſumpto.

Et dato, quod Anima alicuius Beati aſſumat proprium corpus ad tempus, illud non eſſet ſufficiens ad conficienda Sacramenta, eò quòd, ſicut Sacramenta inſtituta ſunt pro ſolis hominibus viatoribus, ita etiam eorum miniſtri inſtituti ſunt ſolummodo homines viatores; Quapropter ipſis ſolis vbique in ſcripturis committitur Sacramentorum adminiſtratio. Beati autem, ſiue animæ ſeparatæ non ſunt amplius viatores, cùm iam ſint in termino, & ideò non poſſunt eſſe Sacramentorum miniſtri ſecundum legem ordinariam. Ita Coninch. de Sacram. quæſt. 64. artic. 7. numer. 56. *Coninch.*

13 *Poſſunt aliquando ex diuina diſpẽſatione.*

Hoc autem intelligendum eſt de lege ordinaria: Nam per diuinam diſpenſationem poſſent: Non .n. Deus ita allegauit poteſtatem ſuam Sacramẽtis, quin etiam poſſet effectus Sacramentorum producere abſque Sacramentis: & ità poteſt de potentia abſoluta conſtituere Angelos: ſiue Animas Beatorum in corpore aſſumpto Sacramentorum miniſtros.

14

Quapropter, ſi aliquando aliquis Angelus, ſiue anima alicuius Beati in corpore aſſumpto materiam, & formam Sacramenti adhiberent, credendum eſt verum efficere Sacramentum ex particulari diſpenſatione Diuina: Poteſt enim Deus Angelis ſuis virtutem tribuere adminiſtrandi Sacramenta: Quapropter D. ait Auguſt. libr. 2. contra Parmenum cap. 15. *Nemo accipit ſine dante; Sed quid attinet ad ſanctitatem Sacramenti? adeſt enim Deus, qui dat, ſiuè per hominem, ſiuè per Angelum*: Quod idem dicit Scotus in 4. d. 6. qu. 1. Concordant D. Tho. 3. p. q. 64. art. 7. Coninch. & Nugnus ibi, Henriq. lib. 1. c. 26. num. 2. Bonac. de Sacr. in Gen. d. 1. q. 3. p. 1. num. 9.

D. Auguſt.

Scotus. D. Thomas. Coninch. Nugnus. Henriquez. Bonacin.

15 *Sacramentũ adminiſtratum ab Angelo; habendũ pro rato. Angeli aliquando conſecrauerunt Epiſcopum, & templa. Nicephorus.*

Ex quo ſequitur, quod ſi bonus Angelus, ſiue aliquis Beatus in corpore aſſumpto aliquod Sacramentum aliquando alicui miniſtraret, illud habendum eſſet ratum, tanquam verum Sacramentum, quia certum eſt, illum non acturum, niſi ex auctoritate Dei: Nam cùm nomen Angeli ſonet eſſe Dei nuncium, qui ſemper facit voluntatem ipſius Dei, ſupponi debet hoc facere ex diuina diſpenſatione, quemadmodum conſtat templa quædam fuiſſe conſecrata ab Angelis: & Nicephorus, lib. 11. Hiſt. cap. 2. refert Amphilochium per Angelos ordinatum fuiſſe Epiſcopum, eamque conſecrationem ratam fuiſſe habitam ab alijs Epiſcopis.

16 *Reſpõdetur tacitæ obiectioni.*

Quod idem dicendum eſt de alijs Sacramentis; Nec obſtat quod Angelus non poſſet propriè loqui, cum locutio ſit actio viuentis; Nam ſufficit in tali euentu, vt Angelus proferat voces ſimiles humanis vocibus, quæ percipiantur ab hominibus, applicando verba ad materiam. Ita Sayt. de Sacr. lib. 2. c. 3. q. Vn. A. 2. Bellarm. lib. 1. c. 24. *Sayrus. Bellarm.*

17 *Probatur 2. pars concluſionis.*

Probatur modo 2. pars noſtræ concluſionis, quia non omnes homines circa omnia Sacramenta ſunt ipſorum ſufficientes miniſtri, ſed illi dumtaxat, qui iuxta Chriſti Domini inſtitutionem, & variam Sacramentorum rationem poteſtatem iſtam acceperunt, prout patet ex Trid. Concil. ſeſſ. 7. Can. 10. de Sacra. in gen. vbi dicitur. *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem: Anathema ſit*; Ità Suarez tom. 3. de Sacr. D. 23 ſect. 1. §. 5. conc. Vltima, Patet hoc diſcurrendo, inductione facta in ſingulis Sacramentis.

Conc. Trid.

Suarez. Probatur Inductione.

18 *Miniſter cuiuslibet Sacramẽti quis ſit.*

Quapropter: cõcludendo dicimus, quod, omnium Sacramentorum, excepto Baptiſmo & Matrimonio, miniſter ex officio non eſt quilibet homo, ſed tantum ille, qui ritè in Eccleſia eſt ordinatus, & habet Characterem Sacerdotalem, & ideò tantum Sacerdos poteſt conficere Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, & Extremam Vnctionem miniſtrare infirmis; Sacramentum Pœnitentiæ Sacerdos, habens iuriſdictionem; Ordinis Sacramentum, & Confirmationis Sacerdos Epiſcopus conſecratus; quamuis Confirmatio aliquando ex diſpenſatione Papæ poſſit adminiſtrari à ſacerdote: & minores ordines ab Abbate, vt ſuo loco videbitur.

Sacramentum autem Baptiſmi propter ſuam neceſſitatem miniſtrari poteſt à quolibet homine, qui loqui poſſit &: ſit rationis capax: Sacramẽtum autem Matrimonij miniſtratur à quolibet fideli baptizato: nam ipſi contrahentes ſunt miniſtri, & contrahentes, vt ſuo loco videbitur. 19 *Miniſter Baptiſmi. Miniſtri matrimonij.*

Notandum 2. Omnes Sacramentorum miniſtros, ſiuè Angelos, ſiuè homines, ſiuè conſecratos, ſiuè non conſecratos, ſiuè fideles, ſiuè infideles: in conficiendis Sacramentis ſemper intentionem habere debere faciendi Sacramentum, vel ſub hoc conceptu, vel ſub aliqua ratione confuſa, & communi, ſeù æquiualenti: Vid. intendo facere quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod Chriſtiani faciunt: Quilibet enim ex his modis, ſiuè æquiualentibus ſufficiens eſt ad validitatem Sacramenti adminiſtrati. Et talis intentio reperiri poteſt, etiam in infideli, ſiuè Hæretico, ac homine idiota; Hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum in 4. D. 3. & Scoti in 4. D. 3. q. 5. & aliorum, quos ſequitur, & citat Suarea tom. 3. de ſacr. D. 13. ſect. 2. 20 *Notandum 2. Intentio miniſtri neceſſaria in adminiſtratione Sacramẽti.*

Scotus. Suarez.

Si autem in huiuſmodi miniſtris in Sacramentis adminiſtrandis talis intentio, ſaltem virtualis non adſit, non conficitur Sacramentum, pro vt definitum eſt in Trid. Concil. ſeſſ. 7. cano. 11. de Sacr. in gen. vbi dicitur; *Si quis dixeris in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, Anathema ſit.* Et in Conc. Florent. in Decret. Eugen. dicitur. *Sacramenta noua legis tribus perfici; Rebus, vt materia, Verbis vt forma, & miniſtri intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit non perficitur Sacramentum*: & Ratio huius eſt. quia actio conficiendi Sacramenta eſt humana, ergo debet humano modo exerceri; ſed non poteſt humano modo exerceri ſine tali intentione: ergo. Ità Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 8. Barth. ab Angelo Dialog. 1. §. 27. Bonac. de Sacr. in gen. D. 1. q. 3. p. 2. §. 3. n. 4. aliique communiter. 21 *Sine miniſtri intentione non perficitur Sacramẽtum.*

Concil. Trid.

Concil. Flor.

Probatur ratione.

Soto. Barth. ab Angel. Bonac.

Notandum 3. quod miniſtri intentio in Sacramentis conficiendis tripliciter poteſt conſiderari, & diſtingui, quarum. Prima dicitur Actualis, 2. Virtualis, & 3. Habitualis: Intentio actualis eſt quando actu, & formaliter de præſenti habetur actualis voluntas conficiendi Sacramentum, quæ quidem actualis intentio eſt valdè laudabilis, & quilibet Sacerdos in Sacramẽtis adminiſtrandis procurare debet, quantum poteſt ad illam habendam: Non eſt tamen neceſſe, vt miniſter ſemper in mente ſua dicat: Volo conficere Sacramentum, aut facere, quod Chriſtus inſtituit, vel Eccleſia intendit, ſed vt rectè verba proferat, & deuotè attendat ad ſenſum verborum, & ad actionem ipſam externam. 22 *Notand. 3. Intentio triplex Actualis, Virtualis, & Habitualis.*

Procuranda eſt, ſed non eſt neceſſaria.

Et hæc actualis intentio, licèt procuranda ſit, non eſt tamen neceſſaria, nec ad valorem Sacramenti, nec de præcepto, eo quod talis actualis intentio non ſit in poteſtate noſtra; Nam ſæpè ſæpiùs humana mens præter intentionem à diuerſis obiectis diſtrahitur, ſecundum illud Pſalm. 39. *Cor meum dereliquit me*; Nec enim Deus præcipit impoſſibilia, cùm impoſſibile ſit aliquem ſemper actualiter attendere, & intendere: Sufficit namque ad validitatem Sacramenti intentio Virtualis, vt dicetur; Ità communiter omnes: vt D. Thom. 3. p. q. 64. A. 9. Suarez d. tomo 3. D. 13. ſect. 3. Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 8. Con. 2. Chamer. de Sacr. tract. 1. cap. 2. d. 8. Tolet. libr. 2. c. 16. num. 5. 23 *Actualis intentio non eſt in noſtra poteſtate.*

Pſalm. 39.

Sufficit intentio Virtualis. D. Thom. Suarez. Soto. Chamerota. Tolet.

F Illuc.

Digitized by Google

Filliuc. Bonac.

Filliuc. tom.1.tract.1. c.5. num. 76. Bonac. D.1. qu. 3. p.2. prop.4. nu.11.

24 Aduertentia pro intentione virtuali.

Verùm eſt tamen, ex communi ſententia Theologorum, (vt bene aduertit Suarez lóc. citat. cum alijs) vt in Sacramentorum miniſtro ſaltem in initio actionis, quando incipit ſe præparare ad Sacramentum conficiendum præcedat aliqua actualis voluntas conficiendi tale Sacramentum, à qua voluntate inchoet illa actio, vt poſtea in progreſſu actionis virtualiter durare poſſit, quia niſi ita fiat non poterit intelligi, quomodò intentio ſit virtualis, & influat in opus, nec in quo differat ab intentione habituali, quæ non eſt ſufficiens ad conficienda ſacramenta, vt dicetur.

25 Virtualis intentio quæ.

Ex quo ſequitur, quod virtualis intentio dicitur, quando præceſſit actualis intentio, quæ licèt in ſe non exiſtat, quandò actu fit Sacramentum, manet tamen aliquod ab illa relictum, per quod cēſetur virtute moueri ad actionem ſacramenti; e.gr. cùm Sacerdos induit ſe Sacerdotalibus veſtimentis ad celebrandam Miſſam, ſi in actu conſecrationis non habeat actualem attentionem, ſiue formalem intentionem propter mentis euagationem, habebit tamen virtualem, quæ in principio illius actionis fuit actualis; Et hæc dicitur intentio virtualis, quæ ſaltem neceſſariò requiritur in miniſtro ad conficienda validè Sacramenta.

26 Particulæ oblitæ, an ſint conſecratæ: & quomodò.

Ex quo etiam ſequitur, quod ſi Sacerdos quando eſt in Sacriſtia, & vult ſe ad Miſſam præparare, & ponit quaſdam particulas cum Hoſtia ſuper patenam, ſiuè in Pyxide cum intentione illas in celebratione Miſſæ conſecrare, quamuis poſtea in actu conſecrandi, ſiuè etiam oblationis non recordetur, nec aduertat, ſed in alijs rebus inaduertenter mentem detineat, tūc omnes illæ particulæ eſſent verè conſecratæ propter intentionem virtualem, quæ in principio fuit actualis, & non retractata. Ita communiter omnes DD. vt D. Thom.3. p.q.64. art.9. Nugn. & Coninch. ibi cum Caietan. ſequitur Suarez d.tom.3. D. 13. ſect.3. Bonacin. de Sacr. D.1. q.3. §.3. num. 13. Chamer. de Sacr. tract.1. cap.2. d.8. cum omnibus Theologis in 4.D. 1. q.5. Vndè breuiter concludendo dicimus: *Intentionem merè habitualem non ſufficere ad Sacramenta conficienda, nec requiri actualem, ſed ſufficere poſſe virtualem*; Ità Scotus in 4.d.1. q.5. art.8.

D. Thomas. Nugnus. Coninch. Caietan. Suarez. Chamerota. Concluditur breuiter affirmatiuè. Scotus.

27 Habitualis intentio, quæ.

Intentio habitualis eſt illa, quandò in principio alicuius actionis nunquam præceſſit aliqua actualis voluntas, ſiuè intentio, ſed tantùm ex aliquo habitu, ſeu conſuetudine illam actionem operatur, non aduertens, quid faciat, & talis intentio habitualis non eſt ſufficiens ad conficiendum ſacramentum: Et ratio huius eſt, quia actio ſacramentalis debet eſſe voluntas operatiua ipſius ſacramenti, & ideò ſi nunquam præceſſit actualis voluntas, adeò vt poſteà poſſit virtute remanere in illa actione, non eſſet ſufficiens ad faciendum Sacramentum: eò quòd volūtas merè habitualis non eſt propriè voluntas efficax eius, ſed potius quædam conſuetudo, ſiuè habitus, quam quilibet Sacerdos etiam dormiens videtur habere: Quapropter ſi quis cum intentione merè habituali proferat formam Sacramenti, nihil faciet, prout docet Scotus in 4.diſt.6. quæſt.6. & Suarez d. tom. 3. D. 13. ſect. 3. & talis eſt mens D. Thom. quamuis in tertia parte, q. 64. art.8. ad tertium videatur dicere, quod: Habitualis intentio ſufficiat; Non intelligit tamen de habituali propriè dicta, ſed de virtuali, prout explicant omnes Thomiſtæ: vt Caiet. ibi, & Soto in 4. diſt. 1. qu.5. art.8. alijque communiter.

Habitualis intentio, non eſt ſufficiens. Scotus. Suarez. Quomodò intelligēdus ſit D. Thomas de intentione habituali. Caietan. Soto.

28 Notandum 4. intentio miniſtri, qualis debeat eſſe.

Notandum quartò actionem ſacramētalem debere eſſe humanam, liberam, & rationalem, atque principium, & cauſam confectionis Sacramenti: Vndè ſi miniſter tempore confectionis ſacramenti non eſſet ſanæ mentis, vt ſi eſſet ebrius phræneticus, ſiuè amēs, non poſſet validè perficere ſacramentum, quamuis proferat verba formæ ſuper debitam materiam, etiā cum voluntate conficiendi Sacramentum: eò quòd talis voluntas, vt ſic, non eſt ſufficiens ad conficiendum ſacramentum, cùm illa voluntas, quam habet quis tempore ebrietatis, aut amentiæ non ſit humana, nec rationalis: Nam de ratione ſacramenti eſt, quod miniſter ſit ſanæ mentis, & perfectæ rationis in conficiendis ſacramentis: & ideò amentes, aut ebrij, aut pueri ante vſum rationis, non poſſunt validè ſacramenta conficere, & miniſtrare: Ita Suarez d.tomo 3. D.13. ſect.3. Coninch. q. 64. art.8. d.2. nu.74. Graff. 2.p. deciſ. lib.2. c.3. num.35. Bonac. de Sacr. in gen. D. 1. q.3. p.2. §.3. num.17.

Amentes, & ebrij nō poſſunt ſacramenta conficere. Nec pueri ante vſum rationis. Suarez. Coninch. Graffius. Bonacina.

29 Aduertentia notanda.

Imò, vt hoc à fortiori conſtet, addunt Doctores, quod ſi Sacerdos, qui inebriari ſolet, & præuidet ſe poſt inebriationem non ſolùm prolaturum verba formæ ſuper debitam materiam, ſed etiam habiturum voluntatem conficiendi Sacramentum, & in illo tūc, quo eſt ſanæ mentis faciat actum voluntatis, quod etiam, quod proferat formam tempore ebrietatis, ſiuè amentiæ; nihilominus intelligit ex nunc pro tunc ſacramentum conficere, etiam tempore ebrietatis: Hoc tamen nihil obſtante abſolutè dicunt: In caſu non conficere verum ſacramentum; eò quòd illa voluntas non eſt ſufficiens, vt actio, quæ poſteà fiet ſit propriè humana; eò quod exercetur ab illo, qui in tali actu ratione vti non poteſt. Nam actio ſacramēti debet procedere ab intentione miniſtri, vt à principio operante efficaciter; Ità Suarez, & Coninch. cum alijs locis ſuprà citatis.

Concluſio. Suarez. Coninch.

30 Obiectio. Cōfirmatur.

Sed contra hanc aſſertionem poſſet aliquis dicere, quod D. Auguſt. tract. 5. in Ioan. dixit: *Baptiſmum, datum ab ebrioſo eſſe validum*. Ergo ſimiliter etiam Sacramentum Baptiſmi, aliaque ſacramenta ſuſcepta tempore amentiæ, ſiuè ebrietatis eſſe valida, & conferre effectum, ſi patiens ante amentiam perijſſet: ergo etiam miniſter validè confert, & adminiſtrat, qui ante ebrietatem intendebat talia ſacramenta verè conficere.

31 Solutio primæ inſtātiæ. Cōfirmatur. Solutio ſecūdæ inſtantiæ.

Reſpondetur ad primam inſtantiam D. Auguſt. Ibi non loqui de ebrio, ſed de ebrioſo, in hoc enim differunt, nam ebrioſus dicitur ille, qui inebriari ſolet, non tamen actu eſt ebrius; Hic autem dicitur, qui actu ità effectus ſit: Ad ſecundam inſtantiam: Reſpondetur, negando conſequentiam; Nam plura requiruntur ad agendum, quàm ad recipiendum: Vndè in recipiente Sacramentum non requiritur vſus rationis, quando ſacramentum non conſiſtit in aliquo actu recipientis: requiritur verò vſus rationis in adminiſtrāte ſacramenta, eò quod adminiſtratio Sacramentorum debet eſſe actio libera, & humano modo debet exerceri à miniſtrante.

32 Notand. 5. Intentio miniſtri debet dirigi ad materiam determinatam.

Notandum quintò: Intentionem miniſtri in Sacramentis adminiſtrandis dirigendam eſſe ad certam aliquam perſonam, ſeu materiam certam, & determinatam, circa quam applicetur forma abſque ſubſtantiali errore: Et ratio huius eſt, quia miniſtri intentio eſt operatiua Sacramenti, vt ex prædictis ſatis patet, ergo verſari debet circa aliquod particulare, & determinatè, quod ſaltem ſit moraliter præſens, quod patet ex verbis formæ ipſius Sacramenti. *Baptizo te: Confirmo te: Hoc eſt corpus meum: Abſoluo te*: & ita de cæteris; Nam illud pronomen deſignat determinatam perſonam, vel materiam conſecrandam, circa quam dirigi debet miniſtri intentio ſine ſubſtantiali errore, vt ſubiectum, ſeu materiam, circa quam actio miniſtri verſatur verè, ac ſine errore ſit illa, ad qua hic, &

nunc

Digitized by Google

Suar. Filliuc.

nunc dirigitur eius intentio; Itá Suarez de Sacramen. in gen. d. 13. ſect. 3. §. dico quarto: Filliuc. to. 2. cap. 5. q. 6. num. 79.

33 Error accidentalis, nõ vitiat intentionem.

Dixi autem (*Abſque ſubſtantiali errore*) quia ſi error eſſet accidentalis, non vitiaretur Sacramentum (vt plurimum) vt ſi quis abſolueret, ſiuè baptizaret, ſiuè confirmaret, aut ordinaret aliquem præſentem, putans illum eſſe Petrum, qui tamen erat Paulus, eſſet verè baptizatus, ſiuè abſolutus, eò quod talis error fuit accidentalis, & non ſubſtantialis, nam quamuis error fuit in perſona particulari, non fuit error in præſente, dummodò tamen intẽdebat ſacramentum miniſtrare perſonæ præſenti, vt ſupponitur: Quapropter non debet quis ſe reſtringere, vt non vellit facere Sacramẽtum, ſi perſona non ſit illa, quam ipſe exiſtimat, quia ſe exponeret ſępè periculo irritum faciendi Sacramẽtum propter carentiam intentionis debitæ; prout aduertit Filliuc. loco ſuprà citato.

Filliuc.

34 Exemplũ de Sacramento Euchariſtiæ.

Sic etiam dicendum eſt de conſecratione Euchariſtiæ: Si enim Sacerdos habuit intentionem conſecrãdi præſentem materiam illum videlicet panem, quem ante ſe habebat, licèt ipſe putaſſet non eſſe fermentatum, ſed Azymum: Si poſtea talis panis inueniatur fermentatus: conſecratio fuit valida, niſi tamen habuiſſet voluntatem expreſſam, & contrariam: quia tunc non eſſet effecta conſecratio ex defectu intentionis: vt ſupra dictum eſt.

35 In Matrimonio error perſonæ eſt ſubſtantialis.

Secus autem dicendum eſt de Matrimonio: Nam cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum per modũ contractus: intentio contrahentium ſemper reſtringitur ad perſonam particularem talis, & talis conditionis, & non ad præſentem tantùm, niſi quatenus exiſtimatur illa particularis determinata: videlicet, Berta, ſiuè Catherina: prout meliùs explicabitur loco ſuo, agendo de Sacramento Matrimonij: Itá communiter omnes Theologi in 4. D. 30. D. Tho. qu. 1. art. 1. Scotus & alij, quos ſequitur Suarez d. D. 1. ſect. 3. in fine.

D. Thom. Scotus. Suarez.

36 Notandũ 6. Intentio cõditionata de futuro vitiat Sacramentũ.

Notandum ſextò: Intentionem miniſtri conficientis Sacramentum, non debere eſſe conditionatam ſub conditione de futuro, quæ conditio eſt abſolutè contra Sacramenti ſubſtantiam; vt ſi quis dicat: Si feceris reſtitutionem rei ſublatæ, vel feceris hoc, aut illud: ego te abſoluo, Baptizo, non conficiet ſacramentum, & Ratio huius eſt, quia conditio de futuro ſuſpendit præſentem intentionem, & facit, vt miniſter hic, & nunc abſolutè nõ habeat voluntatem faciendi Sacramentum: ergo hic, & nunc abſolutè non efficit Sacramentum. Nec poteſt eſſe ſacramentum, ſi poſtea impleatur illa conditio, quia illud, quod futurũ erat materia, & forma ſacramenti, iam præterijt, & non eſt, & eo tempore, quo fuit, non fuit ſacramentum, ergo nec nunc poteſt incipere eſſe ſacramentum; Ita Coninch. de Sac. q. [illegible]. ar. 8. d. 2. n. 78. Peſant. in 3. p. q. 66. ar. 8. d. 3. ver. dico 2. Henriq. lib. 1. c. 10. n. 7. Bonac. de Sacr. in gen. d. 1. q. 3. p. 2. §. 3. num. 19.

Coninch. Peſantius. Henriq. Bonac.

37 Conditio de re præſenti, vel præterita eſt ſufficiens.

Sacramentum autem adminiſtratum ſub conditione de præſenti, ſiuè de re præterita, vt plurimum, non vitiatur, ſi talis conditio eſſet de facto verificata, eò quod conditio de præſenti, vel de præterito non ſuſpendit actum, cùm non ſit propriè conditio, quia ſi talis conditio eſſet verificata, tunc intentio miniſtri tranſiret in abſolutam: Si verò res, ſeu conditio non verificetur, Sacramentum nihil operatur: tum, quia miniſter non intendit facere, niſi ſub tali conditione: Nam conditionalis nihil ponit in eſſe.

38 Aduertentia: ſine cauſa nõ aliqua adhibenda eſt cõditio.

Verum eſt tamen, quod ſine rationabili cauſa tali modo dari non debet, quia exponeret ſe periculo adminiſtrandi Sacramentum inualidè, & ita, vt plurimũ, grauiter peccaret contra reuerentiam Sacramento debitam, qui ſinè iuſta cauſa Sacramentum adminiſtraret ſub cõditione: Subſiſtente verò iuſta cauſa, Sacramentum licitè adminiſtrare poterit ſub conditione de præterito, vel de præſente, dicendo: ſi non es baptizatus, ſiuè abſolutus, baptizo, ſiuè abſoluo te, vt in proprijs locis meliùs dicetur: Itá Suarez d. to. 3. D. 13. ſect. 3. §. Dico tertiò Bonac. d. D. 1. qu. 3. p. 2. §. 3. 20. Coninch. Henriq. cum alijs ſupra citatis.

Suar. Bonac. Coninch. Henriq.

DE CAVSA FINALI Sacramentorum.

CAP. IV.

1 Finis inſtituentis ſacramenta, qualis fuit.

FInis principalis, & immediatus, propter quem Chriſtus Dominus inſtituit Sacramenta nouæ legis fuit ſalus humani generis: Patet hoc ex definitione Sacramentorum in genere, à Scoto aſſignata, quãdo dixit: Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile inuiſibilis gratia ad ſalutem hominis viatoris ordinatum: Vndè ſequitur: *Homines viatores ſolummodò eſſe Sacramentorum capaces*: Quæ aſſertio eſt clara, & euidẽs, ſuppoſitis principijs noſtræ fidei: Nam ſacramenta iſta fuerunt inſtituta ad ſanctificandos homines viatores per gratiam, quam conferunt, ſi applicentur, ergo tantum illi, qui ſunt capaces grãtiæ, & augmenti eius, capaces ſunt ſacramentorum, ſed tantum viatores ſunt huiuſmodi, ergo tantùm ipſi ſunt Sacramentorum capaces.

Concluſio.

Viatores ſũt ſolummodò capaces Sacramentorũ.

2 Angeli non ſunt Sacramentorum capaces. Ratio aſſertionis.

Ex quo ſequitur, quod: Angeli, ſiuè ſpiritus Beati, ſiuè Animæ ſeparatæ non poſſunt eſſe ſacramenti capaces: Cum enim illi iam ſint in termino, non poſſunt ampliùs in gratiam creſcere, eò quod nõ ſunt ampliùs viatores, & ideò non poſſunt eſſe Sacramentorum capaces: Deindè vſu iſtorum Sacramentorum, quę fundantur in ſigna materialia, & ſenſibilia, non ſunt proportionata angelis, qui ſunt creaturæ merè ſpirituales abſque materia, & quantitate, & ideò non poſſunt eſſe capaces ſacramentorum: Itá Suarez to. 3. diſt. 14. ſect. 1. Regin. lib. 26. num. 50. Nugn. in 3. parte, q 65. artic. 10. diffic. 1. Henriq. libro primo capit. ſecundo, num. 1. Bonac. D. 1. quæſt. 6. parte prima, num. 2. de Sac. in Gen.

Suar. Reginald. Nugnus. Henriq. Bonac.

3 Obiectio cõtra aſſertionem.

Sed contra hanc rationem obijcere poſſet aliquis, dicendo: Hanc rationem non benè concludere: Nam Sacramentum aliquandò poteſt à ſuo effectu ſeparari, ergo ex incapacitate effectus non poteſt concipi incapacitas Sacramenti, Antecedẽs patet: Nam Beata Maria Virgo, ſecundùm ſentẽtiam multorum, poſt Conceptionem Ieſu Chriſti fuit plena gratiæ, adeò vt exiſtiment ipſi Doctores non potuiſſe ampliùs in gratiam creſcere: Et tamen ſacramentorum incapacem fuiſſe non eſt dicendum: Imò conſtat multa ſacramẽta recepiſſe: ergo ſacramentum poteſt aliquandò ſtare ſine ſuo effectu, & ideò non benè concluditur: Qui ſunt capaces gratiæ, & augmenti eius, capaces ſunt Sacramentorum, & non alij.

B. V. Maria fuit Sacramentorum capax.

4 Solutio. Sacramenta ad perſonas gratiæ capaces ſunt ordinata. Suar.

Reſpondetur, quod: Valor Sacramenti, & effectus eius, quamuis, quò ad actum non ſint neceſſariò coniuncta, tamen quò ad capacitatem ex parte ſubiecti ex vi inſtitutionis Chriſti ſunt coniuncta: Nam Sacramenta fuerunt à Chriſto Domino inſtituta ad primã, vel ſecundam gratiam conferendam, ergo ad perſonas gratiæ capaces ſunt ordinata: Itá Suar. tom. 3. de Sacram. D. 14. ſect. 1.

5 Beata Maria Virgo, an potuiſſet in gratiam creſcere. Capax erat gratiæ ſecundum naturã.

Ad illud de Beata Virgine, dicimus, quod dato, quod poſt Filij ſui Conceptionem non potuiſſet ampliùs in gratiã creſcere propter plenitudinem gratiæ, tamen per ſe, & iuxtà ſuam naturam capax erat gratiæ, & augmenti ipſius, & per conſequens capax erat ſacramentorũ, & de facto multa ſacramẽta nouę legis

realiter

Digitized by Google

realiter recepit, prout habetur ex traditione Sanctorum Patrum.

B. V. fuit baptizata à Chriſto, Henriq.

6 Quà propter ait Henriqu. in ſumm. libr. 2. de Baptiſmo cap. 5. §. 2. quod ipſa *B. Virgo reſpectu ſuæ naturæ, & conditionis, capax fuit Sacramentorum, etiam Baptiſmi*. Vndè dicunt Sancti DD. quod per traditionem habetur, quod ipſemet Chriſtus Dominus tempore, quo vitam mortalem agebat in terris, dignatus eſt per ſe ipſum ipſam Beatam Virginem ſuis proprijs manibus baptizare: Et quamuis eſſet gratia plena, & ſemper immunis ab inſtanti ſuæ Conceptionis Immaculatæ ab omni labe peccati, non ſolùm actualis, verùm etiam Originalis, recepit tamen mediante Baptiſmo, Characterem baptiſmalem, & cum eo facultatem recipiendi alia ſacramenta, & fructum Euchariſtiæ, quam quotidiè deuotiſſimè recipiebat per manus D. Ioannis Euãgeliſtæ: Inſuper eſt etiam traditio recepiſſe ſacramentum Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, prout dicit Henriq. loc. cit. cum alijs.

Quomodò fuit capax Baptiſmi.

Quotidiè recipiebat Euchariſtiam.

Recipit Confirmationẽ, & Extremam Vnctionem.

Sacramentũ Pœnitentiæ non fuit capax.

Ordinis, & Matrimonij non recepit.

7 Sacramentum autem Ordinis recipere non potuit, cuius fœmina iure Diuino eſt omninò incapax: Nec Sacramentum Pœnitentiæ cuius capax vnquã minimè fuit, eò quia peccatum aliquod nullo modo commiſit: Matrimonium autem quòd tunc cum ſuo ſponſo Ioſeph contraxit non erat tunc Sacramentum.

Chriſtus Dominus communicauit ſe Sacramento Euchariſtiæ.

8 Vel poſſumus dicere, quòd Beata Virgo Sacramentorum fuit capax, non propter neceſſitatem effectus, qui eſt gratia, vel augmentũ eius, ſed propter ſuam conſolationem, & experientiam Sacramentalem: Vndè & ipſemet Dominus IESVS, qui fuit Sacramentorum Auctor, & fons totius gratiæ in illa vltima cœna, quando Sanctiſſimum Sacramentum inſtituit communicauit ſe ſuo Sanctiſſimo Corpore Conſecrato, & Sanguine ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Concluſio 2. Voluntas recipiendi Sacramentum requiritur in ſuſcipiente.

9 Dico ſecundò. Ad valorem Sacramenti neceſſe eſſe, vt recipiens habeat intentionem, ſiuè voluntatem, ſiuè formalem, ſiuè virtualem, ſiuè ſaltem interpretatiuam recipiendi tale Sacramentum: Aliter enim Sacramentum datum nullum eſſet: Non enim gratia Sacramentalis danda eſt, ijs nolentibus illam recipere: Vndè, ſicut in miniſtro conficiente eſt neceſſaria intentio faciendi Sacramentum, ità in recipiente acceptandi: Ita D. Thom. 3. p. qu. 68. art. 7. Henriq. lib. 2. cap. 22. num. 1. Suarez tom. 3. D. 14. ſect. 2. Coninch. q. 64. art. 8. diſt. 5. num. 1. & eſt communis Theologorum ſententia in 4. ſent. D. 4. & eſt doctrina Innocentij III. quæ refertur in cap. Maiores de Baptiſmo §. Item quæritur, vbi, inquit Pontifex: *Ille, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*: Et D. Auguſt. libr. 4. de Baptiſm. cap. 24. ait: *Ideò ſufficere, vt pro paruulis alij reſpondeant, quia ipſi reſpondere non poſſunt, & in eis dicitur eſſe intentio interpretatiua recipiendi Sacramentum*. Et ideò baptizantur in fide parentum, & in eis ſupplet voluntas Chriſti, ſiuè Eccleſiæ. At ſi pro eo (inquit Auguſtinus,) *Qui reſpondere poteſt alius reſpondeat, non valet, quia ætatem habet, ipſe de ſe loquatur*.

Ratio cõcluſionis.

D. Thom. Henriq. Suarez. Coninch.

Innocentius in cap. Maiores

D. Auguſt. Paruuli baptizantur in fide parentũ.

Probatur cõcluſio inductione.

In Baptiſmo Cõfirmatione, & Ordine.

10 Probatur tandem noſtra concluſio, ſimul, & declaratur, inductione facta in omnibus ſacramentis: Nam in tribus illis, quæ imprimunt characterem, Baptiſmo videlicet, Confirmatione, & Ordine, clarum eſt, & neceſſaria ſemper fuit in adultis voluntas recipiendi tale Sacramentum, quia ſine proprio recipientis conſenſu dari non poteſt: prout patet manifeſtè ex d. cap. Maiores; ſupra cit. & eſt doctrina omnium Theologorum in 4. diſtin. 4. in materia de Baptiſmo, qui etiam idem docent de Sacramento Confirmationis, & Ordinis, quia cùm hæc ſacramenta ſint irreiterabilia, imprimantque characterem indelebilem in animam ſuſcipientis, neceſſaria eſt in adultis voluntas recipiendi, prout probat Suarez d. tomo 3. D. 14. ſect. 2. circa medium.

Suarez.

Sacramentũ Euchariſtiæ eſt Sacramẽtum permanens.

Sufficit ſola miniſtri intẽtio ad conficiendum.

11 Si autem loquimur de SS. Euchariſtiæ Sacramento, diſtinguendum eſt, quia cùm hoc Sacramentum non conſiſtat in vſu, ſicut & cætera, ſed fiat per conſecrationem materiæ panis, & vini, iuxta Chriſti inſtitutionem, qua conſecratione peracta remanent ſpecies conſecratæ, vt ſuo loco dicetur. Ideòque in conficiendo non pendet ex voluntate communicandorum, ſed ſolùm ex intentione celebrantis: Vndè ſola miniſtri intentio requiritur in conficiendo: In recipiendo autem recipientis intentio neceſſaria eſt, vt effectum Sacramenti recipiat: Quare, ſi caſu, vel per errorem contingat ab aliquo ſumi Euchariſtiæ Sacramentum, materialiter tantùm ſumeretur, & non formaliter, quapropter effectus eius tunc non ſequeretur, vt ſuo loco videbitur.

Pœnitentiæ Sacramentũ plura requirit.

12 De ſacramentis verò Pœnitentiæ, & Matrimonij nulla eſt dubitatio, quin neceſſaria ſit intentio recipientium ad validitatem ſacramenti: Nam ſacramentum Pœnitentiæ non ſolùm requirit voluntatem recipiendi abſolutionem ſacramentalem, ſed etiam requiritur in pœnitente abſoluendo aliqua alia diſpoſitio: vt voluntaria pœnitudo, ſpontanea confeſſio cum deteſtatione peccati commiſſi, & voluntate formali nõ peccandi de cætero; aliter enim ſacramentalis abſolutio, collata nulla eſſet, nulliuſque valoris.

Matrimoniũ requirit voluntatem vtriuſque contrahentium.

13 Sic etiam dicimus de ſacramẽto Matrimonii, quod conſiſtit in ratione contractus, & fit per mutuum contrahentium conſenſum, vel verbis, vel nutibus, vel ſignis declarantibus volũtatem liberam, & expreſſam contrahentium, ideòque neceſſariò requiritur voluntas libera ipſorum contrahentium, qui ſunt miniſtri, & recipientes tale ſacramentum, vt loco ſuo explicabitur pleniùs in tractatu de Sacram. Matrim.

De Extrema Vnctione Extrema Vnctio quandoque datur ſenſibus deſtitutis.

Sufficit in his voluntas interpretatiua.

Differentia inter recipientem, & miniſtrãtem Extremam Vnctionem.

14 Solùm autem de ſacramento Extremæ Vnctionis eſt aliqua dubitatio, quia nonnumquam datur ſine infirmorum expreſſa voluntate, & conſenſu. Sed dicimus: In talibus infirmis, ſenſibus deſtitutis inueniri voluntatem ſaltem interpretatiuam, in qua ſatis eſt, quòd aliquis actus præceſſerit, qui actus non ſit retractatus, ſed habitualiter, & moraliter maneat: Supponitur enim in Chriſtiano, & in tali vitæ extremo conſtituto inueniri voluntatem recipiendi media ad ſalutem ipſius Animæ ordinata, quorum vnum eſt Sacramentum Extremæ Vnctionis. Vndè dicitur: Hoc Sacramentum non poſſe adminiſtrari ab amente ratione intentionis, prius habitæ, ſed poſſe recipi ab amente ratione voluntatis, ſiuè conſenſus ſaltem interpretatiui, prius habiti: In hoc enim ſufficit intentio habitualis: In miniſtro autem Sacramenti non ſufficit habitualis intentio, ſed ſaltem requiritur virtualis, quæ aliquando fuit actualis.

Obiectio Caietani.

Primum argumentum Caietani. Dormiẽs, an poſſit baptizari.

C. Maiores de Baptiſmo.

15 Sed contra hanc aſſertionem eſt opinio aliquorum Doctorum, & præcipuè Caietani in 3. p. quæſt. 68. ar. 7. & aliorum, dicentium: ex parte recipientium Sacramenta non eſſe neceſſariam intentionem formalem recipiendi Sacramentum, ſed ſolùm, quod non ſit contraria voluntas: ità vt, ſi Gentilis, ſiuè infidelis adultus, qui nunquam de Baptiſmo cogitauit, aut velle, aut nolle; ſi dormiens baptizetur, Sacramentum erit validum: Probant autem hanc rationem, ex d. c. Maiores de Baptiſmo, §. dormientibus, vbi dicitur: *Characterem imprimit Sacramentalis operatio, quãdo obicem contrariæ voluntatis non inuenerit obſiſtentem.*

Secundum argumentũ Concil. Flor.

16 Secundò probant ex Concil. Florent. vbi dicitur: *Tria eſſe neceſſaria ad ſacramenta conficienda: vid. Materiam, Formam, & Miniſtri intentionem*: Si autem recipien-

Digitized by Google

cipientis intentio fuiſſet neceſſaria debuiſſent Patres Concilij quarto loco apponere, quod non fecerunt.

17 Tertium argumentum. Tertiò probant exemplo paruulorum, in quibus non exigitur propria voluntas ad recipiendum Sacramentum Baptiſmi, ergò in nullo baptizando dicunt (per ſe loquendo) requiritur conſenſus ad recipiendum baptiſmum, quia: quod non eſt de neceſſitate Sacramenti in vno recipiente, non eſt de neceſſitate in alijs in eodem Sacramento.

18 Reijcitur. Sed opinio iſta admitti non poteſt, cùm ſit contra communiorem ſententiam ferè omnium Doctorum, qui de Baptiſmi Sacramento tractant, & contra determinationem Conciliorum: Nam ſicut Deus non iuſtificat adultum ſine eius conſenſu; ità nec per ſacramenta confert ſuam gratiam ſine proprio recipientium conſenſu: Quapropter dixit D. Auguſt. *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*; Et Innocentius III. in dict. cap. Maiores de Baptiſmo ait. *Ille, qui nunquam conſentit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*: Ità communiter omnes Theologi, vt videre eſt apud Suarez d. tomo 3. de Sacr. d. 14. ſect. 2. Filliuc. tomo 1. tit. 1. cap. 8. num. 131. Diuus Tho. 3. p. quæſt. 68. art. 7. Henriq. in ſum. lib. 2. cap. 22. nu. 1. Conineh. qu. 64. art. 8. d. 5. num. 98.

Nõ iuſtificatur adultus ſine proprio conſenſu. D. Auguſt. Innoc. III. Suarez. Filliuc. D. Thom. Henriq. Conineh.

19 Solutio prioris argumẽti. Ad rationes autem Caietani, reſpondetur: obicem Sacramenti non ſolùm eſſe contrariam voluntatem, verùm etiam carentiam paſſiuæ voluntatis recipiendi ſacramentum: Quod ſi Innocentius in d. c. Maiores ſolùm meminit contrariȩ voluntatis, & non carentiæ paſſiuæ voluntatis: eſt, quia ſolùm fuit interrogatus de illo, qui inuito baptizatur, ſed nunquam negauit, carentiam paſſiuæ voluntatis eſſe obicem.

20 Solutio 2. argumenti. Ad illud Conc. Floren. Reſpondetur: Patres Concilij non meminiſſe intentiones recipientis, quia illa non erat neceſſaria ad validitatem omnium Sacramẽtorum, ſed illorum, qui conſiſtunt in vſu: Vndè ſine intentione communicandorum conficitur Sacramentum Euchariſtiæ, quod dicitur, & eſt Sacramentum permanens: Quapropter in conficiendo circumſtantium intentio non eſt neceſſaria, ſed tantummodò miniſtri conficientis.

21 Solutio 3. argumenti. Sic etiam reſpondetur ad illud de Baptiſmo paruulorum: nam illi baptizantur in fide parentum, vt ſuprà dixit D. Auguſt. Non enim requiritur eadem diſpoſitio in quolibet ſubiecto, recipiente Sacramentum, ſed iuxta vniuſcuiuſque capacitatem: quia ergo paruulus capax propriæ voluntatis eſſe non poteſt, ideò ſufficit ei Chriſti, vel Eccleſiæ voluntas, ſecus autem eſt in adulto, in quo requiritur voluntas, ſaltem habitualis recipiendi ſacramentum; Quapropter Greg. XIII. in noua Canonum impreſſione, iuſſit deleri tanquam erroneam Gloſſam illam in cap. Solet de conſ. D. 4. quæ docebat: *Etiam inuito, & non contradicenti Baptiſmũ collatum valere*, prout refert Henriq. in ſum. cap. 24. de Baptiſ. Et per hoc patet reſponſio ad argumenta contrariæ opinionis.

Greg. XIII. Gloſſa in ca. Solet. Henriq.

22 Concluſio 3. Fides, pœnitentia, & iuſtitia non ſunt neceſſaria ad valorẽ Sacramenti. Dico tandem 3. Ad valorem Sacramentorum (excepto Sacramento Pœnit.) nullam diſpoſitionem fidei, pȩnitentiæ, aut iuſtitiæ eſſe neceſſariam in reliquis Sacramentis, dummodo ſit voluntas recipiendi Sacramentum (loquimur enim de validitate, ſeu valore, non autem de effectu:) Patet hoc dictum ex determinatione Conciliorum, & Pontificum, dicentium: Hæreticos baptizatos, vel ordinatos, ſi iuxtà ritum Eccleſiæ Catholicæ baptizati, ſiuè ordinati fuerint, iterum baptizandos, vel ordinandos non eſſe: ſufficit enim, quòd Sacramentum ſuſceptum ſit ſine vlla ſupernaturali diſpoſitione contrariæ voluntatis, ſed cum voluntate recipiendi tale Sacramentum, quod dat Eccleſia.

23 Confirmatur concluſio. D. Aug. Confirmatur autem hæc veritas: ex D. Auguſt. libr. 2. contra Parmenum: cap. 16. vbi dicit: *Si quis baptizatur propter flagitium al quod committendum, dummodò baptizari intendat, verè remanere baptizatum*: Et hoc ipſum confirmat Hiſt. quam refert Niceph. lib. 14. hiſt. c. 17. de quodam Iudæo, qui lucrãdi pecuniam animo ſæpè Baptiſmum recipere ſolebat: & tandem, cũ quadam die acceſſiſſet ad Paulum Epiſcopum, vt Sacramentum Baptiſmi iterum reciperet, dum Epiſcopus eum baptizare cœpiſſet, ineffabili quadam prouidentiæ vi, aqua iterum, atque iterum diſparuiſſe: & illo ſigno compertum fuit Iudæum illum prius fuiſſe verè baptizatum: quanquam ſine recta intentione ad Baptiſmi Sacramẽtum acceſſiſſet: ex quo ſequitur, quòd ex parte recipientis non eſt neceſſaria fides, pœnitentia, & iuſtitia. Ità Suarez d. to. 3. D. 14. ſect. 2. concl. 2. Filliuc. to. 1. tract. 1. c. 8. nu. 131.

Nicephorus. Exemplum de Iudæo, qui ſæpè Baptiſmum recipere ſolebat. Suarez. Filliuc.

24 Quæ intentio ſit neceſſaria in recipiente. Ex quo ſequitur, quòd ad validitatem Sacramentorum, reſpectu recipientium ſolùm requiritur voluntas recipiendi Sacramentum, vel quod in illo actu intendit dare Eccleſia Sancta Dei: Vndè poteſt Sacramentum eſſe validum ſine effectu gratiæ, quæ propter obicem recipientis aliquando non confertur: Sacramentum autem, quamuis ſacrilegè receptum, validum tamen eſt: Hoc tamen intelligendum eſt, dummodò ſubiectum ſit capax illius Sacramenti: Vndè fœmina incapax eſt Sacramenti Ordinis: Similiter ſanus non eſt capax Sacramenti Extremæ Vnctionis: ſimiliter non baptizatus cœterorum Sacramẽtorum, eò quod Baptiſmus ſit omnium Sacrorum ianua, vt dicetur.

Requiritur capacitas ſubiecti.

25 Pœnitentiæ Sacramentũ plura requirit. Dixi autem (excepto Sacramento Pœnitentiæ,) quia in hoc Sacramento neceſſaria eſt fides, & pȩnitentia, vt Sacramentalis abſolutio ſit valida, eò quod pœnitudo eſt pars eſſentialis iſtius Sacramenti, vt ſuo loco dicetur: Hoc enim peculiare eſt in Sacramento Pȩnitentiæ: de reliquis verò Sacramentis certa eſt noſtra concluſio: Ità D. Thom. 3. p. qu. 68. art. 8 & Suarez, & Filliucius loc. cit. cum omnibus communiter: De diſpoſitione autem, quæ requiritur in ſuſcipiente, vt effectum gratiæ recipiat, dicendum eſt infrà in tractat. 2. de Sacram. in gen.

DE SACRAMENTORVM *Effectibus.*

CAP. V.

1 Non datur cauſa ſine ſuo effectu. CAuſis Sacramentorum intrinſecis, & extrinſecis abſolutis, Materiali videlicet, & formali, efficienti, & finali, quæ ad perfectam notitiam ſubiecti faciebant; dicendum ſupereſt de effectibus ipſorum Sacramentorum: Non enim datur cauſa ſine ſuo effectu: cùm ſint adinuicem correlatiua, quæ poſita ſe ponunt, & perempta perimuntur: vt eſt doctrina Philoſophi in c. de relatione, omniumque Philoſophorum, ac Theologorum.

Ariſt.

2 Notandum primum. Tria conſiderantur in Sacramentis, Sacramentũ tantum, res Sacramenti, & res ſimul, & Sacramẽtum. Res Sacram. Notandum ergo primò, quòd in omnibus Sacramentis nouæ legis tria conſiderantur: videlicet Sacramentum tantùm, Res Sacramenti, & Res ſimul, & Sacramentum: prout dicunt communiter omnes Theologi: Sacramentum tantùm eſt illud, quod ſignificat, & non ſignificatur, hoc eſt illud ſignum ſenſibile exteriùs ſumptum ſub ſua forma ad ſignificandam inuiſibilem gratiam, iuſtificantem, quæ mediante tali Sacramento confertur immediatè ab ipſo Deo, iuxtà ſuã promiſſionem infallibilem: Res Sacramenti eſt ipſemet effectus interior vltimus, puta ipſa gratia, collata à Chriſto Domino mediante illo ſigno ex vi operis operati, & hæc gratia ſignificatur, & non ſignificat.

Digitized by Google

3 Res ſimul, & Sacramentũ.

Res ſimul, & Sacramentum, dicitur id, quod ſignificat, & ſignificatur, & eſt interior cauſa gratię, vt character, ſiue ornatus impreſſus in Anima ſuſcipientis Sacramentum, ſiuè corpus Chriſti, verùm in Euchariſtia, qui dicitur effectus gratuitus ſecundùm Scotum: in 4. d. 1. Hæc eſt communis doctrina omnium Theologorum, vt videre eſt apud Suarez to. 3. D. 15. ſect. 4.

Scotus. Suarez.

4 Notandum ſecundum. Meritum duplex ex opere operantis, & operato. Meritũ operantis quid. Meritum ex operato quid.

Notandum ſecundò, quod: Modus obtinendi gratiam, & meritum, iuxta Theologorum doctrinam duplex eſt: Vnus dicitur: ex opere operantis, alter dicitur: ex opere operato: Primus modus eſt, quando obtinetur aliqua gratia ex merito ipſius operantis, vel ratione propriæ diſpoſitionis præciſè, vt eſt ab ipſo operante, qui eſt in gratia, vel ſaltem in eo eſt aliquod meritum, ſaltem de congruo, vt quando aliquis ex feruẽti oratione, vel ex amore Dei, & charitate meretur aliquam gratiam: Vndè quando agens, ſiuè operans, vel recipiens Sacramenta eſt in gratia; tunc etiam dicitur mereri augmentum gratiæ ex opere operantis ſecundùm magis, & minùs diſpoſitionis ipſius operantis.

5 Operatũ accipitur paſſiuè, non actiuè.

Secundus modus, qui dicitur ex opere operato eſt quando confertur gratia non propter ſolam diſpoſitionem ſuſcipientis, ſed propter aliquod aliud externũ ſignum, inſtitutum à Deo ad conferendam gratiam vltra omne meritum, & diſpoſitionem operantis, tam de condigno, quàm de congruo: Vndè iy operatum, ſecundùm Bellarm. tom. 3. lib. 2. de Sacr. c. 1. accipitur paſſiuè, & non actiuè: ita vt idem ſit; Sacramentũ conferre gratiam ex opere operato, quòd conferre gratiã ex vi operis, & actionis Sacramentalis applicatæ, à Deo ad hoc inſtitutæ, non ex merito agentis, vel recipientis, ſed vltrà omne meritum operantis.

6 D. Auguſt. Sacramẽtum ſine propria virtute eſſe non poteſt.

Quà propter dicebat D. Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo cap. 42. *Ipſum, per ſe ipſum Sacramentum multum valet, quia idem Sacramentum, quantum in ſe eſt ſine propria virtute eſſe non poteſt*, & hoc ex promiſſione, ſacta ab ipſo Deo Eccleſiæ ſuæ ſponſæ, quod ipſemet Deus ſemper aſſiſtens erit illis Sacramentis, & in quocumque ſuſcipiente, & non ponente obicem, poſito illo ſigno ſecundùm inſtitutionem ipſius Chriſti, infallibiliter ipſemet Dominus confert & gratiam ex opere operato, vt infrà meliùs explicabitur: Ità Sayrus libro 1. de Sacr. c. 1. A. 3. Suarez d. 10. 3. D. 7. ſect. 1. §. 5. Regin. lib. 26. n. 46. Coninch. q. 62. A. 1. d. 1. n. 4. Bonac. de Sacr. in genere D. 1. q. 4. p. 1. nu. 1. Filliuc. tom. 1. c. 6. q. 3. nu. 94. & alij.

Sayrus. Suarez. Reginald. Coninch. Bonac. Filliuc.

7 Concluſio, omnia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Conc. Nicænum & Cõſtantinopolit.

His poſitis, & adnotatis dico primò quod: In omnibus, & ſingulis Sacramentis nouæ legis ſuſcipientibus, & non ponentibus obicem, ſemper, & infallibiliter confertur gratia habitualis, quæ eſt gratia gratum faciens, & ſanctificans Animam ex opere operato. Hæc concluſio eſt communis inter Theologos, & in multis Concilijs determinata, vt Nycæno, Conſtantinopolitano, & Florentino, vbi dicitur: *Sacramenta nouæ legis continere gratiam, quam ſignificant, & illam non ponentibus obicem infallibiliter conferre.* Et tandem per Trid. Conc. ſeſſ. 7. can. 6. 7. & 8. de fide hoc determinatum eſt; legite Suarez d. 10. 3. D. 7. ſect. 1. Bonac. loco cit. n. 2. cum alijs, qui hoc diffuſe probant.

Trid. Conc. Suarez. Bonac.

8 Probatur cõcluſione.

Probatur autem ratione iſta concluſio. Ità; Nam Sacramenta nouæ legis ſunt ſigna efficacia, & infallibilia gratiæ iuſtificantis, ergò conferunt gratiam, quã ſignificant infallibiliter, eò quia inſtituta ſunt ab ipſo Domino, qui eſt veritas infallibilis ad gratiam conferendam, ergò neceſſe eſt, quantum eſt ex parte ipſorum, quod ſemper conferant ipſam gratiam, aliter eorum ſignificatio nõ eſſet vera, & certa. Quod etiam inductione declaratur: Nam Sacerdos dicit in perſona Chriſti. *Ego te baptizo, Confirmo, Abſoluo: Hoc eſt Corpus meum*: ergò infallibiliter, & de præſenti conferunt gratiam, quam ſignificant, aliter enunciatio, & promiſſio Chriſti eſſet fallibilis, quod implicat.

Probatur Inductione.

9 Aduertẽtia. Sacramenta conferunt gratiam aptitudinaliter.

Notandum autem, quod quandò dicimus: *Sacramenta conferre gratiam ex opere operato*, intelligẽdum eſt aptitudinaliter, non actualiter, quia ſi actualiter aliquando Sacramenta non conferant gratiam, hoc non prouenit ex defectu Sacramenti, ſed ex defectu ipſius recipientis propter obicem: Qua propter dixit Trident. ſeſſ. 7. cano. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, & non conferre non ponentibus obicem: Anathema ſit*: & canon. 7. addidit illa verba, *Quantum eſt ex parte Dei*.

Conc. Trid.

10 Obex gratiæ eſt peccatum mort.

In adultis ergo requiritur diſpoſitio ad recipiendam gratiam, quarum vna & principalis eſt, vt non ponatur obex peccati mortiferi: gratia enim cùm culpa mortali ſtare minimè poteſt: Vndè non eſt contra rationem Sacramenti, ſi aliquando non conferunt gratiam in ſuſcipiente eum obice, cùm hoc ſit commune omni cauſæ agenti, quæ poteſt impediri ob reſiſtentiam paſſi: Nam ſecundùm Philoſophum: *Omne agens agit in patiente benè diſpoſito*: Et in hoc nulla eſt controuerſia.

Ariſt. Omne agens agit in patiẽte benè diſpoſito.

11 Difficultas, Quomodò Sacramenta conferunt gratiam.

Sed Difficultas eſt ad explicandum: Quomodò Sacramenta iſta conferunt gratiam, quæ eſt gratia gratum faciens, & Sanctificans animam: In qua quidem difficultate multi multa dicunt: ſed præcipuè duæ ſunt opiniones principales, quamuis vna quæque in varias partes ſecetur, & diuerſimodè explicetur.

12 1. Sententia Thomiſt. D. Thomas. Caiet. Nugnus. Capreolus. Adrianus. Suarez. Bellarmin.

Eſt ergo Prima ſententia ferè omnium Theologorum Thomiſtarum, dicentium: eſſe ſententiam D. Th. 3. p. q. 62. A. 4. & ſequuntur Caiet. ibi cum Nugno: cõcordant Capreolus, Adrian. Soto, cum alijs in 4. D. 1. q. 3. A. 1. ſequuntur Suarez tom. 3. de Sacr D. 9. ſect. 1. Bellarm. tom. 3. lib. 2. de Sacr. alijque aſſecli, dicentes: *Sacramẽta nouæ legis eſſe veras, & proprias cauſas inſtrumentales gratiæ, & phyſicè ipſam cauſando per veram, & phyſicam efficientiam, attingendo veram gratiæ productionem*, (non quidem principaliter:) nam concedunt quòd principaliter à ſolo Deo poteſt gratia produci. (ſed inſtrumentaliter) quia Sacramenta ſunt inſtrumenta Dei ad conferendam gratiam hominibus viatoribus: Volunt ergò iſti Doctores: Sacramenta, tanquam inſtrumenta Diuinæ potẽtiæ trahi ad eſſe altioris ordinis, vt producere, & cauſare poſſint gratiam, quod diuerſis medijs, & fundamentis probant.

13 Senſus ſententiæ. Thomiſt. 2. Sententia Scoti, & aliorum. ſacramenta non conferunt gratiam phyſicè, ſed moraliter. Modus, quo Sacramenta conferunt gratiam. Ioan. c. 20.

Secunda ſententia oppoſita eſt Doctoris ſubtilis in 4. D. 1. quæſt. 4. & aliorum dicentium: *Sacramenta cõferre gratiam non phyſicè, neque inſtrumentaliter, ſed moraliter ex promiſſione Dei*: Modus autem, quo Sacramenta cauſant gratiam talis eſt: quia applicatio, & receptio Sacramenti eſt diſpoſitio, neceſſitans Deum ad conferendam gratiam in ſuſcipientem tale Sacramentum: Neceſſitatur autem Deus, non abſolutè, ſed ex promiſſione infallibili, facta in inſtitutione Sacramentorum, quando dixit in nocte Cœnæ; *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis; & Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Ioan. c. 20. Tunc enim promiſit Chriſtus, quod applicato illo Sacramẽtali ſigno, iuxta ipſius inſtitutionem conferret ſuam gratiam, vel augmentum eius in ſuſcipiente, & nõ ponente obicem: Non ergo Sacramenta, vel receptio ipſorum cauſant gratiam, quia neceſſitent Deum per aliquam virtutem, vel formam phyſicam, ſiuè inſtrumentalem, ſibi inexiſtentem, ſed ſolùm per aſſiſtentiam diuinam, & promiſſionem, factam Eccleſiæ ab ipſa veritate infallibili: Ità Scotus cum omnibus Scotiſtis: in d. 4. ſent. D. 1. q. 4. cuius etiam ſententiæ eſt D. Bona. in d. 4. D. 1. q. 4. Riccard. A. 5. q. 3. Marſil. q. 1. A. 3. in 3. p. articuli concl. 2. Gabr. A. 4. q. 2. Alenſ. 4. p. q. 2. memb.

Quomodo neceſſitetur Deus ad cõferendam gratiam in Sacramẽtis. Scotus. D. Bonau. Riccardus. Marſilius. Gabriel. Alenſis.

Coninch. Faber.

memb.3. A.5. §.2. Coninch. q.62. A.4. d.VII. conc.2. n. 123. & 131. ſequitur Faber. in 4. ſent. to.2. D.1. c.6. d. 1. cum omnibus Scotiſtis, alijſque recentioribus.

14 Exponitur mens Scoti, & aliorum. Sacramenta ſunt cauſa gratiæ moralis, nõ per accidens, ſed per ſe.

Quà propter dicit Scotus, quod: *Sacramenta infallibiliter cauſant gratiam ex opere operato*, quia poſito illo ſigno ſenſibili, à Deo inſtituto cum intentione debita miniſtri conficiendi Sacramentum; Deus infallibiliter dat gratiam ſubiecto recipienti, & non ponenti obicem: Et hoc ſufficit ad ſaluandum, quod Sacramenta ſint cauſa gratiæ moralis, non accidentalis, ſed aliquo modo per ſe: Nam omnis diſpoſitio, neceſſitans ad formam poteſt dici quodam modo cauſa actiua, ſiuè inſtrumentalis reſpectu illius formæ: At Sacramentum eſt talis diſpoſitio, immediatè cauſans gratiã, neceſſitando ipſum Deum ad ipſam gratiam conferendam: ergo. Vndè dicere ſolemus: *Merita efficere hominem beatum, & gratum Deo*; Non tamen intẽdimus, quod phyſicè cauſent beatitudinem, nec gratiam, ſed quod ſint diſpoſitiones, neceſſitantes Deum ex pacto facto ad conferendam gratiam, & beatitudinem in merente. Ità dicendum eſt de Sacramentis.

Merita quomodo efficiãt hominem Beatum, & gratum Deo.

15 Sententia Scoti clarius declaratur.

Eſt ergo Scoti ſententia: *Sacramẽta eſſe cauſam gratiæ*, non quia in ipſis ſit aliqua qualitas ſupernaturalis, quæ poſſit gratiam cauſare, vel diſpoſitionem ad gratiam, attingentem phyſicè, vel inſtrumentaliter productionem gratiæ, quòd eſt cauſare gratiam phyſicè, vt volunt Thomiſtæ, ſed quia ex pacto, inſtituente Deo tale ſignum, applicatum: eſt diſpoſitio prȩuia ad quam Deus ipſe infallibiliter confert gratiam: Sacramentum enim eſt ſignum ex impoſitione diuina inſtitutum, infallibiliter ſignificans inuiſibilem gratiã iuſtificantem, vel effectum eius gratuitum in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vt ex eius definitione Scotica patet: Quam ſententiam Subtilis exiſtimo eſſe probabiliſſimam, eamque validiſſimis rationibus probat Coninch. cum alijs locis ſuprà citatis.

Quid ſit cauſare gratiam phyſicè.

Amplectitur Scoti ſententiã. Coninch.

16 Argumẽtum Scoti contra Thomiſtas.

Vndè contra fundamentum Thomiſtarum Arguit Scotus ità: Nulla creatura poteſt creare, nec attingere terminum creationis, neque principaliter, neque inſtrumentaliter. Implicat enim contradictionem, creaturam habere virtutem aliquam ſupernaturalẽ creandi: ſed Sacramenta ſunt creaturæ, ergo nullo pacto poſſunt producere gratiam, quæ ex nihilo creatur ab ipſo Deo, & non de aliqua ſubiecta materia: & cùm gratia ſit quædam qualitas ſpiritualis non poteſt produci à ſignis ſenſibilibus, niſi moraliter, eo modo, vt ſuprà declaratum eſt.

Gratia creatur ex nihilo. Gratia ſpiritualis non poteſt produci à ſignis ſenſibilibus.

17 Reſpõſio Capreoli. Reijcitur.

Nec valet reſponſio Capreoli, & aliorum, dicentiũ: *Sacramenta poſſe efficere aliquam diſpoſitionem præuiam, quæ dicitur Character, ſiue Ornatus, ad quem ſequitur creatio gratiæ*. Nam contra hanc reſponſionem inſtatur: Vel illa diſpoſitio præuia, quam dicit Capreolus eſt forma naturalis, vel ſupernaturalis, ſed quomodocumque ſit, remanet integra difficultas: Nam illa diſpoſitio naturalis eſt creatura, ergo, ſicut Sacramenta immediatè non poſſunt efficere, neque attingere productionem gratiæ, ergo neque illa diſpoſitio.

Si autem eſt ſupernaturalis, ſicut eſt ipſa gratia, ergo æquè ſunt in potentia Sacramenta ad producendam illam gratiam: ergo, &c.

18 Confirmatur ratio contra Capreolum. Gratia producitur in inſtanti.

Deindè illa præuia diſpoſitio ſupernaturalis producitur in inſtanti, eò quia ipſa eſt neceſſitans ad gratiam, quando non eſt impedimentum in Anima recipientis, ergò tunc ſimul cùm producitur, eſt illa diſpoſitio præuia in Anima cum gratia: At gratia non producitur in tempore, ſed in inſtanti, ergò ſi ſimul comproducitur illa diſpoſitio præuia, debet produci in inſtanti: ſed Sacramenta non fiunt in inſtanti, ſed ſucceſſiuè, cùm conſtent ex rebus, & verbis, quæ ſucceſſiuè applicantur, ergò illa præuia diſpoſitio non poteſt attingere gratiȩ productionem, neque attingi à Sacramentis: ergò, &c.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Si autem Sacramentum conſideretur formaliter, prout eſt ſecunda intentio, & ens rationis, neque poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis phyſica ad productionẽ gratiæ, ergo potiùs dicendum eſt cum Scoto, Sacramenta efficere gratiã ex opere operato, non phyſicè inſtrumentaliter, ſed moraliter, prout ſupra in ſecunda ſententia Scotiſtarum explicatum eſt. 19

1. Argumentum.

Dico ſecundò. *Sacramenta non efficere gratiam ſolum excitando fidem* (vt Hæretici affirmare non erubeſcunt.) *ſed conferre gratiam ſanctificantem animæ recipienti*, eo modo, vt ſuprà, ſecundùm Scoti doctrinam explicauimus. Prima pars huius aſſertionis patet: quia ſi ſic, ſequeretur Sacramenta non ſolùm conferre gratiã ſuſcipientibus, ſed etiam videntibus, & conſiderantibus, in quibus excitatur fides, quod eſt abſurdum. 20

Concluſio 2. contra Hæreticos. 1. pars concl. probatur. 1. Inferẽtia. 2. Inferentia.

Secundò ſequeretur, quod etiam Sacramentalia, vt Aqua benedicta, lignum Crucis, quæ excitãt fidem eſſent Sacramenta, quòd etiam eſt abſurdum. Vndè voluntas, fides, pœnitentia: requiruntur in adultis, vt diſpoſitiones ex parte ſubiecti, & non, vt cauſæ actiuȩ; Non enim fides, & pȩnitentia efficiunt gratiam Sacramentalem, ſed ſolùm tollunt obſtaculum, ne Sacramentum effectum non habeat. 21

Intentio, fides, & pœnitentia ſunt conditiones ex parte ſubiecti.

Verùm eſt tamen, quod Sacramenta, in adultis cõferunt gratiam, & fidem, & ideò fides concurrit, vt fundamentum, pȩnitentia verò, vt diſpoſitio, prout docet Trid. ſeſſ.6. c.7. & ſeſſ. 7. Hinc Chriſtus Dominus dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*, loquens de adultis, in quibus fides ſupponitur tãquam fundamentum: Ità etiam dicendum eſt de alijs Sacramentis; In pueris autem Sacramentum dat gratiam, & fidem. prout docent Bellarm. to.3. lib.2. c.1. de Sacr. Suarez to.3. D.7. ſect.1. Filliuc. to.1. tract. 1. c.6. n. 95. alijque multi. 22

Sacram. conferunt gratiã & fidem. Conc. Trid. Fides cõcurrit, vt fundamentum, pȩnitentia, vt diſpoſitio. Bellarm. Suarez. Filliuc.

Secunda Pars etiam patet ex ſupra dictis: Hinc ſequitur Primo: Falſum eſſe, quod quidam dixerunt: Adultis primam gratiam iuſtificantem, quæ directè opponitur peccato mortali, per nullum Sacramentum conferri poſſe, quia non ſunt capaces primæ gratiæ, niſi per actum contritionis deteſtentur peccata mortalia, per quem actum contritionis neceſſe eſt eos iuſtificari ante ſuſceptionem Sacramenti: falluntur inquam: quia Sacramentum Baptiſmi; & Pȩnitentiæ directè inſtituta ſunt ad remiſſionem peccatorum, & per conſequens conferunt primam gratiam, alioquin non benè dixiſſent Concil. Florent. & Trid. *per Baptiſmum nos ſpiritualiter renaſci*, ſi per contritionem renati eſſemus ante Baptiſmum: Tum quia nõ ſemper eſt neceſſaria contritio ante ſuſceptionem Sacramenti, cùm ſufficiat attritio, ergo abſque contritione ex opere operato cum ſola attritione poteſt recipi prima gratia virtute Sacramenti: Qua propter dixit Trid. d. ſeſſ.7. capit.1. *Per Sacramenta, omnis vera iuſtitia, vel incipit, vel certè augetur, vel amiſſa reparatur.* 23

Probatur 2. Pars. Inferentia prima.

Baptiſmus, & Pȩnitentia: per ſe inſtituta ſunt ad primam gratiam conferendam. Contritio nõ ſemper eſt neceſſaria ad Sacramenta.

Concil. Trid.

Secundò ſequitur, quod licèt cætera Sacramenta præter Baptiſmum, & Pœnitentiam à Chriſto fuerint inſtituta non ad primam gratiam conferendam, ſed primo, & per ſe ad augmentum gratiæ: E. gr. Confirmatio inſtituta fuit ad præſtandum robur in confeſſione fidei: Euchariſtia ad nutriendam Charitatem; Extrema vnctio ad tollendas peccatorum reliquias, & ad confortandum hominem in fine vitæ laborantem, vt reſiſtere poſſit tentationibus Diaboli: Matrimoniũ ad caſtè viuendum caſtitate coniugali: Ordinis Sacramentum ad dignè, & validè Sacra munera miniſtranda: vt in proprijs locis videbitur. 24

2. Inferentia.

25 Per accidens autem: Omnia Sacramenta, etiam primam gratiam aliquando conferre poſſunt: ijs Vid. qui habent peccatum mortale, dummodo ea ritè ſuſcipiant: Quod dupliciter contingere poteſt: primò ſi aliquis oblitus peccati mortalis commiſſi ad Sacramentum aliquod ſuſcipiendum accedat, putans ſe eſſe in gratia. 2. ſi cum contritione putata, quæ re vera in ſe non ſit talis, niſi ſimplex attritio ad aliquod Sacramentum recipiendum accedat, quodcumque ſit illud. Huiuſmodi perſona ritè Sacramentum ſuſcipit, & per conſequens conſequitur effectum illius, qui eſt conferre gratiam ex opere operato. At quia iſte talis non habet adhuc primam gratiam, cùm per ſolam attritionem non ſit adhùc iuſtificatus ſine Sacramenti virtute: ergo virtute illius Sacramenti, ritè ſuſcepti recipit primam gratiam, quamuis tale Sacramentum primò, & per ſe non fuerit inſtitutum ad primam gratiam conferendam, ſed ſolum augmétum ipſius: Non enim eſt minoris virtutis augere gratiam, quàm illam infundere, neque primus gradus gratiæ excellentior eſt, quam ſecundus, ergo virtute operis operati in huiuſmodi caſibus omnia, & ſingula Sacramenta per accidens etiam primam gratiam cóferre poſſunt: prout colligitur ex Trid. d. ſeſſ. 7. & eſt doctrina Suarez d. to. 3. D. 7. ſect. 2. omniumque aliorum ſupra citatorum.

Sacramenta poſſunt conferre primá gratiam per accidens.

Quomodò hoc fieri poteſt declaratur dupliciter.

Augere gratiam non eſt minoris virtutis, quam infundere.

Concil. Trid. Suarez.

26 Tertiò ſequitur, quia ex completa iuſtitia, qua iuſti ſumus, non ſolùm gratiam continere Sacraméta, ſed etiam dona Spiritus Sancti, & virtutes infuſas, quę habitualem gratiam comitari ſolent: vt Charitas, Gaudium, Pax, Patientia: &c.

3. Inferentia.

Ideòque dicimus ex communi omnium conſenſu: *Hæc omnia infundi, vel augeri cum ipſa gratia, ſeruata proportione in eodem gradu, in quo infunditur gratia*, cùm hæc ſint velut paſſiones, & proprietates ipſius gratiæ: Qui enim dat formam, dat & conſequentia ad formam, ſiuè proprietates ad ipſam formam: & cui conceditur principale, conceditur & acceſſorium: vt patet de Reg. Iur. & eſt doctrina ipſius Suarez d. to. 3. D. 7. ſect. 2. circa finem.

Concluſio 3.

Dans formá, dat & conſequentiam ad formam. Regula Iuris Suarez.

27 Dico tandem; pro complemento huius capituli: In Collatione trium Sacramentorum: Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis imprimi in Anima ſuſcipientis quoddam ſpirituale ſignum indelebile, quod dicitur Character: Hoc dictum eſt de fide determinatum in c. Maiores. de Baptiſmo, ab Innocentio 3. & in Conc. Florent. in Decret. Eugen. & in Trident. ſeſſ. 7. cap. 9. de Sacramentis in gen. ſub his Verbis: *Si quis dixerit: In tribus Sacramentis Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in Anima*: hoc eſt, quoddam ſpirituale ſignum indelebile: Vndè & iterari non poſſunt: *Anathema ſit*.

Concluſio 4. Sacramenta tria irreiterabilia imprimunt characterem. Concil. Flor. & Trid. C. Maiores de Baptiſmo. Charac. quid ſit.

28 Ratio autem huius eſt, quia cùm Anima ſit ſubiectum, in quo imprimitur character, quæ cùm ſit incorruptibilis, & immortalis, ſequitur quod character impreſſus in Anima indelebiliter, & perpetuò maneat in ipſa: Vndè ſi quis ordinatus moreretur, & poſtea reſurgeret non eſſet rebaptizandus, neque ordinandus, eò quod habuit iam Characterem, qui remanet in anima in æternum: In alijs verò Sacramentis non imprimitur Character, & ideò ſunt reiterabilia. Ita Vaſqu. 3. p. tom. 2. D. 146. nu. 4. Henriq. libr. 1. c. 13. Chamerota de Sacr. tract. 1. c. 4. d. 5. Bonac. de Sacram. in gen. D. 1. q. 5. p. 1. n. 2.

Quare character ſit indelebilis.

Alia Sacramenta quare iterari poſſunt. Vaſq. Henriq. Bonac.

29 An autem talis Character ſit ens abſolutum: An reſpectiuum diſſentio eſt inter Theologos: Alij enim dicunt eſſe relationẽ: alij autem volunt, quòd ſit quædam qualitas, & per conſequens ens abſolutum: Scotus circa hoc eſt problematicus, vtramque enim ſubſtentat opinionem: Dicit enim probabiliter poſſe defendi: Characterem eſſe relationem, non quidem ſecundùm eſſe, ſiuè intrinſecus aduenientem, quæ poſito fundamento, & termino ſtatim reſultat relatio, ſed extrinſecus aduenientem, quæ poſito fundamento, & termino non oritur ſtatim relatio, ſed oritur ex alia cauſa extrinſeca, diſtincta ab extremis: At ſubſtentat etiam: poſſe ſubſtineri, quod Character ſit forma abſoluta de genere qualitatis primæ, vel ſecundæ ſpeciei, non quidem naturalis, ſed ſupernaturalis.

An charact. ſit ens abſolutum, vel reſpectiuum, diſſentio.

Scotus eſt problematicus circa hoc.

30 Cùm ergò Scotus in hoc ſit problematicus, vt Dixi: Nos breuiter, communiorem ſententiam ſequendo, concludimus dicentes: *Characterem eſſe quamdam qualitatem ſupernaturalem, diuinitus infuſam à Deo in Anima ſuſcipiente Sacramentum aliquod irreiterabile, mediante qua homo redditur aptus ad Sacramenta reliqua ſuſcipienda, vel adminiſtranda, & ad alia Diuini cultus opera*: Ità Valentia tomo 3. D. 3. quæſt. 4. part. 1. Suarez tomo 3. D. 11. ſect. 2. Henriquez libro primo cap. 13. Bellarmin. de Sacram. libro 2. cap. 16. Bonacin. d. D. 1. quæſt. 5. p. 2. num. 1. Scot. in 4. D. 6. quæſt. 10. & alij.

Collectio circa characterem.

Valentia. Suar. Henriq. Bellarm. Bonac. Scotus.

31 Ex quo ſequitur, quòd Character eſt quædam forma, impreſſa in Anima, aſſimilatiua alijs habentibus talem Characterem, & diſtinctiua illius ab alijs, non habentibus tale ſignum, ſiuè Characterem: Et eſt ſignum rememoratiuum Chriſti, cuius Sacramentum ſuſcipitur, & eſt obligatiuum illi eo modo, quo ſuſcipiens tale Sacramẽtum obligatur Chriſto ad tale munus exercendum: Et hæc de effectibus Sacramentorũ in genere, & de Charactere dicta pro modò ſufficiant: Plura autem dicenda ſunt ſpecialiter in proprijs locis.

Epilogus.

DE NECESSITATE, ET NVMERO Sacramentorum.

CAP. VI.

PRo fine, & complemento huius primi Tractatus Sacramentorum in genere, dicendum ſupereſt de Neceſſitate, & Numero ipſorum: An Vid. omnia Sacramenta nouæ legis ſint ad ſalutem neceſſaria, & quæ, & qualis ſit talis neceſſitas: An ſingula ſingulis, & omnibus eodem modo, & Ratio dubitandi eſt, quia in Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. dicitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua: Anathema ſit.* 1

Ratio dubitandi. Concil. Trid.

2 Notandum ergo pro intelligentia iſtius Canonis, quòd neceſſarium, ſecundùm Philoſophum 5. met. cap. 5. in Prima ſui diuiſione duplex eſt: Vnum dicitur neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè, & eſt illud, quod ſecundum ſe, & ex intrinſeca ratione rei aliter eſſe non poteſt: vt eſt Deus, qui eſt ſummum neceſſe eſſe, aliter enim omnia annihilata eſſent, ſimiliter duo, & tres, vt ſint quinque quia aliter eſſe non poteſt: Alterum neceſſarium dicitur non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, & eſt quando quidem ſecundùm ſe aliter res ſe habere poteſt, tamen altero extrinſeco poſito non poteſt aliter ſe habere. Exemp. grat. Reſpiratio, ſecundùm ſe, non eſſet neceſſaria, ſi autem animal debeat viuere reſpiratio eſſet neceſſaria: Et talis neceſſitas dicitur ex ſuppoſitione, quæ prouenire poteſt ex vna ex quatuor cauſis, Materiali Videl. efficienti, formali, & finali, pro vt communiter exemplificant Philoſophi, cuius ſpeculatio non eſt præſentis loci, ſed ſolùm dicendum eſt de neceſſitate ex fine.

Notandum primum. Ariſt.

Neceſſitas duplex, ſimpliciter, & ex ſuppoſitione.

Neceſſarium ex ſuppoſitione quid.

Neceſſitas ex ſuppoſitione ex quatuor cauſis.

3 Notandum 2. quod iſta neceſſitas finis iterum duplex eſt, quarum vna dicitur 1 ſimpliciter, altera:

Notãdum. 2. Neceſſitas finis duplex, ſimpliciter, & ad benè eſſe.

Ad

Digitized by Google

Ad benè eſſe: Neceſſitas ſimpliciter propter finem eſt illa, ſine qua finis talis intentus conſequi non poteſt, vt cibus ad vitam hominis conſeruandam: reſpiratio in animali, quæ abſoluiè, & ſecundùm ſe non eſt neceſſaria ſimpliciter: Neceſſitas ad bene eſſe, eſt illa, ſine qua finis poteſt haberi, non tamen ità faciliter, & commodè, vt Equus ad iter agendum, qui ſimpliciter non eſt neceſſarius, ſed ad meliùs eſſe, vt commodiùs, & faciliùs iter fieri poſſit, & talis dicitur neceſſitas ſecundùm quid, ſiuè ad benè eſſe.

Neceſſitas Secundum quid, ſeù ad benè eſſe.

4 Notandum 3. quod iſta neceſſitas finis apud Morales, dupliciter conſideratur. Vna dicitur neceſſitas Medij, altera dicitur neceſſitas Præcepti: Et quamuis interdum illæ duæ neceſſitates coniunctæ ſiut, nã hoc ipſo, quod aliquod eſt medium ad ſalutem neceſſarium, ſimul etiam eſt præceptum, ſaltem naturale, ſi in noſtra poteſtate ſitum ſit: Tamen hoc intereſt, quod cùm quis ex ignorantia inuincibili, aut alia iuſta cauſa non implet tale præceptum naturale, non peccat, licèt finem non conſequatur.

Notãdum 3. Neceſſitas medij, & præcepti.

5 Neceſſitas autem Medij in Sacramentis, vltrà præceptum conſiſtit in hoc, quòd Sacramentum ſit per ſe inſtitutum ad ſalutem conſequendam neceſſarium ex vi inſtitutionis. quæ neceſſitas dicitur Medij ſimpliciter: Poteſt autem aliquando neceſſitas Medij nõ eſſe abſoluta, & ſimpliciter, ſed tantùm ad benè eſſe. vt Vid. talis finis ſecuriùs, & faciliùs conſequatur, & iſta non cadit ſub præcepto naturali, neque poſitiuo, quãdo non eſt impoſitum: Et vtraque neceſſitas Medij, & Præcepti poteſt conſiderari dupliciter, vel reſpectu perſonæ particularis, vel reſpectu Vniuerſitatis.

Neceſſitas medij, duplex ſimpliciter. & ad benè eſſe.

6 Notandum 4. quod ignorantia in prima ſui diuiſione duplex eſt: Vna dicitur Iuris, altera Facti: Ignorantia Iuris eſt: quãdo ab homine ignoratur aliquod Ius, ſiuè naturale, ſiuè poſitiuum, Diuinum, ſiuè humanum: & talis ignorantia, vt plurimum, non excuſat tranſgreſſores illius iuris, niſi ignorantia talis eſſet inuincibilis, quia tunc excuſaret à peccato, eò quod talis tranſgreſſio iuris propter ignorantiam inuincibilem non eſſet culpabilis, vt dicetur.

Notãdum 4. Ignorantia duplex. Iuris, & facti. Ignorantia Iuris quid.

7 Ignorantia Facti, vt plurimum, excuſat à peccato, vel à circumſtantia illa aggrauante reſpectu facti: vt ſi quis habuiſſet rem cum aliqua muliere, exiſtimans illam non eſſe coniugatam, ſiuè monialem, ſed ſolutam: tunc iſte talis eſſet excuſatus ab adulterio, ſiuè ſacrilegio, eò quod talem conditionem neſciebat: Sic etiam dicendum eſt: ſi aliquis percuſſiſſet aliquã perſonam, exiſtimans illam eſſe ſæcularem, excuſata eſſet ab excommunicatione, ſi talis perſona percuſſa fuiſſet Clericus, quandò fuit per ignorantiam facti, non autem ſi fuit per ignorantiam Iuris, quia tale Ius tenebatur ſcire: Ità D. Thom. 2.2. q. 2. A. 7. Scotus in 4. D. 6. q. Vltima.

Ignorantia facti.

Ignorantia facti excuſat à culpa.

D. Thomas. Scotus.

8 Ignorantia autem Facti. duplex eſt, Vna dicitur cauſa peccati, altera dicitur comes peccati, Vndè, quandò dicitur, quòd Ignorantia facti excuſat à peccato, intelligendum eſt, quando eſt cauſa peccati, vt in exemplo ſupra allato patet: Eſt enim cauſa peccati, quando talis actus non fuiſſet factus. niſi interceſſiſſet ignorantia facti: eſt autem comes peccati, quãdo ſi quis ità fuiſſet malè effectus, vt etiam ſi ignoraſſet, vel ſciuiſſet talem circumſtantiam perſonæ, hoc tamen non obſtante, ſcelus commiſiſſet propter malam voluntatem: Vndè in caſu talis ignorantia facti, ſiuè circumſtantia facti, nõ excuſaret à peccato propter malitiam concomitantem facti: pro vt benè aduertit Nauar. in man. c. 23. n. 46.

Ignorantia facti, duplex, cauſa peccati, & comes peccati. Comes peccati non excuſat.

Nauarr.

9 Notandum 2. quod Ignorantia, ſiuè Iuris, ſiuè facti, iterum triplici modo conſiderari poteſt: quarum vna dicitur: Affectata, ſiuè Optata: 2. dicitur Craſſa, & ſupina: 3. dicitur Iuſta, quæ à Theologis appellatur Inuincibilis, & à Canoniſtis dicitur Probabilis: Ignorantia affectata, ſiuè optata eſt quando quis ignorat, quòd ſcire tenetur, & non vult ſcire, vt liberius, abſque ſuæ conſcientiæ ſtimulo iniquè agat, ſecũdùm illud Pſalm. 85. *Noluit intelligere, vt benè ageret:* Et iſta ignorantia non excuſat à peccato vllo modo, imò vt plurimum aggrauare ſolet ob circumſtantiam, & malitiam malæ voluntatis: prout dicit Nauar. ca. 33. num. 45.

Notand. 5. Ignorantia triplex. Affectata, Craſſa. & ſupina, & ... ſiuè probabilis.

Pſalm. 8.

Nauar.

Ignorantia craſſa, & ſupina eſt. quãdo quis ignorat id, quod communiter omnes eiuſdem conditionis ſciunt, & ſcire tenentur, qui propter negligentiam non curant ſcire, quæ ſunt neceſſaria ad eorum ſalutem, vt eſt ignorantia illa Regularium cuiuſcumque Regulæ, ad quam per votum ſunt adſtricti, non curantes ſcire præcepta obligatoria, quæ continentur in eorum ſtatutis, & propter talem ignorantiam craſſam ſæpè ſæpiùs tranſgrediuntur aliqua præcepta obligantia ad mortale: Hæc enim ignorantia non excuſat à culpa mortali, licèt non ſit tam grauis, ſicuti eſt affectata: excuſat enim à tanto, ſed non à toto: Ità Armilla; Verb. Ignorantia nu. 6. Nauar. d. c. 23. n. 45. Politius prælud. 2. in reg. 10

Ignorantia craſſa, & ſupina, quæ.

Ignorantia craſſa excuſat à tanto, ſed non à toto.

Armilla. Nauar. Politius.

Ignorantia Iuſta, ſiuè Inuincibilis, ſiuè Probabilis eſt illa, quando quis ignorat, quod ſcire non poteſt, vel quod non tenetur ſcire, qua ignorantia homines eiuſdem conditionis laborant, adhibita morali diligentia: Vt quandò quis rudis ignorat in Sacramento Euchariſtiæ eſſe tres Diuinas Perſonas per concomitantiam: Vel clarius: Quandò quis ignorat, & petit conſilium à viro arbitrato ſcientiæ prædito, qui falsè illi conſulat, & ille tali conſilio fretus facit aliquod, quod de ſe eſt peccatum, putans non eſſe peccatum: Iſte talis excuſatur à peccato propter ignorantiam illam, quæ dicitur inuincibilis. probabilis, & iuſta: prout dicunt omnes Theologi. 11

Ignorantia iuſta. ſiuè probabilis.

Ignorantia Iuſta excuſat.

Ratio autem huius eſt, quia nunquam poteſt eſſe peccatum ſine voluntate peccantis. Ignorantia autem inuincibilis ſiuè iuris, ſiuè facti non eſt voluntaria, cùm voluntatium ſupponat cognitionem, quę cognitio à tali communiter non poterat haberi, vt ſupponitur, ideò talis ignorantia inuincibilis excuſat à culpa mortali: Ità communiter omnes, Alenſ. p. p. lib. 1. c. 15. q. 1. Vaſqu. p. 2. D. 22. c. 2. Bonac. de legibus, D. 2. q. 8. p. 3. nu. 12. 12

Ratio quare excuſat. Non eſt peccatum niſi voluntarium.

Alenſis. Vaſquez. Bonacina.

His ergo poſitis, & præhabitis, faciliter intelligi poteſt Canon. Concil. Triden. de neceſſitate Sacramentorum, & quæ, & quanta ſit eorum neceſſitas, ideò ponimus duas concluſiones, quarum Prima eſt: *Nullum Sacramentum habere abſolutam neceſſitatem ſimpliciter, ſine qua non.* Omnis enim ipſorum neceſſitas eſt ex ſuppoſitione, & pendet ex Diuino præcepto poſt eorum inſtitutionem, adiuncta naturali cõgruentia: Certum enim eſt Deum potuiſſe iuſtificare homines ſine vllis Sacramentis, potuiſſetque alia remedia ad ſalutem humani generis inſtituere, hominesque iuſtificare, & ad Cœli gloriam tranſportare, ſi ità ei placuiſſet: Eſt communis omnium Theologorum ſententia, vt D. Thom. 3. part. quæſt. 65. A. 4. Suarez, Nugni, & Coninch. ibi Bellarmin. libr. primo de Sacram. capit. 22. Sayr. libro 3. de Sacram. cap. 1. & lib. 6. cap. 4. num. 2. Bonac. de Sacr. in gen. D. 1. q. 1. p. 4. nu. 2. 13

Deciſio dubij.

Probatur Prima concluſio. Nullum Sacramentum, eſt abſolutè neceſſarium. Virtus Dei infinita non eſt alligata Sacramentis.

D. Thomas. Suarez. Nugnus. Coninch. Bellarmin. Sayrus. Bonac.

Verum eſt tamen, quod poſt lapſum Primi Parentis, & ſuppoſita Incarnatione Diuini Verbi, qui homines perditos pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, & ad Cœleſtem vitam reuocauit. Conuenientiſſimum fuit, vt Sacramenta nouæ legis inſtitueret, quibus mediantibus homines iuſtificarentur, atque ſancti- 14

Conuenientia & cõgruentia inſtitutionis Sacramentorum.

Digitized by Google

ficarentur: Deus enim ſemper omnia ſapienter, ſuauiterque diſponit, & naturis rerum ſe accommodare ſolet: Taliter enim requirebat humana natura, vt per ſenſibilia ad ſpiritualia perueniret, & ideò in his rebus ſenſibilibus applicanda erant ſalutaria remedia, vt ſub tegumento rerum ſenſibilium Diuina gratia ſecretius operaretur.

15 Sacramenta ex ſuppoſitione fuerũt neceſſaria. D Thom. D.Bonau, Scotus.

Qua propter ex quadam ſuppoſitione Sacramenta nouæ legis fuerunt neceſſaria: Vndè maxima cum ſapientia Dominus noſter Ieſus Chriſtus decreuit ipſa nouæ legis Sacramenta inſtituere; & ordinare, Itá D.Tho.3.p.q.61.A.1. D. Bona. in 4.D.1.q.2. Scotus ibi,q.2. alijque Theologi, ſequitur Chamerot, de Sacr. tract.1, c.3. cum alijs.

16 2. Concluſio,

Secunda Concluſio: *Omnia Sacramenta noua legis ſuppoſita inſtitutione ipſorum ſunt ad ſalutem hominis viatoris neceſſaria, ſed non ſingula ſingulis, nec omnibus eodem modo: Alia enim ſunt neceſſaria neceſſitate medij, alia præcepti, alia in re, alia in voto ſimpliciter, alia ad benè eſſe.*

17 Probatur cõcluſio. Baptiſmus eſt neceſsarius neceſſitate medij.

Probatur hæc concluſio, ſimul & declaratur, inductione facta in omnibus, & ſingulis Sacramentis; & Primò de Sacramento Baptiſmi, quod eſt omnium Sacramentorum ianua: Eſt enim neceſſarium ſimpliciter omnibus hominibus neceſſitate medij (ſuppoſita inſtitutione eius) nam ſine Baptiſmo ſalus haberi non poteſt, & eſt neceſſarium in re pueris, adultis autem ſaltem in voto, quandò: Vid. in re haberi non poſſet, iuxta illud Domin. apud Ioan.c.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei: Et qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, Marc.c.16.n.16.*

Ioan.c.3.

Marc.16.

18 Neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ, quæ.

Pœnitentiæ Sacramentũ, quod dicitur ſecunda Tabula poſt naufragium, eſt neceſſarium neceſſitate medij, & præcepti non ſingulis, ſed ijs dumtaxat, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum mortaliter deliquerunt, & eſt neceſſarium in re, vel in voto: In re quandò realiter, & Sacramentaliter poteſt applicari ille actus ſacer, præcedente peccatorum confeſſione, facta coram Sacerdore iuriſdictionem habente; In voto, quando nõ adeſt præſentia Sacerdotis, & non poteſt realiter recipi Sacramentalis abſolutio, tunc in caſu ſufficit votũ, ſiuè voluntas confitendi cum actu contritionis perfectæ, vt ſuo loco dicetur: Et in his duobus Sacramentis non excuſat ignorantia quomodocumque ſit, ſiuè affectata, ſiuè craſſa, ſiuè inuincibilis: eò quod nõ applicatur medium ad ſalutem neceſſarium.

19 Neceſſitas ſacramenti Euchariſtiæ, quæ.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt neceſſarium neceſſitate medij, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ad benè eſſe ad nutriendum; Vid. Charitatem, & augmẽtum gratiæ conſequendum; Eſt tamen neceſſarium neceſſitate præcepti Diuini, ſaltem ante mortem, ijs, qui ad perfectum rationis vſum deuenerunt, & commoditatem recipiendi Euchariſtiam habeant in articulo mortis, & aliquandò etiam in vita, Quod tempus determinatum fuit ab Eccleſia ſemel in anno tẽpore Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ: pro vt habetur ex c. omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ. & ex Trid. ſeſſ. 13. can.9. Et quamuis Chriſtus Dominus dixiſſet: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis: non habebitis vitam in vobis;* voluit oſtendere neceſſitatem præcepti, non autẽ medij ſimpliciter, prout explicat Suarez.d.to.3.q.69.ſect.1. citans multos DD.

C. Omnis vtriuſq; ſexus. Concil. Trid.

Suarez.

20 Neceſſitas Sacramenti Ordinis, quæ.

Ordinis Sacramentum neceſſarium eſt non ſingulis hominibus, ſed ipſi Eccleſiæ in communi, neceſſitate medij ſimpliciter, poſita diuina inſtitutione; Sine enim Ordinis Sacramento, neque Hierarchia Eccleſiaſtica poſſet conſiſtere, neque alia ſacramenta confici poſſent, vel ſimpliciter, vel modo debito, & conuenienti: Itá Suarez d.tom.3.q.65. Bellarm.tom.3.de Sacram. in gen. lib.2.cap.22. alijque communiter.

Suarez. Bellarmin.

21 Neceſſitas Sacramenti Matrimonij, quæ.

Matrimonij Sacramentum non eſt neceſſariũ ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, & ad benè eſſe non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ, ſeu Reipublicæ in vniuerſum: Suppoſito enim quod Matrimonium ad filios procreandos contrahẽdum eſt, reſpectu eorum, qui illud contrahere decreuerunt, tale ſacramentum vtiliſſimum eſt.

22 Neceſſitas Confirmationis & Extremæ vnctionis, quæ.

Confirmatio tandem, & Extrema Vnctio, non cadunt ſub præcepto aliquo; ſunt tamen ſacramenta vtiliſſima, & ex ſuppoſitione neceſſaria ad benè eſſe ſingulis fidelibus ſuo tempore. Itá Suar.d.to.3.de Sac. q.65.art.4. Henriq. in ſum.li.1.c.4.n.2. cum alijs, vt videbitur pleniùs loco ſuo in proprijs locis, loquendo de quolibet ſacramento in particulari.

Suar. Henriq.

23 Collectio pro intelligentia Concil. Trid.

Hinc colligi poteſt vera intelligentia illius Canonis Conc. Trid. ſeſs.7. de Sacr. in gen. Vbi Patres Concilij determinarunt, condemnantes illos, qui dixerint Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; Non enim intelligit ſacrum Cõcilium: Omnia ſacramenta eſse neceſsaria ſimpliciter, ſed aliqua ſimpliciter, aliqua ex ſuppoſitione, alia vtiliſſima: ſuppoſito enim, e. gr. quod aliquis non poſſet ſe continere: Matrimonium erit illi neceſſarium ex hypotheſi, i. vtiliſſimum: Quapropter ſancta Synodus dixit: *Si quis dixerit Sacramenta non eſſe neceſſaria, ſed ſuperflua; Anathema ſit:* Superfluitas enim vtilitati, nõ neceſſitati opponitur. Itá D.Thom.3.p.q.65.A.4. ad primum, Caiet. & Suar. ibi Bellar. & Henriq. locis citatis, cum alijs communiter.

D. Thom. Caietan. Suar. Bellarm. Henriq.

24 De numero ſacramentorum.

Circa numerum autem ſacramentorum nouæ legis nulla eſt controuerſia inter Catholicos: clarum enim eſt eſse tãtùm numero ſeptem, neque plura, neque pauciora: tot enim fuerunt inſtituta á Chriſto Domino: Baptiſmus videlicet, Cõfirmatio, Euchariſtia, Pęnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium: de quibus aliquorum eſt expreſſa mentio in Euangelio; vt de Baptiſmo. Io.3. Matt.28. de Euchariſtia, Matt. 26. de Pœnitentia. Io. 20. partim non obſcurè fuerunt inſinuata, vt Confirmatio. Act.9. & 19. Ordo Matt. 26. & ab Eccleſia poſtea declarata ſimiliter. de Extrema Vnctione mentionem fecit D. Iacobus cap.5. de Matrimonio Paulus ad Epheſ. cap. 5. & alibi. Itá determinatum fuit per Trid. ſeſſ.7. can. 1. de Sacr. in gen. & eſt de fide.

Sacramenta quibus locis fuerunt inſtituta.

Concil. Trid.

25 Congruentia ſeptem Sacramentorũ declaratur.

Congruentia autem iſtius ſeptenarij numeri Sacramentorum nouæ legis deſumitur ob proportionẽ, quam habet vita ſpiritualis ad corporalem: Nam ſicut in rebus corporalibus prima omnium eſt generatio, & natiuitas; ſecunda eſt corroboratio; tertia nutritio, & conſeruatio; quarta eſt curatio ab infirmitate; quinta perfecta virium corroboratio; ſexta eſt filiorum propagatio pro conſeruatione Reipublicæ, & ſeptima eſt poteſtas ad munera exigenda, & bona Reipublicæ adminiſtranda.

26 Comparatur proportio vitæ corporalis, ad ſpiritualem.

Ita in vita ſpirituali: Primum omnium requiritur regeneratio, quæ fit mediante ſacramẽto Baptiſmi: per quod renaſcitur homo, & fit Filius Dei, & capax ad cœtera recipienda ſacramenta: Deindè confirmatur, & roboratur per ſacramentum Chriſmatis ad audacter confitẽdum fidem Chriſti: tertiò nutritur per ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, manducando panem illum cęleſtem, in quo mẽtes Angelicæ abſorbentur in Gloria: quartò curatur ab infirmitate ſpirituali; quod eſt peccatum actuale commiſſum poſt Baptiſmum mediante ſacramento Pœnitentiæ, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium: quintò mediante Extrema Vnctione armatur fidelis contra luctamen mortis ad expugnandos omnes diabolicos incurſus, & virtute huius ſacramenti ex-

terguntur

Digitized by Google

terguntur peccatorum reliquiæ, & acquiritur augmentum gratiæ, & aliquando etiam prima gratia per accidens, vt ſuo loco explicabitur: Vndè hæc quinque ſacramenta ſunt neceſſaria, & valdè vtilia pro ſalute animarum fidelium.

27 *Congruitas ſacramenti Matrimonij.* At quoniam ſacramenta nouæ legis rectè, & reuerenter adminiſtrari non poterant, niſi à ſacratis hominibus Deo dicatis, qui facultatem haberent faciendi, & adminiſtrandi Sacramenta: Ideò fuit, & eſt neceſſarium Ordinis Sacramentum, in quo recipitur ſpiritualis poteſtas ad ſacramenta conficienda, & rectè miniſtranda. Et tandem ad conſeruandam Rempublicam, & prolem propagandam abſque fornicationis peccato neceſſarium fuit Matrimonij Sacramentum: Hæc omnia habentur ex doctrina vtriuſque Thomæ 3. par. q.65. art.1. Suarez Nugni, & Coninch. ibi Henriq. lib.1. cap.7. Filliuc. tom.1. cap.3. quæſt.8. num.49. Bellarm. de Sacram. lib.2. cap.29. Bonac. de Sacram. in gen. q.1. par.2. num.2. & aliorum Theologorum; in 4. d.1. q.7. & alibi.

D. Thom. Suar. Nugnus. Coninch. Henriq. Filliuc. Bellarm. Bonac.

28 *Ordo ſeptem ſacramentorũ eſſentialis.* Ordo autem inter ſe, eſſentialis eſt, quod primo loco ponendum eſt ſacramentum Baptiſmi, quod eſt primum in ordine inter cætera, eò quod ſit omnium ſacramentorum ianua, mediante enim Baptiſmi Sacramento homo fit capax, vt poſſit validè cœtera ſacramenta recipere: *Ordo accidẽtalis.* Ordo autem accidentalis, & communis, quo enumerari ſolent nouæ legis ſacramenta eſt ille, quem nos aſſignauimus ſupra numer. 24. incipiendo a Baptiſmo, vſque ad Matrimonium incluſiuè.

29 *Ordo dignitatis, & perfectionis.* Si verò loquimur de ordine dignitatis, & perfectionis primum locum habere debet Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, ſub quo continetur Chriſti Domini humanitas ſanctiſſima, hypoſtaticè vnita cum Diuinitate Diuini verbi, in quo eſt fons totius ſanctitatis, & perfectionis: Secundus eſſet Sacer ordo, & tertius Confirmatio. Hæc enim duo ſacramenta propter dignitatem requirunt miniſtrum in Epiſcopali dignitate conſtitutum, & conſecratum.

30 *Ordo neceſſitatis.* Ordine verò neceſſitatis ſimpliciter: Primum eſt Sacramentum Baptiſmi: Secundum Pœnitentiæ, quod neceſſarium eſt, ſuppoſito peccato actuali commiſſo poſt Baptiſmum: poſtmodum Matrimonium cum reliquis Sacramentis: Vltimò tandem Extrema Vnctio, quæ datur in fine vitæ, & hæc ſufficiant pro complemento huius primi Tractatus.

TRACTATVS II.

De Sacramentis nouæ Legis.

Et de Sacramentis in Genere, Tract. II.

PROOEMIVM.

Dituiſio tractatus. *Hactenus vniuerſam Sacramentorum doctrinam ſpeculatiuè potius quàm moraliter proſecuti ſumus: Ita enim ratio ipſius doctrina requirebat, agendo de Quiditate, de Partibus, de Cauſis, Neceſſitate, & Effectibus Sacramentorum in communi, qua omnia magis ad Theoricam, quàm ad praxim pertinebant: In hoc autem Secundo Tractatu in ordine ipſorum ſacramentorum, doctrinam etiam in genere, vt clarius, & faciliùs comprehendi, atque ad vſum applicari poſſit moraliter, & practicè proſequemur, ideòque de iis, qua requiruntur, tum ex parte miniſtrantium, tum ex parte recipientium, tam ſacramenta ipſa, quam ſacramentalia, vt rectius ritus Eccleſia, atque ordo in adminiſtratione ipſorum ſine culpa ſeruetur, & effectus illorum ſine culpa recipiatur.*

DE IIS, QVI LICITE POSSVNT Sacramenta miniſtrare.

CAP. I.

SVpponendum eſt primò tanquam res certiſſima, & indubitata: Poteſtatem adminiſtrandi ſacramenta nouæ legis licitè, & validè ſupponere poteſtatem illa conficiendi; Si quis enim ſacramẽtum aliquod conficere non poteſt, multò minùs poterit illud adminiſtrare (loquimur autem de illis ſacramentis, quæ in vſu conſiſtunt:) Vndè ſi quis tentet aliquod ſacramentum efficere ſine poteſtate, nihil efficiet, & ipſo facto erit ſacrilegus, quia fictè tentauit rem ſacram facere, quam efficere non poterat, & facit contra Chriſti Domini inſtitutionem, qui certos, & determinatos miniſtros Sacramentorum inſtituit, & quantum in ſe eſt, iniuriam facit ſacramentis, nulliter ab ipſo adminiſtratis, decepitque eum, cui tale ſacramentum fictũ adminiſtrat, ex qua deceptione ſequi poſſunt grauiſſima incommoda, animarumque pericula, atque ſcandala: Ità Suarez tom. 3. D.16. ſect.1. Filliuc. tom.1. tractat. 1. cap.5. numero 28. 1 *Poteſtas adminiſtrandi ſacramenta ſupponit poteſtatem conficiendi.* *Suarez. Filliuc.*

Hæc autem poteſtas non eſt eadem, & æqualis reſpectu omnium ſacramentorum: In quibuſdam enim requiritur poteſtas ordinis Sacerdotalis: In aliquibus autem vltra hæc requiritur dignitas Epiſcopalis; Aliquando etiam requiritur poteſtas iuriſdictionis circa ſubiectum, cui tale Sacramentum eſt adminiſtrandũ, ſiuè Ordinaria, ſiuè delegata. Aliquando autem neutra eſt neceſſaria ad valorem ſacramenti, vt in Baptiſmo, & Matrimonio. 2 *Qualitas poteſtatis diuerſa pro ſacramentis adminiſtrandis.*

Quapropter dico primò: *Sacramenta omnia præter Baptiſmum, & Matrimonium requirere miniſtrum Sacerdotem, aut Epiſcopum, ſecundum inſtitutionem Chriſti, & Eccleſia:* Nam, vt docet D. Auguſt. lib.2. contra Parmenum; c.13. *ſoli Sacerdotes* (per ſe loquendo) *habent poteſtatem, & ius adminiſtrandi Sacramenta, quæ ab ipſis adminiſtrari poſſunt: Nam collatio ſacramenti eſt actio ſacra, ad quam dignè perficiendam miniſtri conſecrantur.* 3 *Concluſio 1. Soli Sacerdotes per ſe poſſunt ſacramẽta adminiſtrare.* *D. Auguſt.*

Dixi autem (per ſe loquendo) propter ſanctiſſimũ Sacramentum Euchariſtiæ, quod dicitur, & eſt ſacramentum permanens, quod licèt ſolus Sacerdos potens loqui, poſſit illud conficere in Miſſæ ſacrificio; miniſtrare tamen poteſt fidelibus Sacerdos mutus, & aliquando Diaconus, quia Sacerdote impedito, vel abſente, quando neceſſitas exigit poteſt Diaconus, etiã iure ſuo corpus Chriſti fidelibus erogare, ſi conſecratum fuit prius à Sacerdote: prout docet Gloſſa in Can. Diaconos D.93. 4 *Diaconus. An poſſit Euchariſtiam adminiſtrare.* *Gloſſa in Cã. Diaconos.*

Verum eſt tamen, quod in Eccleſia coram Sacerdote non debet Diaconus Euchariſtiam miniſtrare, niſi de licentia ipſius Sacerdotis, vt quando adſunt plures communicandi, quibus Sacerdos ſupplere nõ poſſet, vel ſi eſſet legitima cauſa impeditus, tunc Diacono concedere poteſt, vt ſacram communionem fidelibus adminiſtret: prout dicit d. Gloſſa, ſuprà citata, & habetur in Can. Præſente D.93. & ex Conc. Lateran. Et in primitiua Eccleſia Diaconus miniſtrabat Calicem ſanguinis Domini populo communicanti, prout refert S. Cyprian. Ser.5. de Lapſis. 5 *Quomodo hoc poſſint facere.* *Gloſſa ſupr. ci. Can. Præſente. Cõcil. Later. S. Cyprian.*

Quapropter concludendo, dicimus: Miniſtros Sacramentorum nouæ legis ex officio: Sacramenti Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis eſſe Sacerdo- 6 *Concluſio.*

Digitized by Google

cerdotes legitimè ordinatos: Confirmationis, & Ordinis eſſe Epiſcopos conſecratos: Sacramenti verò Baptiſmi ſine ſolemnitate tempore neceſſitatis poſſe eſſe omnes homines viatores propter eius neceſſitatem: Nam cùm ſit Sacramentum valdè neceſſarium ad ſalutem, conceſſum eſt etiam laicis in neceſſitate vrgente abſque ſolemnitate baptizare.

7 Laicus Baptizans ſine neceſſitate peccat mort.

D. Aug.

Si verò abſque neceſſitate laicus baptizaret, validum quidem eſſet ſacramentum, eò quod ſimpliciter poteſtatem habeat, grauiter tamen peccaret alienum miniſterium vſurpando: Nam ad Sacerdotes ſpectat ſacramenta miniſtrare, & conficere: Quapropter D. Aug. lib. 2. contra Parmen. dixit: *Nulla cogente neceſſitate, ſi fiat, alieni muneris vſurpator eſt, quod autem datum fuerit, non poteſt dici non datum, ſed illicitè datum:*

Miniſtri Sacramenti Matrimonij ſunt ipſi contrahentes.

Miniſtri verò ſacramenti Matrimonij ſunt ipſimet cõtrahentes, eò quod materia, & forma illius ſacramenti ità requirit, cùm in ipſorum mutuo conſenſu poſita ſit, vt ſuo loco videbitur pleniùs.

8 Concil. Trid. Requiritur præſentia Parochi ad validitatem contractus. Ratio iſtius aſſiſtentiæ. Concil. Trid. Matrimonia clandeſtina nulla. Secunda concluſio.

Sed aduertendum eſt, quod poſt Trid. Conc. ad valorem Matrimonij neceſſaria eſt præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis ex commiſſione proprij Parochi aſſiſtentis, non quidem, vt ſit miniſter ſacramenti, ſed vt conditio quædam neceſſaria ad validitatem cõtractus: Vndè præſentia Parochi eſt neceſſaria de iure poſitiuo humano, indito per decretum Concil. Trid. Seſ. 24. c. 1. de reform. mat. Iuſtis enim de cauſis Patres Concilij matrimonia Clandeſtina, quæ fiunt ſine aſſiſtentia Parochi, & ſaltem duorum teſtium nulla eſſe decernunt, reddendo inhabiles ipſos contrahentes ad matrimonium faciendum; vt ſuo loco videbitur.

9 In adminiſtratione Sacramentorũ requiritur iuriſdictio. Excipitur Euchariſtia, & Baptiſmus.

Dico ſecundò miniſtros Sacramentorum, quandò ſacramenta adminiſtrant, vltra poteſtatem habitualem Ordinis, quam receperunt in ſuſceptione Sacrorum Ordinum, debere habere iuriſdictionem, ſiuè ordinariam ſiuè delegatam circa ſubiectum, cui debent talia ſacramenta adminiſtrare (excepto ſacramento Euchariſtiæ, quod quilibet Sacerdos poteſt miniſtrare ex officio, & aliquando Diaconus, & ſacramento Baptiſmi tempore neceſſitatis; vt ſupra dictum eſt:) Vndè non omnis, qui poteſt validè facere Sacramentum, poterit illud licitè miniſtrare, ſed ille, qui cum poteſtate habet etiam ius: Ità enim docet Suarez, dict. tom. 3. D. 16. ſect. 1. & eſt communis omnium Theologorum ſententia.

Suar.

10 Poteſtas habitualis, quæ.

Poteſtas habitualis conficiendi Sacramenta eſt illa, quam recipit quilibet Sacerdos in ſuſceptione Ordinis, quæ eſt de iure diuino virtute poteſtatis, ſibi traditæ ad ſacramenta conficienda: ſed vltra hanc requiritur iuriſdictio, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata, vt licitè poſſit ſacramenta fidelibus adminiſtrare.

11 Iuriſdictio ordinaria, quæ. Poteſtas delegata, quæ.

Iuriſdictio ordinaria eſt illa, quam habent Prælati ſupra ſuos ſubditos, vt Papa ſuper totam Eccleſiam; Epiſcopus in ſua Diœceſi, alijque Prælati, iuxta ſuam iuriſdictionem: Iuriſdictio delegata eſt illa, quæ conceditur Sacerdotibus ex conceſſione, ſiuè permiſſione, ſiuè delegatione Prælatorum Ordinariorum, iuxta eorum iuriſdictionem, quam habent, vel virtute Bullarum à ſummis Pontificibus conceſſarum, ſecundum magis, aut minus, in quibus attendenda ſunt verba diplomatis, quę tantum valent, quantum ſonant.

12 Sine iuriſdictione adminiſtrantes ſacramẽta pec.

Quapropter: Epiſcopus, qui in aliena Diœceſi Ordines confert, ſiuè ſacramentum Confirmationis adminiſtrat ſine proprij Epiſcopi illius Diœceſis facultate grauiter peccat: Ità etiam ſimplex Sacerdos, qui Extremam Vnctionem, ſiuè Viaticum, aut Sacramentum Baptiſmi ſolẽniter miniſtrare præſumpſerit abſque iuriſdictione, ſiuè facultate proprij Parochi conceſſa, mortaliter peccat, & eſſet grauiter puniendus, tanquam alieni muneris vſurpator, vt in proprijs locis videbitur.

Sed aduertendum eſt, quod quamuis taliter adminiſtrantes ſacramenta abſque iuriſdictione grauiter peccent: Sacramenta tamen collata ſunt valida; iuxta illud D. Auguſt. loc. ſupra citato. Quod non habet locum in Sacramento Pœnitentiæ, niſi in mortis articulo; nam ſi extra tale periculum mortis, Sacerdos non habens iuriſdictionem aliquem abſolueret ſacramentaliter non ſolum ſacrilegium committeret: verùm etiam talis confeſſio, & abſolutio erit ipſo facto nulla, nulliuſque valoris propter carentiam iuriſdictionis, quæ eſt de neceſſitate iſtius ſacramenti, cùm ſit actus iudicialis, vt probabitur loco ſuo, agendo de ſacramento Pœnitentiæ.

13 Sacramenta tamen ſunt valida. D. Auguſt.

Limitatio de Sacramento Pœnitentiæ.

Dico tertiò, quod ad hoc, vt ſacramentum ſit validum requiritur, vt nullus ſibi ipſi adminiſtret, excepto Matrimonij ſacramento, vt ſupra notauimus, in quo ipſi contrahentes ſunt miniſtri, & ſuſcipientes, quamuis de iure Eccleſiæ modò requiratur aſſiſtentia Parochi, ſiuè alterius Sacerdotis iuriſdictionem habentis ad validitatem contractus: & excepto Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ in Miſſæ ſacrificio, & in feria ſexta in paraſceue, quia tunc Sacerdos ipſe faciens officium ſeipſum communicat: In alijs autem caſibus communiter non permittitur, quia de ratione ſacramenti eſt, vt miniſter non ſibi, ſed alijs ſacramenta conferat: An autem Sacerdos poſſit aliquando licitè extra Miſſam ſibi Euchariſtiam miniſtrare ex deuotione, dicetur inferiùs loco ſuo, agendo de ſacrificio Miſſæ; In alijs autem Sacramentis nunquam permittitur.

14 Concluſio 3. Nullus debet Sacramenta ſibi adminiſtrare.

Limitatio de Euchariſtia.

Nec obſtat illud, quod dicitur de quodam Iudæo, qui conuerſus ad fidem Chriſti in articulo mortis conſtitutus, cùm eſset inter Iudæos, & non haberet aliquem miniſtrum, qui ipſum baptizare velit: In aquam ſeipſum immerſit, dicens: *Ego me baptizo in nomine Patris, &c.* Prout refertur in ſacris Canonibus: in c. debitum de Baptiſmo: Nam dicimus, quod memoratus ille Iudæus Sacramentum efficere non potuit, prout declarauit, & determinauit Innocentius III. in d. cap. Debitum: Quapropter iuſsit Pontifex ab alio miniſtro iterum baptizari, vt oſtenderetur, quod alius eſt, qui baptizatur, & alius, qui baptizat: ſicut enim non poteſt aliquis ſeipſum generare corporaliter, neque regenerare ſpiritualiter: Quod ità intelligendum eſt de reliquis ſacramentis Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ Vnctionis, Ordinis.

15 De Iudæo, qui ſeipſum voluit baptizare. C. Debitum de baptiſmo.

Innocent. 3.

Et quamuis talis ille Iudæus continuò deceſſiſſet è vita abſque alio ſacramento ad cœleſtem patriam abſque dubio euolaſset: Hoc tamen non eſset propter fidei Sacramentum, quod non ſuſcepit, ſed propter fidem Sacramenti, & magis diceretur baptizatus Baptiſmo Flaminis, id eſt Spiritus Sancti, quàm ſacramenti Baptiſmi: prout dictus Innocentius in d. capit. Debitum declarauit; ex quo ſequitur Sacramenta nouæ legis non à ſe ipſo, ſed ab alijs eſse miniſtranda.

16 Eſset ſaluus propter fidẽ Sacramenti.

Dico quartò: Validum eſse ſacramentum miniſtratum ab vno, & eodem miniſtro, ſiuè vni, ſiuè multis ſimul ſub vnica forma collatum. Ità enim cenſentur Apoſtoli vnica aſperſione, & forma verborum multos ſimul baptizaſse ea die, quando triginta millia hominum baptizauere: Sic etiam communiter dicunt Doctores; Validum effici ſacramentum Pœnitentiæ, ſi in procella maris, multos ſimul ſua peccata confitentes, Sacerdos præſens omnes ſimul abſoluat vnica forma, dicendo: *Ego abſoluo vos à peccatis veſtris.*

17 Concluſio 4. Vnica forma poteſt pluribus ſimul applicari.

Et tandem exiſtimo: Idem dicendum eſse, ſi vnus Epi- 18

Epiſcopus, vel Sacerdos, durante actione Vnctionis, dicat: *Confirmo vos ſigno Crucis, vel per iſtam ſanctam Vnctionem parcat vobis Deus*: & ratio huius eſt, quia in his caſibus nihil omittitur, quod ſit de eſſentia Sacramenti: Non enim eſt maior ratio, quare vnus Sacerdos poſſet ſimul plures hoſtias conſecrare, & non Plures homines baptizare, abſoluere, Confirmare: Quod etiam in collatione Sacrorum Ordinum patet: nam idem Epiſcopus pluribus ſimul initiantibus tangentibus calicem cum patena, ſiuè librum dicit: *Accipe poteſtatem*: prout in Pontificali Rom. habetur.

19 Concluſio 5. Plures miniſtri ſimul poſſunt eamdem formam vni applicare. Ratio concluſionis. De ſacerdotibus, qui concelebrant Epiſcopo.

Dico quintò: Plures miniſtros ſimul etiam vni, & eidem conferre, & miniſtrare poſſe ſacramentum, dummodò non varient formam verborum, nec in forma, quam adhibent inſinuent ſibi neceſſarium fuiſſe adiutorium alterius ſocij: & ratio huius eſt, quia in caſu illi multi habent vnius miniſtri rationem, quaſi vnuſquiſque ſolus Baptiſmum, ſiuè aliud Sacramentum conferat: Quod patet etiam in Sacerdotibus, qui quãdo ſacris initiantur ſimul cum eodem Epiſcopo concelebrant, eamdem formam ſimul proferendo: *Hoc eſt corpus meum.*

20 D. Thomas. Aduertentia de baptiſmo.

Aduertendum eſt tamen: (vt benè ait D. Thom. 3. p. q. 67. A. 6.) quod in Sacramento Baptiſmi ſi aliqui tali modo baptizauerint, ſi ſimul vnuſquiſque cum ſuo ſocio puerum abluant, ſiuè aſpergant, & ſimul verba proferant, validum omninò erit Baptiſmi Sacramentum: Nam Chriſtus, qui eſt vnus interior baptizans vnum Sacramentum per tales miniſtros confert: Ità ſentiunt Scotus in 4. D. 6. quæſt. 2. Soto D. 4. A. 6. concordat Suarez tom. 3. d. 23. ſect. 3. Eſſent tamen taliter Baptizantes grauiter puniendi, ſecundum D. Thom. ſupra citatum de inordinato modo baptizandi propter maximum periculum, ad quod ſe exponunt ſine neceſſitate: nam ſi alter primò verba proferat, ille perficeret ſacramentum, alter verò, qui poſtea verba formæ pronunciaret eſſet ſacrilegus, & rebaptizator, & ideò puniendus.

Scotus. Soto. Suarez.

21 Obligatio miniſtri in conficiendis ſacramentis.

Vltimò tandem dicimus, quod: In ſacramentis adminiſtrandis, & conficiendis tenentur miniſtri vti materia, & forma debita à Chriſto Domino inſtitutis: aliter enim non ſolum nullum facerent ſacramentum: Verum etiam ſacrilegium committerent, niſi quando ignorantia facti inuincibilis excuſaret à peccato mortali: E.g. ſi aliquis, putans conſecrare vinum in Calice proferat verba formæ ſuper aquam excuſaretur à peccato, quando inaduertentia inuincibilis fuit in cauſa, non tamen à nullitate Sacramenti.

22 Miniſtri tenentur ſcire ea, quæ ſunt de neceſſitate ſacramẽti. Suar.

Ignorantia autem iuris quomodocumque ſit in hoc non excuſat: Nam tenentur ſacramentorum miniſtri ſcire ea omnia, quæ ſunt de eſſentia ſacramenti, nec excuſat ignorantia facti, quando eſt craſſa, & ſupina, ſiuè affectata: Ità Suarez d. tom. 3. de Sacramen. D. 16. ſect. 2.

23 Debent ſeruare ritum, & cæremonias. Concil. Trid.

Inſuper tenentur Sacramentorum miniſtri ſcire Eccleſiæ ritum, & modum cum debitis cæremonijs in tali materia, & forma adhibendis, quem, & quas Eccleſia præcipit, vel vniuerſalis, vel recepta conſuetudine obſeruat; Ità expreſsè definitum eſt per Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 13. de Sacram. in gen. Quàpropter mutationem in hoc facere ex ſuo genere mortale peccatum eſt, eò quod eſt contra virtutem Religionis, niſi tamen paruitas rei in cæremonijs excuſaret miniſtrum aliquando à culpa mortali: Quandò tamen non adſit contemptus, vel ſcandalum: Vel miniſter habuiſſet intentionem introducendi nouum ritum, contra vniuerſalem Eccleſiam, quia tunc non excuſaretur à culpa mortali.

24 Quando excuſatur à culpa mortali.

His ergo ſecluſis, læuis illa mutatio erit tantummodò culpa venialis; & aliquando nihil, quando rationabili cauſa, aut neceſſitate id fiat: Ità communiter ſentiunt omnes Theologi in 4. D. 3. Suar. d. tom. 3. D. 16. ſect. 3. circa finem: Quando autem talis mutatio ſit leuis, aut notabilis, dicetur in proprijs locis: Reſtat dicendum de conditionibus, quæ requiruntur in miniſtris ſacramentorum, vt licitè poſſint ſacramenta fidelibus adminiſtrare, de quibus dicetur in ſequenti capitulo. Suar.

DE CONDITIONIBVS MINISTRORVM in Sacramentis adminiſtrandis.

CAP. II.

SVpponimus primò, tanquam rem ſatis notam: Conditiones quatuor requiri in miniſtris Sacramentorum, vt rectè nouæ legis ſacramenta adminiſtrare poſſint: videlicet poteſtatem, intentionem, fidem, & gratiam; quorum duo prima requiruntur de neceſſitate, vt ſacramentum validè adminiſtrent: Clarum enim eſt, quod ſine poteſtate, & intentione faciendi ſacramentum nihil perficere poſſint, vt patet ex ſupra dictis, de quibus iam dictum eſt in præcedentibus, & eſt communis Theologorum ſententia in 4. lib. ſent. Duo verò poſteriora requiruntur ad licitè ſacramenta adminiſtranda. 1 Quæ conditiones requiruntur ad ſacramenta adminiſtranda. Suarez.

Notandum ergo pro intelligentia, quod ſacramentorum miniſtri in duplici ſe habent differentia: Alij enim ſunt conſecrati, qui ad hoc ſpeciale munus deputantur ex officio ſibi impoſito, vt fidelibus ſacramenta adminiſtrent, & tales ſunt Sacerdotes, qui per ſe, & ex officio ſunt ſacramentorum miniſtri: Alij verò non ſunt conſecrati, qui non per ſe, ſed quaſi per accidens aliqua ſacramenta aliquando adminiſtrare poſſunt: vt quando laicus in neceſſitate baptizat ſine ſolemnitate, vt ſubueniat neceſſitati: Duabus ergo concluſionibus reſponſiuis rem totam reſoluemus, iuxta duplicem miniſtrorum differentiam. 2 Notandum miniſtri Sacramentorũ alij ſunt conſecrati, alij non.

Sit ergo prima concluſio: *Omnium ſacramentorum miniſtros, dum ſacramenta ex officio conficiunt, & miniſtrant debere eſſe in ſtatu gratiæ, vel ſaltem ſine conſcientia peccati mortiferi, vt ſancta ſanctè pertractent, aliter enim ſacrilegium committerent, quod tanto erit maius, quanto iniquitas miniſtri maior fuerit, & Sacramentum dignius*: Et ratio huius eſt, quia miniſter conſecratus, extra gratiam Sacramentum conficiens, quantum eſt ex parte ſua commaculat Sacramentum, pertractatque rem illam ſacram, tanquam profanam: Debent ergo miniſtri Sacramentorum conformari ſe ſanctitati Chriſti Domini, iuxta illud; Leuit. cap. 11. num. 44. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum, dicit Dominus*: Ità D. Thom. 3. p. quæſt. 64. artic. 4. Caietan. Nugn. & Coninch. ibidem, Suarez tom. 3. D. 16. ſect. 3. Henriq. lib. 1. cap. 29. num. 2. Bonac. de Sacram. in gen. D. 1. q. 3. p. 2. num. 2. 3 1. Concluſio. Miniſtri Sacramentorũ conſecrati tenentur eſſe in gratia. Ratio concluſionis. Leuit. cap. 11. D. Thom. Caietan. Nugnus. Coninch. Suár. Henriq. Bonac.

Vndè ſequitur, quod Sacerdos, cognoſcens ſe eſſe extra gratiam mediante culpa mortali commiſſa, ſi ſine debita contritione, ſaltem putata, Sacramentum aliquod adminiſtret peccatum mortale ſacrilegij toties, quoties cõmitter, vt eſt doctrina omnium Theologorum, ſupra citatorum. Nam de iure Diuino, & naturali tenentur ſacramentorum miniſtri ſancta, ſanctè pertractare, ergo quicumque cum peccato mortali aliquod ſacramentum ex ordine ſuo pertractet, cùm faciat contra ius naturale Diuinum prædictum mortaliter peccat: Nam in caſu huiuſmodi miniſter ſe exhibet in illo actu tanquam diuinum, & animatum inſtrumentum ex officio ad huiuſmodi munus deputatum, ergo tenetur ſe conformari principali agenti, vt ſit ſanctus, ſicut, & ille ſanctus eſt, 4 Sacerdos tenetur ſe ad gratiam præparare, vt ſacramenta adminiſtret licitè.

alio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

alioquin grauem iniuriam illi faceret.

5 Dixi autem (quantum in ſe eſt) clarum enim eſt Sacerdotem, quantumcumque pollutum Sacramenta diuina polluere non poſſe: quoniam (prout dicit Nicolaus Papa in Can. Sciſcitantibus 15. q. 8.) *Mali miniſtri ſancta miniſtrantes, ſe tantummodo lædunt, & vt fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtant, alijs verò lumen in tenebris adminiſtrant, & vnde alijs commodum exhibent, indè ſibi diſpendium parant:* & D. Aug. lib. 2. contra Parmen. cap. 10. *Omnia* (inquit) *Sacramenta indignè tractantibus obſunt, proſunt tamen eis dignè ſumentibus:* Ex quibus omnibus liquidò patet; Sacerdotes peccare mortaliter ſacramenta extra gratiam adminiſtrando; vt eſt communis Theologorum ſententia.

Nicol. Papa. Can. Sciſcitantibus.

D. Aug.

6 Sed hic vna occurrit dubitatio, ſtatim ſoluenda: An quando Sacerdos Sacramentum aliquod eſt miniſtraturus, & habet conſcientiam peccati mortiferi teneatur ſacramentalem confeſſionem præmittere, vt ſe ad gratiam diſponat?

Dubitatio. An teneatur taliter conſitens ſacramentaliter.

Reſpondetur, quod licèt Marſilius in 4. D. 5. q. 12. art. 1. p. 5. & Palud. D. 5. q. 2. circa finem cum alijs affirmare videantur, quorum ratio eſt, quia aliàs ſe exponerent periculo miniſtrandi ſacramentum extra gratiam, cùm non poſſint eſſe certi de ſua contritione: An ſit ſufficiens ad recipiendam gratiam ſine ſacramentali abſolutione recepta?

Sententia aliquorum. Marſilius. Paludanus.

7 His tamen non obſtantibus, abſolutè dicimus: Ad hoc non teneri præcepto aliquo, obligante ad mortale, ſi ſola ratio miniſtrandi ſacramenti interueniat, cùm in caſu ſufficiat contritio, ſaltem putata, cũ propoſito Sacramentaliter confitendi tempore debito: Nam actus contritionis ſemper eſt moraliter poſſibilis, ſuppoſito Diuino auxilio, quod omnibus ſemper præſto eſt: *Nam facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam.*

Vera reſolutio.

Actus contritionis ſẽper eſt poſſibilis.

8 Quàpropter diximus: ſufficere contritionem, ſaltem putatam: non enim tenetur miniſter ſacramentorum eſſe certus de ſua contritione perfecta, ſed ſufficit, quod probabiliter exiſtimet, ſe eſſe ſufficienter contritum: Si autem attritionem ſolam in ſe cognoſcat, tunc tenebitur, vel contritionem procurare, vel confeſſionem ſacramentalem præmittere, ſi actus cõtritionis producere non poſſet: quia tenetur, ità ſe diſponere ad gratiam conſequendam: non enim ſatisfaceret, habendo ſolam attritionem cognitam: Ità Suar. d. to. 3. d. 16. ſect. 3. & eſt communis ſententia Soti, Nauar. & aliorum, quos ipſe citat.

Cõtritio putata ſufficiẽs eſt ad ſacramenta miniſtranda. Attritio cognita non eſt ſufficiens.

Suarez. Soto. Nauar.

9 Hinc ſequitur: Peccare mortaliter Sacerdotem, qui ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrat in peccato mortali exiſtens cum ſola attritione cognita, etiam ſi pœnitens ſit in quacumque neceſſitate: Non enim neceſſitas pœnitentis excuſat Sacerdotem à culpa mortali, ſi ſacramentalem abſolutionem extra gratiam, conferat: & Ratio huius eſt, quia ſemper ille actus eſt proprius Ordinis Sacerdotalis, & neceſſitas ſuſcipientis eſt impertinens ad excuſandum confeſſarium, nec attritio ſola eſt ſufficiens, cùm teneatur Sacerdos in actu miniſtrandi Sacramentum eſſe in gratia, vel ſaltem probabiliter exiſtimare ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum: Ità Suar. d. D. 26. ſect. 4.

Adminiſtrãs Sacramentũ Pœnitentiæ extra gratiã m. p.

Suar.

10 Atque adeò maiori ratione dicendum eſt de miniſtrante Extremam Vnctionem, Confirmationem, & Ordinem, atque Euchariſtiam, quæ ſunt ſacramenta minoris neceſſitatis, & proprij actus Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis: In hoc enim ferè omnes Theologi conueniunt, & vno ore fatentur: ſolùm enim eſt aliqua controuerſia de Sacerdote, miniſtrante ſacram communionem alijs extra Miſſam, de qua dicetur inferiùs loco ſuo, agendo de ſacrificio Miſſæ.

Idem dicendũ eſt de alijs ſacramentis.

Sed difficultas eſt circa ſecundam partem diſtinctionis præpoſitæ de miniſtro non conſecrato: quandò non ex officio aliquod ſacramentum adminiſtrat: nam reſpectu ſacramenti Baptiſmi propter eius ſummam neceſſitatem, quilibet homo in neceſſitate poteſt baptizare: Et in ſacramento Matrimonij ipſi contrahentes ſunt miniſtri, & recipientes ſacramentum, vt videbitur: An videlicet teneantur eſſe in gratia, quandò ſic talia adminiſtrant ſacramenta? 11

Difficultas. De miniſtro non conſecrato.

Ratio autem difficultatis eſt, quia Durandus exiſtimat affirmatiuè: vndè dicit: *Peccare mortaliter eum, qui quauis occaſione, & quouis modo ſacramentum quodlibet extra gratiam adminiſtrat, ſiuè ſit conſecratus, ſiuè non conſecratus, ſiuè clericus, ſiuè laicus:* Cuius ratio eſt, quia quomodocumque ſacramentum miniſtret, ſemper hoc facit, vt miniſter Chriſti ad hoc conſecratus: Nam nullus poteſt ſacramentum aliquod efficere, niſi à Chriſto habeat poteſtatem; nam omnia, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, quorum vnum eſt miniſter, oportet, vt ſint à Chriſto inſtituta, ergò ſemper, qui dat Sacramentum operatur; vt miniſter Chriſti ergò tenetur ſe ad gratiam præparare, niſi inaduertentia ſit in cauſa. quæ etiam excuſat Sacerdotem ſolemniter miniſtrantem, cuius etiam opinionis videtur eſſe Palud. in 4. D. 5. q. 2. A. 5. Et Capreolus: q. 1. A. 1. concl. 4. & Adrian. q. 3. de Baptiſmo: Angelus in ſumm. Verb. Baptiſ. 5. nu. 10. Non tamen ità clarè iſti Doctores ſe explicant: An huiuſmodi homo, (per ſe loquendo) teneatur diſcutere conſcientiam ſuam, vt in ſtatu gratiæ conferat Sacramentum, videntur tamen eſſe cum opinione Durandi. 12

Opinio Durandi.

Ratio Durandi.

Alij Doctores ſent cum Durando. Paludanus. Capreolus. Adrianus. Angelus.

His tamen non obſtantibus, ponimus ſecundam concluſionem noſtram reſponſiuam ad ſecũdam partem huius difficultatis contra opinionem Durandi, & aliorum, quæ talis eſt: *Illi tenentur eſſe in gratia, qui ex officio Sacramenta adminiſtrant, & ſpeciali conſecratione ad hoc faciendum fuerunt conſecrati. Alij verò aliter adminiſtrantes Sacramentum Baptiſmi ſine ſolemnitate, tempore neceſſitatis, ſiuè aduertant, ſiuè non aduertant ſtatum ſuum ad gratiam ſe præparare non tenentur;* Ratio huius eſt, quia illi tantum tenentur eſſe in gratia in Sacramentis adminiſtrandis, qui ſpeciali conſecratione ad hoc munus fuerunt ab Eccleſia deputati, ſed Laici non ſunt huiuſmodi: ergò non tenentur, ſe ad gratiam præparare in illo actu. 13

Secunda Concluſio. Miniſtrantes Baptiſmum, in neceſſitate non tenentur eſſe in gratia.

Ratio concluſionis.

Maior patet ex D. Thom. 3. p. q. 64. ad 3. Riccard. in 4 D. 5. A. 3. q. 3. Soto D. 1. A. 6. in fine. Sylu. in Verb. Baptiſmus 3. num. 5. Suarez D. 16. ſect. 4. alijſque per multis grauiſſimis Doctoribus, qui reſolutoriè affirmant: Non teneri, eſſe in gratia, nec ſe ad gratiam præparare eos, qui in neceſſitate baptizant, ſiuè ſint conſecrati, ſiuè non conſecrati, dummodò ſine ſolemnitate adminiſtrent. Intelligendo ſemper facere, quod facit Eccleſia ſine contemptu Sacramenti; & Ratio huius eſt, quia tali modo miniſtrantes non ſe exhibẽt tanquam publici miniſtri ex officio, ſed tantummodò ſubueniunt neceſſitati patientis. 14

D. Thomas. Riccard. Soto. Syluest. Suar.

Ad fundamentum contrariæ opinionis Reſpondetur: Verum eſſe, Neminem poſſe Sacramentum efficere, niſi ex Chriſti inſtitutione, & virtute ipſius: Nihilominus tamen ſunt quidam per ſe ex officio ad hoc munus deputati, & conſecrati; & iſti appellantur miniſtri Chriſti ex officio, & propria Chriſti inſtrumenta, quibus ſpecialis incumbit obligatio ſe conformandi in ſanctitate ſuo principali agenti, cuius vicem gerunt: Alij verò, quibus ſolùm ex accidenti in neceſſitate tale munus aliquãdo permittitur, nõ grauantur tali onere, quia per ſe ad illos non ſpectat munus miniſtrandi Sacramenta, ſed ſolum permittitur miniſtrare Sacramẽtum Baptiſmi ſine ſolemnitate in caſu neceſſitatis. 15

Reſpondetur ad argumentũ Durandi.

Aliàs

Digitized by Google

16 Hæretici baptizantes in neceſſitate, non peccant.

Alias enim ſequeretur, quod Hæretici, & Infideles, quibus ab Eccleſia permittitur in tali neceſſitate baptizare, quod tunc mortaliter peccarent in illa actione, quæ ab Eccleſia eſt illis permiſſa, quod non eſt dicendum: Quapropter Sancti Patres, & Pontifices, qui de hac obligatione miniſtrandi Sacramenta in gratia loquuntur, ſolummodò mentionem faciunt de miniſtris conſecratis, & non de alijs: Inſuper etiam Doctores ſupracitati pro prima opinione (Durando tamen excepto) non auſi ſunt ſimpliciter dicere: quod etiam miniſtri non conſecrati peccent mortaliter, ſi aduertant, ſiuè non aduertant ſtatum ſuum, ſed potiùs loquuntur ſimpliciter, communiter, & indeterminatè: Quod benè aduertit Suarez, loco ſupra citato.

17 Dubitatio. An peccet ſacerdos miniſtrando Baptiſmum ſine ſolemnitate.

De Sacerdote verò miniſtrante Baptiſmum ſine ſolemnitate in caſu neceſſitatis poteſt eſſe aliqua ratio dubitandi, quia licèt in modo miniſtrandi ità miniſtrare videatur, ſicut Laicus, nihilominus ratione ſuæ conſecrationis habet ſpeciale Ius ad tale miniſterium, quapropter cuiuis alteri perſonæ eſt præferendus: Vndè videtur ſe gerere, vt miniſter ex vi conſecrationis ad id deputatus.

18 Reſolutio. Sacerdos ſine ſolemnitate baptizans, nõ tenetur eſſe in gratia. D. Thomas. Soto. Suarez.

Hoc tamen non obſtante reſolutoriè dicimus etiã in hoc caſu: *Non teneri Sacerdotem priuatim, & ſine ſolemnitate baptizando, ſe ad gratiam præparare.* Et Ratio huius eſt, quia tunc non miniſtrat Baptiſmi Sacramentum, tanquam Sacerdos ex officio, ſed tantum ſubuenit neceſſitati patientis eo modo, quo Laicus poſſet illud efficere; Ità D. Tho. Soto, & Suarez cũ alijs, locis ſupra citatis,

19 Reſpondetur ad rationem contrariorũ.

Quod autem Sacerdos ſit præferendus Laico in eo miniſterio, non eſt ſufficiens ſignum, quod operetur, vt miniſter ex officio, quia etiam vir eſt præferendus fœminæ, & Clericus in quouis ordine initiatus præferendus eſt Laico: Nam ad reuerentiam Sacramenti hoc ſpectat, quapropter etiam Sacerdotes Hæretici poſſũt ſine peccato in tali neceſſitate ſine ſolemnitate baptizare, quibus permiſſum eſt ab Eccleſia in tali caſu, ſicut Laicis; Ità Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 6. in fine, & omnes communiter. (Soto.)

20 Contrahẽtes matrimoniũ extra gratiã quomodo peccent.

Hinc ſequitur, quod: Contrahentes Matrimonium in peccato mortali, licèt grauiter peccent Sacramentum indignè recipiendo, & illius effectui obicem præſtando ſi in peccato mortali præbeant mutuum conſenſum, non tamen peccant propriè adminiſtrando, eò quia non ſunt miniſtri conſecrati, ſed ſicut Laicus in neceſſitate baptizans excuſatur à peccato, ità etiam ipſi, cùm ſit eadem ratio. Ità Suarez: cum D. Thom. alijſque locis ſupra citatis, concordant Sanchez. lib. 2. de Mar. D. 6. num. 4. & Bonac. D. 1. quæſt. 3. par. 1. §. 1. num. 10. (Suar. D. Thom. Sanchez. Bonac.)

21 Sacerdos, aſſiſtens matrimonio non tenetur eſſe in gratia.

Neque etiam peccat Sacerdos, qui aſſiſtit, vt Eccleſiæ miniſter, & contrahentes benedicit; etiam ſi hoc faciat in ſtatu peccati mortiferi; & Ratio huius eſt, quia tunc ſacerdos aſſiſtens non efficit Sacramentum Matrimonij, ſed ſolùm adhibet cæremoniam illam accidentalem, & conditionem neceſſariam, ad valorem contractus, iuxta Decretum Concil. Trident. de reformat. Matr. ſeſſ. 24. cap. 1. Ità ſentiunt omnes Theologi ſupra citati, quibus addo Palud. in 4. D. 5. q. 2. nu. 32. Suarez D. 16. ſect. 4. §. 4. Bonac. de Sacram. in gen. q. 3. p. 2. D. 1. §. num. 10. Poſſeuin. de Adminiſt. Sacr. cap. 5. num. 40. Henriq. in ſum. lib. 1. c. 29. nu. 23. Et hæc de ijs, quæ ſpectant ad Sacramentorum miniſtros, quo ad licitam ipſorum adminiſtrationem, (Concil. Trid. Paludanus. Suar. Bonacina. Poſſeuinus. Henriquez.)

DE BENEDICTIONIBVS ALIISQVE *Functionibus Sacramentalibus.*

CAP. III.

1 Proponitur quæſtio dubitabilis.

NE aliqua ad miniſtros Eccleſiæ ſpectantia prætermittamus præſens mouetur quæſtio: An exercentes Sacramentalia, tanquam miniſtri Eccleſiæ ad hoc ſpecialiter ordinati, tangendo Vid. Vaſa ſacra, aut Sanctorum reliquias, lauando ſacra corporalia, ad quod munus peragendum Subdiaconi ſunt ſpecialiter ordinati; Similiter etiam Sacerdotes faciendo officiũ Hebdomadarij in choro ſolemniter, veſtibus Sacerdotalibus induti, aut benedicendo aquam Sanctam cum ſtola, aliaſque benedictiones faciendo tanquam Sacerdotes ordinati; Similiter etiam Epiſcopus, ſiuè Abbas conferendo primam tonſuram, aut conſecrando Calices, Virgines, ſiuè Eccleſias, aut altaria, & huiuſmodi functiones ſacras, tanquam miniſtri Eccleſiæ ad hoc ſpecialiter deputati: Si extra gratiam hoc faciant peccatum mortale committant?

2 Ratio dubitandi.

Et Ratio dubitandi eſt, quia huiuſmodi functiones ſunt graues, ad quas licitè faciendas Sacerdotes, vel Epiſcopi ſunt ſpecialiter ordinati, quapropter multi grauiſſimi Theologi, & Canoniſtæ exiſtimant huiuſmodi miniſtros, talia Sacramentalia exercendo teneri eſſe in gratia. & D. Thom. in 4. Sentent. D. 24. quæſt. 1. A. 3. quæſt. 5. generalem ſtatuit Regulam, dicens; *Peccare mortaliter eum, qui aliquod Sacrum officium, quod ſibi ex ordinatione competit in peccato mortali exequitur, quia indignè tractat res ſacras, ad quas dignè pertractandas eſt ſpecialiter ordinatus, & conſecratus.* (D. Thom.)

3 Trip. eſt ſententia. Prima opinio. Nauar. Syluest. Roſella.

In hac ergo quæſtione; triplex eſt Doctorum ſententia, quarum Prima eſt Nauarri in man. c. 25. n. 72. Sylu. Verb. Clericus 8. num. 2. concordat Roſella cum alijs ex antiquioribus ſummiſtis, qui dicunt: Eſſe doctrinam Angelici loc. ſupra cit. & D. 5. c. 24. & 3. p. d. q. 64. A. 6. exiſtimantes: Peccare mortaliter Sacerdotem, ſiuè Clericum, qui res ſacras tangit, quaſi ſuum fungens officium, eò quod in caſu exhibet ſe tanquam miniſtrum Eccleſiæ ad id ſpecialiter conſecratum. Secus autem dicunt, ſi huiuſmodi actiones faciat, tanquam Laicus non ordinatus; tunc enim, ſecundum iſtos Doctores, excuſaretur à culpa mortali.

4 Fũdatur iſta opinio in C. Quæſitum de Temp. ordin. Leuit. cap. 22. Iſaias c. 52. Sixtus Papa.

Opinio iſtorum Doctorum fundatur in c. Finali de Temp. Ordin. Vbi dicit Sixtus. *Clericos, & Sacerdotes, qui bonum conſcientiæ amiſerunt monendos eſſe ſub interminatione diuini Iudicij, vt in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent.* Et in li. Leuit. c. 22. ſcriptum eſt. *Omnis, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt iniquitas peribit coram Domino.* & Iſaias c. 52. dicit *lauamini mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini* in can. In Sancta de conſ. D. 4. dicit Papa Sixtus. *In Sancta Apoſtolica ſede ſtatutum eſt, vt ſacra vaſa, ne ab alijs, quam à Sacratis Domino dicatis contrectentur hominibus, ne pro talibus præſumptionibus iratus Dominus plagas infligat populo ſuo.*

5 Pontificale Rom. Dionyſius.

Ex quibus, alijſque locis ſacræ ſcripturæ, & Canonum inferunt prædicti Doctores: Si Laicis, in gratia exiſtentibus ſacra tangere non licet, quantò fortiùs Clericis in peccato mortali exiſtentibus non licebit ea tangere, cùm maiori obligatione ex ordine ſuo teneantur: Quapropter quandò initiantur Subdiaconi, Epiſcopus, porrigendo Calicem Sanctum cum Patena, dicit eis: *Videtè quale myſterium vobis traditur, ideò attendite, vt eo digni ſitis*, ergo quicumque cum peccato mortali vaſa ſacra indignè pertractat, cùm faciat contra Ius prædictum mortaliter peccat; Et Dionyſ. capit. 1. de Eccleſiaſt. Hierarch. dicit, quod: *Malis mini-*

Digitized by Google

miniſtris non eſt fas tangere Symbola, ideſt vaſa ſacra.

6 2. opinio. Medin. & Chamerot. De oleo ſancto, & conſecratione Eccleſiæ.

Secunda Sententia eſt Io. Med. C. de Pœnit. tract. 1. q. 6. circa finem. Chamerot. de Sacr. in gen. tract. 1. c. 2. d. 5. & aliorum dicentium: Peccare mortaliter Epiſcopum, qui conficit Chriſma, benedicit Oleum Sanctum, aut conſecrat Eccleſias in peccato mortali, quia actiones iſtæ videntur graues, & quodammodò Sacramentales, quatenus per eas Sacratur materia Sacramenti Confirmationis, & Extremæ vnctionis.

7 Henriques. Et Nugnus. D. Thom. De chriſma, & Sancto oleo.

Et in his duabus actionibus concordat etiam Henriq. lib. 10. de Ordine ſacro c. 13. nu. 5. & Nugn. in 3. p. D. Thom. q. 64. A. 6. diffic. 2. & ratio illorum eſt, quia conficere Sanctum Chriſma, Sanctumque oleum, ſiuè infirmorum, ſiuè Cathecuminorum eſt munus Epiſcopi, annexum ordini Epiſcopali: De conſecratione verò Eccleſiæ, alijſque benedictionibus non conſentiunt illi Doctores cum Medina, imò totum oppoſitum tenent, Vid. non eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale, cùm non ſint res ità graues.

Medina.

8 3. Sententia. Sacramentalia poſſunt exerceri extra gratiam.

Tertia ſententia, quam nos exiſtimamus eſſe probabiliorem eſt multorum Doctorum, infra citandorum, abſolutè dicentium: Solummodò in Sacramentis adminiſtrandis, in quibus miniſter repræſentat perſonam Chriſti, principalis agentis, & in quibus confertur fidelibus gratia, Sanctificans ex opere operato teneri miniſtros eſſe in gratia, quando ea adminiſtrant: In alijs verò functionibus Sacramentalibus, ſiuè Sacerdotalibus, ſiuè Epiſcopalibus, quæ Sacramenta nouæ legis non ſunt, non eſſe obligatos ſub pœna peccati mortiferi miniſtros eſſe in gratia, quando ipſa exercent, dummodò non adſit ſcandalum, vel contemptus. Ità Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 6. §. Ex his Suarez tom. 3. de Sacr. D. 16. ſect. 3. Valentia tom. 4. D. 3. q. 5. p. 3. Sayr. lib. 2. de Sacr. in gen. c. 7. q. 2. A. 1. Vaſq. in 3. p. D. 136. nu. 39. Coninch. q. 64. A. 6. d. 1. nu. 39. Filliuc. tom. 1. tract. 1. de Sacr. c. 6. nu. 87. Bonac, to. 1. de Sacr. in gen. D. 1. q. 3. p. 2. nu. 4. & alij.

Soto. Suar. Valentia. Sayrus. Vaſquez. Coninch. Filliucius. Bonacina.

9 Concluſio.

Iſti enim Doctores abſolutè inquiunt Epiſcopum, conferendo primam Tonſuram, aut Conficientem Oleum Sanctum Chriſmatis, ſiuè Infirmorum, ſiuè Cathecuminorum, aut conſecrando Eccleſias, ſiuè Altaria, Calices, Virgines, aliaſque benedictiones huiuſmodi cum conſcientia peccati mortiferi, (ſecluſo ſcandalo & contemptu) per ſe loquendo, non peccare mortaliter, niſi tantum venialiter; & Ratio iſtorum eſt, quia huiuſmodi actiones non ſunt adeò graues, vt teneatur miniſter ea exercens eſſe in gratia, cùm non ſint Sacramenta, ſed Sacramentalia.

10 Aquam benedicere extra gratiam non eſt p. m.

Sic etiam à fortiori dicunt de Sacerdotibus Sacramentalia exercentibus, ſiuè benedicendo aquam Sanctam, ſiuè vaſa ſacra tangentes, ſiuè faciendo officium Hebdomadarij in Choro ſolemniter extra gratiam non peccare mortaliter, etiam ſi hoc faciant tãquam Sacerdotes ordinati; Et Ratio huius eſt quia aliæ actiones ſacræ, quæcumque ſint illæ, præter Sacramenta, non ſunt ad ſanctificationem Animæ per gratiam proximè ordinatæ, neque in illis ſe exhibet Sacerdos, vt miniſter Chriſti, ſanctificantis animam, non eſt tam grauis cauſa, & ratio exigendi internam animæ ſanctitatem ad eas exercendas, ergo illas extra gratiam efficere non videtur eſſe peccatum mortale, ſed tantummodò veniale; ad ſummum, ſecluſo ſemper ſcandalo, vel contemptu.

11 Regula generalis.

Vndè pro maiori intelligentia talis aſſignatur Regula generalis, tanquam fundamentum iſtius ſententiæ: *In omnibus, & quibuſcumque actionibus ſacris, ſiuè ſacerdotalibus, ſiuè Epiſcopalibus, in quibus miniſter non repræſentat perſonam Chriſti conferentis gratiam ex vi operis operati non tenentur miniſtri (per ſe loquendo) eſſe in ſtatu gratiæ quando illos exercent ſine ſcandalo, & contemptu:* Ità Doctores ſupra citati, quamuis Henriq. cũ alijs in 2. ſententia citatis in aliquibus non conſentiãt, vt dictum eſt ſupra num. 7.

Henriquez in quo differat.

12 Vera reſolutio.

Nos autem abſolutè dicimus cum Soto, & Suarez, alijſque pro ſententia tertia citatis: Non peccare mortaliter; quia durum profectò apparet miniſtros Eccleſiæ tam acriter adſtringere, & condemnare in actionibus Sacramentalibus, quæ Sacramenta non ſunt, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, ideòque exiſtimamus non peccare mortaliter, ſed ad ſummum venialiter: cùm ab Eccleſia in contrarium definitum non ſit, nec Doctores contrariæ opinionis ſatis diſtinctè, & abſolutè primam opinionem definiant.

13 Reſpondetur ad Canones.

Quapropter ad canonem illum ſupra citatum de Temp. Ordin. Reſpondendo dicimus: Non prohibere ibi Summum Pontificem ſub præcepto, Clericis, & Sacerdotibus in peccato mortali exiſtẽtibus in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, ſed dicit Pontifex: *Monendi ſunt*, ergo non eſt præceptum, ſed admonitio: Sic etiam ad illud fundamentum contrariæ opinionis, deſumptum ex doctrina D. Thom. dicentis. *Qui indignè tractant res ſacras ſacrilegium committunt:* Loquitur ibi D. Thom. de miniſtratione ſacramentorum, prout patet ex verbis ipſius in ſolutione ad primum, & ità explicant Caiet. tom. 2. Opuſc. 10. & Suarez cum alijs recentioribus ſupra citatis.

Reſpondetur ad D. Thom.

Caietanus.

14 An concionator teneatur eſſe in gratia quando prædicat. Caietanus. Prima opinio.

Sic etiam dicimus abſolutè de concionatore, quod prædicando in peccato mortali, non peccat mortaliter, (vt quidam putauere:) nam illa actio eſt potius Charitatis, quàm Sacramentalis: Et quamuis Caiet. in 3. p. D. Tho. q. 64. A. 6. in reſponſione ad primum dicat, quod Prædicator extra gratiam exiſtens, prædicans publicè in Eccleſia mortaliter peccet, ſicut ille, qui indignè adminiſtrat alios actus Sacrorum Ordinũ (putat enim ipſe: Actum prædicandi eſſe de numero actuum conſecratorum, quia eſt actus, ad quem miniſter ſpecialiter conſecratur; nam eius munus ex officio primario eſt Epiſcopi, ſecundario eſt Sacerdotis, ſiuè Diaconi.)

15 2. Sententia. Caietanus ſe retractauit.

Verum eſt tamen, quod ipſemet Caietanus in ſua ſummula. Verb. Prædicatorum peccata contrariam tenuit opinionem, & ideò videtur ſe retractaſſe de illo, quod dixerat in 3. p. D. Thom. fatetur enim Caietanus ibi, quod quamuis prædicator, extra gratiam exiſtens non ſe exhibeat, vt Dei miniſtrum, qualis eſſe deberet, mortaliter tamen non peccet, ſed tantùm venialiter, quia actus prædicandi non eſt ſecundum ſe actus alicuius Sacramenti, quapropter etiam Laici poſſunt prædicare.

16 De Prælato, & Iudice, & concionatore D. Thom. ſe retractauit. D. Thom.

Et quamuis D. Thom. in 4. D. 19. q. 2. A. 2. ad 4. dixiſſet: Peccare mortaliter Prælatum, qui in peccato mortali profert ſententiam iuridicam, corrigendo ſubditum, & concionatorem, qui in peccato mortali prædicat Euangelium: Retractauit tamen ipſemet Diu. Thom. ſententiam ſuam de Prælato, & Iudice, in 2. 2. quæſt. 33. A. 5. & q. 60. A. 2. ad 3. de Actu verò prædicãdi numquam expreſsè D. Thom. ſe retractauit, quod in 4. ſenten. docuerat: A paritate autem rationis credi poteſt ità ſenſiſſe, quia nulla eſt lex poſitiua diuina, vel humana, in qua poſſet huiuſmodi obligatio firmari; Quod tandem opinatus eſt Caietanus d. libr. 10. Opuſc. tom. 2. & Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 6. & Io. Medina d. C. de Pœnit. tract. 1. q. 5. Suarez cum alijs multis id affirmant, & eſt quaſi communis ſententia omnium modernorum.

Caietanus. Soto Io. Medina. Suarez.

17 Limitatio concluſionis.

Hæc autem noſtra concluſio ſemper intelligenda eſt (per ſe loquendo) & præcisè ex vi talis actus: nam per accidens interuenire quandoque poteſt peccatum mortale, vt ratione ſcandali, vel contemptus; Vt ſi quis

pro

pro nihilo ducat in ſtatu peccati mortiferi abſque vllo timore, & reuerentia Verbi Dei, maximè quando peccatum eſt publicum, & ſcandaloſum, tunc non facilè excuſabitur à graui culpa ratione ſcandali, vel contemptus.

18 **An Diaconi, & Subdiaconi teneantur eſſe in gratia. Proponitur ratio dubitandi.** Dubium tandem reſtat ſolummodò de Diaconibus, & Subdiaconibus in ſacro altari miniſtrantibus, & actum ſui ordinis in peccato mortali exercentibus: An Vid. mortaliter peccent? Nam ex vna parte videntur peccare mortaliter, ſi extra gratiam miniſtrent, confertur namque eis gratia, dum ordinantur, vt dignè adminiſtrent: quapropter ad hoc ſunt ſpecialiter conſecrati; Ex altera verò parte durum profectò apparet, illos tam acriter condemnare, quia vbi non conſtat de præcepto non facilè eſt imponenda obligatio ſub culpa mortali, cùm ergo non conſtet de præcepto aliquo poſitiuo non ſunt condemnandi.

19 **P. opinio Nauar. Angelus. Syluest.** Quapropter eſt ſciendum, circa hoc: Varias eſſe Doctorum opiniones, quarum prima eſt Nauarri cap. 25. nu. 72. allegantis Angelum Verb. Clericus 8. n. 1. & Sylu. Verb. Clericus 2. nu. 5. & cum eis reſolutoriè affirmat: *Diaconum, vel Subdiaconum in peccato mortali exiſtentes ſolemniter adminiſtrantes officium ſui ordinis peccare mortaliter, & ſacrilegium committere*, quorum fundamentum eſt, quia illud miniſterium eſt graue, & proximè accedit ad ſacrificium miſſæ; Vndè ad illud dignè exequendum datur illis ſpecialis gratia per Sacramentum Ordinis.

20 **D. Thom.** Huius etiam opinionis videtur eſſe D. Tho. in 4. D. 1. A. 3. & in 3. p. q. 64 A. 6. qui generalem ſtatuit Regulam, dicens: *Peccare mortaliter eum, qui aliquod ſacrum officium, quod ſibi ex ordinatione competit in peccato mortali exequitur, quia indignè tractat res ſacras: quod ex ſuo genere eſt peccatum mortale ſacrilegij*: **Caietanus. Nugnus. Syluius. Cabrera. Em. Sà. Vigoerius. Lopez.** Ità etiam exiſtimat Caiet. ibi, & 22. q. 60. A. 2. in fine, ſequitur Nugnus in eadem 3. p. q. 64. A. 6. diffic. 1. conc. 3. qui hoc ſolum affirmat de Diacono, & non de Subdiacono. Ità etiam Syluius ibi q. 1. conc. 5. & Cabrera de Sac. q. 64. A. 6. d. 1. nu. 48. Em. Sà Verb. Ordo nu. 31. Vigoerius de Sacr. in gen. c. 6. nu. 17. & Lud. Lopez c. 10. & ſi qui ſunt alij.

21 **1. Timot. c. 3.** Probant autem ſuam opinionem ex doctrina Apoſtoli ad Tim. c. 3. Epiſt. 1. vbi ait. *Oportet Diaconos habere myſterium fidei in conſcientia pura, & hi probentur primò, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes*, & Greg. **Gregorius Papa IX.** IX. in c. Quæſitum de Temp. ordin. dicit. *Clericos & Sacerdotes, qui bonum conſcientiæ amiſerunt ſub interminatione Diuini Iudicij obteſtandos eſſe, ne in ſuſceptis ordinibus miniſtrent, ſi non pænituerint*: & idem Pontifex in **De cohabit. Cler. & mulierum.** c. Vltimo de cohabitat. Cleric. & mulier. dicit: *Clericos, & Sacerdotes pro quolibet mortali peccato, & quo ad ſe ipſos coram Deo eſſe ſuſpenſos ab executione ſuorum ordinum*: ex quibus omnibus colligunt illi Doctores: Diaconos, & Subdiaconos, in peccato mortali exiſtentes, exercendo officium ſuorum ordinum peccare mortaliter, quæ ſententia, licèt videatur probabilis, à recentioribus tamen non admittitur, tanquam nimis rigoroſa.

22 **2. Sententia Diaconi, & Subdiaconi non tenentur eſſe in gratia. Ratio concluſionis.** Eſt ergò ſecunda ſententia magis probabilis, affirmans: *Diaconos, & Subdiaconos, per ſe loquendo, non peccare mortaliter, ſi extra gratiam adminiſtrent officium ſui ordinis, etiam ſolemniter Euangelium, vel Epiſtolam in Miſſæ ſacrificio cantando, tanquam in ſacris ordinatos*: & Ratio huius eſt, quia illa actio, quæ in hoc miniſterio exercetur non eſt illis ſpeciali modo coniuncta, quomodo ſunt actiones Sacramentales, & ad concludendum peccatum mortale habẽdus eſt reſpectus ad obiectum, & materiam operis: Vndè cum legere, & cantare Euangelium ſiuè Epiſtolam in Miſſa non fit actio, habens in ſe ſanctificationem ex opere operato, quia non eſt adminiſtratio Sacramenti, mediante quo animæ fidelium ſanctificantur ex opere operato, fit vt quamuis iſti miniſtri gratiam ad tale munus ſuſceperint, non indè eliciatur, peccare mortaliter, ſi extra gratiam illud exerceant. Ità Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 5. Ex his: & D. 24. q. 1. A. 4. Henriq. in ſum. lib. 10. de Ordin. Sacr. c. 13. Suarez to. 3. de Sacr. D. 16. ſect. 3. Vaſq. in 3. p. to. 3. D. 136. c. 4. Coninch. q. 64. A. 6. d. 1. nu. 38. Bonac. de Sacr. D. 1. q. 3. p. 2. n. 6. Fernandez de Hæredia de Sacr. p. 10. d. 3. n. 4. Villallob. in ſum. to. 1. tract. 4. diffic. 10. nu. 7. ſequitur Diana 3. p. tract. 4. reſol. 195. **Soto. Henriq. Suarez. Vaſquez. Coninch. Bonacinà. Fernandez de Hæredia. Villalob. Diana.**

Et quamuis ſolemniter in miſſæ officio adminiſtrẽt, ſolemnitas illa eſt cæremonia extrinſeca, & accidentalis, & nihil facit ad ſubſtantiam actus: quapropter concludimus cum Doctoribus pro hac ſecunda ſententia citatis: *Non peccare mortaliter prædictos miniſtros; extra gratiam miniſtrando officium ſui ordinis, etiam ſolemniter, ſed ad ſummum eſſe peccatum veniale, niſi adſit ſcandalum, vel contemptus*. 23 **Concluſio.**

Quapropter pro clariori notitia aſſignantur duæ Regulæ vniuerſales, quarum prima eſt, *Quotieſcumque actiones ſacrorum ordinum non ordinantur ad ſanctificationem Animæ fidelium, & ad gratiam conferendam ex opere operato, tunc poſſunt fieri a miniſtris extra gratiam abſque noua incurſione peccati mortiferi*: Hæc regula eſt per ſe clara, & admittitur ab omnibus Doctoribus, citatis pro ſecunda ſententia, nec poteſt impugnari. 24 **P. Regula.**

Secunda regula eſt: *Quando agens, ſiuè operans non operatur, vt perſona Chriſti ſanctificantis animas fidelium ex vi operis operati, ſed operatur, vt perſona particularis, merens ex opere operantis, tunc non tenetur eſſe in gratia quando eam exercet*: & ideò, cùm Diaconus, vel Subdiaconus adminiſtrantes in Miſſa ſolemni non conferant gratiam ex opere operato infallibiliter, nec repræſentent perſonam Chriſti, non tenentur eſſe in gratia, ideòque ſi extra illam adminiſtrent non peccant mortaliter, (per ſe loquendo) niſi ratione ſcandali. 25 **2. Regula.**

Et licet Suarez, loco ſupra citato, cum Filliucio tom. 1. tractat. 1. capit. 6. numer. 87. limitare videantur: ſi ſemel tantum, aut iterum hoc faciant, nam ſi iſti per conſuetudinem habeant extra ſtatum gratiæ officium ſui ordinis miniſtrare, nõ excuſarentur à peccato mortali, quia viderentur tacitè hoc facere ex cõtemptu. 26 **Limitatio Suarez. & Filliucio.**

Sed hoc nihil eſt: Non enim valet aſſerere: Sæpiùs talia facere extra gratiam includere implicitum contemptum. Nam hoc admitti non poteſt: non eſt enim vlla ratio, qua indicetur in eo actu frequentato magis includi virtualem contemptum, quam in frequentatione mendacij ioċoſi, & ſimilium: Nec longo tempore huiuſmodi operationes exercere inducunt peccatũ mortale: quia ſæpiùs peccare, ſiuè velle peccare venialiter non poſſunt efficere vnum peccatum mortale: & iſti actus ſunt ſeparati inter ſe, nec relinquunt poſt ſe effectum, ratione cuius prior coaleſcat cum poſteriori: Ità Coninch. cum Diana locis ſupra citatis contra Suarez, & Filliuc. in hac parte. 27 **Reijcitur limitatio. Multa peccata venialia nõ poſſunt facere vnum mortale. Coninch. Diana.**

Nec obſtant Decreta, ſupra citata pro prima ſententia: Nam c. illud: Vltimum de Temp. Ordin. non condit nouum Ius, cùm non dicat: *Præcipimus*, ſed *monendi, inquit, ſunt Clerici*. Quantum verò, & quam grauis ſit hæc tranſgreſſio ibi non explicatur, ſed ex obiecto, & materia dijudicanda relinquitur: Cum ergò hæc materia, de qua agimus non videatur eſſe adeò grauis, vt ex natura rei cenſenda ſit grauis, & ſacrilega, ideò, &c. Ità Suar. loc. cit. 28 **Reſpondetur ad Decreta. Suarez.**

Similiter etiam dicendum eſt de c. illo Vltimo de Cohabit. Cleric. & mulier. quod: Ibi loquitur Pontifex de Sacerdotibus, qui non poſſunt licitè Sacramenta 29 **Reſpondetur ad aliud Decretum.**

extra gratiam adminiſtrare: Similiter etiam ad auctoritatem Apoſtoli Pauli, dicimus: Ibi, non loqui præceptiuè, ſed de conuenientia, & decentia, & ità dicendum eſt de ſimilibus: Quidquid alij dicere videantur, hæc noſtra ſententia eſt probabiliſſima, & certa, cùm ſit rationabiliter probata. *Reſpõdetur ad auctoritatẽ Apoſtoli.*

AN A' MALIS MINISTRIS LICEAT *Sacramenta recipere.*

CAP. IV.

1 *Proponitur quæſtio.* Diximus in ſuperioribus de ijs, quæ opus erant miniſtris Sacramentorum, vt licitè munus ſuum exercere poſſent, ne in Sacramentis adminiſtrandis peccata committerent: modo in ſequentibus, dicendum venit de ijs, quæ requiruntur in recipientibus, ne V id. Sacramenta recipiendo peccata committant: & ideò primò quæritur: An teneantur non ſuſcipere Sacramenta ab eo, qui mortali certitudine ſcitur illa in peccato mortali eſſe adminiſtranda.

2 *Quæſtionis ſenſus.* Non enim quærimus de miniſtro, qui licitè, & validè Sacramenta adminiſtrare non poteſt; clarum enim eſt, tunc nullo modo licere; vt ſi quis abſolui Sacramẽtaliter petat à Sacerdote, qui iuriſdictionem non habet: tunc enim non modo abſolutio erit nulla, ſed etiã ipſe petens duplici ratione mortaliter peccaret, primò quia inducit talem miniſtrum ad actum ſacrilegij. Secundò, quia ipſa talis receptio Sacramenti in ſe eſt mala, & contra rectam rationem Sacramenti.

3 *An ab excõmunicatis liceat Sacram. recipere.* Idem dicas, de eo, qui non poteſt licitè Sacramentum aliquod adminiſtrare, vel quia non habet Ius, vel quia eſt ſuſpenſus, ſiuè excommunicatus, ſiuè degradatus; tunc enim ſine neceſſitate vrgente, vt eſt articulus mortis non poteſt ab eo Sacramentum petere, aut recipere Sacramenta ab eo, qui licitè adminiſtrare non poteſt, quia eſt intrinſecè malum, & per conſequens prohibitum. Ità docent omnes Theologi communiter, vt videre eſt apud Suarez tom. 3. de Sac. d. 18. ſect. 1. *Suar.*

4 *Difficultas.* Sed difficultas eſt, quando miniſter habet poteſtatem adminiſtrandi, & conficiendi Sacramentum, tamen ex propria malitia illud extra gratiam adminiſtrabit, eò quod malam voluntatem peccandi nolit dimittere. An V id. licitum ſit ipſum Sacerdotem inducere ad miniſtrandum Sacramentum, quod in peccato mortali ſcimus eſſe adminiſtraturum. Nam qui cauſam culpæ dat, eiuſdem culpæ reus eſſe videtur.

5 *Opinio Diu. Thom.* Circa hanc difficultatem multi multa dicunt: Nam D. Thom. 3. p. q. 64. A. 6. ad 2. dicit, quod: à Miniſtro ab Eccleſia tolerato, quamuis iniquus ſit, licitum eſt ab eo Sacramenta ſuſcipere, ac etiam ipſum inducere ad Sacramentum miniſtrandum, quando neceſſitas, ſiuè vtilitas magna, ipſum petentem adſtringat, à Miniſtro verò non tolerato, non licet Sacramenta petere, nec ſuſcipere præter Sacramentum Baptiſmi tempore neceſſitatis. Ità etiam dicunt Sylu. Verb. Baptiſmus 3. numer. 7. Durand. Paludan. & Riccard. in 4. D. 1. quæſt. 5. *Syluester, Durand. & Paludanus, Riccard.*

6 *Caietani opinio.* Caietanus autem in 3. p. q. 64. A. 6. dicit, quod; vt à Miniſtro tolerato licitum ſit Sacramenta recipere duę requiruntur conditiones, & altera ipſarum deficiente, non licet: Quarum prima eſt, vt miniſter ſit paratus ad miniſtrandum Sacramentum. Secunda vt ille, qui petit ſit in aliqua neceſſitate ſuſcipiendi tale Sacramentum: Quandocumque verò hæ duæ conditiones non concurrunt, abſolutè, & ſine diſtinctione negat hoc licere.

7 *Adriani ſententia.* Adrianus autem q. 3. de Baptiſmo, loquens de miniſtro tolerato dicit, quod: Quando Sacerdos ille tenetur ex officio Sacramenta populo adminiſtrare, vel quia ſit Parochus, vel Prælatus abſolutè affirmat, & ſine vlla limitatione ab eo Sacramenta petere, & ſuſcipere poſſe, etiam ſi ipſe petens ſit in aliqua neceſſitate poſitus, ſiuè non; Petit enim Ius ſuum in re ſancta, & bona. Secundo petit ab eo, qui ex officio tenetur Sacramenta adminiſtrare, & ſi ille extra gratiam ex ſua malitia adminiſtret imputetur ſibi, & non potenti.

Secundò dicit: Ab eo, qui ex officio non tenetur miniſtrare, nec paratus eſt ad miniſtrandum, & petens 8
cognoſcat, quod talis miniſter extra gratiam eſt miniſtraturus tale Sacramentum in prę iudicium animæ ipſius; Tunc numquam eſſe licitum ab eo Sacramenta petere, etiam ſi ipſe petens ſit in neceſſitate poſitus, quia in caſu induceretur miniſter ad peccandum: Si verò talis Sacerdos eſſet paratus adminiſtrandum Sacramentum, tunc licitum eſſe petere abſque alia conditione, quia tunc illa non eſſet inductio ad peccatũ, cùm ille iam eſſet paratus: concordant cum Adriano Soto in 4. D. 1. q. 5. A. 6. ad 2. & Angelus Verb. Clericus 8. num. 2. *Concordant Soto. & Angelus.*

9 *Diſtinctio Scoti. Notanda.* Subtilis autem Doctor diſtinguit, primò de miniſtro non tolerato: Nam in caſu neceſſitatis licitum eſt ab eo Sacramenta ſuſcipere, non tamen extra neceſſitatem, quod intelligendum eſt de Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ: De miniſtro verò tolerato ſubdiſtinguit, nam, vel eſt occultus, vel publicus: Si primum, tunc dicit, abſolutè licere ab eo Sacramentum petere, & recipere: vel non tenetur ex officio: & tunc iterum ſubdiſtinguit; nam ſi ſit alius Sacerdos, à quo ſit melius, & ſine peccato Sacramentum miniſtrandũ, non licebit petere à malo miniſtro, ſi verò non ſit alius tunc licebit: Hæc Scotus in 4. D. 5. q. 2. A. 1. cum ſuis aſſeclis. *Scotus.*

10 *Reſolutio. Prima cõcluſio.* Vt ergò in tanta iudiciorum varietate, & diſtinctionum multitudine rem totam ad pauca verba reuocemus: duabus concluſionibus reſponſiuis totam difficultatem reſoluimus, quarum prima concluſio eſt talis: *Præter Baptiſmi ſacramentum in neceſſitatis articulo nunquam licitum eſt ſacramentum aliquod petere, aut recipere à Miniſtro ab Eccleſia præciſo, & non tolerato, etiam ſi ille talis miniſtrare paratus ſit:* Et ratio huius eſt, quia non ſolum iniquè ille talis eſt daturus, ſed etiam non poteſt licitè dare, cùm ſit præciſus ab Eccleſia per publicam excommunicationem, ſuſpenſionem, &c. Quàpropter peccat mortaliter quicumque à tali miniſtro ſacramenta recipit, quia communicat peccato ipſius, & facit contra obedientiam Eccleſiæ: Nam quando aliquis eſt nominatim excommunicatus, non ſolum à miniſterio arcetur; ſed etiam alij fideles prohibentur directè, ne cum illo communicent, præſertim in ſacris, & maximè in ſacramentorum participatione. *A miniſtro præciſo ſacramenta recipere non licet. Ratio concluſionis.*

11 *Limitatio quando eſſet toleratus.* Secus autem dicendum eſt, ſi talis Sacerdos adhuc ſit ab Eccleſia toleratus: tunc enim ab huiuſmodi Sacerdote, qui ſacramenta recipit, non recipit ab eo, in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum miniſter eſt Eccleſiæ: & ideò in illo actu non communicat peccato illius, ſed communicat Eccleſiæ. Vndè non facit contra obedientiam ipſius Eccleſiæ: hæc concluſio ſecundum vtramque partem eſt vera, & certiſſima de mente omnium Theologorum, vt D. Tho. Scoti, Durand. Paludani, Soti, & aliorum ſupra citatorum. *D. Thom. Scot. Durand. Paludan. Sot.*

12 *Limitatio de Baptiſm.* Diximus autem in principio noſtræ concluſionis (*præter Sacramentum Baptiſmi.*) Nam, cùm hoc ſacramentum ſit maximæ neceſſitatis, licitum eſt in neceſſitatis articulo à quacumque perſona Baptiſmum recipere ſiuè ſit clericus, ſiuè laicus, ſiuè bonus, ſiuè malus, ſiuè paratus, ſiuè non paratus, ſiuè toleratus,

tus, ſiuè non toleratus: Ratio huius eſt, quia tunc ab Eccleſia permittitur, & ille talis baptizando non peccat, cùm baptizet tanquàm laicus non ordinatus, vt ex præcedenti capitulo conſtat, & melius loco ſuo explicabitur.

13 *Miniſter non toleratus, quis ſit. Concil. Conſtant. & Baſil. D. Thom. & Scot.* Miniſter non toleratus dicitur ille, qui per publicam ſententiam eſt nominatim excommunicatus, vel qui eſt manifeſtus clericorum percuſſor, ità vt nulla poſſit tergiuerſatione celari: Ità determinatum eſt in Conc. Conſt. & Baſil. ſeſſ. 20. & quamuis tempore Diui Thomæ, & Scoti, & in iure antiquo quilibet excommunicatus, ſiuè à iure, ſiuè ab homine exiſtimabatur tamquam præciſus, & non toleratus, & ità omnibus prohibitum erat ab illo petere, & accipere ſacramenta: tamen poſt dictas Conſtitutiones Conciliorum ſolum illi prædicti dicuntur non tolerati: Ideoque à quocumque per ſimplicem excommunicationem præciſo, ſi non fuerit nominatim excommunicatus, aut clerici manifeſtus percuſſor, per ſe loquendo, non eſt prohibitum ſacramenta à tali recipere, proindè, ac ſi non eſſet præciſus: prout rectè declarat Sot. in 4. d. 1. q. 5. a. 6. concl. 5. cum alijs. *Soto.*

14 *De hæreticis & Apoſtatis quando dicãtur tolerati.* Hæretici Apoſtatæ, quamuis ſint excommunicati, dum tamen nominatim condemnati non ſint, etiam dicuntur tolerati, & idcò non eſt ſpecialis, & directa obligatio ab illis ſacramenta non recipere, tamquam ab excommunicatis, ſed ſolùm illa, quæ eſſe poteſt de euitando iniquo miniſtro in huiuſmodi opere, prout in noſtra ſecunda concluſione probabitur: Ità Suar. to. 3. de Sacr. d. 18. ſect. 1. §. tertio eſt obſeruandum. *Suar.*

15 *2. Concluſio. A quocumq; tolerato, ab Eccleſia licitè ſacramenta recipere.* Secunda concluſio: A quocumque *miniſtro ab Eccleſia tolerato, qui validè poſſit ſacramentum efficere, quãuis ex propria ipſius malitia concipiatur illud eſſe adminiſtrandum extra gratiam: licitum eſt petere, & recipere ſacramenta ſiuè ille talis miniſter ſit ad hoc expoſitus, ſiuè non, ſiuè teneatur ex officio, ſiuè non teneatur, ſiuè ſit publicus peccator, ſiuè ſecretus, ſiuè adſit neceſſitas, ſiuè non:* Et ratio huius eſt, quia ille rem bonam petit, & petit ab eo, qui licitè poteſt dare; ſi autem peccat ex propria malitia, imputetur ſibi: non enim ipſum inducimus ad peccandum, ſed ipſius peccatum permittimus ex iuſta cauſa.

16 *Probatur concluſio. Nicol. Pap. Lucius Pap.* Et hoc eſt, quod dixit Nicolaus Papa in Can. ſciſcitantibus 15. q. 8. vbi ait: *Intrepidè ſumere poſſumus ſacramenta à Sacerdote iniquo: quia mali ſacramenta miniſtrantes ſe tantummodò lædunt:* & Lucius Papa III. in c. veſtra de cohabit. cler. & mulier. dicit: *Sine dubitatione à Clericis, & Presbyteris iniquis quantũcumque fornicarijs, quamdiu ab Eccleſia tolerantur licitè diuina audiantur myſteria, & alia recipiantur ſacramenta:* Ità Diuus Tho. 3. p. q. 64. art. 6. ad ſecundum Caiet. Nugnus, Coninch. ibidem Henriq. c. 23. nu. 1. & c. 30. nu. 1. Valent. to. 4. diſt. 3. q. 5. p. 3. Tolet. lib. 1. c. 83. Bonac. de Sacr. in gen. diſt. 1. q. 6. p. 5. num. 1. cum alijs. *D. Thom. Caietan. Nugnus. Coninch. Henriquez. Valentia. Tolet. Bonac.*

17 *Reſpondetur tacitæ obiectioni aliquorũ Canonũ. Concil. Conſtan. & Baſilienſ.* Et quamuis in cap. Nullus, & C. Capellanus diſt. 32. prohiberentur fideles, ne à Sacerdote publico concubinario Sacramenta reciperent: Hoc erat, quia in iure antiquo concubinarij publici erant excommunicati, & prohibiti; Nunc autem poſt Conſtitut. illam Concilij Conſtant. & Baſil. ſupra citatam ſublata eſt talis prohibitio, & ſolum ad nominatim excommunicatos, & clericorum percuſſores publicos moderata eſt.

18 *Probatur cõcluſio primo. D. Thom.* Probatur autem ratione noſtra concluſio ex eo, quod docuit Angelicus D. 2. 2. q. 3. de ſcandalo. *Quando. n.* (inquit) *aliquis ſuo opere aliquem inducit ad peccandum, non ſemper peccat, ſed ſolum quando opus, quod facit eſt in ſe ipſe malum:* Secundò quando is, qui occaſionem peccandi ſumit ex illo opere, peccat ex infirmitate, vel ex ignorantia, ſed non ex propria malitia: quandò autem is, qui petit habet aliquam neceſſitatem petendi, vel vtilitatem ſpiritualem: e. g. petit aliquis abſolutionem ſacramentalem à miniſtro, quem moraliter nouit illud ſacramentum eſſe adminiſtraturum extra gratiam ex propria malitia, petens nõ peccat, quia rem bonam petit, & petit ab eo, qui poteſt illam concedere ſine peccato, ſi velit. Secundo quia petit ex neceſſitate, vel propria vtilitate, quia ſcit ex illa confeſſione, vel alia receptione ſacramenti magnam vtilitatem animæ ſuæ ſe eſſe reportaturum, ergò quãuis propter hanc petitionem miniſter ſacramenti inducatur ad peccandum, talis inductio non dicitur illi petenti peccatum, quia caret circumſtantijs aſſignatis, & ille peccat ex propria malitia, & non eſt ſcandalum actiuum, ſed paſſiuum.

Probatur inſuper, quandò ab aliqua actione miniſtri, quæ habet adiunctam malitiam, ſi talis malitia eſt ſeparabilis ex ſe, & ex ſola prauitate miniſtri adiungitur illi actioni non adeſt prohibitio à tali miniſtro petendi ſacramentum aliquod adminiſtrandum, & ratio huius eſt, quia talis miniſter poteſt concipere actum contritionis, & ſic licitè ſacramentum miniſtrare, ergò qui petit illam actionẽ per ſe non petit aliquod malum, nec aliquod, quod neceſſariò habet malitiam adiunctam, & per conſequens talis petitio per ſe, & ex obiecto ſuo non eſt mala: ſicut mutuum petere ab eo, qui vſuram exacturus eſt, quando neceſſitas, aut vtilitas petentis intercedat nõ eſt peccatum mortale, quia ille peccat ex propria malitia, ideòque petere ſacramenta à miniſtro iniquo talibus concurrentibus circumſtantijs non eſt prohibitum; prout communiter dicunt omnes DD. ſup. cit. 19 *Probatur 2.* *Petere mutuum cum vſura ab vſurario.*

Verum eſt tamen, quod ratione charitatis, quando commodè, & ſine detrimento noſtro poſſumus petere ſacramentum à bono miniſtro, qui in gratia, & ſine peccato ſit adminiſtraturus ſacramentum, non debemus inducere miniſtrum iniquum ad miniſtrandum, ne occaſionem demus alteri Deum offendendi, & hoc ratione charitatis: Si quis autem illum induceret ad miniſtrandum non peccaret mortaliter: prout dicunt Soto in 4. d. 1. q. 5. A. 6. Graff. lib. dec. cap. 16. num. 20. Suarez, & Bonac. cum alijs, locis ſup. cit. 20 *Limitatio cõcluſionis.* *Soto. Graffius. Suar. Bonac.*

Si quæras autem: An qui vult recipere ſacramenta ab aliquo Sacerdote teneatur inquirere, an Sacerdos ſit probus, & an ea ſit adminiſtraturus in peccato? 21 *Dubitatio.*

Reſpondetur negatiuè; non enim huiuſmodi diligentia eſt adhibenda, tum quia non eſt temerè iudicandum de proximo, ſed vnuſquiſque iudicandus eſt bonus, quem non conſtat eſſe malum, & licèt paulò ante quis vidiſſet talem Sacerdotem peccaſſe, hoc tamen non obſtante, poteſt licitè ab eo ſacramentum petere, quia ſperare poteſt, illum non eſſe adminiſtraturum in peccato, cùm breuiſſimè poſſet actum contritionis elicere, ſeque ad ſacramentum dignè miniſtrandum præparare: Ità Vaſq. de Pœnit. 9 q. 3. a. 1. dub. 1. Suar. tom. 3. d. 28. ſect. 1. cum alijs. *Solutio.* *Vaſq. Suar.*

Dubium tandem reſtat explicandum de eo, qui miniſtrat Sacerdoti iniquo in ſacro Altari miniſtrante, vt in Miſſa, vel alijs ſacramentis, quæ in ſtatu peccati mortiferi moraliter nouit illum Sacerdotem, ſiuè Epiſcopum extra gratiam miniſtrare: An licitè poſſit illi aſſiſtere, & inſeruire. 22 *Dubitatio. An Miſſanti in p. m. liceat illi deſeruire.*

Reſpondetur quod, quando huiuſmodi miniſter eſſet publicè nominatim excommunicatus, degradatus, ſiuè ſuſpenſus, vel quia non habet poteſtatem ſimpliciter talia ſacramenta conficere, & miniſtrare: tunc non licebit in tali actione deſeruire, quia peccato illius communicaret, nam tunc talis malitia non eſt ſuperabilis ab illa actione. 23 *Reſolutio.*

Quandò verò non eſt huiuſmodi; ſed ille peccat 24

ex propria malitia, licitum eſt illi aſſiſtere, & miniſtrare, quia opus illud in ſe bonum eſt, & circumſtantia illa malitiæ miniſtri eſt valdè extrinſeca, & remota, cùm ſit ſeparabilis: Ideòque non peccat, qui Sacerdoti iniquo præbet veſtes, aut vaſa ſacra, ad faciendum ſacramentum, ſiuè miniſtrat illi in ſacrificio Miſſæ, vel huiuſmodi: Ità Bonac. de Sac. in Gen. q.6. d.1. p.5. nu.7.

Bonacina.

25 Verum tamen eſt, quod quando quis poterit commodè huiuſmodi miniſtrum deuitare ſine notabili nota, & præcipuè quando peccatum illius eſt publicum, debet ipſum deuitare, vel ratione charitatis, vel ad euitandum ſcandalum: peccatum tamen (per ſe loquendo) non erit Sacerdoti iniquo Miſſam deſeruire, eò quod actio illa in ſe ſit bona, & ſancta: prout benè aduertunt Suarez D. 18. ſect. 1. circa finem: Reginald. lib. 1. num. 104.

Limitatio ratione charitatis.

Suarez. Reginald.

DE PRAECEPTIS, SPECTANTIBVS *ad eos, qui recepturi ſunt Sacramenta.*

CAP. V.

1 PRo complemento huius præſentis materiæ, quæ eſt de doctrina Sacramentorum in communi: Supereſt dicendum de ijs, quæ requiruntur ex parte recipientium, vt Sacramentorum effectum recipiant, & ne ſacramenta ipſa recipiendo, quæ ad ſanctificationem animæ fuerunt inſtituta, ipſi recipientes propter malam ipſorum indiſpoſitionem mortaliter peccent: Quapropter dicimus, quod: Quicumque ſacramentum aliquod vult recipere tenetur ad exhibenda ea omnia, quæ ex parte ipſius neceſſaria ſunt ad valorem, & ſubſtantiam ſacramenti, quorum omiſſio irritum faceret ſacramentum.

2 Vndè primo oportet habere intentionem formalem, ſiuè virtualem, vel ſaltem interpretatiuam recipiendi ſacramentum, alioquin non eſſet ſacramenti ſuſceptio, ſed illuſio, & irritatio ſacramenti, grauiſque, atque iniurioſa Eccleſiæ deceptio. Quapropter tunc non ſolum non reciperet effectum Sacramenti, verum etiam graue ſacrilegium committeret: Nam recipientis voluntas ad ſacramenti valorem omninò eſt neceſſaria; vt ex ſupra dictis patet.

Intentio recipiendi ſacramentum neceſſaria.

3 Secundò neceſſe eſt: Neminem ſuſcipere poſſe ſacramentum, cuius non ſit capax, quare nullum ſacramentum fieret, ſi ſuſciperetur a non baptizato, vel ſi fœmina ſacramentum Ordinis ſuſcipere tentauerit, aut alicuius Religionis profeſſus, vel in ſacris conſtitutus Matrimonium contraheret: Nam in his, & ſimilibus caſibus committeretur ſpeciale peccatum ſacrilegij contrà reuerentiam ſacramento debitam, imò ſaperet hæreſim ſi malitioſè hoc fieret, & malè intelligerent de ſacramentis, & contra huiuſmodi delinquentes poſſent Illuſtriſſimi Inquiſitores procedere.

Capacitas ſubiecti neceſſaria.

4 Tertiò quando recipiens habet aliquem concurſum actiuum ad ſacramentum perficiendum, ex vi huius obligationis, tenetur ità illum exhibere, vt ſacramentum ſit validum: e. g. In ſacramento Pœnitentiæ debet peccata ſua cum dolore, & propoſito non peccandi de cætero integrè confiteri proprio Sacerdoti, in eum iuriſdictionem habenti: In ſacramento Ordinis debet tangere Calicem, vel librum, ſecundum Ordinem ſuſcipiendum: In Matrimonio tenetur non exhibere conſenſum, niſi coram Parocho, & teſtibus, iuxta decretum Concil. Trid. Sacramentum Extremæ Vnctionis recipere non debet tempore ſalutis: & hæc omnia neceſſaria ſunt ad valorem ſacramenti ex parte recipientis, vt ſacramentum validum recipiat.

3. Conditio.

5 Dico ſecundò: Illum, qui ſacramentum aliquod eſt ſuſcepturus teneri etiam eſſe benè diſpoſitum, ita vt effectum ſaltem principalem ipſius ſacramenti recipiat, ac etiam ad eas circumſtantias, quæ vel ex natura rei, vel ex ſpeciali Eccleſiæ præcepto neceſſariæ ſunt ad decentem modum recipiendi ſacramentum: e. g. quod Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiatur à ieiuno, ſaltem poſt mediam noctem: Quod initiandi non ordinentur per ſaltum, ſiuè ante legitimam ætatem, & cætera huiuſmodi, quæ non irritant ſacramentum, ſed contra faciens mortaliter peccat.

Requiritur diſpoſitio ad effectum ſacramenti recipiendum.

Sic etiam dixi, quod ſacramentum recipiens tenetur ità diſpoſitus ad illud accedere, vt ſit capax effectus principalis illius, qui eſt gratia ſanctificans animam, cui effectui obicem ponere ſemper eſt peccatum mortale ſacrilegij, niſi inaduertentia, ſiuè ignorantia inculpabilis eſſet in cauſa, quæ ſemper excuſat à peccato, vt patet ex doctrina D.Tho. 3. p. q. 64. A. 6. & alibi: *Debemus enim ſancta ſacramenta ſanctè pertractare.* 6

Obicem ponere ad effectum gratiæ eſt peccatū.

D. Thom.

Dixi autem (de effectu principali, quæ eſt gratia ſanctificans:) Nam licèt in Sacramentis ſint alij effectus minus principales; iſtis tamen obicem ponere (per ſe loquendo) non eſt peccatum mortale; e. g. Actus deuotionis eſt effectus Euchariſtiæ, qui tamen ponit obicem tali effectui, ſi imptæparatus, ſiuè diſtractus accedat, non peccabit tamen mortaliter, dummodò non accedat cum conſcientia peccati mortiferi, quia tunc impediretur effectus principalis ſacramenti. 7

Effectus minus principales ſacramentorum.

Notandum tamen, quod ad conſequendum effectum principalem ſacramenti, qui eſt gratia, iuſtificans, non eſt eadem ratio in omnibus ſacramentis: Nam in aliquibus ſufficit accedere cum ſufficiente diſpoſitione ad recipiendam gratiam, in alijs autem oportet eſſe in gratia, ſaltem putata. 8

Notandū, nō eadē diſpoſitio requiritā in omnibus ſacramentis.

Vndè ſacramenta nouæ legis in duplici ſunt differentia: alia enim dicuntur Sacramenta mortuorum, alia viuorum. Sacramenta mortuorum ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, quæ inſtituta ſunt ad recipiendā, vel recuperandam primam gratiam, & in his nō oportet accedere in gratia, non enim ſupponunt effectum, ad quem ſunt ordinata, ſufficit ergò in his ſuſcipiendis diſpoſitio talis, vt non ponatur obex ad gratiam conſequendam. 9

Sacramenta alia viuorū, alia mortuorum.

In alijs verò ſacramentis viuorum, quæ per ſe ordinantur ad gratiam augendam prærequiritur in ſuſcipiente gratia, ſaltem putata mediante contritione perfecta, ſaltem exiſtimata tali, & talis diſpoſitio eſt neceſſaria de præcepto diuino, vt non ponatur obex effectibus talium Sacramentorum: Ità docent communiter omnes Theologi in quarto diſt. 4. & D. Tho. 3. p. q. 76. ar. 3. ad ſecundum & q. 8. art. 4. ad ſecundum, alijque communiter. 10

In ſacramentis viuorum requiritur gratia.

D. Thom.

Hoc autem, quod dixi de contritione intelligendū eſt de ſacramentis illis, quæ in vſu conſiſtunt: Nam in Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, quod dicitur, & eſt Sacramentum permanens propter eius excellentiam, non ſufficit contritio, quando eſt copia confeſſarij, ſed requiritur ſacramentalis confeſſio, & abſolutio, vt diſpoſitio ad illud; quando tamen recepturus Euchariſtiam habet conſcientiam peccati mortiferi: Et hoc ex præcepto Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. vt ſuo loco fuſiùs dicetur, ac etiam de neceſſitate præcepti recipiendi aliquod ſacramentum, & quando obliget, ſuis locis in particulari eſt dicendum: Et iſta de ſacramentis in communi, dicta ſufficiant: De ſingulis autem in particulari in ſequentibus dicetur. 11

Ad Euchariſtiā. requiritur confeſſio in ſuſcipiente.

Conc. Trid.

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS
DE SACRAMENTIS IN SPECIE.
ET DE BAPTISMI SACRAMENTO,
TRACTATVS PRIMVS.

PROOEMIVM.

Dionyſ.

DE noua legis Sacramentis in Genere hucuſque dictum eſt; In poſterum de ſingulis in ſpecie per ſe dicere opus eſt; & primò de Sacramento Baptiſmi, quod ſecundum Dionyſium c. 2. de Eccleſiaſt. Hierarch. eſt Principium, & Ianua Sacramentorum omnium; hoc enim mediante, homo fit capax ad cætera recipienda ſacramenta: eſt enim Baptiſmus ſacramentum regenerationis, per quod renaſcitur homo in vita ſpirituali, & ex filio Adæ fit Filius Dei, non quidem per naturam, ſed per gratiam iuſtificantem; Dedit enim Deus *(ait Ioannes Apoſt. in Euang. cap. 1.)* poteſtatem hominibus filios Dei fieri, qui ex Deo nati ſunt, *per lauacrum regenerationis: Cum enim mortui eſſemus peccato conuiuificamur in Chriſto: Et ipſemet Dominus apud Ioan. cap. 3. dixit;* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire Regnum Dei. *Cum ergò ſacramentum hoc ſit maximæ neceſſitatis, ianuaque cæterorum ſacramentorum, per quod omnis iuſtitia incipit, ideò rationabiliter, & meritò de ipſo primum omniū dicendū venit.*

Ioann. cap. 1.

Ioann. cap. 3.

Diuiſio tractatus.

Agemus itaque de ipſo Baptiſmi Sacramento in duobus tractatibus, in quorum primo conſiderabimus eius nomen, quidditatem, & inſtitutionem, parteſque eſſentiales eiuſdem ſacramenti intrinſecas, quæ ſunt materia, & forma: In ſecundo autem de cauſa efficienti, & finali, ideſt de miniſtris, & ſuſcipientibus, ac de præparatorijs ad ipſum ſacramentum recipiendum, ea quæ neceſſaria ſunt ad propoſitum noſtrum explicabimus.

QVID, ET QVOTVPLEX Sit Baptiſmus.

CAP. I.

1 Polynomum eſt Baptiſm°. 1. dicitur Illuminatio. Ad Hebræos c. 10.

NOminibus plurimis, ac varijs, à ſanctis Patribus Baptiſmi Sacramentum eſt appellatum. Primò enim à Clemente Alexandrino lib. Pedag. capit. 7. & à Greg. Naz. Orat. 40. de Baptiſmo appellatur *Illuminatio*, eò quod per illud infunditur habitus fidei, illuminantis animam: Vnde Apoſt. ad Hebr. c. 10. dicebat; *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati eſtis*, & c. 6. dicit; *Impoſſibile eſt eos, qui ſunt ſemel illuminati, i.* Baptizati: Vndè idem Alexandrinus dixit: *Tincti illuminamur, illuminati in filios Dei adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur:* concordant cum eis Chryſoſt. Gregorius Niſſenus, Baſilius, cum alijs Doctoribus Græcis: Βαπτισμα enim apud Græcos illuminatio eſt apud Latinos: concordat etiam Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſt. Hierarch.

Clemens Alexand. Chryſoſt. Greg Niſſen. Baſilius. Dionyſius.

2 Damaſcenus. 2. Regeneratio. Petr. Apoſt.

Secundò à Damaſceno lib. 4. de Fide, c. 10. Baptiſmi ſacramentum appellatur *Regeneratio*, eò quod illo mediante regeneratur homo in ſpiritualem vitam, & fit filius Dei: Quapropter Petrus Apoſt. epiſt. 1. dixit: *Regenerauit nos Deus in ſpem viuam per Reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis*, mediante lauacro regenerationis.

3 3. Signaculū Fidei. D. Thom. Tertul.

Tertiò ab eodem appellatur, *Signaculum Fidei*, ſeù (vt dicunt D. Tho. & Tertul. lib. de Baptiſmo, & alij:) *Sigillum Fidei* (idem enim eſt.) Nam charactere, quaſi quodam ſignaculo anima ſignatur, & fit in ea prima, & ſolemnis fidei confeſſio, & profeſſio.

4 4 Ianua, & principiū ſacramentorū.

Quartò communiter à ſanctis Patribus, & Theologis appellatur: *Ianua, & principium omnium Sacramentorum*; quia per illud homo fit capax ad cætera Sacramenta recipienda: His itaque alijſque nominibus baptiſmi Sacramentum ex effectibus ipſius à ſanctis Patribus appellari ſolet, de quibus effectibus ſuo loco dicturi ſumus.

Quintò tandem, & communiter ab Eccleſia appellatur Baptiſmus, ſiuè Baptiſmum, vel Baptiſma Βαπτισμα enim Græcè propriè immerſionem ſignificat, idque ad Chriſti repræſentandam ſepulturam, iuxta illud Apoſtoli ad Corint. 2. *Conſepulti ei per Baptiſmum.* Ità Bellarm. lib. 1. de Baptiſmo c. 1. tom. 3. Syl. ver. Bap. 1. num. 1. à Latinis autem appellatur *Baptiſmus*, à verbo Baptizo, quod eſt immergo, vel ſecundum aliquos à Bapte, quod eſt flumen, vel aqua, & ſecundum D. Tho. Baptizare apud Græcos idem eſt, quod lauare: & ſic Baptiſmus dicitur, vel ipſa aqua, qua fit lotio, quæ dicitur lauacrum, vel ipſa lotio, quæ eſt vſus lauacri, & ſic propriè ſumitur Baptiſmus: Ità Syl. loc. cit.

5 5. Baptiſmus communiter dicitur. Ad Corinth. cap. 2. Bellarm. Syluest. Etymologia Baptiſmi. D. Thom.

Syluester.

6 Baptiſmus triplex Fluminis, Flaminis, & ſanguinis. Damaſcen. Auguſt. Can. Baptiſmi vicem.

Transfertur autem per ſimilitudinem ad quædam alia: Vndè fit quod triplex ſit Baptiſmus ſecundum Damaſcenum, & Auguſtinum lib. 4. de vnico Bap. & Canon. Baptiſmi vicem de conſecr. d. 4. Fluminis, Flaminis, & Sanguinis: Nam triplici hoc modo acquiri poteſt prima gratia: & quamuis hoc verum ſit, & communiter à Theologis admittatur hæc triplex diuiſio Baptiſmi; ſolus tamen Baptiſmus Fluminis, ideſt, Aquę habet veram rationem Sacramenti, de quo hic loquimur; de alijs verò duobus in ſequenti capitulo, quæ neceſſaria ſunt dicemus.

Baptiſmus aquæ ſolū eſt ſacramentū.

7 Deſcriptio ſacramenti Baptiſmi.

Baptiſmus ergò Fluminis, qui eſt Aquæ, eſt ille qui fit per ablutionem corporis cum debitis verbis à miniſtro prolatis; Et hoc propriè dicitur ſacramentum Baptiſmi intranſitiuè, non tranſitiuè, non enim ſignificat tranſitum, vel efficientiam aliquam; vt cùm dicimus: Domus Franciſci, ſiuè calor ſolis, tunc enim ſignificatur calor, qui factus eſt à ſole; & cùm dicimus ſacramentum Baptiſmi ly Baptiſmi, ſe habet intranſitiuè, ideſt, ſpecificatiuè, & facit hunc ſenſum, *Sacramentum quod eſt Baptiſmus*, ſicut cū dicimus:

Propoſitio tranſitiua, & intranſitiua, quid ſit.

Creatura ſalis, non intelligimus creaturam, quæ facta eſt à ſale, ſed creaturam ipſam, quæ eſt ſal. Ità de Baptiſmo.

8 Definitur autem à Magiſtro ſent. in 4. d. 3. tali pacto videlicet: *Baptiſmus eſt ablutio corporis exterius facta ſub praſcripta verborum forma*; quam definitionem ſequũtur vterque Thom. 3. p. q. 66. artic. 1. & alij Theologi in 4. D. 4. & hanc definitionem optimam eſſe dicunt.

Definitio baptiſmi à Magiſtr. ſent. D. Thom. Caietan.

9 Scoto tamen non placet, non enim ait ſubtilis Doctor definitio iſta Magiſtri eſt quiditatiua, & totalis, explicans definitum per eſſentialia, adeò vt ad conuertentiam de ipſo definito prædicari poſſit: Nõ enim omnis ablutio corporis cum verbis præſcriptis facta, eſt ſacramentum; nam deficit ipſa ſignificatio ſigni, quæ eſt eſſentialis in ſacramento, ac multa alia deſiderantur ad ipſum ſacramentum Baptiſmi conſtituendum, vt intentio miniſtri, & recipientis.

Impugnatur à Scoto.

10 Deindè definitio iſta Magiſtri non eſt formalis; non enim data eſt per formam ſacramenti, nam dictum eſt ſupra cap. 4. tract. 1. de Sacr. in gen. *Formam Sacramenti in ratione compoſiti eſſe illam relationem ſigni, reſultantem ex fundamento, & termino, efficaciter ſignificantem inuiſibilem gratiam*, de qua nulla fit mentio in definitione magiſtri, ſed ſolum de fundamento, non ergò eſt definitio formalis, conſtans ex materia, & forma: Nec eſſentialis Metaphyſica, conſtans ex genere, & differentia, ſiuè ex actu, & potentia, ſed tantum fundamentalis, imò potiùs videtur eſſe ſimpliciter deſcriptiua.

Argumentũ Scoti contra definitionem Magiſtri.

11 Quàpropter ipſe Doctor ſubtilis in 4. lib. ſent. D. 3. clariùs, ac diſtinctiùs ipſum Baptiſmi Sacramentum definiuit, dicens: *Baptiſmus eſt ablutio hominis, aliqualiter conſentientis, facta ab alio in aqua, ſimul verba cum intentione debita proferente, ſignificans efficaciter ex diuina inſtitutione ablutionem animæ à peccato.*

Definitio Baptiſmi aſſignata à Scoto.

12 Hæc (inquam) definitio clarior eſt, omniaque, quæ ad Baptiſmi ſacramentum conſtituendum neceſſaria ſunt complectens, declaratque ipſam ſacramenti formam ſpecificam, reſultantem ex fundamento, quod eſt aqua abluens cum debitis verbis à miniſtro ritè prolatis: Additurque qualitas ſubiecti recipientis, & aliqualiter conſentientis tanquam quid prærequiſitum ad valorem ſacramenti, forma autem relatiua reſultans, eſt illa ſignificatio efficax ex impoſitione diuina: Additurque tandem: (ablutio animæ à peccato) tanquam terminus ad quem refertur relatio: Quàpropter exiſtimo definitionem iſtam Scoti eſſe optimam, & quiditatiuam.

Declaratur definitio Sco.

Occurritur tacitæ obiectioni.

13 Quamuis autem videatur aliqualiter longa: hoc nihil eſt: nam definitiones morales longiores ſunt naturalibus, & cùm ſit definitio accidentis in concreto, & accidentis intentionalis: (eſt enim ſacramentum relatio rationis, vt dictum eſt ſupra in tract. 1. de Sacr. in gen. c. 2.) debet definiri per ſubiectum, & terminum, ſicut definiuntur omnes ſecundæ intentiones logicales, & ideò debuit eſſe aliqualiter longior, vt eſſet bona, & totalis.

Definitiones morales debent eſſe aliquantum longiores.

14 At quoniam prædicta definitio ſupponit fundamẽtum Baptiſmi principale eſſe ipſam ablutionem, verba autem, & reliqua requiſita eſſe circunſtantias neceſſarias, determinantes ipſam ablutionem ad conſtituendum vnum Sacramentum, & vnum ſignum integrum, ſecundum opinionem multorum, quam ipſe Scotus probabilem eſſe exiſtimat: Cùm ſit autem alia opinio, etiam probabilis, ſuſtinens, non ſolum ablutionem, ſed etiam ipſa verba ex æquo concurrere ad fundamentum vnum faciendum, tanquam ex materia, & forma partis conſtitutum: Et Scotus circa hoc problematicus eſt; vtramque enim ſententiam ſuſtinet, & ideò ſecundam definitionem pro hac ſecunda ſententia aſſignauit, quæ talis eſt.

Scotus circa fundamentũ Baptiſmi, eſt problematicus.

Secunda definitio, pro ſecunda opinione aſſignata à Scoto.

Baptiſmus eſt ſacramentum ablutionis animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis ſimul ab eodem abluente, debita cum intentione prolatis: Vndè definitio iſta, & præcedens, quantum ad rem in eadem coincidunt: Omnes enim particulæ, quæ ſunt in vna ſunt quoque in altera; vt patet. 15

16 Solùm autem differunt in hoc, quod prior definitio ponit ablutionem ſolum eſſe fundamentum principale, & verba, & reliqua requiſita eſſe circunſtantias, vt dixi: Poſterior verò ponit fundamentum principale eſſe tam ablutionem, quam verba, & ideò aſſerit: In vtraque ex æquo conſiſtere, & non magis in ablutione, tanquam à principaliori, quàm in verbis, & hic modus dicendi illius ſecundæ ſententiæ magis probatur à Scoto, quia (inquit) *Verba non magis videntur eſſe ſimpliciter neceſſaria, niſi eſſent ſignum, vel pars ſigni.*

In quo differt 1. definitio à 2.

Scotus.

17 Imò magis inclinat in hanc ſententiam, eò quia contra ipſam nihil obſtare videatur, niſi quod, ad multiplicationem fundamenti videantur multiplicari Sacramenta; Sed hoc nihil eſt, nam vna relatio rationis poteſt exiſtere, & fundari in pluribus fundamentis realiter diſtinctis: prout dictum eſt ſupra in tractat. primo capite ſecundo, & quarto, exemplum patet de relatione paternitatis, quæ fundatur in patre, & terminatur ad filium, quæ ſunt plura, & diuerſa inter ſe, & tamen relatio, conſurgens eſt vna ſimpliciter.

Vna relatio rationis poteſt reſultare ex diuerſis fundamentis.

Exemplificatur de relatione reali.

18 Concludimus ergò: Ambas iſtas definitiones Scoticas: Eſſe perfectiſſimas, & vniuerſales, vnam pro prima opinione, alteram pro ſecunda, ambas probabiles: Vndè quælibet definitio ex his complectitur relationem, & fundamentum, tanquam materiam, & formam, declaratque omnia requiſita ad ipſum ſacramentum Baptiſmi conſtituendum, quę verba ſunt clara, & expoſitione non indigent; declarabuntur tamen ſpecialiter in proprijs locis, agendo de materia, & forma, miniſtro, & ſubiecto.

Concluſio.

19 Si verò quæramus definitionem formalem, conſtantem ex genere, & differentia propria, taliter poteſt definiri, dicendo: *Baptiſmus eſt ſacramentum regenerationis animæ per aquam in verbo vitæ*: Quæ definitio regiſtrata eſt in Catechiſmo Romano Pij Quinti, quam ſequutus eſt Bellarminus, tom. 3. libr. 1. capitul. 1. de Baptiſmo, eamque doctiſſimè explicauit. Vndè dicitur primò (*Sacramentum*) quod eſt genus proximum, deindè additur (*Regenerationis animæ*) quæ eſt propria differentia eſſentialis, contrahens ipſum genus, & diſtinguens à cœteris ſacramentis, tam veteris, quàm etiam nouæ legis: Nam Baptiſmus cùm ſit Sacramentum, eſt ſpecies ſacramenti, ideò genus eius eſt ſacramentum, quod eſt ſecunda intentio. Regeneratio eſt differentia, contrahens ſignum gratiæ in cõmuni ad hoc ſignum ſpeciale gratiæ ſcilicet regenerationis animæ.

Definitio breuis Pij V. de Baptiſ.

Cathechiſm. Roman. Bellarmin.

Declaratur iſta definitio.

20 Additur etiam (*per aquam*) quæ eſt alia differentia adhuc magis contrahens & diſtinguens ab alijs Sacramentis nouæ legis: Nam & ſi cætera ſacramenta non dicuntur propriè regenerare, tamen iuſtificant impiũ, & præſertim Pœnitentia, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium, & quodammodò poteſt dici regeneratio, quatenus prima gratia amiſſa reparatur: non tamen reconciliatio Pęnitentium propriè dici poteſt regeneratio per aquam, ſed reformatio quædam, & quaſi reuocatio ab inferis.

Pœnitentia poteſt dici etiam regeneratio.

21 Quàpropter à Catechiſmo Romano addita fuit illa particula (per aquam:) Additurque tandem in verbo vitæ, vt exprimeretur etiam alia pars fundamenti,

Per aquam in verbo vitæ.

ti, quæ habet rationem formæ, reſpectu ipſius fundamenti, in quo fundatur ſacramentum, quod eſt ens rationis, vt dixi: cùm enim verba ſint ſpiritualiora re materiali, habent rationem formæ, determinantis reſpectu ipſius rei determinabilis; prout benè docuit Doctor ſubtilis in 4. D. 3. qu. 2. & hæc de definitione Baptiſmi ſufficiant.

Verba in ſacramentis habent rationem formæ. Scotus.

22 Notandum tandem, quod in Baptiſmo, ſicut, & in cæteris Sacramentis conſideranda ſunt illa tria, quæ diximus, loquendo de effectibus ſacramentorum in genere tract. 1. cap. 5. ſacramentum tantum: Res tãtum; & res ſimul, & ſacramentum; (*Sacramentum tãtum*) eſt ſignum illud exterius, ſignificans effectum gratiæ inuiſibilis; in hoc enim conſiſtit propria ratio Sacramenti: Quapropter in Baptiſmo eſt ipſa ablutio, ſiuè aqua applicata, & determinata per verba miniſtri ad ſignificandam animæ ablutionem. (*Res tantum*) eſt gratia ipſa iuſtificans, quæ infunditur animæ per regenerationis Sacramentum, quæ ſignificatur, & non ſignificat. (*Res tandem ſimul, & Sacramentum*) eſt character indelebilis, qui imprimitur in animam, quandò baptizatur, quòd ſignificat, & ſignificatur, de quo pleniùs dicendum eſt infrà.

Tria conſiderantur in Baptiſmo. Sacramentũ tantum. Res Sacramenti. Res ſimul, & ſacramentũ.

DE BAPTISMO FLAMINIS, Et Sanguinis.

CAP. II.

1 QVoniam in præcedenti Capitulo facta eſt mentio de triplici illa vulgata Baptiſmi diſtinctione Fluminis, Vid. Flaminis, & Sanguinis, quamuis hæc duo poſteriora non habeant propriam rationem Sacramenti, ſed ſolummodò, denominatiuè, ità à Theologis denominari ſolent per quandam ſimilitudinem, & analogiam ad Sacramentum Baptiſmi aquæ: nam ſicut per hoc acquiritur prima gratia per peccatum originale amiſſa, & totalis remiſſio pœnæ originalis, Ità per Martyrium, & contritionem perfectã in mortis articulo, quando tamen Baptiſmus Aquæ realiter accipi non poſſet, tunc in adultis ſupplere poteſt actus contritionis perfectæ cum voto recipiendi Sacramentum, quandò eſſet commoditas, & talis appellatur Baptiſmus Flaminis, ideſt Spiritus Sancti: ſimiliter etiam, Martyrium pro Chriſto ſuſceptum appellatur Baptiſmus ſanguinis.

Baptiſmus triplex. Aquæ, flaminis, & ſanguinis. Quare duo poſteriora appellantur Baptiſmata.

2 Rationabiliter autem iſta duo poſteriora à Theologis Baptiſmata ſunt appellata; Nam quantum ſpectat ad nomen; Chriſtus Dominus paſſionem ſuam, quæ martyrium quoddam fuit appellauit Baptiſmũ; Marc. 10. *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum, & Baptiſmo, quo ego baptizor baptizari:* Et de Baptiſmo Pœnitentiæ ſcriptum eſt in libr. Iſa Proph. cap. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiorum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius in Spiritu Iudicij, & Spiritu ardoris;* quæ eſt contritio, appellat Ablutionem, & conſequenter Baptiſmum. Iure ergò appellantur Baptiſmata, quia in ſacra ſcriptura Martyrium, & Pœnitentia his nominibus appellantur, vel ſaltem inſinuantur.

Aſſignatur ratio iſtius denominationis. Marc. c. 10. Iſa. c. 4.

3 Baptiſmus ergò Flaminis, à multis Theologis appellatur ipſa infuſio gratiæ, gratum facientis, quæ quia iuſtificat hominem appellatur Baptiſmus Spiritus ſancti, iuxta illud, quod dixit Dominus Apoſtolis ſuis. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*, Act. cap. 1. Vndè quicumque habent gratiam iuſtificantem, mediãte qua mundantur à macula peccati originalis, ſiuè ſint paruuli, ſiuè adulti, dicuntur baptizati Baptiſmo Flaminis, ideſt Spiritus ſancti. Ità D. Bona. in 4. D. 4. part. 2. diſt. 1. A. 1. qu. 2. Scotus quæſt. 4. Imò dicunt communiter Theologi; Ieremiam, & Ioannem Baptiſtam baptizatos fuiſſe in maternis Baptiſmo Flaminis, quia ſanctificati fuerunt, exiſtentes in matris vtero.

Baptiſmus Flam. quid ſit. Act. c. 1. D. Bona. Scotus. Ieremias, & Io. Baptiſta ſanctificati in vtero matris.

4 Ex quo patet; Paruulos etiam in maternis poſſe baptizari Baptiſmo Flaminis mediante gratia iuſtificante, ſed hoc ex ſpeciali auxilio, & conceſſione, facta ab ipſo Deo, ſicut conceſſum fuit Ieremiæ & Ioanni Baptiſtæ, qui in vtero matris ſanctificati fuerunt, prout ſcriptura expreſsè teſtatur, & omnes Theologi communiter fatentur.

Paruulus quomodò in maternis vtero ſanctificari poteſt.

5 In adultis autem Baptiſmus Flaminis eſt vera, & perfecta contritio, iuſtificans hominem contritum, non habentem commoditatem ſuſcipiendi realiter lauacrum Sacramenti Baptiſmi, habentem volũtatem, & deſiderium recipiendi, ſi eſſet commoditas, & per tempus liceret; Vndè ſi talis cum tali voto, & deſiderio moriatur contritus, ſaluabitur nõ propter Sacramentum fidei, quòd realiter non acceperat, ſed propter fidem Sacramenti, & diceretur Baptizatus Baptiſmo Flaminis; vt habetur in cano. Baptiſmi vice. de conſ. D. 4. ex doctrina D. Auguſt. & D. Ambr. Orat. de obitu Valentis iunioris, qui cum voto huius Sacramenti obierat: dixit D. Ambroſ. *Quem ego regeneraturus eram amiſi, ſed ille gratiam, quam ſperauerat non amiſit.*

In adultis requiritur vera contritio cũ voto ſacramenti. D. Ambroſ. D. Auguſt.

6 Verum eſt tamẽ, quod iſta infuſio gratiæ, mediante contritione, non habet propriam rationem Sacramẽti, nec per eam imprimitur character indelebilis in anima, ſed tantùm dicitur Baptiſmus metaphoricè, & ratione effectus infuſionis gratię, & dicitur Baptiſmus deuotionis, ſiuè contritionis, quæ non eſt eadem in omnibus, & ideò non ſemper remittit totam pęnam, ſed ſecundùm actum charitatis, & contritionis ſecũdùm magis, & minus, iuxtà illud Euangelij Lucæ c. 7. dicente Domino Mariæ Magdalenæ: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: qui autem minus diligit minus dimittitur.*

Baptiſmus Flaminis non imprimit characterem. Luc. c. 7.

7 Iuſtificantur ergò multi per actum cõtritionis perfectæ, & deuotionis, etiam ante ſuſceptionem Sacramenti Baptiſmi, prout in Act. Apoſt cap. 10 num. 44. legimus quod: *Prædicante Petro Baptiſmum in remiſſionem peccatorum gentibus, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum*, ergò per actum contritionis erant iuſtificati ante ſuſceptionem Sacramenti Baptiſmatis: Quàpropter dixit Petrus: *Quis prohibere poteſt, vt non baptizentur, hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizari in Nomine Domini:* ex quo patet, quod licèt aliquis ante Baptiſmi Sacramentum fuerit iuſtificatus, mediante Baptiſmo Flaminis, nihilominus ſi ſuperuixerit tenebitur baptizari Baptiſmo aquæ, vt recipiat Sacramentum, & Characterem, prout docent Scotus Bellarmin. & Suarez, omneſque Theologi communiter ſupracitati.

Act. Apoſt. c. 10. Petrus Apoſ. Iuſtificati per actum contritionis tenentur baptizari. Scotus. Bellarmin. Suarez.

8 Baptiſmus Sanguinis eſt idem, quod martyrium, quandò Vid. aliquis non volens recipere Sacramentum Baptiſmi per aquam in verbo vitæ, recipit martyrium, & proprio ſanguine baptizatur, ſiuè realiter ſanguinem fundat ſiuè non; ſufficit enim, vt pro Chriſto moriatur, & ſic dicitur martyr. Eſt autem martyrium Paſſio ſeù cruciatus lęthalis, ſuſceptus pro Chriſti fide, aut pro vera virtute.

Baptiſmus ſanguinis, quid ſit. Martyrium, quid ſit.

9 Verſatur autem martyrium circa actum virtutis fortitudinis, & verſatur circa timorem, & audaciam; Proprium enim eſt viri fortis cohibere timorem quandò retrahitur ab aliquo opere difficili, & moderare audaciam, quandò nimis temerè, & vbi, & quandò oportet aggredi grauiſſima pericula, præſertim mortis, & hoc propter Chriſti honorem, & fidei Catholicę

Martyrium verſatur circa timorem, & audaciam.

pro-

Digitized by Google

Per martyriũ recipitur plena remiſſio omniũ peccatorum.

profeſſionem, & talis mors dicitur martyrium, & qui ſic moritur ſtatim, & ſine vllo impedimento euolat in Cœlum, etiam ſi antea non fuiſſet Baptiſmo aquæ baptizatus, quia per virtutem martyrij recipit plenariam remiſſionem omnium peccatorum, non ſolùm, quò ad culpam, verùm etiam, quò ad pœnam, & dicitur baptizatus propria morte, & ſanguine.

10 In Baptiſmo ſanguinis nõ imprimitur Character.

Hic tamen aduerte, quod iſte Baptiſmus ſanguinis, non eſt propriè Sacramentum: vndè includere debet votum Sacramenti Baptiſmi Aquæ: Quapropter ſi martyr ſuperuixerit, & reſuſcitabit à mortuis, tenebitur baptizari Baptiſmo Aquæ, vt recipiat Sacramentũ & characterem, qui non imprimitur in Baptiſmo ſanguinis; Ità communiter docent omnes Theologi in 4. ſent. d. 4. Scotus q. 6. D. Th. 3. p. qu. 66. A. 11. Suarez d. 28. Bellarm. lib. 1. de Baptiſmo c. 6. & omnes Summiſtę in Verb. Baptiſmo & Verbo martyrium, & alibi.

Scotus. D. Thom. Suarez. Bellarm. Summiſtæ.

11 1. Inferentia occidens ſe ipſum non eſt martyr.

Hinc ſequitur primò, quod: Qui ſe ipſum interimit, peccat mortaliter, & non eſt martyr, quia facit contra virtutem fortitudinis, eò quod vincitur à timore alicuius mali temporalis: Ità etiam, qui ſine iudicio rectæ rationis temerè ſe ipſum periculis mortis exponit audax eſt, & non fortis: Vndè martyr nullo modo dici poteſt; Docet enim Philoſophus 1. Ethic. cap. 6. *Fortitudinem non verſari circa quæcumque pericula mortis, ſed ſolum circa illa, vbi eſt contrapugnatio.*

Fortitudinis virtus in quo conſiſtat.

12 Ratio huius eſt, quia ſolùm in periculis bellicis oſtenduntur viri fortes, Vndè de martyribus canit Eccleſia; *Eſtote fortes in bello*; &c. In periculis autẽ mortis morbi, Peſtis nulla verſatur contrapugnatio, ideòque qui ſic moritur non poteſt dici Martyr, μάρτυρ enim Græcè idem eſt quod Teſtis, quia confeſſione veræ fidei fidem ab impugnatoribus defendit, illã propria morte teſtificans, & veram eſſe declarans: Ità Syluest. Verb. Bap. 1. n. 1.

Martyrium idē eſt, quod teſtis.

Syluest.

13 2. Inferentia.

Hinc infero 2. quod: Si quis infidelis animo Baptiſmum recipiendi, è ſuis Regionibus diſcedens animo perueniendi ad Chriſtianorum Regiones, & propter tempeſtatem ſubmergeretur, diceretur potiùs baptizatus Baptiſmo Flaminis, quàm ſanguinis, quia in tali morte non eſt virtus fortitudinis cũ contrapugnãtia: Vndè ſi iſte talis non haberet actum contritionis, per quem actum cum voto Sacramenti ſuſcipiendi, non eſſet Baptiſmo Flaminis baptizatus, ideòque non eſſet ſaluus.

14 Obiectio de martyrio paruulorum.

Sed dicet aliquis: Si martyrium eſt actus virtutis, & Baptiſmus ſanguinis debet habere rationem martyrij: Sequeretur, quod Infantes, & qui nõ habent vſum rationis non poſſent ſaluari per ſolum Baptiſmum ſanguinis, cum non poſſint habere actum virtutis voluntarium.

15 Solutio. Armachan. Palud. Alenſis. Infantes in maternis poſſunt eſſe martyres.

Reſpondetur, quod: Licèt aliqui Doctores hoc ſentire videantur, vt Armachanus, & Paludan. & Alenſ. Contraria tamen ſententia, quam omnes alij docent Theologi omninò tenenda eſt, Videl. Infantes, etiam in Ventre matris eſſe capaces martyrij, & Baptiſmo ſanguinis, ſufficit enim eis, quod pro Chriſto moriantur: Et licèt in pueris illud martyrium non ſit actus fortitudinis, cùm non ſit contrapugnantia, nec ex illorum conſenſu, cùm careant vſu rationis, prodeſt tamen illis, quatenus eſt mors externa, inflicta in odium Chriſti, vel Eccleſiæ: Vnde etiam Infantes in maternis Vteris, qui ſimul cum matribus pro Chriſto occiduntur ſunt veri martyres; & Baptiſmo ſanguinis baptizati; Ità D. Thom. 2. 2. qu. 124. A. 2. ad primum. Et Quolib. 6. A. 4. Caiet. ibi Scotus in 4. d. 4. D. Bonauẽ. & Gabr. ibi Bellarm. to. 3. libr. 1. de Baptiſmo, cap. 6. aliiſque communiter.

Mors, inflicta pro Chriſto prodeſt infantibus. D. Thomas. Caiet. Scotus. D. Bonau. Gabriel. Bellarm.

16 Ratio huius eſt, quia martyrium in pueris confert illis gratiam ex opere operato, eò modo, quo conferunt Sacramenta; Martyrium enim hanc efficaciam habet ex Chriſti promiſſione, dicentis: *Qui perdiderit Animam ſuam propter me, & Euangelium ſaluam faciet eam.* Marc. 8. Vndè Sancti Innocentes, qui pro Chriſto occiſi fuerunt veri Martyres fuerunt, & ab Eccleſia Spiritu Sancto afflata, ità exiſtimantur.

Martyrium habet effectũ ex opere operato. Marc. c. 8.

17 Differentia inter martyrium in adultis, & Infantibus.

Ex quo patet, quod Baptiſmus ſanguinis applicatur tam paruulis, quàm Adultis, diuerſo tamen modo: In pueris enim martyrium nullam requirit diſpoſitionem, nec bonum modum, nec actum virtutis: Sufficit enim eis, vt pro Chriſto occidantur, vel propter iuſtitiam. In Adultis autem in martyrio requiritur actus virtutis, & contritio, vel ſaltem attritio peccatorum, quando actualis haberi non poſſit propter pęnarum acerbitatem, in qua martyr amittit ſenſum, & aliquo modo vſum rationis: Ità docet Scotus in 4. d. 6. q. 6. cum alijs ſuprà citatis.

Scotus.

18 Reſp. tacitę obiectioni. 1. Corin. c. 13.

Et licèt martyrium ſine charitate nihil profit, prout dixit Apoſtolus. 1. Corinth. cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt:* hoc nihil obſtat, quia cùm aliquis pro Chriſto moritur volũtariè, facit actum perfectionis, & perfectiſſimæ charitatis, iuxtà illud Domini Ieſu apud Ioannem cap. 15. Vbi ait: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt Animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Cùm ergò martyr pro Chriſto moriatur, facit actum perfectiſſimæ charitatis: (vt dixi) ſed amor Dei eſt vera contritio, etiam ſi nullam memoriam ſuorum peccatorum habeat; prout docet Nau. in man. c. 1. nu. 5. Secundùm communem ſententiam, quæ eſt Gabr. in 4. d. 14. qu. 1. Concl. 12. & Ioan. Med. C. de Pœnit. q. 2. Soto, lib. 1. de Nat. & Gra. c. 18. Suarez, & Bellarm. aliorumque ſupra citatorum.

Ioan. c. 15.

Amor Dei eſt vera contritio. Nauar. Gabriel. Io. Medina. Soto. Suarez. Bellarm.

19 Limitatio. Amor Dei includit peccatum.

Hoc tamen intellige, quandò defectus temporis, aut inculpata conſideratio fuit in cauſa, quominus Martyr formaliter pœniteret; Si enim alicuius peccati mortalis memoriam habeat, tenebitur illud deteſtari, alioquin Deum non amaret: non enim amor Dei ſtat cum voluntate peccati.

20 Obiectio.

Sed dicet aliquis: Si quis peccator rapiatur ad martyrium, qui voluntariè illud recipiat, cõfitendo fidem Chriſti, motus ad hoc principaliter propter Inferni pœnas euitandas, & vitam æternam conſequendam: hic non videtur habere Dei amorem ſupra omnia, ergò non eſt verè contritus, & ſic martyrium nihil illi prodeſt ad ſalutem.

21 Solutio. Bellarm. D. Thom. Io. Maior. Gabriel. Suarez.

Reſpondetur, quod eſt verè martyr, & ſaluatur: Nam per martyriũ ſemper confertur gratia ipſi martyri, non ponenti obicem, & ex attrito fit contritus ex opere operato; prout benè probat Bellar. d. to. 3. c. 6. lib. 1. de Bap. ſequens D. Tho. in 4. D. 4. q. 3. ad 3. Io. Maior. & Gabrielem. concordat etiam Suarez tom. 3. D. 28. cum alijs ſuprà citatis.

22 Ad martyriũ ſufficit attritio.

Ratio autem huius eſt, quia ad martyrium non ſemper neceſſaria eſt contritio perfecta, cùm ſufficiat attritio, excludens omne actuale peccatum, & affectum peccati: aliter enim non diſtingueretur Baptiſmus ſanguinis, à Flaminis, ſi eſſet neceſſaria perfecta contritio, etiam in martyribus, ſed vterque eſſet Baptiſmus Flaminis, cùm vterque conſiſteret in interna contritione, & motione animi in Deum, quod non eſt dicendum, cùm oppoſitum verùm ſit, ergo martyriũ ex opere operato confert gratiam, & facit ex attrito contritum, ſupplendo vicem Baptiſmi Aquæ: maximè hoc intellige, ſi bona fides intercedat, vel inaduertentia ſit in cauſa.

23 Præceptum confeſſionis obligat in articulo mortis.

Quandò enim aliquis baptizatus habet conſcientiã alicuius peccati mortiferi commiſſi, & habet commoditatem Sacramentaliter confitendi, tenetur ante martyrium confeſſionem Sacramentalem præmittere;

rę;

re, tum quia non eſt certus de ſua contritione, tum etiam quia in articulo mortis tenetur quis ad præceptum confeſſionis; Sic etiam dicimus ſi non baptizatus habet tempus recipiendi Sacramentum Baptiſmi ante martyrium, tenebitur illud recipere: Ratio huius eſt, quia hæc duo Sacramenta, inſtante periculo mortis ſemper obligant, quandò eſt commoditas illa recipiendi pro opportunitate temporis.

24 Concluſio. Martyrium confert gratiam, & augmentum eius ex opere operato.

Concludimus ergò, ſecundum ſententiam Bellarm. & aliorum ſupra cit. Per martyrium ſemper conferri aliquam gratiam, gratum facientem, & eius augmentum vltrà id, quod correſponder merito patientis, imò ex opere operato ex promiſſione diuina confertur prima gratia; ità vt ſi quis ad martyrium accedat adhuc in peccatis exiſtens, ſine affectu, tamen ad aliquod peccatum, & cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia ſaltem imperfecta, qualis requiritur etiam ante Sacramentum Baptiſmi in Adultis: in virtute martyrij ex opere operato iuſtificabitur. Quapropter ait D. Auguſt. libr. 13. de Ciuit. Dei capit. 7. *Quicumque etiam nõ percepto Regenerationis lauacro pro Christi confeſſione moriantur tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis.*

D. Auguſt.

25 Martyrium quo ad meritum excedit Baptiſmum. D. Auguſt.

Et quamuis martyrium in ſe Sacramentum non ſit, nec imprimat characterem (vt dixi,) tamen ſi cum debitis circumſtantijs recipiatur præſtantius eſſe, quò ad meritum, ipſo Baptiſmo Aquæ affirmare non dubito, ſecundùm illud eiuſdem D. Auguſt. quod refertur in cano. Catechiſmum de conſecr. d. 4. dicentis: *BaptiZatus confitetur fidem ſuam coram Sacerdote, martyr verò coram Tyranno: ille poſt confeſſionem ſuam coram Sacerdote aſpergitur aqua, Hic autem ſanguine proprio in ſanguine Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi dealbatur: Vndè in Cœlo aureola coronatur*: Et hæc de martyrio, & contritione, quatenus habent rationem Baptiſmi ſufficiant.

DE INSTITVTIONE SACRAMENTI Baptiſmi.

CAP. III.

1 Baptiſmi Sacramentum quando Inſtitutũ fuit.

CIrca Sacramenti Baptiſmi inſtitutionem dicimus breuiter, ſecundùm communem ſententiam Theologorum: Factam fuiſſe ab ipſo Chriſto Domino ante ſuam Paſſionem, non quidem antequam eſſet baptizatus, ſed quandò, aut poſt quam à Ioanne in Iordane baptizari voluit: tunc enim, vt ait D. Auguſt. ſerm. Domini infr. Octauam Epiphaniæ, *Aſſignauit materiam, aquas tactu ſua mundiſſima carnis ſanctificans, formam determinauit, non verbo, ſed apparitione Sanctiſſimæ Trinitatis, quia tunc vox Patris intonuit: Hic eſt filius meus dilectus: Filius ipſe baptizatus eſt: & Spiritus Sanctus in columba ſpecie viſus eſt.* Matth. ca. 3. nu. 16. Marc. 1. num. 9. Luc. 2. num. 21. & Ioan. 1. nu. 22. effectum tandem Baptiſmi tunc declarauit, quia ſtatim aperti ſunt Cæli ad recipiendos baptizatos: Et ſic tunc credi poteſt Baptiſmum inſtitutum fuiſſe.

D. Auguſt.

Matth. c. 3. Marc. c. 1. Luc. c. 3. Ioan. c. 1.

2 Obiectio.

Sed contrà hanc noſtram aſſertionem forſitan obijcere poſſet aliquis, dicendo: Chriſtum tunc non inſtituiſſe Sacramentum, ſed tantùm deſignaſſe: Nam ad Sacramenti inſtitutionem neceſſaria erat expreſſa intentio Chriſti inſtituentis, & formæ expreſſæ declaratio, quod tunc non feciſſe legitur, ergo non benè concluditur: Tunc Sacramentum Baptiſmi fuiſſe inſtitutum.

3 Solutio.

Reſpondetur: Hanc ſententiam, aſſerentem: Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum Baptiſmi, quandò ipſe baptizatus fuit, non ità ſtrictè eſſe intelligendã, quoad diem, & horam determinatam, ſed hora illa, vt dixi, materiam, & formam indicauit, & paulò poſt tempore opportuno, vel verbis, vel facto, vel vtroque ſimul credi poteſt hanc inſtitutionem Chriſtum feciſſe.

4 Ioan. c. 3. Quo tempore determinato inſtitutum eſt.

Nam, ſicut dicit Ioann. c. 3. nu. 20. quod antequam miſſus eſſet Ioannes in carcerem: *Venit Ieſus cum diſcipulis ſuis in Iudæam terram, & baptizabat*: Non enim credi poteſt; ipſum Dominum baptizaſſe Baptiſmo Ioannis, ſed in ſuo Sancto Baptiſmate, ſicut dixerat Io. Baptiſta de illo, quod Vid. *Dominus baptiZaret in Spiritu Sancto, & igne*: ergò tunc inſtitutum erat Sacramentum: Quapropter ipſemet Dominus dixit poſteà Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intraire Regnum Dei.*

Quomodò Chriſtus Dominus baptizabat.

5 Intẽtio Chriſti inſtituentis Baptiſmũ.

Et fortaſſe ab ipſa hora ſui Baptiſmi, habuit Chriſtus Dominus voluntatem, vt ex tunc Sacramentum Baptiſmi haberet effectum, quamuis illam hominibus non ſtatim declaraſſet: Vndè hoc incertum eſt, vt ait Suarez tom. 3. de Sacr. D. 19. ſect. 2. cùm vſque adhuc reuelatum non ſit, quò ad diem, & horam.

Suarez.

6 B. Virgo baptizata fuit à Chriſto Domino. Henriq. Graffius.

Certiſſimum tamen eſt, indubitanterque credere debemus, quamuis neque de hoc ſcriptura habeatur: Beatiſſimam Virginem, & Apoſtolos ante paſſionem ſuam Chriſtum baptizaſſe: Nam prout docet Henriquez in ſumm. lib. 2. c. 5. num. 2. de Baptiſmo, & Graff. 2. p. deciſ. lib. 1. c. 4. num. 40. & alij communiter, dicentes, quod, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignatus eſt per ſeipſum ante paſſionem ſuam Beatam Virginem, & Petrum baptiZare: deindè verò Petrus baptiZauit Andream, ac cæteros Apoſtolos*: Non enim credibile eſt Chriſtum Apoſtolis, non adhuc baptizatis dediſſe Euchariſtiam, & in nocte cœnæ Sacerdotes conſecraſſe; imò D. Auguſt. libr. 3. c. 9. de Anima, & eius origine, & refertur in can. Eos, & can. Quando ab Hieroſolymis de Conſecrat. d. 4. dicit: Credibile eſt quod quandò Apoſtoli baptizabant, prout habetur in Euangelio Ioan. 3. baptizati iam erant Baptiſmo Chriſti, & ideò in nocte cœnæ dixit Dominus Petro: *Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis.*

Apoſtoli baptizati fuerunt ante Cœnam Domini.
D. Auguſt. Can. Eos. Can. quando.
Io. in Euang. c. 3.

7 Riccar ius. Scotus, & Suarez.

Ex quo intelligimus Petrum & Apoſtolos baptizatos eſſe Baptiſmo Chriſti ante paſſionem ipſius Chriſti: Concordat Riccard. in 4. d. 3. A. 5. q. 1. dicens: Baptiſmum fuiſſe iam inſtitutum, quandò Apoſtoli baptizare cœperunt: Ità etiam Scotus in 4. d. 5. q. 4 & alij Patres, quos refert, & citat Suarez to. 3. de Sacr. d. 19. ſect. 1. & alibi.

8 Inſtantia 1. 2. Inſtantia.

Nec obſtat dicere, quod Sacramenta nouæ legis habuerunt efficaciam à Chriſti paſſione, ergò non potuit hoc Sacramẽtum eſſe inſtitutum ante mortem Chriſti, quia tũc eſſet ſine ſuo effectu principali, quod non eſt dicendum: deindè poſt Reſurrectionem ſuam Chriſtus Dominus deſignauit formam Baptiſmi dicens: *Baptizate omnes gentes in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergò tunc inſtituit ſacramentum, & non anteà.

9 Solutio primæ inſtantiæ.

Reſpondetur ad primam inſtantiam, quod ſufficere poterat paſſio Chriſti præuiſa, tum maximè, quia iam erat tunc inchoata: Nam tota Chriſti vita fuit quaſi continuum ſacrificium infiniti meriti; & quamuis ianuæ cœli credentibus nondum patefactæ fuerant, hoc non erat, quia Baptiſmus tunc erat minoris efficaciæ, quàm modo habet, ſed hoc proueniebat aliundè: nec procedebat ex parte Sacramenti, ſed quia Dominus Ieſus nondum perfecerat ſacrificium ſuum, ideòque nondum erat ablatum impedimẽtum totius naturæ ad ingrediendum regnum cœlorum. ſed conferebat gratiam iuſtificantem ex morte Chriſti præuiſa, ideòque non carebat proprio effectu.

Baptiſmus ante paſſionẽ Chriſti conferebat effectum gratiæ ex morte Chriſti præuiſa.

10 Solutio ſecũdæ inſtantiæ.

Reſpondetur ad ſecundam quod: Quando Chriſtus dixit:

Digitized by Google

dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Non ideò id fecit, quia Apoſtoli formam Sacramenti Baptiſmi ignoraſſent: Id enim non eſt credibile, quia de cæteris Sacramentis, iam plenè erant inſtructi in nocte Cœnæ, ſed hoc fecit, vt præceptum Baptiſmi promulgaret ſolenniter, & publicè omnibus proponeret formam neceſſariam ad ſacramentum, tam maximę neceſſitatis, ſine errore perficiendum, quæ oportebat omnibus eſſe notiſſima.

11 Dubitatio de forma, qua Io. Bap. baptizabat. 1. Sententia.

Dubium tandem ſolùm reſtat, pro complemento huius præſentis capituli, de Baptiſmo Ioannis, ſub qua videlicet forma baptizabat in Iordane: In qua difficultate duæ ſunt opiniones, & ambæ ſunt valdè probabiles, & ſolemnes inter catholicos Doctores, quarum prima ſententia exiſtimat: Ioannem Baptiſtam baptizaſſe ſub hac forma. *Ego te baptizo in nomine Chriſti venturi, vel in Nomine Meſſiæ in pœnitentiam.*

12 In quo fundatur. Act. Ap. c. 19.

Fundatur autem illa ſententia in verbis Apoſtoli Pauli, quæ referuntur in Actibus Apoſt. cap. 19. dicentis: *Ioannes baptizabat Baptiſmo pœnitentiæ, dicens populo, qui venturus erat poſt ipſum, vt crederent in eum*: In quibus verbis videtur innuere, Ioannem baptizaſſe ſub illa forma: *Ego te baptizo in nomine Chriſti venturi in pœnitentiam*. Ita exiſtimant D. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. D. Hieronym. in Ioel. c. 2. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacr. p. 6. c. 6. concordant Magiſt. in 4. D. 2. D. Bona. ſup. lit. Magiſt. D. Tho. in 3. p. q. 77. A. 1. Paludan. & Marſilius, cum alijs citatis à Suarez tom. 3. de Sacr. D. 19.

D. Ambr. D. Hieron. Hugo de S. Victore. Magiſter. D. Bonau. D. Thomas. Palud. Marſilius. Suarez.

13 Ioan. ſub qua forma Chriſtum baptizauit.

Imò dicunt; Ioannem non baptizaſſe Chriſtum Dominum in Iordane ſub illa forma communi: *In nomine Chriſti venturi*, eo quia talis forma non fuerat inſtituta, & ordinata ad baptizandum Chriſtum, ſicut cæteros homines communiter, & hoc plenè ſciebat ipſe Ioannes. Dicitur tamen Ieſus baptizatus Baptiſmo Ioannis, eò quia baptizatus fuit ab eo, forma tamen inuenta, ſiuè compoſita ab ipſo Ioanne, licèt inſtinctu Dei: vt vid. *Baptizo te in pœnitentiam*, vel quid ſimile.

14 2. Sententia.

Secunda ſententia exiſtimat: Ioannem Baptiſtam Nulla verborum forma vſum fuiſſe in ſuo Baptiſmo, ſed ſimpliciter abluere baptizandos ad ſignificandum ipſis hominibus, quod egebant interiori ablutione, & remiſſione peccatorum: Quapropter ſcriptura dicit: Ioannem baptizaſſe Baptiſmo pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, & ſic ſignificabat Baptiſmum Chriſti futurum: Vndè dicebat ipſe; *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto*, Matt. c. 3.

Matt. c. 3.

15 Quomodò explicatur verba illa Apoſt. 2. ſententia.

Quapropter dicũt illi Doctores, Verba illa D. Pauli non videri ſignificare: Ioannem baptizaſſe in nomine venturi, ſed tantùm admonuiſſe Populum, vt crederent in Meſſiam venturum: Dicunt ergò illi Doctores: Ioannem baptizaſſe etiam Chriſtum in Iordane ſub ritu, quo cæteros baptizabat: Vndè ridiculum eſſet credere: Ioannem Chriſtum baptizaſſe in nomine venturi, vel ſub aliqua alia forma ab ipſo inuenta: Hãc ſententiam tuentur Soto in 4. D. 2. A. 1. Durand. qu. 3. eadem diſtinctione, & Gabr. ibi q. 3. quam ſententiam valdè probabilem exiſtimat eſſe Bellarm. tom. 3. lib. 1. de Bap. c. 20. & inclinat Suarez d. tom. 3. de ſacr. D. 25. ſect. 1. ſed primam ſententiam non improbat, imò ait eſſe ſatis probabilem.

Doctores iſtius ſententiæ ſunt, Soto. Durandus. Gabriel. Bellarmin. Suarez.

16 Scotus in hoc eſt problematicus.

Scotus autem in hoc eſt problematicus; vtramque enim ſententiam ſuſtinet, magis tamen inclinat cum priori ſententia: Nam non videtur vero ſimile Ioannem ſimpliciter abluere, quos ipſe baptizabat nihil dicendo: ſed quicquid ſit de hoc: Scriptura expreſſa non habetur, ideò vtramque ſententiam ſequi poteſt.

17 Ex quo ſequitur Baptiſmum Ioannis nullo modo fuiſſe Sacramentum, nec propriè, nec impropriè acceptum, ſed tantùm ſacramentale quoddam, diſponens ad Baptiſmum Chriſti; Nõ enim erat inſtitutum per cæremoniam ſacram, ad ſanctificationem animæ ordinatum, cum debita forma à Deo præſcripta; quæ omnia requiruntur ad rationem ſacramenti nouæ legis: ſed ſolùm erat præambulum ad Baptiſmum Chriſti. Ita D. Thom. 3. p. q. 78. A. 1. Scotus in 4. D. 2. qu. 2. Suarez, alijque Theologi ſupra citati, omneſque communiter.

Baptiſmus Io. non erat Sacramentũ, ſed ſacramẽtale quoddã.

D. Thom. Scotus. Suarez.

DE MATERIA SACRAMENTI Baptiſmi.

CAP. IV.

1 Materia, & forma ſacramentorum conſideratur dupliciter. 1. In ratione totius compoſiti.

Diximus ſupra in tract. 1. de Sacr. in gen. c. 2. Materiam, & formam Sacramentorum dupliciter poſſe conſiderari, vel in ratione compoſiti, & totius: vel in ratione partis, ideſt illius fundamenti ſenſibilis. Primo modo materia ſacramenti non eſt aliud, niſi ſignum illud ſenſibile, conſtans ex rebus, & verbis, à miniſtro debita cum intentione prolatis: quod totum dicitur: Fundamentum ſacramenti, ſiuè materia totius, ex quo reſultat relatio illa, efficaciter ſignificans inuiſibilem gratiam iuſtificantem, quæ dicitur forma totius Sacramenti.

2 2. In ratione partis.

Secundò modo conſideratur materia, non in ratione compoſiti, ſed reſpectu ipſius fundamenti, ſiuè illius ſigni ſenſibilis, quod dicitur ſacramentum tantũ, quod ſignificat, & non ſignificatur: Et ſic materia ſacramenti poteſt dici altera pars ipſius fundamenti, ſiuè illius ſigni ſenſibilis, quæ eſt magis determinabilis, & contrahibilis, & ita ſunt res ipſæ materiales; ex quibus conficitur ſignum illud ſenſibile, quæ ſe habent, quaſi materia per quandam ſimilitudinem ad materiam: Verba autem ſe habent tanquam forma: proprium enim eſt materiæ præcedere ſecundùm originem formam, & ab illa determinari: proprium autem formę eſt ſequi, & determinare ſecundum illud D. Auguſt. *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.*

Res materiales ſunt materia partis. Verba ſunt forma partis. D. Auguſt.

3 Hic verò nos loquimur de materia baptiſmi, non primo modo in ratione compoſiti, benè verò ſecundo modo in ratione fundamenti; Vndè quærimus: Quænam ſit materia baptiſmi, ideſt altera pars materialis fundamenti baptiſmi? Quoniam autem in omnibus ſacramentis præcipuè in illis, quæ in vſu conſiſtũt materia reſpectu ipſius fundamenti dupliciter conſideratur, Remotè videlicet, & propinquè: ex quo ſequitur: duplicem eſſe materiam, vnam remotam, alteram propinquam.

Materia partis dup. remota, & proxima.

4 Materia remota Baptiſmi. quæ. Materia proxima. quæ.

Remota materia dicitur elementum illud, ſiuè res illa ſenſibilis, quæ in vſu ſacramenti eſt applicanda: Proxima verò eſt vſus ipſius rei, ſiuè elementi, quæ ad ſacramentum conficiendum eſt neceſſarius: Quapropter in ſacramento baptiſmi, materia remota eſt aqua naturalis; propinqua verò eſt ipſa ablutio, vt infrà dicetur.

5 Errores hæreticorum. Manichei, & Gnoſtici. Flagellantes.

Licèt nonnulli Hæretici aliter arbitrati ſint, ex quibus fuerunt Manichei, & Gnoſtici, alijque qui aquam neceſſariam eſſe negabant, ſed ſolùm verbis baptizabant: alij verò Hæretici, qui Flagellantes appellantur, eò quod flagellabant ſe ipſos, alioſque nodoſis flagellis, in quibus aculei inſerti erant, vſque ad effuſionem ſanguinis: Sanguinem enim dicebant eſſe materiam baptiſmi, & ideò ſectatores huius Hæreſis, proprio ſanguine excuſſo ex proprio corpore baptizabantur.

6 Iacobitæ. Cyrillus. Beda.

Iacobitæ autem malè Matth. illud interpretantes: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*: (Quæ auctoritas ſecundùm mentem Cyrilli, & Bedæ, alio-

rumque

rumque Patrum, de aduentu Spiritus Sancti eſt intelligenda) candenti ferro charactere crucis baptizatorum frontes inurebant; dicebant enim ſolùm ignem materiam eſſe baptiſmi. Ità refert Porteolus Verbo Iacobitæ, & Verbo flagellantes.

Porteolus.

7 Concluſio contra Hęreticos. Aqua naturalis eſt materia Baptiſmi.

Sed opinionibus iſtis Hęreticorum relictis ponimus noſtram concluſionem, & ſecundùm veritatem Eccleſiæ Catholicæ firmiter affirmamus; *Materiam ſacramenti Baptiſmi remotam eſſe aquam naturalem, ſiuè vſualem, quomodocumque accidentaliter mutatam, dum tamen elementi formam, ſiuè ſpeciem aqua non mutet.* Ità enim definitum eſt in cap. Firmiter de Sum. Trinit. in fin. §. Sacramentum; Et in Concil. Trid. c. 2. de Bap. ſeſſ. 7. vbi dicitur: *Si quis dixerit Aquam veram, & naturalem non eſſe materiam neceſſariam Baptiſmi, Anathema ſit.*

8 Mutatio accidentalis nō variat ſubſtātiam elemēti.

Dixi autem (*quomodòcumque accidentaliter mutatam,*) quia ſi Aqua frigida, ſiuè calida, ſiuè odorifera, ſiuè putrida, ſiuè ſalſa, ſiuè dulcis, ſiuè tranſierit per cineres, aut Venas ſulſureas eſſet ſufficiens materia ad baptizandum, quia per talia accidentia non deſtruitur ſubſtantia aquæ: quin imò licèt permixta ſit cum alia ſubſtantia, & corpore, dummodò tamen non ſit tanta permixtio, quæ reuera mutet, ſiuè impediat vſum aquæ erit ſufficiens materia; v. gr. ſi aqua turbida pulueris, aut terræ permixtionem aliquam habens, vel in ea caro fuit decocta, ſucco eius admixta, in parua tamen quantitate, nam ſi ſit magna, potiùs erit lutum, aut ſubſtantia alia mixti, quàm aqua: Ità docent communiter omnes Theologi in 4. ſent. in Materia de Bap. Soto d. 3. q. 1. A. 4. Sylu. Verb. baptiſmus 2. n. 2. Graff. to. 2. Decit. libr. 2. Suarez to, 3. de ſacr. d. 20. ſect. 1. alijque communiter.

Soto. Sylueſt. Graffios. Suarez.

9 Aquæ artificiales lambicatæ nō ſunt ſufficientes.

Hinc ſequitur, quod aquæ artificiales, quæ ex floribus, ſiuè herbis ſtillantur; non poſſunt eſſe materia ſacramenti Baptiſmi, quia non ſunt verè aquæ naturales, ſiuè elementales, ſed miſti quidem humores, atque eadem eſt ratio de lacrymis, ſaliua, vrina, alijſque humoribus, quæ eodem modo excluduntur, vt eſſe non poſſint materia ſufficiens ad conficiendum Baptiſmi Sacramentum.

10 Regula generalis. Nix, Glacies, an ſint ſufficientes. Ablutio quid ſit.

Vndè hæc eſt Regula generalis, quod materia remota ſacramenti Baptiſmi neceſſariò debet eſſe aqua naturalis, apta ad abluendum, ideòque aqua congelata, vt Glacies, ſiuè Nix, licèt ſint eiuſdem ſpeciei cum aqua, tamen donec liquefient non ſunt ſufficiens materia Baptiſmi: quia non poſſunt abluere: Ablutio autem eſt contactus corporis à varijs partibus aquæ, quæ ſucceſſiuè ſibi ſuccedant ad abluendum; quare, vt corpus dicatur ablui, non eſt neceſſe, vt aliquam aquæ paſſionem ſentiant, nempè humiditatem, ſiuè humectationem, vel refrigerationem, vt videtur dicere Soto in 4. d 3. a. 1. dicit enim ablutionem conſiſtere in paſſione, ſeù receptione aquæ in corpore hominis baptizati.

Sot.

11 Opinio Soti impugnatur.

Quod quidem non eſt neceſſarium (vt dixi) nam ſi per miraculum ab aqua omnis humectatio, aut refrigeratio auferatur, non tamen indè ſequitur, prædictā aquam abluere non poſſe: Solùm ergò requiritur contactus phyſicus aquæ ad corpus baptizati, cum quadam ſucceſſiua effuſione partiū aquæ per partes corporis; prout benè probat, & declarat Suar. d. tom. 3. d. 20. ſect. 1. alijque aſſecli.

Suar.

12 1. Inferentia. Ablutio facta à miniſtro eſt neceſſaria tāquam materia proxima.

Hinc infero primo, quòd, ſi quis in manu incluſa haberet aquam ſine effuſione non poſſet baptizare, quamuis verba proferret cum aqua incluſa ſuper caput baptizandi: Ratio huius eſt, quia nullus eſt ibi motus localis effuſionis aquæ per corpus: Non enim quis abluitur niſi per contactum effuſionis aquæ; ſimiliter dico, ſi quis in articulo mortis eſſet in mari, & dum ſubmergeretur peteret baptizari, non poſſet baptizari niſi realiter à miniſtro aſpergeretur, ſaltem aliqua gutta aquæ, quæ ſucceſſiuè cadat ſuper corpus baptizandi: requiritur enim in ablutione actio phyſica ipſius miniſtri abluentis.

Secundò infero, quod ſi quis ſine neceſſitate vteretur lixiuio, ſiuè Brodio, ſiuè aqua impura, conficeret quidem ſacramentum, ſed pec. mort. contra reuerentiam ſacramento debitam: Ad reuerentiam enim huius ſacramenti pertinet, vt aqua ſimplici, & pura, quoad fieri poteſt vtamur ad ſacramentum conficiēdum: Vndè regula generalis eſt, In ſacramentis conficiendis ſemper adhibenda eſt materia pura, quoad fieri poſſit, ſeruatis Eccleſiæ ritibus, & cæremonijs, niſi neceſſitas aliud expoſcat, vt ſuprà explicatum eſt. 13

2. Inferentia. Lixiuium, ſiuè brodium, an poſſit licitè applicari. Regula circa ſacramentorum materias.

Tertiò infero: Paruulum incluſum in vtero matris baptizari non poſſe, eò quòd ablui nullo modo poteſt: Nam (vt dicit Iſidorus lib. 1. ſent.) *Qui adhuc natus ſecundum Adam non eſt, ſecundum Chriſtum regenerari non poteſt: Nemo enim renoſcitur, niſi prius noſcatur:* Can. Qui in maternis de Conſecr. d. 4. Non tamē proptereà licitum eſt aperire vterum matris etiam vicinæ morti ad baptizandum; Non ſunt enim facienda mala, vt inde veniant bona. 14

3. Inferentia. Infans in vtero, an poſſit baptizari. Iſidor. Can. Qui in maternis. An aperienda ſit mater ad baptizandum infantē.

In eo verò caſu tantùm liceret, quandò videlicet mater iam damnata eſſet ad mortem: Nam licèt regulariter differendum ſit ſupplicium vſque ad partum propter bonum prolis, prout dicitur in l. Prægnante, ff. de Pœnis: Si tamen iudicio medicorum exiſtimetur quod paruulus vſque ad illud tempus non eſſet victurus, poterit in caſu executioni ſtatim mandari ſententia, vt aperiatur mater, & infans baptizetur; (Quicquid dicat Palud. in 4. d. 6. qu. 1.) Et ratio noſtra eſt, quia ſine iniuria matris bono prolis ſpirituali prouidetur, cùm lex illa: Prægnante, ſit priuilegium factum proli, & nō matri, & ideò quatenus eſt in præiudicium prolis ſeruandum minimè eſt. 15

In quo caſu licebit. L. Prægnante, ff. de Pœn. Palud.

Quartò infero: Ad validitatem ſacramenti huius nō eſſe neceſſariam trinam merſionem, prout definitum fuit in Conc. Tolet. 4. cap. 5. Quod ſi Pelagius Papa in quadam epiſtola, quæ refertur in Can. Multi ſunt. de conſ. diſt. 4. dicat: *Præceptum Euangelicum eſſe baptizandi trina merſione cum inuocatione Trinitatis:* Senſus eſt, vt inuocetur Trinitas in Baptiſmo, qui communiter conferebatur per trinam merſionem, prout olim forſitan ex traditione Apoſtolica fuerat in vſu trina merſio, vt patet ex Can. 50. Apoſtolorum. prout refertur in Cano. Si quis Presbyter: De conſ. diſt. 4. tum ad ſignificandam Trinitatem Perſonarum, tum ad memoriam Chriſti ſepulturæ; Et D. Auguſtin. Hom. 4. in Ioann. quæ refertur in Can. Poſtquam de conſ. diſt. 4. rationem huius trinæ merſionis aſſignauit; Præceptū tamen hoc fuit abolitum in d. Conc. Tolet. prout habetur in Can. Propter vitandum de conſ. diſt. 4. in deteſtatione Hæreſis Arianæ, qui diuiſionem naturarum, & Trinitatis in trina merſione profitebantur, tum etiam in deteſtatione Donatiſtarum, rebaptizantium baptizatos vnica merſione, iterum trina merſione. 16

4. Inferentia. Trina merſio nō eſt neceſſaria. Conc. Trid. Auctoritas Pelagij Papæ in contrarium quomodò intelligenda. Can. Si quis Presbyter. Trina merſio, quid ſignificet. D. Auguſt. Præceptum trinæ merſionis fuit abolitum à Cōc. Toletan Can. Propter vitandum.

Quintò infero: quod Baptiſmi ſacramentum tripliciter modo fieri poteſt: Primò per immerſionem, quæ non eſt amplius neceſſaria: (vti diximus ſupra) ſufficit enim ſi fiat vnica merſione. Secundò poteſt fieri per infuſionem: Et tertiò per aſperſionem: patet hoc ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ ſaltem in neceſſitate illum modum ſemper adhibuit. 17

5. Inferentia. Baptiſmus triplici modo fieri poteſt. 1. Per immerſionem. 2. Per infuſionem. Tertiò per aſperſionem.

Verum eſt tamen, quod optima, & conuenientiſſima eſt immerſio, quæ clarius repræſentat myſterium, tum ſepulturæ Chriſti, tum Sanctiſſimæ Trinitatis: Secunda etiam, quæ fit per infuſionem, ſiue ablutionem rectè etiam ſignificat Chriſti ſepulturam, toto ferè 18

Ratio iſtius modi baptizandi. Pilliuc.

capite

capite baptizati aſperſo aqua Baptiſmatis: Tertia etiam ſuo modo eandem repræſentat, dum aliqua baptizati pars aquæ ſubmittitur: Hæc tamen aſperſio ſine cauſa rationabili non eſt paſſim facienda: Ità Filliuc. to. 1. tract. 3. de Bapt. c. 2. nu. 35. & alij.

Filliuc.

19 Quænã corporis partes ſint abluẽdæ.

Sed ſi quæras: Quænam partes corporis baptizandi abluendæ ſint?

Reſpondetur, quod illæ, ſecundùm quas homo dici poteſt ſimpliciter ablutus, ſecundùm moralem æſtimationem: Non eſt tamen necesse, quod totum corpus abluatur: ſed illa corporis pars, quæ principalis eſt: Vndè in capite, vbi ſenſus vigent conuenientius eſt facienda, ſimiliter etiam ſi fiat in ſcapulis, vel in pectore, vel in humeris nulla eſt dubitatio, quin ſemper validum ſit Sacramentum Baptiſmi, omnes enim vnanimiter in hoc conueniunt, nemine diſcrepante.

20 Dubiũ ſi fiat in manu, vel pede. 1. Sententia.

Si autem ablutio ſolummodò fieret in manu, vel pede, vel in alia corporis parte minùs principali baptizandi; Aliqui dubitant: An ſit validum Sacramentum, quapropter dicunt, quod: Si in aliqua neceſſitate ibi tantùm facta fuiſſet ablutio conſulunt, huiuſmodi etiam baptizatos de nouo iterum rebaptizandos eſſe, ſaltem ſub conditione: Sed probabilior opinio docet: Hoc non eſſe neceſſarium, cùm Baptiſmus in qualibet corporis parte fiat, ſemper eſt validus: Ità D. Thom. 3. p. qu. 68. A. 11. Soto in 4. D. 3. A. 7. Scotus D. 4. qu. 3. Gab. q. 2. A. 3. Henriq. in ſum. lib. 2. de Bapt. c. 7. Nau. lib. conſ. de Baptiſ. c. 2. n. 33. & alij.

2. Sententia. D. Thom. Scotus. Henriq. Gabriel. Nauarr. Filliuc.

21 Quæ aquæ quantitas ſit neceſſaria ad Baptiſmum. Reſolutio. Henriq. Filliuc.

Quæritur ſecundò: Quænam aquæ quantitas ſufficiat ad conficiendum Sacramentum Baptiſmi?

Reſpondetur: Illam ſufficere, quę poteſt corpus baptizandi tangere, & ſucceſſiuè fluere per partem corporis, quod quidem facere poteſt minima, & exigua quantitas aquæ: Ità Henriq. ſuprà nu. 2. Filliuc. nu. 34. alijque recentiores ſuprà citati.

22 3. Difficultas An poſſit proijci baptizãdus in puteũ? Ratio dubitandi.

Quæritur tertiò: An in caſu neceſſitatis, cùm non adſit aqua, poſſet miniſter proijcere infantulum viuum propè iam ad mortem in puteum, vel in flumen de ponte, dicendo: *Ego te baptizo*: An videlicet talis puer eſſet in caſu verè baptizatus? & Ratio dubitandi eſt, quia talis immerſio non ordinatur ad vitam, vt ſignificet reſurrectionem Chriſti, ſed ordinatur ad ſummerſionem, & necem, Nec eſt ablutio, ſed ſuffocatio & proiectio: Quàpropter nonnulli exiſtimant, tunc Sacramentum non eſſe validum: Ità Henriquez lib. 2. de Baptiſmo c. 7. nu. 3. & Scotus in 4. D. 5. Riccard. D. 4. A. 4. & alij, quos citat Suarez loco infrà citando.

1. Sententia. Henriq. Scotus. Riccard. Suarez.

23 2. Sententia. Ratio ſecũdę ſententiæ.

Alij verò contrarium tenent, quod videlicet in huiuſmodi caſu: Validum ſit Sacramentum: quorum ratio eſt, quia in ſola ablutione per immerſionem ſaluatur ratio ablutionis: Eſt enim illa, ſucceſſiuus aquæ contactus circa corpus, etiam ſi non ſuccedat emerſio: & confirmatur exemplo illius, qui bono animo immergat infantulum animo illum baptizandi, & caſu è manibus baptizantis infans elabatur, vel prolata forma in immerſione detinet illum aliquãdiu in aqua: Eſt enim, ſecundùm omnes, iam perfectus Baptiſmus, etiamſi malo animo, vel alia cauſa non emergat, idem erit: nam hoc poſterius eſt impertinens.

24 Obiectio.

Nec obſtat, quod illa immerſio non ſit ablutio, ſed proiectio, quia eſt actus ordinatus ad ſuffocationem infantis, & non ad vitam?

Solutio.

Reſpõdetur: quod prius temporis eſt ablutio, cùm intentio miniſtri baptizantis ſupponatur: Inordinatio autem illa ad ſuffocationem non tollit naturam ablutionis, & conſequenter, nec Sacramenti rationem.

25 2. Obiectio.

Nec obſtat ſecũdò: quod nõ tangat immediatè baptizatum, & ideò non videtur baptizare?

Reſpondetur: Quod tangit mediatè: nam proijciendo puerum in aquam eſt vera cauſa, vt puer abluatur aqua, ſicut aſpergens eſt vera cauſa, vt aqua tangat baptizatum. Solutio.

Nec obſtat tertiò, quod talis actio non repræſentet Chriſti Reſurrectionem, quæ ſignificatur per emerſionem? 26 3. Obiectio.

Reſpondetur: Repræſentationem Chriſti Reſurrectionis non eſſe de eſſentia Baptiſmi, cùm dicat Apoſtol. ad Rom. c. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo in morte per Baptiſmum*: Quàpropter iſta ſecunda ſententia tenet: Validum eſſe tale baptiſmum: Ità Gab. in 4. d. 4. qu. 2. a. 3. ad 4. Panorm. in c. Non vt opponens de Baptiſm. Vitoria in ſum. nu. 18. Roſell. v. Baptiſ. 4. Io. Maior in 4. q. 2. Suar. tom. 2. de Fac. d. 20. ſect. 3. & Filliuc. d. to. 1. tract. 2. de Bapt. n. 39. Solutio. DD. ſecundæ ſententiæ. Gabriel. Panormit. Vitoria. Roſella. Ioã. Maior. Suarez. Filliuc.

Et iſta opinio videtur probabilior, ſuppoſito tamẽ, quod miniſter habeat veram intentionem baptizandi: Secundò quod proferat verba formæ antequam puer moriatur: Et tertiò ſuppoſito, quòd fiat contactus aquæ antequam finiatur forma. Nam quid deficit ad eſſentiam ſacramenti? Ergò ſequitur, quod eſt verum ſacramentum: Intentio enim ſecundaria interficiendi puerum nihil obſtat, vt dictum eſt. 27 2. Sententia Admittitur cum limitatione.

Nec refert, quod non ſuccedat emerſio, ſicut ſucceſſit reſurrectio morti Chriſti, quia talis repræſentatio non eſt de eſſentia Baptiſmi, ſed quædam congruẽtia figuræ cum figurato, ſiuè exemplari cum exemplato: Deindè immerſio non requiritur neceſſariò ad Baptiſmum, quia aliter etiam fieri poteſt, & per conſequens nec emerſio: Ità docent omnes DD. pro ſecunda opinione. 28 Repræſentatio reſurrectionis Chriſti non eſt de eſſentia.

Sciendum tamen eſt, quod ſi aliquis tali modo baptizaret, proijciendo, Videlicet puerum in puteum, eſſet homicida, & ſacrilegus: Nam ad reuerentiam ſacramenti pertinet, vt nulli exhibeatur ad mortem: Inualidum tamen ſacramentum non eſt dicẽdum rationibus ſupra dictis: Miniſter autem ità baptizans per mortem pueri incident in irregularitatem. 29 Miniſter ità baptizans eſt ſacrilegus.

Quàpropter, occurrente caſu, quò morienti puero non aliter ſubueniri poſſet, quam proijciendo in puteum: (vt Panormitanus ſuo tempore accidiſſe refert) primo poſſet, vel fune, vel Ciſtella ſuſpendi, & ſic in aquam immitti, & extrahi, vel veſte, aut ſpongea in aquam infuſa, & aſperſione deindè baptizare: Secundò ſi neque funis, neque aliud quid adeſſet, nullo modo deberet proijci in puteum, quia eſſet peccatum mortale, nec propter bonum pueri quis debet peccare: Si autem puer ità baptizatus ſuperuixerit, exiſtimo, quod poſſet ſub conditione iterum baptizari, eò quod res iſta, ſaltem in praxi dubia ſit, & controuerſa. 30 Quid faciendum in caſu.

DE FORMA SACRAMENti Baptiſmi.

CAP. V.

Forma huius ſacramenti, ſicut cæterorum, vt ſuprà notauimus, duplici modo conſiderari poteſt: vel in ratione partis: Hic enim non loquimur de forma illa ſpecifica ſacramenti, quæ eſt ſignificatio ſigni ex Diuina impoſitione, efficaciter ſignificans inuiſibilem gratiam iuſtificantem, quæ infunditur animæ per regenerationem, & ablutionem animæ à peccato: Quæ quidem ſignificatio, vt ſic eſt relatio rationis, quæ eſt ſecunda intentio, conſurgens inter ſubiectũ, & terminum, de qua dictum eſt ſupra in tractat. 1. de 1 Forma ſacramẽti duplex totius, & partis De qua forma loquimur.

Sacra-

Digitized by Google

Sacramen. in gen. ca. 2. Loquimur ergò de forma Baptiſmi non primo, ſed ſecundo modo, hoc eſt in ratione partis, reſpectu ipſius fundamenti, in quo fundatur relatio: quod eſt ſignum illud ſenſibile, conſtans ex rebus, & verbis, debita cum intentione à miniſtro prolatis.

2 *Verba habēt ratione formæ in ſacramentis,*
At quia, verba ſunt ſpiritualiora materia ſenſibili, ideò ſe habent tanquam forma actuans, & determinans rem ipſam ſenſibilem, quæ indifferens erat ad plura ſignificanda: Ac adueniente forma actuatur, & determinatur adeſſe illud ſignum materiale, quod ſacramentum dicitur, & de iſta forma partis in præſenti nos loquimur.

3 *Forma Baptiſmi tripliciter conſideratur.*
Quærimus ergò: Quæ, & qualis ſit, & quæ ſint verba eſſentialia ipſius formæ, quæ licèt in ſe eſſentialiter ſit vna, & eadem, de ipſa tamen triplici modo poſſumus loqui: primò ſecundùm ritum Eccleſiæ Græcæ: Secundò ſecundùm ritum Eccleſiæ Latinæ: Et tertiò tandem conditionaliter: An videlicet poſſit dari ſub conditione.

4 *Forma Baptiſmi Eccleſiæ Græcæ.*
Dico primò, quòd forma ſacramenti Baptiſmi, qua vtitur Eccleſia Græca talis eſt. Βάπτιζεται ὁ δοῦλος Τοῦ Θέου ὁ δεῖνα, εἰς Τοῦ ὀνόματος Του Πατρός, καὶ Τοῦ, υἱοῦ, καὶ Τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀμήν, quæ ſignificat baptizatur ſeruus Dei; quidam N. In nomine Patris, & Filij, & ſancti Spiritus Amen: Si verò baptizanda ſit fœmina dicunt, ἡ δούλη, ἡ δεῖνα. id eſt, ſerua quædam Dei.

5 *Notandum pro forma Græca.*
Vndè eſt notandum, quod Græci non dicunt (vt aliqui putat.) Βαπτιζέσθω. ideſt, baptizetur per ſubiunctiuum, (vt quidam Latinorum exiſtimarunt) ſed dicunt. Βαπτίζεται. ideſt. Baptizatur per modum indicatiuum temporis præſentis: Ità enim habetur in Rituali Græco, quod benè aduertit Filliuc. tom. 1. tract. 2. de Bapt. c. 3. & alij. *Filliuc.*

6 *Quare Græci baptizāt ſub hac forma. Conc. Flor.*
Et hæc forma ſufficiens eſt ad perficiendum verum ſacramentum, ſecundùm omnes, vt patet per Concil. Florent. in decret. Eugenij, & ex vſu antiquiſſimo Eccleſiæ Græcæ: Vndè credibile eſt: eam accepiſſe à ſanctis Patribus Epiſcopis Catholicis, qui conſuerunt ità baptizare, ne miniſtri viderentur ſibi arrogare efficaciam ſacramenti, & illius ſchiſmatis occaſionem fugerent, cuius fit mentio epiſt. 1. ad Corint. c. 3. Quandò vnuſquiſque de ſuo miniſtro Baptiſmi gloriabatur dicens: *Ego ſum Pauli, ego Cepha.* Quàpropter increpauit eos Paulus dicens: *Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et ſic introducta fuit huiuſmodi forma, quæ in eſſentialibus non differt à forma Eccleſiæ Latinæ, niſi tantùm materialiter. *1. Cor. cap. 3.*

7 *Forma Baptiſmi Eccleſiæ Latinæ.*
Dico ſecundò, quòd forma, qua vtitur Eccleſia Latina hæc eſt videlicet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Et hæc eſt laudabilior, quia magis eſt conſentanea verbis Chriſti, & clarius explicat cauſas, tam principalem, quam miniſterialem, & actum baptizandi cum ſuſcipiente: quæ omnia neceſſaria ſunt ad ſacramentum; patet hoc ex Concil. Tri. ſeſſ. 7. Can. 3. & 4. de Baptiſmo, & c. 1. de Baptiſmo, & ex multis alijs Canonibus de conſec. d. 4. & ex ipſo Rituali Rom. & ex communi vſu totius Eccleſiæ Latinæ. *Conc. Trid.*

8 *Quatuor cōſiderantur in hac forma.*
In qua quidem forma quatuor occurrunt conſideranda, primò perſona miniſtri baptizantis, ſecundò actus ipſius baptizantis, tertiò ſubiectum baptizandum, & quartò inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis: de quibus omnibus per ſingula eſt dicendum: An omninò ſint neceſſaria? Pro cuius intelligentia.

9 *1. Notādum. 2. Neceſſariū ſimpliciter, & aliqualiter.*
Notandum primò, quòd vniuerſaliter: Quæ ſunt neceſſaria ad ſacramentum quodlibet in duplici ſe habent differentia: quædam enim ſunt neceſſaria ſimpliciter, ſcil. ex parte Sacramenti, quibus deficientibus non perficitur Sacramētum, quò ad validitatem; Quędam autem ſunt neceſſaria aliqualiter, ſcilicet ex parte miniſtri, adeò vt miniſtrādo non peccet, & hæc dicuntur neceſſaria neceſſitate præcepti.

Quàpropter dicò: Perſonam miniſtri non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod explicitè exprimatur in forma; Primò, quia in verbis Chriſti non fuit expreſſa, ſed tantùm dixit: *Baptizantes eos.* Secundò quia Eccleſia Græca non exprimit, & tamen validum eſt ſacramentum: Tertiò, quia miniſter eſt tantùm cauſa inſtrumentalis, ideòque non eſt neceſsè ſimpliciter illū exprimere in forma: imò in ly verbo Baptizo, ly ego continetur implicitè: Patet hoc ex cap. Retulerunt de Conſecr. d. 4. de illo Presbytero, qui baptizando pronomen, ego, omittebat in forma baptiſmi. 10 *Ly ego, in forma nō eſt de neceſſitate Sacramenti.*

Eſt tamen de neceſſitate præcepti, vndè ſi quis ſciēter, & voluntariè relinqueret, peccaret, & quidem priuatim (ſecluſo ſcandalo) tantùm venialiter: publicè verò, & ſolemniter eſſet mortale: quod intellige de illo, qui frequenter, & ordinariè relinquerit: Nam ex illa frequentia videretur eſſe res grauis, & faceret contra Ritum Eccleſiæ; Ità docet Soto in 4. d. 3. qu. 1. a. 5. concordat Scot. ibi, Suar. d. tom. 3. d. 21. lect. 2. Filliu. d. tract. 1. de Baptiſm. c. 3. n. 49. 11 *Eſt de neceſſitate præcepti.* *Soto. Scotus. Suarez. Filliuc.*

Dico ſecundò, quod: Actus baptizandi neceſſariò exprimendus eſt, vt habetur in cap. 1. de Baptiſmo, vbi dicitur: *Si quis puerum immerſerit in aquam, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & non dixerit: Ego te baptizo, non eſſet baptizatus: Chriſtus enim dixit baptizantes eos.* Non eſt tamen de neceſſitate ſacramenti, quod exprimatur per verbum baptizo, cùm poſſit mutari in aliud æquiualens, dum tamen ſignificet actum abluendi, vt dicendo: *Ego te abluo, aſpergo, tingo,* & cętera huiuſmodi ſynonima, quæ æquiualent in conceptu actum abluendi. 12 *Actus baptizandi eſt exprimendus in forma.* *Synonima ęquiualentia ſufficiunt.*

Secus autem ſi diceret: *Ego te mundo à peccatis: Te proyçio in aquam:* Tunc enim non valeret: Ità enim docent Sot. Suar. & Filliuc. cum alijs, locis ſupra cit. Verum eſt tamen, quod ſemper retinendum eſt verbum baptizo; ſecundùm ritum Eccleſiæ, quod eſt pro qualibet lingua accommodatiſſimum: Vndè illud mutare ſine rationabili cauſa eſſet peccatum mortale, cùm ſit contra ritum Eccleſiæ in re graui. 13 *Quæ verba non ſunt ſufficientia. Verbum baptizo retinēdum eſt.*

Sic etiam dicimus, quod: Non eſt neceſsè, vt actus baptizandi exprimatur in prima perſona, & per verbum actiuum, quia ſi diceretur baptizetur, ſiuè baptizatur, aut baptizaris tu à me, valeret quidem ſacramētum, quia ſufficit, quod actus baptizandi explicetur, vt actus exercitus ab ipſo miniſtro: (Hoc tamen intellige de validitate ſacramenti:) Nam quælibet mutatio in verbis formæ eſt contra Ritum Eccleſiæ in re graui, ideò, &c. 14 *Nō eſt neceſſe, quod exprimetur in prima perſona. Actus baptizandi tamquam actus exercitus.*

Dico tertiò quod: Perſona baptizanda neceſſariò eſt explicanda in forma: Non eſt tamen neceſsè, quod exprimatur in ſecunda perſona per ly verbum, Te, cū poſſit exprimi per nomen proprium, dicendo Petrum, Paulum: Vel per nomen commune, dicendo: Seruum Chriſti, ſiuè Dei; vel per aliud nomen demonſtratiuum dicendo: Hunc, vel illum puerum: Et ratio huius eſt, quia in forma Baptiſmi debet explicari actus baptizādi circa ſubiectum applicatum: Vndè; ſi quis diceret: *Baptizo in nomine Patris,* & nullum explicaret baptizatum, nullum conficeret Sacramentum: Non .n. ſacramentum debet fieri in abſtracto, non ſignificando, cui applicatur: Ità D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. Suar. d. 21. lect. 2. conc. 3. Bonac. de Bap. D. 2. q. 2. p. 4. n. 2. Tolet. lib. 2. c. 19. n. 5. alijque communiter: patetque hoc ex verbis ipſius Chriſti, dicentis: *Baptizantes eos.* 15 *Perſona baptizanda explicanda eſt in forma. Aſſignatur ratio.* *D. Thom. Suarez. Bonac. Tolet.*

Sed quęritur: An ſi aliquis, baptizando vnam perſonam, dicat: *Ego vos baptizo:* An ſacramentū ſit validū. 16 *Dubitatio.*

Reſolutio, ſi dicatur, vos, loco te.

Reſpondetur, quod: Si hoc faceret ſimpliciter, vel propter honorem illius, qui baptizatur, dicendo: Vos pro te: Intelligendo, per ly vos, ſingularem perſonam; validum erit ſacramentum: Verum eſt tamen hoc non eſſe faciendum, quia ſic baptizans non excuſaretur à peccato, ſaltem veniali propter variationem verborum formæ, communi vſu receptæ ab Eccleſiæ conſuetudine: Et ſi interceſſerit ſcandalum, vel contemptus, ſiuè temeritas poſſet eſſe mortale.

Limitatio.

17 Si autem è contra, baptizando plures perſonas, diceret: *Ego te baptizo*, & nô terminaret quem, nullum conficeret ſacramentum, eò quod forma non eſſet applicata ad perſonam determinatam, quod eſt de neceſſitate illius ſacramenti: prout notauit Filliuc. to.1. tract.2. c.3. nu.53. cum alijs ſuprà cit.

Forma debet applicari perſonæ determinatæ. Filliuc.

18 Similiter dico, quod ſi quis miniſter haberet coram ſe multorum hominum copiam, & ſciret aliquos ex illis velle baptizari, non tamen ſciret, qui illorum in particulari determinatè velint ſacramentum Baptiſmi ſuſcipere; ſi talis miniſter, aſpergens aquam ſuper eos, diceret; *Ego vos baptizo*, nihil faceret, quia forma ſacramenti debet eſſe applicata ſuper perſonas determinatas, & non confusè ſuper perſonas incertas.

19 Si autem miniſter, credens baptizare maſculum, de facto tamen perſona baptizata eſſet fœmina: Sacramentum Baptiſmi eſſet validum, quia miniſter in caſu habuit intentionem baptizandi perſonam præſentem, & tunc talis error diceretur error accidentalis, & non ſubſtantialis, dum tamen non habuiſſet voluntatem contrariam, & determinatam, non baptizandi niſi marem: Ità Henriquez in ſumm. libro 2. cap.8. numer.4.

Error qualitatis perſonæ baptizandæ, non vitiat ſacramentum.

Henriq.

20 Dico quartò perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe explicandas in forma ſacramenti Baptiſmi ſub proprijs nominibus, dicendo; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: Patet hoc ex determinatione ipſius Chriſti Domini: cap. vltimo Matt. dicentis; *Baptizantes eos in nomine Patris*, i. nominando perſonas; prout explicat Ioann. Chryſoſt. Hom.16. ad Rom. D.Tho. 3.p. qu.66. a.5. Sylu. V. Bap.1. num.3. Bonac. D. 2. de Baptiſm. quæſt.2. p.4. n.6. Filliuc. to.1. tract.2. c.3. nu. 47. Suar. tom.3. D.21. ſect.1. Bellarm. de Baptiſmo c. 3. & omnes communiter.

Perſonæ SS. Trinit. ſunt de neceſſitate explicãdæ, Euang. Matt.

Ioan. Chryſ. D. Thomas. Syluest. Bonacina, Filliuc. Suarez. Bellarm.

21 Quamuis autem Caiet. in 3. part. q.66. a.6. ſequens Gloſſa in cap. Multi ſcelerum de conſ. D.4. exiſtimet, quod ſi quis mutaret nomina propria trium perſonarum in æquiualentibus, dicendo in nomine Genitoris, Geniti, & Paracliti, vel ab vtroque procedentis, validum eſſet ſacramentum, eò quod hæc verba videntur ſynonima ſaltem, quo ad principalem ſignificationẽ, cùm nomen Genitoris ſignificet Patrem, Geniti Filiũ, & Paraclitum Spiritum Sanctum; Quæ ſententia, licèt ſpeculatiuè videatur probabilis non eſt tamen ſecura, nec placet alijs Theologis.

Caiet. exiſtimat poſſe mutari in ſynonima.

22 Quàpropter communior Theologorum ſententia eſt; huiuſmodi formam non eſſe ſecuram, neque in praxi eſſe ſeruandam, ne baptizandus periculo damnationis exponatur per talem mutationem formæ; & ratio potiſſima eſt, quia per talia verba æquipollentia non explicantur proprietates perſonarum, nec Diuinæ emanationes ſub proprijs nominibus, quæ ex Chriſti inſtitutione explicandæ ſunt, nec attendenda eſt ſignificatio, quaſi materialis, ſed ſecundùm vim nominis, & formalis, & ſecundùm Chriſti inſtitutionem, vndè huiuſmodi variatio per inuocationem implicitam trium perſonarum, vel in voces appropriatas videtur eſſe contra ſacramenti ſubſtantiam, ideò taliter baptizati deberent iterum rebaptizari, ſaltem ſub conditione; Dicendo: *Si non es baptizatus*: Ità Suarez d. tom.3. d.21. ſect.4. Tolet. lib.2. cap.19. nu.7. Bonac. D.2. q.2. de Baptiſmo, p.4. nu.12. D. Thom. 3. p. q.66. a.5. ad 7. Scot. in 4. D.3. Soto, q.5. art.5. Rodr. in ſumm. c.25. de Baptiſmo, nu.3.

Caietani ſententia rejicitur.

Diuinæ emanationes ſuis proprijs nominibus.

Suar. Tolet. Bonac. D. Thom. Scot. Soto.

Ex quo infero; primò in forma Baptiſmi explicandam eſſe vnitatem Diuinæ eſſentiæ cum diſtinctione trium perſonarum: quàpropter: Si quis baptizando diceret; *In nominibus, vel in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus ſancti*; nullum efficeret ſacramentum, quia per talem formam non oſtenderetur vnitas eſſentiæ, prout benè aduertit Bonac. d. 2. q.2. de Bapt. p.4. n.5. cum alijs, locis ſup. cit. 23

Vnitas eſſentiæ explicanda eſt in forma.

Bonac.

Si verò loco nominis diceretur in virtute Patris, dubium erit ſacramentum, eò quod virtus non tot comprehendat ſicut nomen; Nomen enim ſignificat virtutem, & inuocationem; quàpropter ſi dicatur ſimpliciter; *In virtute, in ſapientia, in bonitate*: Sacramentum omninò erit dubium, & ideò baptizatus ſub tali forma debet iterum rebaptizari, ſaltem ſub conditione. 24

Nomen in plus ſe habet, quam virtus.

Similiter etiam dicimus, ſi quis dixerit: *Baptizo te in eſſentia Patris, ſiuè in natura Patris, ſiuè te baptizo cum Patre, & cum Filio, & cum Spiritu Sancto, vel in verbo Patris, &c.* Huiuſmodi tunc nullum erit ſacramentum, prout communiter omnes ſuprà citati Doctores, affirmant. 25

Baptizo te in eſſentia, ſiuè in natura.

Secundò infero, quod: Si quis vtatur hac forma: *Baptizo te in nomine Trinitatis, aut in nomine Chriſti*, Nullum faceret ſacramentum: Ratio huius eſt, quia talis forma non continet expreſſam profeſſionem totius Trinitatis cum vnitate eſſentiæ, quæ in hoc ſacramento ex Chriſti inſtitutione, ſunt neceſſaria ad validitatem Sacramenti; quæ profeſſio fidei non fit, niſi omnes tres diuinæ Perſonæ explicitè nominentur in forma, dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; & eſt communis Theologorum ſententia. 26

In nomine Trinitatis, aut Chriſti tantum, non valet.

Sed contra dicet aliquis: Apoſtoli in principio naſcentis Eccleſiæ baptizabant in nomine Chriſti, prout in Actibus Apoſt. c.2. & 19. legitur, ergò; ſi tunc erat validum Sacramentũ ſub illa forma in nomine Chriſti, erit & modò, ergò non benè dictum eſt; Non eſſe validum Sacramentum, ſi quis dixerit; *Ego te baptizo in nomine Chriſti*. 27

Obiectio de forma Baptiſmi in nomine Chriſti.

Reſpondetur dupliciter Primò; Eſſe valdè communem ſententiam inter multos Theologos: Apoſtolos tempore illo, naſcentis Eccleſiæ tali forma fuiſſe vſos ex ſpeciali conceſſione, ſeu diſpenſatione Spiritus Sancti, vt nomen Chriſti, & fides, atque amor fidelium erga Chriſtum magis creſceret. Ità exiſtimant D. Thom. 3. p. q.66. art.6. ad 1. Caiet. ibi, omneſque ferè Thomiſtæ, multique alij Scholaſtici ſequuntur expoſitionem D. Thom. 28

1. Reſponſio Thomiſtarũ.

D. Thom.

Verùm tamen eſt, quod talis expoſitio Thomiſtarum non omnibus placet, quàpropter multi grauiſſimi Doctores recentiores, dicunt; Non eſſe credibile Apoſtolos aliquandò, aut eorum miniſtros baptizaſſe ſub illa forma; *In nomine Chriſti tantum*, omittendo perſonam Patris, & Spiritus ſancti; Sed credibile eſt eos baptizaſſe in nomine Chriſti, ſed ſub illa forma; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Chriſti, & Spiritus ſancti*: Ità ſentiunt Suar. to.3. de Sacr. D.21. ſect. 3. & Soto in 4. d.3. qu.1. art.3. alijque per multi ab ipſis citati, quare ſententiam iſtam multis, validiſque rationibus probant. 29

2. Reſponſio probabilior.

Suar. & Sot. cum alijs recentioribus.

Quarum prima ratio eſt, quę deſumitur ex Actibus Apoſtol. cap.19. vbi refertur D. Paulum inueniſſe quoſdam, qui ſe baptizatos eſſe affirmabant, eoſque interrogaſſe Apoſtolum, dicendo: *Si Spiritum ſanctum accepiſſent*: Qui cum reſpondiſſent: *Neque ſi Spiritus eſt audiuimus*: Obiurgauit eos Apoſtolus, dicens: *In* 30

Probatur 2. Sentẽtia: primo ex Actib. Apoſt. c. 19.

quo

Digitized by Google

quo ergò baptiZati eſtis? Quæ interrogatio apertè ſupponit, non potuiſſe illos baptizari ſine Spiritus ſancti mentione; ergò tunc etiam fiebat mentio explicitè perſonæ Spiritus ſancti de neceſſitate Sacramenti, & per conſequens trium perſonarum explicitè, in forma Baptiſmi: Quapropter iuſſit Apoſtolus illos iterum baptizari Baptiſmo Chriſti: *In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.*

31 Probatur 2. ex Canone Apoſtolorũ.

Secunda ratio eſt: Non eſſe credibile Apoſtolos aliquando vſos diſpenſatione circa formam eſſentialem ſacramenti Baptiſmi, quod colligitur ex Can. illo Apoſt. 49. & 50. Vbi damnatur error eorum, qui in morte Chriſti baptizabant, & ſubditur: *Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptiZate, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

32 Probatur 3. ratione.

Tertia ratio eſt, quia Apoſtoli fuerunt Eccleſiæ fundatores, in quorum doctrina, & prædicatione, fundata eſt Eccleſia: Cùm ergò non appareat textus de huiuſmodi diſpenſatione, credi nullo modo poteſt: Apoſtolos formam eſſentialem ſacramenti Baptiſmi à Chriſto traditam aliquandò mutaſſe, quia introduxiſſent errorem eſſentialem contra formam ſacramenti tam maximè neceſſitatis, vt ex Canone ſupradicto Apoſtolorum colligitur, ergò, &c.

33 Probatur 4. auctoritate Patrum. D. Auguſt.

Probatur quartò ſimul, & confirmatur multis, varijſque teſtibus, & teſtimonijs ſanctorum Patrum, qui verba illa ex Actibus Apoſtolorum interpretati ſunt: Ait enim D. Auguſt. contra Maxim. cap. 17. ex illis verbis Petri Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Chriſti:* Non poſſe (inquit) colligi, illos non fuiſſe baptizatos in nomine Patris, & Spiritus ſancti, quia licèt in nomine Ieſu Chriſti ſint baptizati vna perſona non excludit alias: Sic etiam Cyprianus Epiſcopus epiſtol. 72. & Fulgentius lib. 5. de Incarnat. & gratia cap. 11. Chryſoſt. Homil. 3. in epiſtol. 2. ad Corinth. cap. 13. Orig. libr. 5. in epiſt. ad Rom. cap. 9. Theophil. in fine Euang. Lucæ, ſimiliter multi Theologi, vt Suar. & Soto, locis ſupra cit. alijque multi ſecundùm mentem D. Aug. ſimilia loca Scripturæ interpretati ſunt; ergò, &c.

D. Cyprian. Fulgent. Chryſoſt. Origen. Theophil. Suarez. Soto.

34 Quomodò intelligenda ſunt verba illa in nomine Chriſti.

Quandò autem D. Lucas in Actib. c. 2. 10. & 19. dicit: Apoſtolos baptizaſſe: *In nomine Chriſti*, poteſt intelligi multis modis, videlicet, quod dicat: *BaptiZaſſe In nomine Domini Ieſu, vel auctoritate ipſius, vel Baptiſmo à Chriſto inſtituto*, ſed ſub forma verborum à Chriſto Domino tradita: Videlicet, *In nomine Patris.* Nam multi baptizati Baptiſmo Ioãnis nolebant amplius baptizari, vel denique, in nomine Domini Ieſu, ſed non ſolùm, ſed adiuncto *Nomine Patris, & Spiritus ſancti*: Fortaſsè enim ad magis commendandum nomen Chriſti dicebant Apoſtoli: *Ego te baptiZo in nomine Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti:* Ità Bellarm. lib. 1. de Baptiſmo c. 4. in fine, Suarez, Soto, locis ſup. citatis.

Bellarmin.

35 Obiectio difficilis. Nicolaus Papa.

Sed contra obijcitur, quod Nicol. Papa in cap. A quodam Iudæo de Conſ. d. 4. dixit, Illos, qui fuerunt baptizati à tali Iudæo in nomine Trinitatis, aut in nomine Chriſti tantùm, verè fuiſſe baptizatos. Vndè iterum rebaptizandos non eſſe: eò quia ità Apoſtoli baptizauere, vt in Actibus Apoſtol. legitur, ſequens in hoc doctrinam D. Ambroſij libr. de Spiritu Sancto c. 3. vbi dicit; quod: *Chriſtus ſignificat vnctum, ideſt, à Patre, tanquam à quo, & Spiritu ſancto tanquam ex quo, ideoque nomen Chriſti totam ſanctiſſimam Trinitatem implicitè importat.*

D. Ambr.

36 1. Solutio.

Reſpondetur: Papam, ibi nõ eſſe loquutum de forma, in qua expreſſo tantùm nomine Chriſti, omittũtur aliæ Diuinæ Perſonæ: Pater Videlicet, & Spiritus Sanctus, ſed loquutum eſſe de illa forma, in qua ſecũda perſona nominatur ſub nomine Chriſti tantùm, ſed non omiſſis alijs Perſonis. Cùm verò Nicolaus dicit: (*Tantum in nomine Chriſti*) illa dictio excluſiua non excludit alias Perſonas, ſed Filij expreſſam nominationem; Ità vt, ſi ſolum dictum ſit: *In nomine Patris, & Chriſti, & Spiritus ſancti*, non dicendo, *& Filij eius Ieſu Chriſti, ſed Chriſti tantum*, validum fuiſſe Baptiſmum: Quę expoſitio etiam tribui poteſt: D. Ambr. Et quãdò dixit, *In nomine Trinitatis*, intelligitur explicitè, & non implicitè, cùm ſit vna, & indiuiſa Trinitas.

Auctoritas Nicolai quomodò intelligenda.

Secundò etiam Reſpondetur: Nicolaum in hoc loquutum fuiſſe tanquam Doctorem, & non vt Pontificem: (vt ait Can. lib. 6. de locis c. 8. ad ſeptimum) quia in eo Decreto reſpondit primo Pontifex ad interrogationem, factam: *An baptiſmus datus à Iudæo fuerit validum?* Reſponditque Nicolaus tanquam Pontifex Affirmatiuè: ad aliud verò, quod indè ſubiunxit, locutus eſt tanquam Doctor, & ſententiam minus principalem ſequutus eſt: Ità Soto in 4. D. 3. qu. Vn. A. 6. Suarez D. 21. ſect. 3. Bonac. D. 2. q. 2. p. 4. nu. 8. Filliuc. to. 1. tr. 2. c. 3. nu. 57. 37 2. Solutio.

Soto. Suar. Bonac. Filliuc.

Ex dictis Infero, quod ſi quis dum baptizaretur, & proferretur aliqua pars formæ v. gr. *Ego te baptizo In nomine Patris, & Filij*, moreretur, antequam proferatur; *& Spiritus Sancti*, non eſſet verè baptizatus, quia adhuc forma non fuit completa, & quandò fuit completa, baptizandus non erat amplius viator, & Sacramenti capax: Ità Henriq. lib. 2. de Baptiſmo c. 9. nu. 3. Suarez, Filliucius, Bonacina, cum alijs locis ſuprà citatis. 38 Sacramentũ quando perficitur.

Henriq. Suarez. Filiuc. Bonac.

39 Verum eſt tamen, quod iſte talis ſepeliendus eſſet In cœmeterio, & caſiis relinquendus eſſet pietati ſummi, & æterni Pontificis, qui aliquandò, vt Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis ſupplet humano defectui ſua infinita pietate, pro vt dicunt communiter Theologi, ſupra citati.

40 In forma Baptiſmi nihil eſt addendũ, vel mutandum.

Vltimò tandem, concludendo dicimus: circa formam ſacramenti Baptiſmi non eſſe in ea aliquod mutandum, neque ſenſum verborum alterandum, nec aliquod addendum, aut ſubtrahendum; Et quandò mutatio eſſet eſſentialis nullum eſſet Sacramentum, vt ſupra iam explicatum eſt: Vndè eſt Regula talis, quæ in hoc Diſtico continetur.

Nil forma demas, nil pones, nil variabis,
Tranſmutare caue, corrumpere verba morare.

Et hæc de forma Sacramenti Baptiſmi, dicta ſufficiant.

TRACTATVS IV.

De Sacramentis.

Et de Baptiſmi Sacramento, Tract. II.

PROOEMIVM.

DIximus in præcedenti tractatu de quiditate, ac de partibus eſſentialibus ſacramenti Baptiſmi, quæ ſunt materia, & forma, tanquam partes intrinſecæ componentes, quo ad illud ſenſibile ſignũ, quod ſacramentum dicitur, in quo ſignificatio infallibilis inuiſibilis gratiæ regenerationis, & iuſtificationis fundatur, & ſecũdum Chriſti Domini inſtitutionẽ neceſſaria ſunt ad ipſum ſacramentũ conſtituẽdum: Nunc pro complemento huius præſentis materiæ, ſecũdum inſtituimus Tractatũ de Baptiſmo, qui in ordine noſtra Diuiſio Tractatus.

Digitized by Google

Theologiæ moralis, quartũ locum tenet, in quo de Partibus extrinſecis, quæ ſunt cauſa Efficiens, & Finalis eſt dicendum: Ideòque Primo de Miniſtro huius ſacramenti, deindè de ſubiecto ipſius, cui eſt applicandum, tam paruulis, quam adultis; Poſtmodum de Effectibus iſtius ſacramenti, ac de Ritibus, ac cæremonijs ab Eccleſia inſtitutis pro ſolemnitate Baptiſmi eſt dicendum.

DE MINISTRO SACRAMENTI Baptiſmi.

CAP. I.

1 In neceſſitate quilibet homo poteſt baptizare.

CVm Baptiſmi Sacramentum ſit medium neceſſarium ad noſtram ſalutem, & iuſtificationem cõſequendam; Eſt enim Ianua, & principium omnium Sacramentorum, mediante quo renaſcitur homo in vita gratiæ; Quapropter permiſſum eſt ex Chriſti Domini inſtitutione, quod quotieſcunque adeſt neceſſitas vrgens quilibet homo, habens vſum rationis, & qui poſſet abluere, & verba formæ proferre poterit licitè Sacramentum hoc adminiſtrare, ſiuè ſit clericus, ſiuè laicus, ſiuè fidelis, ſiuè infidelis, ſiuè conſecratus, ſiuè non conſecratus, ſiuè maſculus, ſiuè fœmina: Quod quidem intelligendum eſt tempore neceſſitatis in Baptiſmo ſimplici ſine ſolemnitate; Ità enim dicitur in Can. In neceſſitate: de conſ. D. 4. & eſt communis ſententia omnium Theologorum vt videre eſt apud Suarez D. 23. ſect. 2. Bonac. D. 2. de Baptiſmo q. 2. p. 5. & alios.

Limitatio. Can. In neceſſitate. Suarez. Bonac.

2 Ordo, & dignitas miniſtri ſeruanda eſt in Baptiſmo.

Verum eſt tamen, quod in caſu ſupra dictæ neceſſitatis ſeruandus eſt quidam ordo inter miniſtros: Vndè non licebit Diacono præſente Presbytero baptizare, neque debet clericus præſente Diacono, nec ſæcularis præſente clerico, neque fęmina præſente viro, nec infidelis præſente fideli; Vnuſquiſque enim ſecundùm dignitatem ſuam præferendus eſt.

3 Inuerſio huius ordinis quando eſt culpabilis.

Inuerſio tamen huius ordinis (per ſe loquendo) nõ eſſet mortale peccatum, niſi quandò adeſt Sacerdos: Nam præſente Sacerdote, non poteſt ſine culpa mortali, qui non eſt ſacerdos baptizare: alioquin ſibi vſurparet officium alienum in re graui: Faciliter tamen excuſari poterit aliquandò hoc peccatũ propter ignorantiam, ſiuè inaduertentiam, quando inſtat periculum mortis baptizandi, vel ſi ſacerdos præſens nolit baptizare; Ità Suarez de ſect. D. 31. ſect. 4. Bonac. D. 2. q. 2. p. 5. num. 11. Em. Sà Verbo Baptiſmus nu. 7. alijque communiter.

Suarez. Bonac. Em. Sà.

4 Dubium de Monachis, & Religioſis Franciſcanis.

Sed hic occurrit vna Difficultas, ſtatim ſoluenda; An quandò adeſt præſentia Sacerdotis Monachi, ſiuè alterius Regularis Ordinis D. Franciſci, quibus per Regulam, ſiuè per Canones interdictum eſt baptizare, tunc licitum ſit laico, ſiuè fœminæ in caſu neceſſitatis periclitantem baptizare; An verò debeat in caſu tali, Sacerdos Regularis Sacramentum Baptiſmi miniſtrare, non obſtante prohibitione Canonum, ſiuè Regulæ, vel hoc debeat committere alij præſenti cuiuſcumque ſit conditionis, ne ipſe faciat contra obligationem ſuam?

5 Reſolutio. Poteſt licitè Monachus, ſiuè Franciſcanus baptizare.

Reſpondetur: In tali caſu ſemper, quò ad fieri poteſt præferendum eſſe Sacerdotem, ſiuè Monachum, ſiuè Regularem Franciſcanum, quamuis hoc illis ſit interdictum, ſiuè per Canones, ſiuè per Regulam; Et ratio huius eſt, quia neceſſitas non habet legem, & in caſu ceſſat præceptum Regulæ profeſſionis, ſiuè Canonis quandò vrget neceſſitas ad baptizandum puerum periclitantem, quia Eccleſia in hoc diſpenſare intendit: prout benè declarauit Pater Hieronymus à Politio in Reg. D. Franciſci. c. 11, nu. 24.

Hieron. à Politio.

Quæritur ſecundò: An peccet, qui Sacramentum Baptiſmi miniſtrat extra neceſſitatem, etiam ſine ſolemnitate, maximè quandò talis miniſtrans non ſit ſacerdos. 6

Secundo dubitatio. An, qui non eſt ſacerdos poſſit baptizare.

Reſpondetur: Peccare mortaliter, quia facit contra præceptum Eccleſiæ in re graui: Nam ſacerdoti per ſe competit Sacramenta miniſtrare, cùm Sacramenti adminiſtratio ſit actio ſacra, & ſolummodò permittitur baptizare laico neceſſitate vrgente, non autem extra: Ità D. Tho. 3. p. q. 67. A. 3. & Bonac. de Sacr. D. 2. q. 2. p. 5. nu. 9. Valentia tom. 4. D. 4. q. 3. p. 1. & Rodriq. in ſum. c. 25. concl. 1. & alij.

Solutio. Sacerdotis eſt ſacramẽta miniſtrare. D. Thom. Bonac. Valentia. Rodriq.

Dico ſecundò: Ius Baptizandi ex officio ſolemniter iuxta ritum Eccleſiæ ſolis ſacerdotibus conuenire; .i. Parochianis, ſiuè alijs ſacerdotibus de ipſorum licentia: Ità enim definitum eſt per Concil. Florent. in Inſtit. Arm. Et in Can. Conſtat. de conſ. D. 4. Ità Suarez tom. 3. 4. 23. ſectio. 2. Bonac. cum alijs ſupra citatis; & Ratio huius eſt, quia tantùm ſacerdos habet poteſtatem in corpus Chriſti verum, & in miſticum, quæ eſt Eccleſia: Vndè ſequitur, quod: ſi quis ſolemniter baptizaret, cùm non ſit ſacerdos peccaret mortaliter, vſurpando alienum officium in re graui, ac etiam irregularitatem incurreret: vt patet ex cap. primo de Clerico, non ordinato miniſtrante; Ità Bonac. D. 2. de Baptiſmo q. 2. p. 5. nu. 9. Henriquez lib. 2. c. 28. num. 1. & alij. 7

Ius baptizãdi requiritur in miniſtris extra neceſſitatem. Conc. Flor. Suarez. Bonac. Aſſignatur ratio. c. 1. de cler. non ordinato, miniſtr. Bonac. Henriq.

Diaconus autem, quamuis ex vi ſuæ ordinationis poſſit Sacramentum Baptiſmi etiam ſolemniter miniſtrare, vt patet ex Pontificali Romano, hoc tamen facere non debet, niſi de licentia Parochi, & quandò ſacerdos eſſet impeditus, vt patet ex Can. Diaconos, & ex Can. Præſente D. 93. Quapropter ſi ſecus faceret grauiter peccaret, eò quod alieni muneris vſurpator erit: Sacramentum tamen erit validum, nec irregularitatem incurreret, quia ex vi ſuæ ordinationis habet poteſtatem ex Pontificali: Ità Bonac. D. 2. q. 2. n. 4. 8

Diaconus, an poſſit licitè ſolemniter baptizare. & quandò? Ex can. Diaconos. & ex can. præſente. Bonac.

Dico tertiò: In miniſtro huius Sacramenti neceſſariam eſſe intentionem baptizandi; ſiuè actualem, ſiuè virtualem, aliter enim Sacramentum nullum erit, vt patet ex dictis ſupra de Sacr. in gener. Intentio enim miniſtri neceſſariò requiritur ad valorem cuiuſcumque Sacramenti iuxta doctrinam Concil. Flor. & Trid. locis ſupra citatis. 9

Intentio miniſtri neceſſaria eſt. Conc. Flor. Trid.

Ex quo ſequitur primò: Illum non validè baptizare, qui ſolùm haberet intentionem occidendi puerũ: Secus autem ſi haberet intentionem baptizãdi, ſimul & occidendi, ſiuè iocandi, vt patet ex facto Athanaſij, qui cùm ioco baptizaret aliquos pueros adiudicatum fuit ab Alexandro Patriarcha validè baptizaſſe, eò quia habuit intentionem non ſolùm iocandi, ſed etiam faciendi, quod facit Eccleſia in illo actu: Ità Tolet. in ſum. lib. 2. c. 20. Graff. p. deciſ. lib. 1. c. 3. nu. 36. alijque communiter. 12

An ſit validum Baptiſmum, ioco collatum? Tolet. Graff.

Secundò ſequitur: Illum validè baptizare, qui baptizat puerum, vt lucretur, ſiuè occidat, intendens tamen verè baptizare, & præterea occidere, & ratio huius eſt, quia finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam ad ſacramentum: Ità Barth. ab Angelo: de ſacr. in gen. §. 33. Bonac. loc. cit. n. 13. 11

An quandò propter lucrum, aut animo occidendi baptizat. Bart. ab Ang. Bonacina.

Dico tandem, quod: Cùm Sacramentum Baptiſmi imprimat characterem indelebilem in Animam baptizati, ideò miniſter non debet, nec poteſt ſine irregularitatis pœna aliquem rebaptizare, ſi moraliter conſtet, Baptiſmum ſemel collatum fuiſſe validum; Si verò probabile dubium ſit de validitate Baptiſmi: Iterum conferendus eſt ſub conditione: *Si non es baptizatus.* 12

Baptiſmus iterari non poteſt, niſi in caſu dubij.

Non tamen neceſsè eſt, vt iſta conditio ſemper exprimetur, ſed ſufficit, quod ſaltem mente concipiatur: 13

Conditio nõ eſt neceſsè, vt exprimatur.

Cùm

Cùm enim valor ſacramenti pendeat ex intētione miniſtri, conditio idem operatur, ſiuè interius tantum concipiatur, ſiuè exterius exprimatur; Verum eſt tamen, quod ſine dubio probabili de validitate Sacramenti forma non debet iterari, etiam ſub conditione, niſi in caſu dubij de Sacramenti validitate; Ità Filliuc. tom. 1. tract. 2. c. 4. num. 89. Bonac. D. 2. q. 2. p. 5. nu. 20. Rodriq. in ſum. c. 25. concl. 2. Victor. in ſumm. de Baptiſmo concl. 35.

Filliuc. Bonac. Rodriq. Victoria.

13 Conditio de futuro vitiat Sacramentū.

Hic tamen aduerte, quod quandò datur forma ſub conditione, non poteſt dari ſub conditione de futuro, quia tunc nullum eſſet Sacramentum, ſed ſolùm de re præterita, vel preſenti; prout plenius nos explicauimus ſuprà in tr. 1. de ſacr. in gen. c. 4. n. 36.

15 Ritus Eccleſiæ ſeruādus eſt.

Dico tandem, quod Miniſter huius ſacramenti, quandò ſolemniter Baptiſmi ſacramentum confert debet fideliter ſeruare omnes cœremonias, quæ in Rituali de præcepto Eccleſiæ, & recepta conſuetudine ſunt in vſu; Alter enim ſecus faciens grauiter peccaret, vt patet ex communi conſenſu omnium Theologorum; Ità Filliuc. loc. cit. n. 88. & habentur ex Trid. ſeſſ. 7. can. 13.

DE SVBIECTO SACRAMENTI Baptiſmi.

CAP. II.

1 Subiectum Baptiſmi quis ſit.

SVbiectum Sacramenti Baptiſmi eſt quilibet homo natus de muliere, qui adhuc baptizatus non fuerit, exiſtens in mortali corpore, ſiuè ſit infans, ſiuè adultus, ſiuè maſculus, ſiuè fœmina: Nam de omnibus viatoribus Dominus dixit; *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Ità docent omnes Catholici Doctores, nemine diſcrepante.

2 Satyrus, an ſit capax Baptiſmi.

Hinc ſequitur primò: Satyrum, genitum ex fœmina, & Bruto non eſſe capacem ſacramenti Baptiſmi; quia talis non eſt verus homo, nec habet peccatum originale, cùm peccatum originale traducatur ex Adamo per virilem virtutem Seminalem. Ità Henriquez in ſum. lib. de Baptiſmo c. 21. Barth. ab Angelo §. 132. Poſſeuinus de offic. cur. de Baptiſmo c. 6. num. 13. Bonac. to. 1. D. 2. q. 2. p. 6. n. 3.

Henriq. Bart. ab Ang. Poſſeuinus. Bonac.

Sed maior difficultas eſt, An monſtrum, genitum ex viro, & fœmina baptizandum ſit?

3 An monſtrū baptizādum ſit, & quomodò.

Reſpondetur tamen breuiter, quod ſi habet caput hominis debet baptizari, quia eſt homo, conſtans ex Anima rationali, & corpore: Immò ſi conſtaret habere duplicem animam, vt ſi haberet duo capita, & duo pectora diſtinctè bis baptizandum eſſet, dicendo ſemel in vtroque capite, vel ſaltem vnico actu dicendo: *Ego vos baptizo*, ſi periculum ſit in mora, & neceſſitas vrgeat.

4 Habens duo capita quomodò baptizandus.

Si verò dubitatur: An conſtaret duplici anima rationali, vt ſi haberet duo capita cum vno corpore, vel duo pectora ſub vno capite; Duplex Baptiſmus conferendus eſt, vnus abſolutè in ea parte, in qua perfectum caput, vel pectus appareret; Alter ſub conditione in altera parte, dicendo; *Si capax es Baptiſmi: Ego te baptizo*. Ità Tolet. lib. 2. cap. 21. num. 6. Chamerot. de Baptiſmo c. 5. d. 11. Regin. lib. 27. num. 65. Soto in 4. D. 3. q. 1. A. 9.

Toletus. Chamerota. Reginald. Soto.

5 Mortuus baptizari non poteſt.

Infero 2. Puerum mortuū nullo modo poſſe baptizari, eò quia non eſt viator, & ſubiectum baptiſmi eſt homo viator natus, & exiſtens in vita mortali; Vndè, ſi Infans moriatur antequam perficiatur tota forma non eſſet baptizatus, vt ex ſupradictis patet.

6 Infans exiſtens in vtero matris baptizari nō poteſt.

Infero 3. Infantem exiſtentem in vtero matris nō poſſe baptizari, quia nondum eſt corporaliter natus, quia tunc non poſſet verè ablui, ſiuè aqua aſpergi, prout dicitur in c. Cum in maternis de conſ. D. 4. Nec ſufficit aſpergere Ventrem matris; etiam ſi filius cēſeatur pars matris per colligationem, & ab ea ſumat alimentum, ſecundùm Medicos; Nam huiuſmodi colligatio non facit, quin ſint duæ perſonæ, ſicut non deſunt eſſe duo, qui ſimul coniuncti naſcuntur cum duplici capite, & reliquis membris coniunctis: non ergò ſufficit, vt aſpergatur Mater, cùm ſit perſona diſtincta à filio, exiſtente in vtero, & ea aſperſa, non dicitur Infans ablutus: Ità Reginal. lib. 27. n. 18. Bonac. D. 2. q. 2. p. 6. & alij.

c. Cum in maternis.

Reginald. Bonac.

7 An poſſit Infans baptizari in digito? Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte. Scotus. Gabriel.

Infero 4. quod ſi puer ſolum digitum, ſiuè aliquam etiam minimam corporis partem exeat de vtero matris, & ſit euidens periculum, ne moriatur antequam perfectè naſcatur, poteſt licitè, & debetur talis in illo digito, ſiuè alia corporis parte baptizari ab obſtetrice, quia anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, ergò ſufficiēter quis abluitur à peccato originali in quacumque corporis parte abluatur; Ità Scotus in 4. D. 4. q. 3. Gabr. ibid. q. 2. A. 3.

8 Limitatio.

Verum eſt tamen, quod ſi talis poſtea naſcatur debet iterum rebaptizari ſub conditione, cum res ſit cōtrouerſa, & dubia inter Doctores: quia quandò eſt commoditas ſemper baptizandus abluendus eſt in parte principali, vt in capite, vel pectore, vel ſcapulis, & iſte talis non eſſet amplius baptizandus: Ità Coninch. de Sacr. q. 66. d. 2. nu. 8. de Baptiſmo.

Coninch.

9 An mater ſit aperienda ad baptizādum puerum?

Infero 5. quod ſi Mater grauida moriatur, & filius in ipſius vtero exiſtens credatur viuere, aperienda eſt Mater, vt Infans extrahatur, & baptizetur: Quamdiù verò mater viuit, non eſt aperienda, vt Infans extrahatur, & baptizetur: etiamſi Mater ipſa ob partum moritura ſit: Non enim ſunt facienda mala, vt indè veniāt bona: Si verò mater grauida per Iudicis ſententiam damnata eſſet ad mortem differenda eſt ſententia, donec mater peperit. Ità docēt Viualdus in Candel. Aur. nu. 20. De Bap. Bonac. D. 2. q. 2. p. 6. n. 9. & habetur ex lege Prægnante. ff. de Pœnis.

Viualdus. Bonacina. L. Prægnante ff. de Pœnis.

10 An puer ins ſecundinis baptizari poſſit.

Infero 6. quod ſi Puer ex Vtero matris natus, adhuc eſſet ſolis ſecundinis inuolutus, ſi periculum eſſet in mora, poteſt, & debet baptizari, quia illa pellis ſecundinæ eſt quædam pars corporis, & ob eamdē cauſam ſufficit capillos pueri aqua madefieri, etiam ſi ob eorum diſtantiam aqua carnem non tangat; prout docent Vaſq. 3. p. D. 145. nu. 31. Syl. Verb. Baptiſmus 4. n. 2. Secus autem dicendum eſt de veſtibus, aut ſi puer eſſet corio incluſus, quia eò modo baptizari nō poteſt, quia illa nō ſunt partes corporis, & nulla ratione puer poſſit tangi ab aqua; Ità Coninch. q. 66. A. 6. & 7. d. 2. nu. 78. de Baptiſmo, alijque communiter.

Vaſqu. Syluest. An corio, ſiuè veſtibus incluſus? Coninch.

11 An inuitis parentibus filius baptizari poſſit? Diſtinctio notanda.

Sed maior difficultas eſt: An liceat baptizare aliquem, inuitis parentibus, & præcipua difficultas eſt de filijs infidelium: Vndè, pro ſolutione, præmittenda eſt diſtinctio tali pacto: Vel filij, carent vſu rationis, vel habent, 2. vel ſunt in mortis periculo, vel non, 3. vel habent vtrumque parentem fidelem, vel vnum tantum, 4. vel vnus parentum conſentit, vel vtrumq; diſſentit, 5. vel ſunt ſubditi Principi Chriſtiano, vel nō: 6. tandem, vel ſunt ſerui Chriſtianorum ideſt Mancipia, vel non.

12 1 Dictum. Habēs vſum rationis inuitis parentibus licet. D. Thomas. Suarez.

His ſuppoſitis dico primò, quod: Si filius habet vſum rationis, & petit Baptiſmum, baptizari debet etiam inuitis parentibus, & illis ſubtrahi, vt peruerſionis periculum euitetur, quia habet ius petendi, nec tenetur parentibus obedire in ijs, quæ ſibi, & Deo ſunt contraria: Ità D. Thom. 3. p. q. 68. A. 5. Suarez tom. 3. D. 25. ſect. 3.

13 Circa ſeptēnium eſt vſus rationis.

Si verò eſſet dubium: An habeat vſum rationis dicimus, quod: Si compleuit ſeptennium, debet baptizari: Nam completo ſeptennio communiter præſumitur quis habere vſum rationis; Si verò non habet vſū

rationis, eò quod non adhuc ad ſeptennium peruenerit non debet baptizari, parentibus contradicentibus; quia tunc melior eſt conditio parentum poſſidentiū; Ità Bonac. de Baptiſmô d.2. q.3 p.6. n.11. *Bonac.*

14 *2. Dictum. De filijs infidelium.* Dico ſecundò: Filios infidelium, nonquam baptizatorum, carentes vſu rationis, non poſſe inuitis parentibus baptizari, & Ratio huius eſt, quia, vel tales filij baptizati ſubtrahuntur à parẽtibus, vel ipſis relinquuntur: Si ſubtrahantur iniuria fit parentibus; Si relinquantur, aut periculum ſit, vt ad ipſos redeant, adeſt periculū peruerſionis, & ſic fieret iniuria Chriſtianæ Religioni, & Sacramento Baptiſmi ob periculum peruerſionis: Ità Chamerota de Baptiſmo c.5.d.3. *Chamerota.*

15 *De filijs Hæreticorum.* Si verò ſint Filij Hæreticorum, aut aliorum Apoſtatarum à fide; poteſt Eccleſia huiuſmodi filios, etiam inuitis parentibus baptizare: Sicut enim poteſt Eccleſia ipſos parentes, qui ante fuerant baptizati compellere cenſuris, & pœnis corporalibus ad ſeruandam fidem, ità etiam poteſt ipſis ſubtrahere filios, eoſque Sacramento Baptiſmi initiari. Ità Conint.q.68. A.10, n.66. Bonac. cum alijs ſuprà citatis. *Coninch. Bonac.*

16 *3 Dictum. Quandò adeſt periculum mortis pueri.* Dico 3. quod; Si puer ſit in manifeſto mortis periculo poteſt licitè baptizari, etiam inuitis parentibus, quia in hoc parentes ſunt irrationabiliter inuiti: in hoc enim caſu ceſſat periculum peruerſionis, & ſubueniendum eſt proximo in extremo indigenti: Ità Soto in 4. D.5. q. Vnica A.6. Coninch. cum alijs ſuprà citatis. *Soto. Coninch.*

17 *4. Dictum quādo vnus parẽs eſt chriſtianus. Can. Iudæo.* Dico 4. Filium, natum ex vno ſaltem parente Chriſtiano baptizandum eſſe, etiam inuitis parẽtibus, quia huiuſmodi filius ex vi ſuæ originis ſubditus eſt Eccleſiæ, & imitari, & ſequi debet parentem Chriſtianum, vt habetur ex Can. Iudæo 28 q 1. Sic etiam dicimus, quod; Filius natus ex vtroque parẽte infideli, quorum vnus poſteà conuerſus eſt ad fidem: Nam filius ſequitur parentem innocentem, ideſt conuerſum ad fidem, ideòque eſt baptizandus, etiam altero parente cõtradicente. Ità Bonacina D.2. q.2. p.6. no.21. *Filius ſequitur parentẽ innocentem. Bonac.*

18 Sic etiam dicimus, quod filius natus ex vtroque parente infideli, quorum vnus conſentit, altero verò reclamante, & reluctante baptizari licitè poteſt: Ratio huius eſt, quia cum hic actus cedat in fauorem Religionis, & ſaltem Infantis, & fauorabilis ſit, conſequẽter, præferendus eſt diſſenſui alterius; Ità Bonac. cum alijs ſupracitatis. *Bonac.*

19 *Quintum dictum de filijs tributariorū.* Dico 5. Filios infidelium, qui non ſunt ſerui, ſed tantùm tributarij, & Vaſſalli Principum Chriſtianorum, quales ſunt Iudæi, commorantes in aliquibus Ciuitatibus ex conceſſione Principum, non poſſe inuitis parentibus baptizari, quia huiuſmodi parentes, qui ſunt tributarij, & non ſerui, non amittunt Ius in filios ſuos; Ideòque ipſis contradicentibus baptizari nõ poſſunt, cùm non poſſint priuari iure ſuo, quod habẽt in filios; Ità Soto in 4, D.5. A.10, alijque communiter. *Soto.*

20 *Sextum dictum de filiis Mancipiorū.* Dico tandem vltimo, quod; Filij ſeruorum, ideſt Mancipiorum Chriſtianorum baptizari poſſunt de cõſenſu dominorum ſuorum, etiam inuitis parentibus; in his enim non militat ratio, quam attulimus de tributarijs. quia Domini poſſunt filios huiuſmodi ſeruorum à parentibus ſeparare, & vendere, cùm habeant dominium in parentes, & filios, ideòque nulli fit iniuria. Ità communiter omnes Doctores ſupracitati.

21 *Dubitatio de captis in bello.* Dubium tandem reſtat ſoluendum: An Chriſtiani in bello, capientes infideles, qui habent huiuſmodi Infantes, poſſint licitè, recepto pretio proprijs parentibus infidelibus reddere?

Reſolutio. Reſpondetur: licitè poſſe, ſi velint vendere huiuſmodi Infantes, (niſi prius eſſent baptizati) parentibus infidelibus: Ratio huius eſt, quia quamuis Domini ſuccedunt in Ius parentum, non tamen ſuccedunt in omnibus ſecundùm omninam eamdem obligationem, ideòque ſi volunt vendere licitè poſſunt: Ità Hẽriq. in ſum. c.25. nu.2. de Baptiſmo, Suarez, Filliucius, & Bonac. cum alijs, ſupracitatis. *Henriq. Suarez. Filliuc. Bonac.*

22 *Parentes non baptizantes filios, vltra decem dies p.m.* Parentes autem Chriſtiani tenentur filios ſuos facere baptizari abſque notabili mora, ne periculum immineat mortis; Vndè ſi in hoc eſſent negligentes, & nimium dilatarent Baptiſmum vltra decem dies peccatent mortaliter ratione periculi: Et hæc de Baptiſmo paruulorum, dicta ſufficiant.

DE BAPTISMO ADVLTORVM.

CAP. III.

1 *Tria requiruntur in adulto. Primò intentio recipiendi Baptiſmū.* IN adulto baptizando, habente iam rationis vſum tria requiruntur, vt licitè poſſit Sacramentum Baptiſmi ſuſcipere; primò intentio actualis, ſiuè Virtualis, vel ſaltem interpretatiua recipiendi Baptiſmum: Aliter enim Sacramentum omninò nullum eſſet; quia voluntas ſaltem interpretatiua in adulto eſt neceſſaria ad validitatem Sacramenti, vt ex ſupra dictis de Sacram. in gener. ſatis conſtat, cuius ratio deſumitur ex verbis D. Auguſt. dicentis: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*, ideſt niſi conſentias cum voluntate. *D. Auguſt.*

2 *Inuoluntariè baptizatus non recipit characterem.* Hinc ſequitur primò, quod: Si quis contra ſuam voluntatem baptizatus fuerit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti; Et taliter baptizans mortaliter peccabit, quia iniuriam facit Sacramento, quod ex ſuo genere, ſacrilegium eſt.

3 *De Baptiſmo collato dormienti.* Secundò infero; Validum eſſe Baptiſmum, collatum dormienti, qui primum ante ſomnum petierat baptizari, vel ſaltem voluntatem recipiendi Baptiſmi habebat: Nam in illo, quamuis nõ ſit voluntas actualis, eſt tamen virtualis, quæ eſt ſufficiens ad validitatẽ Sacramenti: Sic etiam dico de amente, vel furioſo, qui dum haberet lucida rationis interualla petierat Baptiſmum, etiam ſi poſtea dum baptizatur reſiſtere videatur; (nam illa reſiſtentia non repugnat Intentioni ante elicitæ, cùm illa reſiſtentia, quæ tunc temporis contingat non eſt actus humanus; Vndè in talibus ſupra dictis inuenitur intentio, ſaltem habitualis, quæ in ſuſcipientibus hoc Sacramentum eſt ſufficiens: Ità Henriq. lib.2.c.24.n.1. Graff 2.p. deciſ. lib.1.c.4. nu.45. Bonac. D.2.q.2.p.6.n.18. alijque ab ipſis citati. *De Amente, & Furioſo. Intentio habitualis in ſuſcipientibus ſufficit. Henriq. Graffius. Bonacina.*

4 *Notandum pro amente baptizando.* Sed notandum, quod quandò quis incidit in amentiam expectandum eſt, vt amens ad ſe redeat, ſi ſpes adeat reſipiſcentiæ, ſublata verò ſpe reſipiſcentiæ baptizandus eſt, cùm Baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis: Ità Bellarm. lib. de Baptiſmo cap. 9. Henriq. lib. 2.c.44. cum alijs ſupracitatis. *Bellarmin. Henriq.*

5 *Difficultas.* Sed ſi quæras: An baptizandus ſit amens, de quo dubitatur: an petierit baptizari antequam in amentiam incidiſſet?

Reſolutio. Reſpondetur baptizandum eſſe ſub conditione: *Si petijſt Baptiſmum, vel ſi es capax*: modo non conſtet permanſiſſe in peccato mortali. *Limitatio.* Ratio huius eſt, quia melius eſt ipſum decedere cum Baptiſmo dubio, quam ſine vllo Baptiſmo; Verùm eſt tamen, quod ſi conſtet permanſiſſe in ſtatu peccati mortiferi, vt in concubinatu, non eſſet baptizandus, quia baptizaretur cum obice, & Sacramẽtum adminiſtraretur indigno, quod eſſet inconueniens.

6 *Metus non tollit intentionem ſimpliciter.* Tertiò infero validum eſſe Baptiſmum adminiſtratum illi, qui per metum grauem illum recipit, vt ſi quis metu ſeruitutis recipit Baptiſmum, intendens tamen verè illum recipere: Ratio huius eſt, quia metus non tollit intentionem, & valorem ſimpliciter: Secus dicẽdum eſt de illo, qui per vim, & metum coactus recipit

Baptiſ-

Digitized by Google

Baptiſmum ſine vlla intentione recipiendi: tunc enim ille nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti; Ità Nauar. in man. c. 22. n. 10. & alij communiter.

Nauarr.

7 Quartò infero, quod ſi quis baptizaretur cum intentione neutrali, quando videlicet recipiens dubius hęrebat, an vellet recipere Baptiſmum, vel non: iſte talis non eſt verè baptizatus, quia hic nō videtur habuiſſe intentionem recipiendi Baptiſmum: Ità Soto in 4. D. 5. A. 6. Graff. 2. p. deciſ. lib. 1. c. 3. Henriq. & alij ſupracitati.

De intentione neutrali.

Soto. Graffius. Henriquez.

8 Diſpoſitio ſecunda, requiſita in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu, eſt fides ſupernaturalis; Vndè ſi quis ſine fide Baptiſmum recipiet non conſequitur effectum Sacramenti, quæ eſt gratia iuſtificans; *Impoſſibile enim eſt ſine fide placere Deo:* Vndè dixit Dominus in Euang. Marc. 11. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.* At quoniam habuit intentionem recipiendi, validum fuit Sacramentum, & recepit characterem, rem verò Sacramenti, quæ eſt gratia non recepit; Verum eſt tamen, quod ſi poſtea conteratur, & confiteatur de illo peccato cum fide Sacramenti, tunc conſequitur effectus, recedente fictione; Ità D. Tho. 3. p. q. 68. A. 8. Soto in 4. D. 5. A. 8. Bonac. D. 2. q. 2. p. 6. nu. 23. & alij.

2. diſpoſitio. Fides requiritur, vt fructum recipiat Sacramenti. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Marc. 11.

D. Thom. Soto. Bonac.

9 Diſpoſitio 3. requiſita in adulto ad recipiendam gratiam eſt pęnitentia interior de peccatis commiſſis, iuxta illud Apoſt. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum:* Verum eſt tamen non eſſe neceſſariam contritionem, ſed ſufficere attritionem, quæ procedit propter metum Gæhennæ, aut turpitudinem peccati cum propoſito obſeruandi legem Dei, & præcepta ipſius, & Eccleſiæ; Ità Tolet. lib. 2. c. 21. nu. 5. & patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 7. & ſeſſ. 9. c. 6. & ſeſſ. 14 cap. 4.

Diſpoſitio 3. eſt Pœnitentia. Act. 2. In Baptizando ſufficit attritio.

Tolet. Conc. Trid.

10 Non eſt tamen neceſſaria peccatorum confeſſio ad recipiendum Baptiſmum, cùm Baptiſmus ſit Ianua Sacramentorum omnium; Et peccata, ante Baptiſmum commiſſa non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: Vndè ſequitur, quod baptizato adulto nulla eſt imponenda pœnitentia de peccatis commiſſis ante Baptiſmum, quia totaliter, quò ad culpam, & quò ad pęnam per Sacramentum Baptiſmi delentur per virtutem paſſionis Chriſti Domini noſtri, vt videbitur in ſequenti capitulo.

Peccata ante Baptiſmum, non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI Baptiſmi.

CAP. IV.

1 Varij, multique ac innumerabiles ſunt effectus Sacramenti Baptiſmi, ſed præcipui, & principales ad tres reducuntur à Theologis; quorum primus eſt gratia habitualis, ſecundus eſt remiſſio totius culpæ, & pœnæ, Tertius eſt character indelebilis, impreſſus in anima baptizati.

Effectus Baptiſmi, qui ſunt.

2 Primus ergò effectus Sacramenti huius eſt; Conferre gratiam habitualem, ſanctificantem animam baptizati cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam ipſam conſequuntur, modò non adſit obex ex parte recipientis: Ità determinatum fuit de fide in Clement. Vnica de ſum. Trinit. in fine & in Conc. Trid. ſeſſ. 5. de peccat. orig. Ità Tolet. in ſum. lib. 2. c. 21. & alij.

Primus effectus eſt. Conferre gratiam cũ donis. Clement. de Trinit. Concil. Trid. Toletus.

3 Ex quo ſequitur, quod per Baptiſmum non ſolum deletur peccatum originale, ad quod delendum principaliter fuit inſtitutum, verum etiam omnia peccata actualia quantumcumque facinoroſa, ante Baptiſmũ commiſſa, ità enim habetur ex doctrina Concil. Trid. ſeſſ. 6. dicentis: *Iuſtificatione deleri omnia peccata, & hanc iuſtificationem conferri per Baptiſmum: In renatis enim nihil odit Deus.* Cùm enim gratia Sacramentalis faciat hominem ſimpliciter Deo gratum, & amicum, delere debet, non modo peccatum originale, verum etiam omnia actualia, per quæ homo inimicus Dei conſtituitur: Et quamuis Baptiſmus principaliter inſtitutus fuerit ad delendum originale peccatum, nihilominus eſt etiam ordinatus ad remittenda peccata actualia, ante Baptiſmum commiſſa, eò quia peccata perpetrata ante Baptiſmum non ſunt materia ſacramenti Pœnitentiæ, ergò deleri debent per ipſum Baptiſmum: Ità Henriq. lib. 2. de Baptiſm. cap. 16. num. 2. Suar. tom. 3. D. 16. ſect. 2. Bonac. d. 2. quæſt. 2. p. 7. num. 4. & alij.

Baptiſmus omnia peccata etiã actualia remittit totaliter. Concil. Trid. In renatis nihil odit De⁹.

Henriq. Suar. Bonac.

Verum eſt tamen, quod peccata, quæ committuntur in ſuſceptione Baptiſmi propter indiſpoſitionem adultis ſuſcipientis, aut poſt Baptiſmum ſuſceptum, non delentur per ipſum Baptiſmum receptum, ſed ſubijcienda ſunt clauibus ſacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium: Quapropter Baptiſmi ſacramentum pueris ſemper confert omnibus æqualem gratiam: Adultis verò non ità, ſed ſecundum diſpoſitionem maiorem, vel minorem ſuſcipientium. 4

An conferat omnibus æqualem gratiam.

Secundus effectus Sacramenti huius eſt: Delere non modò pecc. orig. & omnia actualia, verum etiam omnem pœnam debitam: Vndè ſi quis ſtatim ſuſcepto Baptiſmo, abſque obice moreretur, immediatè abſque vllo impedimento euolabit in Cœlum; Cùm enim ianua Regni Cœlorum aperta ſit, mediante Chriſti paſſione, & per Baptiſmum auferatur omnis obligatio ad pœnam, nihil obſtat quominus baptizatus ſtatim euolet in cœlum, ſi ſtatim ſuſcepto Baptiſmo, antequam aliquam culpam committat moriatur: Ità D. Tho. 3. p. q. 69. artic. 7. Suar. d. 16. ſect. 1. Syluest. ver. Bap. 6. n. 4. & alij. 5

Secundus effectus eſt remiſſio totius pœnæ peccatis debitæ.

D. Thom. Suar. Syluester.

Verum eſt tamen, quod Pœnalitates, contractæ per peccatum originale, quales ſunt: Concupiſcentia inordinata, Mors corporalis, & Infirmitates: Non delentur per Baptiſmum, vt experientia patet: habet tamen virtutem illas moderandi, & illius virtute auferendæ ſunt in reſurrectione iuſtorum, quando mortale hoc induet immortalitatem in die iudicij; prout dicunt cõmuniter omnes Theologi, ſup. cit. 6

An Baptiſm⁹ tollat pœnalitates peccati originalis.

Tertius effectus Baptiſmi eſt impreſſio characteris indelebilis in anima baptizati, propter quem Baptiſmus iterari non poteſt. Nam ſicut impoſſibile eſt bis naſci corporaliter; Ità impoſſibile eſt bis ſpiritualiter renaſci: Qui quidem character ſecundum probabiliorem, & veriorem ſententiam Theologorum eſt quædã qualitas ſupernaturalis primæ ſpeciei habitus, videlicet, vel diſpoſitio: diſtincta realiter ab ipſa anima rationali, immediatè in ſubſtantia ipſius animæ inhætẽs indelebiliter, & diuinitus infuſa, aſſimilatiua alijs, habentibus, talem characterem, & diſtinctiua ab alijs talem characterem non habentibus, rememoratiua ſacramenti ſuſcepti, & conformatiua Chriſto, cuius filius efficitur per regenerationem, & obligatiua ipſi Chriſto ad præcepta ipſius, eiuſque Eccleſiæ ſeruanda. 7

Tertius effectus. Eſt character indelebilis. Quid ſit character.

Vndè ſequitur Baptiſmi Sacramentum iterari non poſſe, ſi ſemel ritè collatum ſit: Nam character, qui per Baptiſmum confertur indelebilis eſt, & æuiternaliter perſeuerat: Nam rationalis anima, in qua imprimitur eſt æuiterna, & immortalis, ideò, &c. vt colligitur ex Trid. Seſſ. 7. de Baptiſmo: Suar. tom. 3. diſt. 9. ſect. 3. & d. 22. ſect. 2. Graff. 2. p. deciſ. lib. 1. c. 1. nu. 10. Quapropter ſi quis ſacramentũ Baptiſmi ſcienter reiteraret grauiſſimè peccaret peccato ſacrilegij, & irregularitatem incurreret, ſecundum omnes communiter: Quãdo verò dubitatur de validitate ipſius, tunc iterari poteſt ſub conditione dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo:* Ità Bonac. diſput. 2. quæſt. 2. pat. 7. numero 11. 8

Baptiſmi ſacramentum irreiterabile & quare?

Trid. Suar. Graff.

Baptiſmum reiterans fit irregularis.

Bonacin.

ro t t, alijque communiter ſupra citati.

9 Alij effectus minus principales.
Iſti ergò ſunt effectus principales ſacramenti Baptiſmi; dantur etiam,& alij plures effectus minus principales,& ſecundarij, vt ſanitas corporis, quæ aliquando miraculosè,mediante Baptiſmo confertur,vt patet de lepra Conſtantini Imperatoris; Secundus eſt ablatio irregularitatis ex delicto perpetrato ante Baptiſmum, quæ ablatio irregularitatis tollitur, vt dicetur in 2 tom.in tract.de Cenſuris, loquendo de irregularitate: Et tertiò tandem promittitur Eccleſiæ obedientia, ſaltem implicitè, ſicut recipiens Ordines Sacros promittit implicitè votum caſtitatis. Ità Graff.p.2. deciſ. lib.1.c.4.nu.6.Bonac.& Suar. cum alijs ſup.cit.

Graff. Bonac.

DE PATRINIS, SEV SVSCEPTORIBVS, & de Cæremonijs, quæ in ſolemni Baptiſmo fieri ſolent.

CAP. V.

1 Diuiſio capituli.
PRo complemento huius ſacramenti; ſupereſt dicendum de Patrinis,ſeu ſuſceptoribus,qui ex precepto Eccleſiæ requiruntur quando hoc ſacramentũ adminiſtratur ſolemniter in Eccleſia, ac etiam dicendum eſt de præparatorijs, ſeu cæremonijs, quæ ſecundum inſtitutionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutæ ſunt ad miniſtrandum ſolemniter Sacr.Bapt.

2 Patrinus quis ſit, & qualis ſit eius munus.
Quapropter dico primò quod: Quandò aliquis baptizatur ſolemniter in Eccleſia, requiritur aliquis Patrinus, ſeu ſuſceptor, qui baptizandum teneat, vel ſuſcipiat de ſacro fonte, & iſte talis communiter appellatur Patrinus, cuius munus eſt ſuſcipere baptizatum de manibus baptizantis.

3 Cognitio ſpiritualis triplex paternitas, & compaternitas, & fraternitas.
Vndè ex hoc orta eſt triplex cognatio ſpiritualis; Quarum prima dicitur Paternitas,quæ eſt inter baptizantem, & baptizatum, & inter ſuſcipientem,& ipſum baptizatum:Secunda dicitur:Compaternitas,quæ cõtrahitur inter ſuſcipientem,& parentes baptizati:Tertia dicitur Fraternitas inter filios, & filias ſuſceptoris, & baptizatum: & inter filios, & filias baptizantis,(vt ſunt Græcorũ Sacerdotes, qui habent filios, vel filias) & ipſum baptizatum: Sed hæc tertia cognatio fraternitatis ſublata fuit per Concil. Trid. ſeſſ.24. de Reformat. Vndè ad præſens tantum prima, & ſecunda remanſerunt,quæ talis, & tanta eſt,vt Matrimonium cõtrahendum impediat,& contractum dirimat;prout dicetur loco ſuo in tract.de Matrim.

Fraternitas ſublata eſt per Trid. Concil. Trid.

4 Quot poſſunt eſſe patrini in Baptiſmo, iuxta Trid.
Notandum tamen, quod poſt Concil.Trid. loc.cit. Statutum eſt, vt vnus tantum ſiuè vir, ſiuè fœmina, & ad ſummum vnus, & vna ſuſcipiant baptizatum de ſacro fonte: Quarè duo viri,aut duæ fœminæ, etiam deſignati à parentibus, vel à Parocho ſine peccato graui eumdem baptizatum de ſacro fonte ſuſcipere nõ poſſunt; quia facerent contra præceptum Conc. Trid. Niſi ignorantia inuincibilis aliquando excuſaret à pec. Si tamen de facto ſuſcipiant, ſtatuit Congregatio Cardinal. quod omnes contrahant impedimentum Matrimonij per ſpiritualem cognationem contractam; vt patet ex c. Quamuis de Cognatione ſpirituali in 6.

Concil. Trid.

c. Quãuis de Cog. ſpirit.

5 Quot ſunt patrini, contrahentes cognationem.
Et ſi plures deſignauerint,aut nullam perſonam determinauerint: quotquot infantulum de ſacro fonte leuant contrahunt hoc impedimentum: ſed Parochus in tali caſu eſſet grauiter puniendus tanquam tranſgreſſor Concil. Trid. Aliqui tamen tenent in hoc caſu nullum illorum contrahere cognationem ſpiritualem: Hoc tamen eſt in dubio, quia hoc non eſt determinatum,idcò ſecundum Suar. huiuſmodi perſonæ abſtinere debent, ne contrahant Matrimonium cum talibus propter dubium: Ità Suar. in d.1.to.3.q.67.art.8. Notandum eſt etiam,quod quamuis in Can. Quòd autem 30.q.4. dicatur: *Maritum, & vxorem ſimul non debere eſſe Patrinos ad ſuſcipiendos baptizatos de ſacro fonte*: Hoc tamen non eſt in vſu receptum: ideò, &c.

1. Opinio.

2. Opinio. Suar.

Cõiuges: An poſſint eſſe ſimul patrini.

6 An parentes tenentes proprios filios contrahant impedimentum inter ſe.
Dubium tandem ſoluendum remanet; an videlicet ſi aliquando Pater, ſiuè Mater proprium filium ſuum baptizaret, vel de ſacro fonte ſuſceperit, an videlicet huiuſmodi poſſint licitè petere debitum Matrimonij inter ſe?

7 Reſolutio.
Reſpõdetur ad hoc dupliciter; primò: dicitur, quod: Si ignorantia iuris, vel facti, aut neceſſitate vrgente hoc aliquis illorum fecerit,quilibet illorum nullum cõtraheret impedimentum: Ità enim expreſsè declarat Ioann.Pap.VIII. & habetur in Can. Limina 30.q.1.

Can. Limina 30. quæſt. 1.

Quando poteſt reddere, & non petere debitum.
Ratio huius eſt, quia parentes priuati non poſſunt iure ſuo,iam per Matrimonium acquiſito, eò quod filium in neceſſitate ſubueniant: Si tamen ſcienter, & malitiosè aliquis illorum hoc fecerit,teneretur ad reddendum debitum alteri coniugi petenti: Ratio huius eſt,quia alter non debet priuari iure ſuo ob peccatum alterius: Ipſe tamen ex ſe petere debitum non poſſet ſine diſpenſatione: Nam voluntariè, & ſine neceſſitate illud munus ſuſcepit, ergò contraxit ex parte ſua hoc impedimentum ad petendum, non autem ad reddendum: Ità Suar. in d.3.p.q.67. art.8.

Suar.

8 In Baptiſmo priuato non contrahitur cognatio. Sot.
In Baptiſmo autem priuato in aliqua neceſſitate nõ contrahitur: Ratio huius eſt, quia ibi non eſt propriè ſuſceptor: Ità Dom. à Sot. in 4.d.42.q.2.art.3.circa fin. & cum ipſo concordant omnes moderni, quãuis Doctores antiqui aliter ſenſerint: Et hæc de Patrinis.

9 De Ritu, & cæremonijs Baptiſmi ſolemnis. Non ſunt neceſſariæ in Baptiſmo ſimplici.
De Ritu tandem, & cæremonijs, quæ in ſolemni Baptiſmo obſeruari debentur, dicimus breuiter: Quod: Omnes habentur per extenſum in Rituali Rom. quæ omnes ſunt conuenientiſſimæ, & ſunt de præcepto Eccleſiæ, non autem de neceſſitate Sacramenti: Vndè ſi quis in neceſſitate baptizet ſine ſolemnitate, non ſunt neceſſariæ ad valorem ſacramenti: ſufficit enim quod in neceſſitate tantum fiat ablutio cum verborum forma, vt dictum eſt: Tamen ſi taliter baptizatus ſuperuixerit, vbi conualuerit, vel ceſſauerit periculum ſuppleri debent ea omnia, quæ in Rituali Romano præſcripta ſunt, præter formam, & ablutionem, quæ in Baptiſmo ſolemni de præcepto Eccleſiæ prætermitti non debét.

10 Quare cæremoniæ iſtæ ordinatæ sũt.
Quæ quidem cęremoniæ ordinatæ ſunt ab Eccleſia, tum ad excitandam deuotionem, & reuerentiam Sacramenti, tum ad inſtructionem fidelium, tum ad cohibitionem Dæmonum, ne ſacramentalem impediant effectum: Ordo autem cæremoniarum, pertinentium ad ſolemnitatem Baptiſmi ſecundum morem Eccleſię Romanæ vſitatum, talis eſt, quas ad aliqua capita breuiter reducimus.

11 Prima, & 2. cæremonia ſunt Catechiſmus.
Primò petitur nomen illius, qui baptizandus eſt, ſecundò examinatur intentio baptizandi, quid videlicet petat ab Eccleſia Dei, & ad vtrumque, ſi eſt adultus ipſemet reſpondet: Si autem infans, reſpondet patrinus pro eo, & iſtæ duæ cæremoniæ habentur pro ſcrutinio, ſeu catechiſmo, & inſtructione. Tertiò Sacerdos ter inſuflat leniter in faciem baptizandi, vt virtus Diaboli exterius expellatur, & interius ſanctificetur. cap. Poſtquam de Conſ.d.4. deindè quartò pollice miniſtri fit ſignum ✠ in fronte, & pectore infantis, vt Dæmon ſe cognoſcat expellendum, tum in occulto cordis, tum in publico confeſſionis: vt dicitur in d.cap. Poſtquam de Conſ.d.4. Quintò ponitur manus miniſtri ſuper caput baptizandi, implorando Diuinum auxilium ſuper baptizandum: Sextò immittitur modicum ſalis benedicti in os baptizandi, ad ſignificandam infuſionem ſapientiæ per virtutem Dei: Septimò fit exorciſmus, & coniuratio Dæmonis, quibuſdam Eccleſiæ precibus facta, vt Diabolus recedat a baptizando, ne impediat

3. Cæremonia inſuflatio.

4 Signũ Crucis in fronte, & pectore.

5. Manus impoſitio ſuper caput.
6 Immiſſio ſalis in ore.
7. Exorciſm°.

Digitized by Google

diat ſacramentalem effectum, ideòque fit ſignum ✠ Crucis in fronte baptizandi, vt Diabolus non audeat amplius accedere contra illum.

8. Cõfeſſio fidei, & oratio Dominicalis.

Octauò introducitur baptizandus in Eccleſiam, & fit confeſſio fidei, & dicitur oratio Dominicalis in ipſa Eccleſia publicè, & clara voce:

9. Saliuæ in aurib. baptizãdi immiſſio.

Nonò fit linitio aurium, & narium baptizandi cum ſaliua ipſius miniſtri baptizantis, vt ſignificetur gratia ad diſcernendum, & obediendum; vt dicitur in c. Poſtea tanguntur de Conſ. d. 4. & dicit Sacerdos: *Epheta, quod eſt, aperire*, exemplo Domini, quando eiecit Dæmonem, vt legitur in Euang. Matth. cap. 7.

Epheta.

10 Renunciatio ſathanæ.

Decimò fit renunciatio Sathanæ, & omnibus actibus eius, & omnibus pompis illius:

11. Vnctio Olei catachumenorum in ſcapulis, & pectore.

Vndecimò fit linitio Olei Sancti, quod dicitur Oleum catachumenorum in pectore, & in ſcapulis baptizandi, vt ſignificetur aperitio mentis ad Deum amandum, eiuſque onus portandum; vt dicitur in c. Deniq; de Conſ. d. 4.

12. Expreſſa confeſſio fidei coram Sacerdote.

Duodecimò denique fit expreſſa confeſſio fidei, interrogãte miniſtro, & baptizando, ſiuè patrino pro illo reſpõdente; prout in Rituali Romano habentur iſta omnia expreſſa per extenſum: Et hæc ſunt duodecim præparatoria ad ipſum ſacramentum Baptiſmi ſolemniter perficiendum, quæ ex præcepto Eccleſiæ prætermitti non debent. In ipſo autem Sacramento Baptiſmi conficiendo, & poſt ipſum quinque aliæ cæremoniæ faciẽdæ ſunt, quarum prima eſt ablutio corporis baptizãdi in principali parte ipſius, quę triplici modò fieri poteſt, ſiuè per infuſionem, ſiuè per immerſionem, vel ſaltem per aſperſionem, iuxta conſuetudinem propriæ Eccleſiæ, & iſta cæremonia eſt de eſſentia Sacramenti ſimul cum forma lata ab ipſo miniſtro, ſimul, & abluente.

12

Quinque cõditiones in ipſo actu. Prima eſt ablutio, quæ tripliciter fieri poteſt.

13

2. Eſt Vnctio Chriſmatis in vertice.

Secunda eſt Vnctio Chriſmatis in vertice baptizati, per quam ſignificatur aperitio mentis ad contemplãdum æterna: Chriſma enim confectum eſt ex Oleo lucente, & balſamo conſeruante, & iſta inunctio fieri debet de Chriſmate nouo, non veteri, vt habetur in c. Si quis, præter quam in neceſſitate, de Conſ. d. 4.

14

3. Eſt veſtis candida.

Tertia eſt quando datur veſtis candida ad deſignãdam innocentiam, & nouitatem vitæ, quæ deferri ſolet per dies nouem c. Poſtquam de Conſ. d. 4.

15

4. Cereus accenſus.

Quarta eſt illa, in qua datur cereus accenſus in manu baptizati, vel eius loco in manu patrini ſuſcipientis in ſignum Fidei, & gratiæ receptæ per Baptiſmum:

5. Benedictio & pax.

Vltimò tandem datur benedictio, & pax à Sacerdote, vt vadat in pace in nomine Domini. Et hæc de cæremonijs Baptiſmi, prout habentur plenius in Rituali Romano: Legite D. Thom. in 3. p. q. 71. Graff. lib. 1. de Baptiſmo p. 2. c. 3. Suar. D. 30. ſect. 1. & 2.

D. Thom. Graffius. Suarez.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS V.

DE SACRAMENTIS.

ET DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, TRACTATVS PRIMVS.

PROOEMIVM.

Petr. Apoſt. D.Bona. D. Thom.

COnfirmationis Sacramentum eſt veluti perfectio Sacramenti Baptiſmi: Nam teſte D.Petro epiſt.1. cap.2. Baptizatos, qui ſunt, quaſi modò genitos infantes confirmat, & reddit idoneos ad vincendas tentationes Diaboli contra fidem: *Nam prout ait Seraphicus Doctor D. Bona. in 4. d.7. ſuper lit. Mag.* Virtus huius ſacramenti eſt donatio Spiritus Sancti ad robur, qui in Baptiſmo datus eſt ad remiſſionem: *Vndè Angelicus Doct.3.p.72.art.1.ait:* Quemadmodum per Baptiſmi Sacramentum renaſcitur homo in vita ſpirituali, & fit Filius Dei: Ità per Confirmationis Sacramentum accipit quaſi quamdam perfectionem perfectæ ætatis Spiritualis vitæ:

Melchiades Papa.

Quapropter Melchiades Papa dixit: Spiritus Sanctus, qui ſuper aquam Baptiſmi ſalutifero deſcendit impulſu, in fontem plenitudinem tribuit ad innocentiam: In Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; In Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum Confirmamur ad pugnam; in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum Confirmamur ad gratiam:

D. Ambroſ.

Quapropter D. (ait.) Ambroſius lib. 3. de Sacr. cap. 1. & 2. Confirmationis Sacramentum eſſe perfectionem, & conſummationem ſacramenti Baptiſmi. *Ideò rationabiliter, ac conuenienter poſtquam in præcedentibus loquuti ſumus de Sacramento Baptiſmi: Conſequenter ſequitur, vt ſecundo loco de Confirmatione dicamus, de quo iuxta morem, & conſuetudinem noſtram, duos etiam inſtituimus tractatus.*

Diuiſio tractat.

In quorum primò, de eius quiditate, inſtitutione, & eſſentia. Secundò de neceſſitate. Tertiò de materia. Quartò de forma, tanquam de partibus intrinſecis: Deindè in ſecundo tractatu de partibus extrinſecis, & de eius effectibus, & ritu, ac Caremonijs, quæ neceſſaria ſunt.

DE QVIDITATE, ET ESSENTIA Sacramenti Confirmationis: Deque eius Inſtitutione.

CAP. I.

1 Polynomum eſt ſacramentum Confirmationis. Manus impoſitio.

MVltis nominibus Sacramentum hoc à ſanctis Patribus, & Theologis appellari ſolet: aliquando enim dicitur: *Manus impoſitio*, ex modo, quo olim ab Apoſtolis in principio naſcentis Eccleſiæ conferebatur, vt habetur in c. Cum veniſſet de ſacra Vnctione §. per frontes: Et ità Theologi cum Magiſtro in 4. ſent. diſt.7. ait etiam Innocentius III. *Per frontis Confirmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*: A ſancto Cypriano vocatur, *ſignaculum Dominicum*: à D. Auguſt. *Signum Chriſt.*: à Dionyſ. Areopag. *Dei figura*: Communiter autem dicitur; *Confirmatio*, eò quia per ipſum roboratur homo, & confirmatur per gratiam Spiritus Sancti ad cōfitendum Fidem Chriſti; legite Filliuc. de Sacr. Confirmat. c.1. Graſſ. p.2. decil. lib.1. c.5. nu.1. Nauar. in man. c.22. nu.1. Chamer. & alios.

Signaculum Dominicum. Signum Chriſti. Dei figura. Cōfirmatio. Filliucio. Graffius. Nauarr. Chamerot.

2 Definitio ſacramenti Cōfirmationis.

Deſcribitur autem, ſiuè definitur hoc ſacramentum tali pacto: Videlicet: *Confirmatio eſt ſacramentum Vnctionis Chriſmatis Conſecrati, quo Epiſcopus frontem baptizati, ſub certa verborum forma ad fidei robur conſequendum inungit*; Ità Henriq. lib.1. cap.6. num.4. Bonac. cap. de Confirm. q. vnica, Nauarr. cap.22. Graſſ. ſup. c.5. nu.1. Quæ definitio optima eſt, datur enim per genus, & differentiam, quæ ad eſſentiam rei pertinent; ac etiam datur per quatuor genera cauſarum, quæ ad perfectam intelligentiam, ac totalem naturam definiti declarandam concurrunt: Ac fit etiam mentio de ſubiecto, cui applicatur; Quæ omnia ad ſacramenti ſubſtantiam intelligendam pertinent.

Henriq. Bonacin. Nauarr. Graff. Amplectitur. Et explicat, definitio.

3 Quodlibet verbū per ſe exponitur.

Dicitur ergò (*Confirmatio eſt ſacramentum*) per quod genus proximum deſignatur. Dicitur (*Vnctionis Chriſmatis Conſecrati*) per quam denotatur differentia eius eſſentialis proxima, diſtinguens ipſum Sacramētum ab alijs ſacramentis: Dicitur (*Vnctionis*) per quam denotatur materia proxima, diſtinguens ipſum ſacramentum, & conſtituens; Dicitur (*Chriſmatis Conſecrati*) pro materia remota ſacramenti: dicitur (*quo Epiſcopus inungit*) ad indicandam cauſam efficientem miniſterialem: Additurque (*frontem baptizati*) ad indicandum ſubiectum cui debet applicari: Additurque etiam (*ſub certa verborum forma*) ad denotandam cauſam eius formalem; Additurque tandem (*ad fidei robur conſequendum*) quæ eſt cauſa finalis: confertur enim ſacramentum hoc ad audacter confitendam Fidem Chriſti: & hæc quo ad definitionem iſtius ſacramenti.

4 De inſtitutione huius ſacramenti. Variæ opiniones. Vera ſententia. Conc. Trid.

Quò verò ad ſecundam partem huius capitis de inſtitutione huius ſacramenti breuiter dicimus: quod licèt apud antiquos Doctores multiplex fuiſſet opinio: Nam alij putabant ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, Spiritu Sancto inſpirante; Alij verò dicebant inſtitutum fuiſſe ab Eccleſia in Concil. Maldenſe: Tandem poſt Concil. Trident. de Fide determinatum eſt: *Omnia Sacramenta immediatè inſtituta eſſe à Chriſto Domino*: Vndè ait Sancta Tridentina Synodus, Seſ.7. Can.1. *Si quis dixerit omnia Sacramenta nouæ legis, non eſſe à Chriſto Domino inſtituta: Anathema ſit*; Cùm ergò Confirmatio ſit vnum ex ſeptem Sacramentis nouæ legis, nulli dubium eſſe poteſt, quin ipſe Dominus per ſe immediatè inſtituerit, deſignando materiam, & formam cum promiſſione gratiæ; aliter enim ſignum, non eſſet ſacramentum infallibile, efficaciter ſignificans ex impoſitione diuina inuiſibilem gratiam ſanctificantem;

Ità

Bellarm. Bonac. Ità Bellarm. to. 3. c. 8. Bonac. de Confirm. q. Vnica nu. 2. & alij.

5 *Quando hoc ſacramentũ poſitum fuit in vſu. Ioann. cap. 2.* Verum eſt tamen, quod non poſitum fuit in vſum, niſi poſt aduentum Spiritus Sancti, cuius plenitudo in hoc Sacramento datur, quem non decebat dari, priuſquam Ieſus eſſet glorificandus, ſecundum illud Ioann. 2. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Ieſus fuerat glorificatus.*

6 *Tempus inſtitutionis huius ſacramenti.* Circa verò tempus, quo Dominus Ieſus hoc ſacramentum inſtituit probabiliſſimum eſt hoc feciſſe in nocte Cœnæ: Nullum enim tempus excogitari poteſt magis accommodatum: Nam nocte illa toties Spiritus Sanctus promiſſus eſt Eccleſiæ, & nouum Teſtamentum Chriſtus condidit; Vndè ſequitur manifeſtè illa nocte, poſtquam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, & Apoſtolos ſuos Dominus Ieſus Sacerdotes ordinauit, deditque illis plenam poteſtatẽ conficiendi, & adminiſtrandi ſacramenta, dicens illis: *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.* Tunc etiam docuiſſe materiam, & formam iſtius, & aliorum ſacramentorum, & præceptum adminiſtrandi dediſſe, tempore, quo eſſet conueniens.

7 *Traditio Apoſtolica de inſtitutione huius ſacramenti.* Vndè hoc habetur per traditionem Apoſtolicam à ſanctis Patribus, vt refert Fabianus Papa epiſt. 2. capite primo ad Epiſcopos Orientales, & refertur in cap. Literis de Conſ. d. 3. *Illa* (inquit) *Nocte Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum Diſcipulis ſuis, lauitque pedes eorum, ſicut à ſanctiſſimis Apoſtolis patres noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit:* Quare ex traditione Apoſtolica colligitur in illa nocte hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum; *Quare Feria 5. in Cœna Dñi conficitur Chriſma. Suar. Bonac. Filliuc. Reginald.* Et indè ſine dubio emanauit conſuetudo illa cõficiendi Chriſma ab Epiſcopis ſingulis annis Feria 5. in Cœna Domini: Ità docent Suar. to. 3. de Sac. d. 23. ſect. 2. Bonac. ſupra Filliuc. tract. 3. c. 3. nu. 5. Reginald. lib. 28. nu. 4.

8 *Prima inferentia.* Hinc colligitur primò ſacramentum Confirmationis non fuiſſe inſtitutum ab Apoſtolis, neque ab Eccleſia, ſed à Chriſto Domino per ſe immediatè: Non loco illo, *Matth. c. 19.* Matth. 19. Quandò Chriſtus paruulis imponebat manus ſuas, cùm enim paruuli illi non eſſent tunc baptizati, non eſt credibile, tunc inſtitutum fuiſſe Confirmationis ſacramentum, quod ſupponit Baptiſmum, ſed ibi potius dicimus: Figuratum, & ſignificatum fuiſſe hoc ſacramentum, *Henriquez.* pro vt ait Henriq. lib. 3. c. 2. nu. 5. in ſua Summa.

9 *Secunda inferentia. Ioan. c. 20.* Secundò etiam colligitur: Hoc ſacramentum non fuiſſe inſtitutum, quo ad omnes partes in illo loco, Ioannis 15. c. 20. vbi Chriſtus contulit Apoſtolis poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis, dicens illis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos;* *Vera reſolutio de inſtitutione huius ſacramenti.* Sed dicimus nos, tunc collatam fuiſſe Apoſtolis plenam poteſtatem, & conſequenter Epiſcopis, qui Apoſtolorum vices gerant conferendi hoc ſacramentum. Quàpropter dicere poſſumus: Inſtitutionem Sacramenti Confirmationis inchoatam fuiſſe in die vltimę Cœnæ, cum ibi fuerit inſtituta materia, & forma ſacramenti: Completam verò fuiſſe, quando data fuit Apoſtolis plena poteſtas Ordinis Epiſcopalis in illo loco Ioannis 20. *Coninch. Pitigian. Suar. Filliucius. Bonac.* Ità Coninch. quæſt. 7. artic. 1. num. 25. Pitig. in 4. diſt. 7. quæſt. 1. artic. 2. Suar. Filliuc. & Bonacin. ſupr. locis citatis.

10 *Tertia inferentia. Modus quo Apoſtoli confirmabant.* Tertiò ſequitur, quod licèt hoc ſacramentum inſtitutum fuerit à Chriſto Domino, vt ſupra explicatum eſt, Apoſtoli tamen in principio Eccleſiæ ex ſpeciali conceſſione Spiritus Sancti, non ſemper adminiſtrauerunt ſacramentum hoc, quò ad materiam, & formam ſenſibilem, prout modò exercetur; Nam quando Spiritus Sanctus viſibiliter deſcendebat per manus impoſitionem, tunc ſolum imponebant manus Apoſtoli ſuper baptizatos, & accipiebant Spiritum Sanctum, ſicut in Actibus Apoſt. legitur pluribus in locis.

Et quamuis talis manus impoſitio non eſſet Confirmationis ſacramentum, quo ad ſubſtantiam, erat tamen verum, quo ad effectum, quia per illam manus impoſitionem confirmabantur fideles baptizati, & recipiebant Spiritum Sanctum ad robur: Quando verò ceſſauerunt ſigna illa viſibilia, tunc cœperunt etiam Apoſtoli vti Vnctione Chriſmatis, iuxta Chriſti inſtitutionem. 11 *Apoſtoli quã dò cœperunt vti vnctione.*

Concludimus ergò, ſecundum veriorem ſententiã, quod in initio Apoſtolicæ prædicationis, quando dabatur Spiritus Sanctus ſub ſigno, & effectu viſibili Cõfirmabantur fideles per manus impoſitionem, & hoc erat regulare, & conueniens ad fidem ſuadendam, atque ſtabiliendam: poſteà verò, etiam viuentibus Apoſtolis, ceſſauit ille extraordinarius modus mittẽdi Spiritum ſanctum; quia iam fides, & Eccleſia cęperat ſufficienter fundari; & tunc cœperunt etiam Apoſtoli vti Vnctione Chriſmatis, tanquam regulari, & ordinario modo à Chriſto Domino inſtituto ad confirmandos fideles, cùm prius ex ſpeciali conceſſione nuda manus impoſitione vterentur: Ità expreſsè tenet Suar. 3. p. D. Thom. tom. 3. diſtinct. 23. ſect. 4. circa finem, & multis rationibus probat; concordat Bonac. par. 2. num. 1. & alij. 12 *Concluſio, & vera reſolutio. Suar. Bonac.*

DE NECESSITATE SACRAMENTI *Confirmationis.*

CAP. II.

QVærimus in hoc capite ſecundo: An ſacramentum Confirmationis ſit ad ſalutem neceſſarium: & ratio dubitandi eſt, quia ſacrum Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 4. dicit: *Si quis dixerit omnia ſacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; Anathema ſit:* Cùm ergò Confirmationis ſacramentum ſit vnum ex Sacramentis nouæ legis; Ideòque iure quæritur; Quomodò ſacramentum hoc dicatur neceſſarium? Et quare. 1 *Quæſtionis ratio de neceſſitate hu° ſacramenti. Concil. Trid.*

Reſpondetur, diſtinguendo primò de neceſſitate: Nam ſicut diximus, loquendo de ſacramentis in Genere: Duplex eſt neceſſitas; Vna abſolutè, & ſimpliciter, altera aliqualiter, ſeù ex ſuppoſitione: Dicimus ergò ſecundum communem ſententiam omnium Theologorum: Confirmationem non eſſe neceſſariam primo modo, clarum eſt enim, quod ſine hoc ſacramento ſaluari poſſunt, & de facto ſaluantur fideles baptizati, etiam quod confirmati non ſint, non ſolùm paruuli, verùm etiam adulti: Non enim eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij ſimpliciter, neque neceſſitate præcepti, neque Diuini, neque Eccleſiaſtici: Nullibi enim tale præceptum inuenitur impoſitum, ſed tantum neceſſarium eſt ex ſuppoſitione, volenti enim vincere, & ſuperare tentationes contra fidem neceſſaria eſt Confirmatio, vt ſecuriores reddantur baptizati ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius. 2 *Confirmatio non eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione ad benè eſſe.*

Et quamuis aliqui Doctores videantur dicere: Confirmationem eſſe neceſſariam iure Diuino non omnibus, ſed adultis, quando videlicet habent commoditatem recipiendi, & nolunt, quia tunc videntur contemnere ſacramentum, quod Chriſtus Dominus pro ſalute fidelium inſtituit, & opinio iſta tribuitur Riccar. in 4. diſtinct. 7. quæſt. 1. artic. 5. & Petr. à Soto lect. 2. de hoc ſacramento, tribuitur etiam Scoto, quatenus in 4. diſtinct. 7. quæſt. 2. dicit, quod: *Adultus tenetur Confirmationem recipere pro tempore congruo:* Quare ſi omnimoda opportunitate habita, non ſuſciperet, videretur contemnere. Reuera tamen iſti 3 *Aliquorum opinio de neceſſitate hui° ſacramenti. Riccard. Petr. à Soto. Scot.*

Do-

Digitized by Google

Doctores non dicunt peccare mortaliter non recipiendo, niſi adſit contemptus, quia tunc eſſet peccatum.

4 Aliorum opinio de hac neceſſitate.
Alij verò dicunt, quod: Talis obligatio de iure diuino non eſt ſemper, ſed ſolum in caſu determinato, quandò videlicet inſtat occaſio publicè confitendi fidem Chriſti coram Tyranno, & eſt commoditas prius recipiendi Confirmationis ſacramentum (tunc enim inquiunt) graue eſſet peccatum adire periculum illud ſine preparatione huius ſacramenti: Ità videntur dicere Durand. in 4. diſt. 7. q. 1. Gabr. dub. 3. Marſil. q. 5. art. 4. Quorum ratio eſt, quia temerè exponeretur periculo cadendi, qui inermis aggreditur maximum periculum fidei, & militiæ ſpiritualis. Durand. Gabriel, Marſil.

5 Limitatur. 3. Sententia.
Dicimus tamen, hoc verum eſſe, quando eſſet talis præſumptio, & temeritas, (vt ipſi dicunt.) Quamuis enim Confirmatio tribuat vires, & robur ad profitendam, & confirmandam fidem; Nihilominus huiuſmodi vires poſſunt per alia media obtineri, vt mediante oratione, confeſſione, Euchariſtia; Quàpropter quando non eſſet contemptus formalis, vel temeritas culpabilis peccatum mortale eſſe non video; Ideò, &c.

6 Concluſio.
Quàpropter concludendo dicimus, ſequendo communiorem, & probabiliorem ſententiam Theologorum; Sacramentum Confirmationis, non eſſe neceſſarium neceſſitate medij ſimpliciter, neque neceſſitate præcepti, neque Diuini, neque humani. (Nullibi enim inuenitur tale præceptum,) ſed ſolum eſt neceſſarium ad benè eſſe & ex ſuppoſitione, vt videlicet baptizatus, & confirmatus virtute huius ſacramenti, & ſpiritus Sancti, qui dat robur, vt maiori certitudine ſit victurus tentationes contra fidem.

7 Voluntariè omittens Cōfirmationem, non peccat. Suarez. Bonacina. Chamerot.
Ex quo fit, vt qui Confirmationem ſpontè omittat, etiam commoditate habita, non pecc. mort. ſecluſo contemptu, vel ſcandalo, ſiuè alia circumſtantia extrinſeca: etiam ſi omittat quando fidem debet confiteri coram Tyranno; Ità expreſsè docent Suar. d. 10. d. 23. ſect. 2. Bonac. p. 2. nu. 2. de Confirm. Chamer. c. 6. dub. 4. de Confirm. & alij communiter, ab ipſis citat.

8 An initiandi teneātur eſſe confirmati. Concil. Trid.
Solum ergò dubium eſt: An ſit neceſſarium neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, quando videlicet aliquis eſt ordinandus: & ratio dubitandi eſt, quia Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. prohibet prima tonſura initiari illos, qui prius Confirmationis ſacramentum non ſuſceperunt, ideò, &c. Nihilominus reſpondendo dicimus, quod nec tale præceptum eſt obligans ſub mortali peccato. Reſolutio. Nam Concil. Trid. ibi hoc non præcipit, ſub aliqua cenſura, neque verbum ponit, quod rigoroſum præceptum indicat, ideòque huiuſmodi omiſſio, non eſſet p. m. ſed ſolum veniale: Ità tenent Soto in 4. d. 7. artic 8. concl. 3. & diſt. 24. q. 1. art. 4. & Victoria in ſum. nu. 48. Nauar. c. 22. nu. 9. Suar. ſupra circa finem, Chame tota, & alij ſupra cit. Soto. Victoria. Nauarrus. Suar. Chamerot.

DE MATERIA SACRAMENTI Confirmationis.

CAP. III.

1 Materiæ, & forma totius huius ſacramenti quæ.
CIrca materiam huius Sacramenti eſt primò Notandum, quod ſi loquimur de materia totius ſacramenti (propriè loquendo) Materia huius ſacramenti, ſicut & in cæteris eſt totum illud ſignum ſenſibile, confectum ex rebus, ſiuè elementis, & verbis ſimul à miniſtro prolatis, ex quibus moraliter conſtituitur ſignum illud ſenſibile, quod dicitur: ſacramentum, ex quo conſurgit relatio illa rationis, quæ forma ſpecifica totius ſacramenti dicitur, quæ eſt ſignificatio illa gratiæ habitualis, inhærentis animæ, efficaciter, & infallibiliter collatæ à Deo, quę quidem gratia ſignificatur per illud ſenſibile ſignum, vti diximus in tractatu de Sacramentis in Gen. loquimur autem de materia metaphoricè in ratione partis, ſecundum communem dictum omnium Theologorum: (Quæ quidem materia partis) eſt illa pars materialis ſigni, quæ determinatur per verba miniſtri quæ ſe habent in ratione formæ, vt dictum eſt, in d. tract. 1. de Sac. in gen. Materia partis.

2 Materia remota, & propinqua.
Hęc autem materia duplex eſt vna dicitur Remota, altera Proxima, ſiuè propinqua, quæ eſt ipſa vnctio chriſmatis, facta per manus Epiſcopi in fronte baptizati, ſicut diximus ſupra in definitione huius Sacramenti. De materia ergò remota controuerſia eſt inter Theologos: An Balſamum, de quo conficitur chriſma ſit de eſſentia Sacramenti: Vndè in hac quæſtione, quatuor inuenio opiniones. Cōtrouerſia. An Balſamū ſit de eſsētia. Quatruplex opinio.

3 1. opinio Marſilij.
Prima opinio eſt aliquorum Summiſtarum, vt refert Marſil. in 4. d. 7. q. 5. A. 1. qui dixerunt: Vnctionē chriſmatis non eſſe de eſſentia Sacramenti huius, ſed tantum de præcepto Eccleſiæ: Ratio huius eſt, quia quod eſt de eſsentia Sacramenti eſt de iure Diuino, adeò vt non poſſit ab Eccleſia variari; Sed Apoſtoli in primitiua Eccleſia tantum confirmabant, per ſimplicem manus impoſitionem abſque vnctione Chriſmatis, vt patet, ex Act. Apoſtol. Plurimis in locis; ergò vnctio Chriſmatis non eſt de eſsentia Sacramenti, ſed tantum de præcepto.

4 2. Opinio Valentiæ.
Secunda opinio eſt Gregorij de Valentia 3. p. d. 5. de Confir. dicentis: Oleum & Balſamum eſse materiam remotam Sacramenti Confirmationis non ſolùm copulatiuè, ſed etiam diſiunctiuè: Vult ergò Iſte Doctor, quodlibet iſtorum eſse ſufficientem materiam: putat enim Balſamum non eſse de eſsentia materiæ, ſed pars integralis: Quemadmodum enim (inquit) Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, vel ex pane, vel ex Vino, vel ex vtroque; Ità Sacramentum Confirmationis effici poteſt, vel ex Oleo, vel ex Balſamo, vel ex vtroque ſimul, tam coniunctim, quam ſeparatim: At quoniam opinio iſta ſingularis eſt, & abſque vllo valido fundamento, meritò reijcitur à Theologis, tanquam ad placitum dicta: Nunquam enim Eccleſia conſueuit Balſamum ſolum ſine Oleo conſecrare ideò, &c. Reijcitur.

5 3. Opinio.
Tertia opinio admittit: Chriſma ſaltem ex Oleo confectum eſse de eſsentia huius Sacramenti: miſtionem verò Balſami non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolùm de neceſſitate præcepti, quemadmodum eſt miſtio aquæ in vino ad conficiendum Sacramentū ſanguinis in Euchariſtia: Ità Caiet. 3. par. quæſt. 72. A. 6. & cum eo concordant Nauar. cap. 22. nu. 8. Vict. de Confirm. nu. 41. Couar. lib. 1. Var. reſol. c. 10. nu. 4. Soto in 4. d. 7. q. 2. qui ſentit: Permiſtionem Balſami eſſe quidem ex inſtitutione Chriſti, non tamen, vt neceſſarium ad Sacramentum, ſed vt præceptum. & quando commodè ſeruari poſſet, quàpropter tenent iſti Doctores: Balſamum eſſe partem integralem, non autem eſſentialem, ſicut eſt ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ. Caietanus. Nauar. Victoria. Couar. Sot.

6 In quo fundatur 3. Opinio. Innocentius, Papa III.
Fundamentum præcipuum huius opinionis eſt, & ſumitur ex Innocentio III. c. Paſtoralis officij, de Sacramentis non iterandis: Vndè conſultus ſummus Pōtifex: An Confirmatio eſſet iteranda in eo, qui per errorem non Chriſmate, ſed Oleo fuerat delinitus: Reſpondit: *Nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*: Supponitur ergò Balſamum, quod prætermiſſum fuerat, non fuiſſe de eſſentia Sacramenti: nam ſi defectus fuiſset eſsentialis, Sacramentum etiam fuiſset nullum, & iterum dari debuiſſet ergò &c.

7 Ratio alia huius ſententiæ.
Secundò fundatur iſta opinio ratione & coniectura: Nam

Digitized by Google

Nam Sacramentorum materiæ tales eſſe debent, de quibus nemo poſſit dubitare, vt patet de Materia Baptiſmi, quæ eſt aqua ſimplex; At Balſamum verum, & certum eſſe non poteſt, & difficiliter in omnibus Regionibus poteſt haberi, cum tantum vni terræ Iudeæ conceſſum ſit in duobus tantum hortis, ſicut ipſemet Plinius teſtatur: ergò non eſt credibile, Balſamum eſſe de eſſentia Confirmationis: Nam Sacramentorum materia debet eſſe communis, quæ vbique habeatur, ſed Balſamum in multis Regionibus non habetur, vt patet, & ad nos defertur ex India in tam modica quantitate, vt vix ſufficere poſſit pro toto mundo; ergò &c.

Plinius.

8 Alia ratio huius ſententię.

Tertiò ait Nauar. tom. 1. conſ. lib. 3. conſil. 1. de ſacra Vnctione num. 7. Non videtur veriſimile, Dominum Ieſum Chriſtum, Apoſtolos ſuos pauperes in vniuerſum orbem deſtinandos, innumeros homines baptizaturos, & confirmaturos onerare voluiſſe onere emendi Balſamum rem tanti pretij, quam nouerat in paucis tantum Regionibus inueniri: Vndè infert Balſamum non eſſe de eſſentia Sacramenti Confirmationis, ſed solùm de congruitate, tanquam partem integrantem, quando tamen commodè poſſit haberi.

9 4. Sententia Suar.

Quarta denique ſententia eſt communior, & verior atque probabilior, quam ſequitur Suarez D. 23. ſect. 1. dicens: Balſamum eſſe de neceſſitate Sacramenti, ac de iure Diuino, adeò vt, ſi quis Epiſcopus tantũ Oleo ſine admiſtione Balſami, conſecrati confirmaret, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed etiam nullum efficeret Sacramentum.

10 1. Concluſio. Chriſma eſt materia huius Sacramẽti.

Quapropter pro maiori intelligentia quatuor ponimus Concluſiones, quibus facilitate facilius rem totam perpendemus: Vndè Prima ſit Concluſio: *Chriſma eſſe huius Sacramenti materiam ſimpliciter neceſſariã, ad eſſentiam, & ſubſtantiam huius Sacramenti conficiendam*: Hæc Concluſio eſt de fide: Sic enim definitum eſt per Concil. Flor. & Trid. ſeſſ. 7. can. 2. & in multis alijs Concilijs, & Decretis Pontificum hoc ſtatutum eſt & multorum Patrum teſtimonijs vt ſequentibus Concluſionibus probabitur.

Conc. Florẽt. & Trid.

11 2. Concluſio. Chriſma conficiendum eſt ex Oleo, & Balſamo.

Secunda Concluſio: *Chriſma, vt ſit huius Sacramenti materia, conficiendum eſt ex Oleo, & Balſamo, cuiuſcumque loci ſit.* Et iſta Concluſio eſt etiam tenenda de fide: Nam Concil. Flor. ſimpliciter docet: *Materiam huius Sacramenti Confirmationis eſſe Chriſma, confectum ex Oleo, & Balſamo*, & Innocent. III. c. 2. de ſacra Vnctione dicit: *Materiam huius Sacramenti eſſe Chriſma*. Et vrgentiſſimè etiam probatur, quia materia Sacramenti debet formæ conſonare, quare ſi Chriſma non eſſet neceſſarium, falſa eſſet forma Sacramenti: *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, ergò &c. Sed Chriſma non conficitur, niſi per miſtionem Olei, & Balſami, vt in dicto Concil. Flor. & Pontificali Rom. apertè videtur, ergò &c.

12 3. Concluſio. Confectio Chriſmatis ex Oleo, & Balſamo habetur ex traditione Apoſtolica.

Tertia Concluſio: *Hæc confectio Chriſmatis, ex Oleo, & Balſamo, non eſt ex Eccleſia conſuetudine, ſed ex Apoſtolica traditione, & Chriſti inſtitutione manauit.* Hæc concluſio quò ad materiam Olei videtur eſſe certa de fide: Nam euidenter ſequitur ex Concluſionibus ſupradictis: Nam de fide eſt: Chriſtum immediatè hoc Sacramentum inſtituiſſe, quò ad omnia eſſentialia: Item eſt de fide Chriſma eſſe materiam eſſentialem, ergò de fide, eſt Chriſma, eſſe de inſtitutione Chriſti, vt ex ſupradictis patet, & Fabianus Papa ſupra loco citat. dixit: *Chriſtum conficere docuiſſe Apoſtolos Chriſma in nocte cœna, & hoc habetur per traditionem Apoſtolicam*, vt ſupponit dictus Pontifex illam confectionem ex Oleo, & Balſamo conſtare debere: Vndè Diu. Gregor. in Cant. cap. 1. *Botrus cypri di-*

Fabian. Papa.

D. Greg. Pap.

P. Geſualdus de Bonerijs Capucc.

lectus meus mihi in Vineis Engaddi. In Vineis Engaddi (inquit) Balſamum gignitur. quod cum Oleo Pontificali benedictione Chriſma efficitur, quo dona Sancti Spiritus exprimuntur, ergò &c. Vndè ex hoc exurgat

13 4. Concluſio. Miſtionẽ Balſami eſſe de neceſſitate Sacramenti. Doctores huius ſententiæ ſunt.

Quarta Concluſio: *Miſtionem Balſami eſſe de eſſentia huius materiæ: ita vt vnctio in fronte, Oleo tantum facta ſine miſtione Balſami, non ſolùm illicita ſit, ſed etiam inſufficiens, vt Sacramentum factum teneat.*

Suar. D. Thomas.

Hanc Concluſionem amplectitur, & ſequitur Suar. d. 33. ſect. 1. Et validiſſimis rationibus, & auctoritatibus probat, & eſt expreſſa ſententia D. Thom. quæſt. 72. A. 2. ad 4. Et in lib. 4. contra Gent. cap. 60. Vbi inter alia, quæ ſunt de ſubſtantia huius Sacramenti ponit confectionem Olei, & Balſami, quod Chriſma vocatur; & clariſſimè in 4. lib. ſentent. d. 7. quæſt. 1. quæſt. 2. dixit: *Materiam neceſſariam eſſe Oleum, & Balſamum*; Concordant D. Bona. d. 7. quæſt. 2. A. 1. Riccard. A. 5. quæſt. 1. Scotus quæſt. 1. Durand. quæſt. 2. Alenſ. 4. par. quæſt. 24. num. 6. A. 2. Palud. quæſt. 1. A. 2. Adrian. de Confirm. lib. 1. A. 2. ad 5. Sylu. Verb. Confirmatio Diuina num. 2. Bellar. tom. 3. lib. 2. de Confirmat. c. 8. & 9. idem inſinuatur, & multorum Patrum auctoritatibus probat, & Dionyſ. de Eccleſia. Hierarchia. p. 3. c. 3. & in Conc. Colon. in doctrina de hoc Sacramento expreſſè dicitur: *Balſamum eſſe de eſſentia, negatque ſolum oleũ poſſe ſufficere*: & Clemens Alex. lib. 7. conſt. Apoſt. c. 44. & Fabianus Papa Epiſt. 2. ad orientales apertè dixit: *Chriſtum ipſum inſtituiſſe hoc Sacramentum, vt hoc Chriſma conficeretur ex Oleo, & Balſamo*, idem docent Bonac. & alij Doctores communiter, ſupracitati, ſequitur Diana 3. p. reſol. 23. tract. 4. de Sacr. & Coninch. q. 72. A. 3. d. 1. nu. 30.

D. Bona. Riccard. Scot. Duran. Alenſis. Palud. Adrian. Syluest. Bellarm. Dionyſius Areop. Cõc. Colon. Clemens Alexand. Fabian. Papa. Bonac. Diana. Coninch.

Ad opinionem autem Caiet. Nauarri, & aliorum in 3. opinione citatorum.

14 Rẽ. ad rationes tertię ſententię.

Reſpondetur, illud quod: dicunt Balſamum eſſe partem integralem Chriſmatis, & non eſſe eſſentialẽ, ſicuti eſt ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ, quæ non eſt pars eſſentialis, ſed tantùm integralis: Non valere, quia non eſt ſimilis ratio: Nam ſatisfactio non eſt pars, quæ actu concurrit ad componendum Sacramentum, nec ex parte materiæ neceſſariò ſupponitur ad formam, ſed miſtio Balſami cum Oleo conſecrato eſt ità neceſſaria ex parte materiæ, vt præſupponatur ipſi formæ, & ſimul concurrere debeat, ad efficiendum Sacramentum: Nam Epiſcopus dicit: *Confirmo te Chriſmate ſalutis*: Vndè ſi Chriſma non eſſet verum, falſa eſſet forma: Sed veritas formæ eſt de eſſentia Sacramenti: ergò mixtio Balſami non eſt pars integralis, ſed eſſentialis Sacramenti Confirmationis.

15 Rẽ. ad primũ fundamentũ.

Ad primum fundamẽtum prædictæ opinionis, ſumptum ex Innocentio III. loc. cit.

Reſpondetur: Non negaſſe Pontificem: Sacramentum non eſſe iterandum, ſed dixiſſe: *Cautè eſſe ſupplendum, quò ad eſſentialem materiam prætermiſſam*, non autem quò ad ſolemnitatem, & cæremonias, ſicut in Baptiſmo: Nam ſi contingat in ſolemni Baptiſmo dato, formam aut materiam non eſſe validam propter defectum eſſentialem, non eſt ſolemnitas iteranda, ſed tantùm defectus eſſentialis cautè ſupplendus propter ſcandalum: Sic etiam intelligendum eſt de illo confirmato ſine Chriſmate.

16 2. Ratio contra primum fundamentũ.

Secundò dico: Certum eſſe, illum non poſſe ſolo Balſamo prætermiſſo vngi, ſed neceſſè eſſe iterum cum Chriſmate, & cum repetitione formæ iterum Cõfirmari, ſaltem ſub conditione, cùm res ſit dubia, & illa opinio non eſt omninò improbabilis, dicendo in forma: *Si non es confirmatus*.

17 Rẽ. ad 2. & 3. fundamentũ.

Ad ſecundum autem, & tertium fundamentum: Reſpondetur. Coniecturam illam, & rationẽ non eſſe ve-

E ram;

Digitized by Google

ram; Imò etiam in fauorem noſtræ Concluſionis poſſe reduci, quia hactenus nũquam in Eccleſia defecit Balſamum ſufficienter certum, ex quo poſſet Chriſma conficì etiam in priſcis illis temporibus, quandò Eccleſia his temporalibus rebus magis egebat, & grauiores perſecutiones ſubſtinebat, vt patet ex illo loco Fabiani Papæ.

18 Et ad teſtimonium Plinij; Reſpondetur, quod: licèt Plinius dixerit: *In duobus hortis Iudeæ Balſamum tantum inueniri*, loquutus eſt de tempore antiquo: Itàque fieri potuit, vt olim tantùs inueniretur, poſteà verò in maiorem abundantiam excreuit, quod ità accidiſſe, vſque ad ſua tempora, idem Plinius in ſequentibus ſignificauit, & D. Hieronymus ſuper Ezech. c. 27. dicit: *Terram Iudeæ, ſiuè Paleſtina copijs harum rerum abundare, & Balſamum naſci in Vineis Engaddi in abundantia:* Idem etiam ait Greg. c. 2. in Cant. Nunc denique magna copia Balſami ex India defertur, quod ſiuè ſit eiuſdem ſpeciei phyſicè, vel non (nihil enim hoc ad Sacramenti veritatem refert.) non eſt enim fictitium, ſiuè adulterinum (vt quidam putant.) ſed verum, licèt colore differat, nam in fragrantia boni odoris, & in effectibus, alijſque proprietatibus habet ſufficientem ſimilitudinem, & conuenientiam cum alio Balſamo Syriaco, ideòque ſimpliciter, & vniuocè Balſamum exiſtimatur, & nominatur.

Rt. ad teſtimonium Plinij.

D. Hieron. Balſamũ naſcitur in Vineis Engaddi in abundantia.

D. Gregor. Balſamũ defertur ex India in magna copia.

19 Concludimus ergò ex ſupra dictis; *Chriſma confectum ex Oleo oliuarum, & Balſamo, & ab Epiſcopo conſecrato benedictum, eſſe materiam remotam neceſſariam ad Sacramentum Confirmationis: & hoc de iure Diuino ex traditione Apoſtolica:* Quod autem ſit nouum præſentis anni eſt de præcepto, & nõ de eſſentia: Legite Suar. d. 32. ſect. 2. Concordat Fab. in 4. d. 7. q. 1. c. 2. Vndè ſi quis vnctione veteris Chriſmatis confirmaret: peccaret quidem mortaliter, ſed verum conficeret Sacramẽtum, ideòque præcipitur, vt quolibet anno, veteri cõbuſto, nouum Chriſma conficiatur: Sic habetur in Conc. Cartag. 4. c. 36. & in c. Omni tempore, & c. Si quis de Conſ. d. 4. & c. Quoniam de ſent. excom. in 6.

Concluſio.

Chriſma nouum non eſt de neceſſitate ſed de præcepto.

Suar. Fabeſ. Conc. Carta. c. Omni tempore. c. Si quis. c. Quoniam.

20 Sed ſi quæras: An Chriſma confectum ex oleo, & Balſamo, neceſsè ſit quod benedicetur, & conſecretur ab Epiſcopo, vel ſufficiat benedictio ſimplicis Sacerdotis.

3. Dubitatio. An Chriſma conſecrandũ ſit ab Epiſ.

Reſpondetur de mente ferè omnium Doctorum, Chriſma, quod eſt materia Confirmationis neceſſariò benedicendum eſſe ab Epiſcopo, & non à ſimplici Sacerdote, cùm prohibitum ſit Sacerdotibus iure Diuino benedicere Chriſma: Ità quod, ſi ſimplex Sacerdos attentet conſecrare Chriſma, nihil faciet: Ratio huius eſt, quia Chriſtus voluit: Miniſtrum huius benedictionis eſſe ſolummodò Epiſcopum, & non alium, vt traditio Eccleſiæ nos docet per traditionem Apoſtolicam, vt patet ex Conc. Tolet. 8. Cartag. Florent. & alijs auctoritatibus Patrum, quæ citantur à Suar. D. 33. ſec. 2. Nugn. diffic. 4. Fabro d. 7. q. 2. A. 2. nu. 17. & aliorum, vt videre eſt apud Suarez loco ſupracitato.

Reſolutio.

Sacerdos ſimplex non poteſt Chriſma benedicere.

Conc. Tolet. Cartagin. & Florentin. Suar. Nugnus. Fab.

21 Quicquid dicat Caiet. 3. p. q. 72. A. 3. Putat. n. ipſe ſimplicem Sacerdotem poſſe benedicere, & conſecrare Chriſma: Vndè dicit; Conſecrationem Epiſcopi neceſſariam eſſe ex præcepto Eccleſiæ, non de iure Diuino, ergò ſi Sacerdos Chriſma conſecraret, conſecratio valeret, ſecundum Caietanum, quamuis talis Sacerdos m. peccaret, cùm hoc eſſet ſibi prohibitum per Concil. Tolet. 8. c. 7. Can. 6. & Ratio Caietani eſt, quia (dicit ipſe) Sacerdos poteſt hoſtiam conſecrare, quæ eſt omnium conſecrationum ſumma: ergò ſi conſecraret Chriſma, conſecratio valeret, quamuis Sacerdos peccaret, vt dixi.

Opinio Caietani.

Conc. Tolet.

22 Reſpondetur: Negando conſequentiam, quia argumentum à maiori ad minus, in diuerſis generibus non valet: vt ſi quis arguat; Homo poteſt generare hominem ergò poteſt generare formicam: non valet, quia ſunt in diuerſis generibus, ſiuè ſpeciebus, & vnum non includit alterum: Valeret autem in eodem genere: vt ignis poteſt comburere ferrum, ergò & lignum, quia omnia illa ſunt combuſtibilia, ideòque non valet conſequentia Caietani, quia poteſtas conficiendi Chriſma de iure Diuino annexa eſt Ordini Epiſcopali, vt ſupra probatum eſt.

Reijcitur.

Argumentũ à maiori ad minus in diuerſis generibus nõ valet.

Sed maior difficultas eſt: An Papa poſſit concedere facultatem alicui ſimplici Sacerdoti cõſecrandi Chriſma in aliqua neceſſitate. 23

Difficultas. An Papa poſſit concedere quod Chriſma conficiatur à ſimplici Sacerdote.

Reſpondetur. In hac quæſtione: Duas eſſe opiniones; Vnam Caiet. ſupra, Soti in 4. d. 7. q. 1. A. 2. Palud. q. 4. nu. 34. qui putant: Papam committere poſſe hanc facultatem ſimplici Sacerdoti: Quorum fundamentũ eſt, quia legimus ſummum Pontificem aliquando conceſſiſſe aliquibus ſacerdotibus ſimplicibus poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis, vt videbitur, in tract. 2. huius Sacramenti. In c. de miniſtro, ergò multo magis & facilius diſpenſare poteſt, vt poſſint Chriſma conſecrare, quod eſt materia huius Sacramẽti; Nam qui poteſt concedere maius, poteſt etiam concedere minus, & iſta opinio à Soto tribuitur Scoto; ſed reuera Scotus hoc non dixit, vt notauit Suarez ſupra: nam ibi non loquitur Scotus de confectione Chriſmatis, ſed de miniſtratione Sacramenti; & non eſt par ratio, vt videbitur.

1. ſententia affirmatiua Caietani. & Palud.

Altera opinio oppoſita eſt communior, quam ſequitur Suar. & alij Theologi, dicentes: Non poſſe ſummum Pontificem diſpenſare, quod Chriſma conficiatur à ſimplici Sacerdote, & Ratio huius eſt, quia hæc conſecratio pertinet ſolùm ad Epiſcopos de iure Diuino; vt patet per traditionem Eccleſię, vt ſupra probatũ eſt per teſtimonia Conciliorum, & Pontificum: vt Fabiani Papæ, & Dionyſ. & Cyprian. & aliorum Patrum, dicentium: *Benedictionem Chriſmatis factam ab Epiſcopo eſſe de ſubſtantia huius Sacramenti*, ergò non debemus dicere: poſſe Papam in hoc diſpenſare: Nam poteſtas conficiendi chriſma pertinet ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, & non iuriſdictionis, ergò nõ poteſt ad alios extendi; Quapropter dixit Conc. Florent. *Ordinarium miniſtrum huius Sacramenti eſſe Epiſcopum*: Tamen ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ ſimplicẽ Sacerdotẽ illud miniſtrare poſſe, ex chriſmate tamen per Epiſcopũ confectum: Vbi Conc. videtur dicere: Numquam factum fuiſſe, neq; fieri poſſe, vt hoc ſacramentũ detur ex alio chriſmate, quam confecto ab Epiſcopo. 24

2. Sententia Negatiua. Suarez.

Dionyſius. Cyprianus.

Concil. Flor.

Ex quo colligitur ſolutio rationis in præcedente opinione: Negatur enim: maius eſſe concedere facultatem ſimplici Sacerdoti miniſtrandi hoc Sacramentum, quàm conficere Chriſma: Nam materia Sacramenti debet eſſe inuariabilis, Benedictio autem Epiſcopi eſt de eſſentia huius materiæ, ergo non poteſt variari: Non ità de miniſtro, quia in alijs Sacramentis diximus, præter miniſtrum ordinarium, quandoq; ab alijs poſſe miniſtrari, vt patet de Baptiſmo; in quo tamen materia, & forma ſunt inuariabilia. 25

Rt. ad fundamenta primæ ſententiæ.

Modus autem, quomodò Chriſma ſit conficiendum non fuit à Chriſto expreſsè determinatus, quò ad ritum, quo vtitur Eccleſia; nam Chriſtus determinauit, non ritum conſecrationis, ſed ſolum in communi ſtatuit, vt hæc materia eſſet conſecranda ab Epiſcopo, modum verò conſecrationis Eccleſiæ ordinationi reliquit. 26

Ritus conficiendi Chriſma eſt de iure Eccleſiæ.

Vel dicendum eſt, quod Chriſtus inſtituit, quod Chriſma conficeretur per inuocationem Spiritus Sancti: Quapropter quomodòcumque inuocetur Spiritus Sanctus ab Epiſcopo cum debita intentione, etiam ſi non ſeruetur forma præſcripta ab Eccleſia ſi Epiſco- 27

pus

pus conſecraret Chriſma, valeret quamuis peccaret mortaliter propter tranſgreſſionem præcepti Eccleſię in re graui. Ità Suarez D. 33. ſect. 2. Faber. in 4. d. 7. q. 2. A. 2. num. 19.

Suar. Faber.

28 Pro complemento autem huius capituli remanet dicendũ de materia proxima huius Sacramenti: Quapropter breuiter dicimus: Materiam proximam Sacramenti huius eſſe Vnctionem, factam in modum Crucis in fronte baptizati: Ratio huius eſt, quia Sacramentum, quod conſiſtit in vſu pro materia proxima habet actionem aliquam circa materiam remotam: Sed actio circa materiam remotam Sacramenti Confirmationis non videtur alia præter vnctionẽ: ergò &c. debet autem iſta vnctio fieri in formam Crucis, vt dicetur infrà capite ſequente. Ità Bellarm. c. 8. Suarez ſupra ſect. 3. Coninch. Tolet. Reginal. Ledeſm. & alij cõmuniter, citati à Bonac. D. 3. de Confit. p. 3. nu. 4.

Materia proxima eſt vnctio.

Bellarm. Suar. Coninch. Toletus. Reginald. Ledeſma. Bonac.

29 Hic tamen aduerte, quod Vnctio non poteſt fieri alio inſtrumento, vt penicillo: Sed neceſſariò facienda eſt digito, vel manu ipſius Epiſcopi: Ratio huius eſt, quia manus impoſitio eſt de ratione huius Sacramenti, atque adeò debet fieri, quando fit Sacramentum ipſum: Sed ſi fiat vnctio medio inſtrumento, non eſſet vera manus impoſitio, ergò neque erit verum Sacramentum: Ità Coninch. de Confirm. q. 72. A. 3. d. 1. nu. 54. Reginald. to. 2. lib. 28. c. 2. nu. 10. Filliuc. to. 1. tract. 3. c. 1. nu. 17. Nugn. 3. p. to. 1. q. 72. A. 4. con. 2. Bonac. de Conf. d. 3. p. 3. nu. 4. & alij.

Vnctio Chriſmatis neceſſariò facienda eſt digito Epiſcopi.

Coninch. Reginald. Filliuc. Nugnus. Bonac.

30 Non exiſtimamus autem eſſe de eſſentia Sacramenti, quod vnctio fiat pollice dextro, vel ſiniſtro, ſed eſt de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, vt vnctio fiat pollice manus dexteræ: Ità docent omnes Theologi, ſupracitati: Et iſta vnctio neceſſariò facienda eſt in fronte, ob id enim appellatur: Signaculum in fronte, & fit in fronte ad indicandum huius Sacramenti effectum, quę eſt gratia collata per Spiritum Sanctum roborantem ad audacter confitendum Chriſti nomen: cùm enim frons ſit ſedes verecundiæ, par eſt, vt confirmandus in fronte inungatur, vt ſine rubore, & verecundia Chriſti fidem confiteatur; Ità Reginald. Bonacin. & alij ſupracit.

Sufficit vt fiat quocumque digito. De præcepto Eccleſię facienda eſt pollice dextro. Vnctio Chriſmatis faciẽda eſt in fronte, & quare. Frons eſt ſedes verecundiæ. Reginald. Bonacina.

31 Quanta verò quantitas requiratur, vt ſufficiat ad iſtam vnctionem, patet ex ſupradictis in materia de Baptiſmo, Vndè dicimus, quod: Illa quantitas eſt ſufficiens; Qua poſſit quis digito inungi in fronte. Ex quo deducitur modicam quantitatem ſufficere: Sicut etiã ad conficiendum Chriſma, quod eſt materia remota huius Sacramenti ſufficit illa quantitas Balſami, & miſtio, qua Balſamum poſſet ſuas qualitates, & præſertim odorem Oleo communicare, quamuis in ſingulis partibus Chriſmatis non ſit aliquod Balſami formaliter. Ità Coninch. ſupra num. 39. Bonac. num. 6. & alij. Et hæc ſufficiant de materia proxima, & remota huius Sacramenti.

Quæ quantitas Chriſmatis requiratur ad Sacramentum perficiendum.

Coninch. Bonacina.

DE FORMA SACRAMENTI Confirmationis.

CAP. IV.

1 LOquimur de forma partis, quæ eſt altera pars cõpoſiti, quæ determinat partem illam materialem ad faciendum vnum ſignum ſenſibile, quod dicitur Sacramentum, quod ſignificat, & non ſignificatur: Vndè quærimus modò: Quæ nam ſint verba eſſentialia, quæ determinant illud ſignum ad ſignificandam gratiam inuiſibilem Spiritus Sancti roborantem ad confitendã fidem Chriſti?

2 Dicimus ergò breuiter, quod: Forma huius Sacramenti, prout habetur in Pontificali Romano: Hæc eſt; *Conſigno te ✠ ſigno crucis, confirmo te ✠ Chriſmate ſalutis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen:* Ità communiter docent omnes Theologi in 4. ſent. d. 7. D. Tho. cum Caiet. 3. p. q. 72. A. 3. Angel. & Syluest. Verb. Confirmatio diuina nu. 9. Scotus, & Soto, Palud. in 4. d. 7. Nauar. in man. c. 22. n. 8. & omnes communiter, & præcipuè Catechiſm. Rom. pag. 214. clariùs ait. *Hanc formam inſtituiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & illam ſuos Apoſtolos docuiſſe.*

Forma Sacramenti Confirmationiſque.

D. Thom. Caietanus. Angelus. Syluester. Scotus. Soto. Palud. Nauarrus. Catechiſm. Rom.

3 Et quamuis talis forma in Euangelio expreſſa non ſit: Dicimus tamen quod: Non oportet omnia, quæ ad fidem ſpectant in ſcriptura diuina expreſsè contineri: multa enim ſola traditione habentur, ad quam ſufficit perpetua Eccleſiæ obſeruatio, quæ ſi talis eſt, vt à nullo Pontifice, vel Concilio habeat initium eſt ſufficiens ſignum Apoſtolicæ traditionis, iuxta regulam D. Auguſt. communiter receptam lib. 4. de Bap. c. 24. dicentis, quod; *Vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*: Sed huiuſmodi eſt traditio huius formæ, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, cuius initium, & inſtitutum à nullo Concilio, vel Pontifice incœpit, ergò &c.

Hæc forma à quo fuit inſtituta.

Regula Diu. Auguſt.

4 Quod etiam habetur per traditionem, teſte D. Fabiano Papa Epiſt. 2. ad Orientales Epiſcopos: Quod veriſſimum credo, tam propter auctoritatem dicti Põtificis, quàm etiam propter inſignem auctoritatem dicti Catechiſmi Rom. eſt enim à ſede Apoſtolica poſt Concil. Trident. confirmatus: Et in Concil. Florent. & Trid. ità definitum eſt. Legite Suar. d. D. 23. ſupra citata.

Fabian. Papa.

Catechiſmus Romanus. Concil. Flor. & Trid.

5 In qua quidem forma continentur illa tria, quæ in hoc Sacramento neceſſaria ſunt, quarum primum eſt cauſa efficiens principalis, conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sanctiſſima Trinitas, atque indiuiſa Vnitas, quæ inuocatur, cùm dicitur; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quæ ſunt de eſſentia formæ ſicut in Baptiſmo: Nam confirmatio eſt perfectio Baptiſmi, licèt non ſit eiuſdem rationis, vt ſupra dictum eſt: Secundum eſt ipſum robur Spirituale, quod confirmato confert ad ſalutem, ſignificatum per materiam ſenſibilem Sacramẽti, quod tangitur, cum dicitur: (*Confirmo te Chriſmate ſalutis*) Tertium eſt ſignum, quod pugnaturo datur per ſignum Crucis, idcircò dicitur: *Conſigno te ſigno ✠ Crucis.*

Explicatur forma. Cauſa efficiẽs principalis.

Gratia, quæ confertur.

Character.

6 Vndè concluditur: Hanc formam, aut aliam æquiualentem (ſicut dictum eſt de Baptiſmo) non ſolum eſſe conuenientiſſimam, verùm etiam neceſſariam ad valorem Sacramenti, adeò vt ſi in ipſa eſſet aliqua mutatio ſubſtantialis, nullum eſſet Sacramentum, ſi autem eſſet accidentalis mutatio, non vitiaret Sacramentũ, quemadmodũ diximus in forma Baptiſmi. Ità &c.

Forma iſta eſt conuenientiſſima, & neceſſaria.

7 Ad cognoſcendum autem, quæ, & qualis ſit mutatio ſubſtantialis, & quæ accidentalis, dicimus breuiter, quod: Actio miniſtri neceſſario eſt explicanda: Sed difficultas eſt: An geminatio illa verborum: *Conſigno te ſigno ✠ Crucis, & Confirmo te*: ambo ſint neceſſaria, vel alterum illorum proferre ſufficiat: Et Ratio dubitandi eſſe poteſt: quia quodcumque illorum per ſe proferatur, manet integer ſenſus formæ, ideòque valida eſſe videtur.

An geminatio illa verborum ſit neceſſaria.

8 Nihilominus, reſpondendo dicimus: Vtrumque verbum eſſe eſſentiale, quia altero eorum dempto tollitur ſubſtantialis ſignificatio formæ: (*Conſigno enim, te, ſiuè Signo*) ſignificat auctoritatẽ Pontificis, & quoniam multa poſſet ſignificare, determinatur per conſequentia, dicendo (*Signo Crucis*) ly confirmo, deindè explicat materiam, & effectum: Materiam quidem, dicẽdo: *Chriſmate*, effectum verò ſignificando confirmatio-

Reſolutio.

Conſigno te, quid ſignificet.

Confirmo te Chriſmate ſalutis quid.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Digitized by Google

D. Thomas. Alexand. de Ales. Scot. Riccard. Gabriel. Sot. Paludan. Suarez. Filliucius. Coninch.

nem internam. quam cauſat, ideò vtrumque eſt neceſſarium; Ita ſentiunt D. Tho. in 3. p. q. 71. A. 3. Alex. de Ales 4 p. q. 24. memb. 2. A. 2. §. 2. & omnes Theologi in 4. lib. ſent. d. 7. Vt Scotus, Riccard. Gabr. Soto, & Palud. quos ſequitur, & citant Suarez to. 3. de Sacr. D. 23. ſect. 5. & Filliuc. to. 1. tract. 3. c. 1. nu. 21. Coninch. q. 72. A. 5. d. 2. nu. 67. & alij communiter.

9 Ly te ſignificat ſubiectũ.

Ly Te, ſignificat ſubiectum circa quod actio illa miniſtri verſatur, Ideò eſt de eſſentia, vt ſaltem, vel per nomen proprium, vel commune, vel demonſtratiuum exprimatur. quemadmodum diximus à ſimili de forma Baptiſmi.

10 Inuocatio Trinitatis neceſſaria.

Inuocatio etiam Trinitatis explicitè eſt de eſſentia, eò modo ſicut dictum eſt de Baptiſmo, cùm enim Confirmatio dicatur, Complementum Baptiſmi, & conferatur ad promptius proteſtandam, & confitendam fidem Chriſti, neceſsè eſt vt in ipſius forma exprimatur præcipuum fidei noſtræ principium, quod eſt ſanctiſſima Trinitas, atque indiuiſa vnitas perſonarũ: Ita Bonac. to. 1. D. 3. punct. 3. nu. 7. & omnes Doctores ſupracitati communiter.

Bonacina.

11 Ego, & Amẽ non ſunt neceſſaria. Synonima, ſint ſufficientia.

Ly Ego autem, & Amen non ſunt neceſſaria: Si autem loco, Confirmo, dicatur Vngo, ſiuè corroboro, & ſimile, & loco Chriſmatis dicatur: Vnguento, ſiuè vnctione ſalutis, dubium eſt: An forma huius Sacramenti ſit valida, non enim ità explicant effectum. ſicut illa: ideò in tali caſu exiſtimant Theologi, formam talem eſſe iterandam, ſaltem ſub conditione, vt dictum eſt de forma Baptiſmi.

TRACTATVS VI.

De Sacramentis.

Et de Sacramento Confirmationis, Tract. II.

PROOEMIVM.

Diuiſio Tractatus.

ABſoluto iam tractatu primo de Sacramento Confirmationis, in quo dictum eſt de quidditate, & eſſentia, ac de Inſtitutione, & Neceſſitate, ac de partibus intrinſecis. quæ ſunt materia, & forma, quæ ad eſſentiam rei pertinent: Opere pretium eſt, vt pro complemento huius Sacramenti, ſecundum modum noſtrum, de cauſis extrinſecis, efficiente videlicet, & finali nonnulla tractemus, idcòque de miniſtro Sacramenti huius, ac de ſubiecto, cui eſt applicandum. ac tandem de effectibus, Ritu, ac Cæremonijs, quæ in confectione Chriſmatis, & Confirmationis fieri ſolent, quæ neceſſaria ſunt dicamus; quæ omnia in ſuis capitulis diſtinctè declarabuntur, ea breuitate, & claritate, quà poterimus.

DE MINISTRO SACRAMENTI Confirmationis.

CAP. I.

1 Miniſter ordinarius Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus. Concil. Trid.

EſT communis Theologorum ſententia: Miniſtrum ordinarium Sacramenti Confirmationis eſſe ſolùm Epiſcopum conſecratum; Sic enim definitum eſt de fide per Conc. Trid. ſeſſ. 7. vbi dicitur; *Si quis dixerit Confirmationis Sacramenti ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemcumque ſimplicem Sacerdotem: Anathema ſit*, Et in c. Manus de conſ. d. 5. habetur decretum Euſebij Papæ dicentis; *Manus impoſitionis magna veneratione tenendum eſſe, quod ab alijs perfici non poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus, id eſt Epiſcopis, aliter enim nullum erit Sacramentum*: Ità cõmuniter Theologi, vt videre eſt apud Suarez D. 36. ſect. 2. Coninch. q. 72. A. 9. nu 97. Bonacina de Confirm. q. Vnica p. 2. n. 3. Et in hoc nulla eſt controuerſia inter Catholicos.

Euſebius Papa.

Suar. Coninch. Bonacin.

2 Dubitatio. An Papa in hoc poſſit diſpenſare.

Dubium autem eſt: An ex diſpenſatione Papæ ſimplex Sacerdos, non Epiſcopus poſſit aliquando Sacramentum hoc adminiſtrare: & Ratio dubitandi eſt, quia ſi miniſter huius Sacramenti de Iure Diuino eſt ſolus Epiſcopus, ergò non poteſt Papa in hoc diſpenſare, cùm non habeat Papa facultatem diſpenſandi in Iure Diuino: Et ideò ſunt aliqui Doctores, qui dicunt: Non poſſe ſummum Pontificem in hoc diſpenſare: Ità Adrian. in 4. d. 7. A. 3. Durand. q. 3. A. 4. Petrus à Soto ſect. 2. de Confirmat. tribuitur etiam Scoto, ſed reuera Scotus, hoc non dixit, imò tenet oppoſitum, vt benè notauit Faber. in 4. d. 7. q. 1. c. 3. Vbi probat Scotum hoc nunquam dixiſſe, ſed oppoſitum.

1. opinio. Adrianus. Durand. Petr. à Soto. Faber.

3 2. Sententia Concluſio.

His tamen non obſtantibus dicimus nos, ſecundũ communiorem ſententiam omnium ferè Theologorum: Poſſe ſummum Pontificem de plenitudine poteſtatis in aliquo caſu diſpenſare, vt Sacerdos non Epiſcopus cum Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato poſſit hoc Sacramentum miniſtrare, ſicut de facto legimus hoc diſpenſatum fuiſſe à Gregorio Magno Sũmo Pontifice, vt habetur in cap. Peruenit D. 95. Vbi conceſſit Gregorius Presbyteris Sardiniæ, quando deſunt Epiſcopi poſſe confirmare baptizatos cum Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato; Sic etiam refertur Gregor. XIII. diſpenſaſſe cum Presbyteris Sardiniæ, prout refert Suar. tom. 3. de Sacram. d. 36. ſect. 2. & Filliuc. tract. 3. c. 2. num. 26.

Diſpenſatio Gregor. Papæ Magni. c Peruenit. d. 95. Item Grego. XIII. Suar. Filliuc.

4 Concil. Flor.

Ex quo ſequitur: Poſſe Summum Pontificem in hoc diſpenſare; Similiter Conc. Flor. in Decreto Eugenij, expreſsè dicit, aliquando per diſpenſationem Apoſtolicæ ſedis id conceſſum fuiſſe; & Ratio huius eſt, quia potuit Chriſtus hoc modo dare poteſtatem Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis, vt ſcilicet ex commiſſione Papę poſſit eſſe miniſter; quod eſt dicere: datam fuiſſe poteſtatem illi remotè, proximè verò ſolis Epiſcopis: Hoc enim nullam inuoluit repugnantiam.

Ratio huius diſpenſationis.

5 Congruentia. D. Thomas. Riccard. Maior. Paludanus. Capreolus. Marſil. Soto. Suar. Filliuc. Reginald. Syluest. Angel.

Quod autem ità egerit colligimus à poſteriori, quia ex vna parte habemus: Epiſcopum iure Diuino eſſe ordinarium miniſtrum, ex altera verò habemus exempla Pontificum, qui id egerunt, & Conciliorum, quæ affirmant id eos feciſſe ergò, &c. Congruum autẽ fuit, quia in abſentia Epiſcopi non debuerunt fideles hac via recipiendi Confirmationis ſacramentum carere: Ità expreſsè docent omnes Theologi in 4. ſent. diſt. 7. D. Tho. Ricard. Maior. Palud. Capreolus, Marſil. Soto, & alij citati à Suarez d. 36. ſect. 2. concordat Filliuc. Bonac. Reginald. Sylu. & Angelus, & alij.

6 Reſpondetur ad rationes contrariæ ſententiæ.

Ad rationem contrariam primæ opinionis facilè Reſpondetur; Summum Pontificem in hoc negotio non diſpenſare, neque immutare ius Diuinum, ſed cõſtituere talem miniſtrum huius ſacramenti, qualem Chriſtus inſtituit; Chriſtus enim voluit miniſtrum ordinarium ex officio eſſe Epiſcopum: Extraordinarium poſſe eſſe ſimplicem Sacerdotem, auctoritate Summi Pontificis ad hoc deputatum, quod patet ex vſu Eccleſiæ recepto, & approbato.

7

Ratio autem quare Chriſtus contulerit poteſtatem Summo Pontifici, vt poſſit hanc facultatem committere Sacerdotibus fuit neceſſitas, quia ob multitudinem fidelium fieri poterat, vt Epiſcopi omnibus in locis non reperientur. Aduertendum eſt autem quod, vt dixi. tales Sacerdotes ſemper Confirmare debent Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato, cùm nullus poſſit Chriſma conficere pręter Epiſcopũ,

Aduertentia.

vt

Digitized by Google

Conc. Tolet. vt patet ex Concil. Tolet. 8. cap. 7. vbi habetur: *Diuina auctoritate prohibitum eſſe Sacerdotibus conficere Chriſma.*

8 Epiſcopus excõmunicatus poteſt validè confirmare. Suar. Em. Sà. Reginald. Nugnus. Henriq. Bonac. Ex quo colligi poteſt: Epiſcopum, quamuis Excommunicatum, vel hæreticum, ſiuè degradatum poſſe Confirmationis ſacramẽtum validè adminiſtrare, quia per huiuſmodi cenſuras non emittit characterem, in quo fundatur poteſtas confirmandi: Ità Suar. d. 36. ſect. 3. Em. Sà, ver. Confirmatio Regin. Nugn. Henriq. & alij à Bonac. citat. tom. 1. diſp. 3. q. Vnica, num. 7.

9 Epiſcopus nõ confirmatus etiam poteſt. Secundò ſequitur etiam, quod Epiſcopus, licèt non Confirmatus, poteſt tamen validè Confirmationis Sacramentum alijs adminiſtrare, quia ſimpliciter habet characterem Ordinis Epiſcopalis: Sufficit enim quod ſit Epiſcopus Conſecratus.

10 An poſſit cõfirmare alienos ſubditos. Sed ſi quæras: An Epiſcopus in ſua Diœceſi poſſet licitè Confirmare ſubditos alterius Epiſcopi, qui non ſunt ſibi ſubditi?

Reſpondetur negatiuè: Nemo enim debet mittere falcem ſuam in meſſem alienam: Verum eſt tamen, quod, ſi hoc faciat ex confidentia, quia præſumit hoc ratum, & gratum fore proprio Epiſcopo, tunc ſecundum Henriq. lib. 3. c. 6. nu. 6. & Em. Sà, ver. Confirmat. nu. 2. excuſabitur à peccato, & à ſuſpenſione. Henriquez. Em. Sà.

11 Nõ poteſt extra ſuã Diœceſim ſine facultate Epiſcopi loci. Concil. Trid. Similiter etiam dicimus à fortiori, quod nullo modo extra ſuam Diœceſim poteſt aliquem Confirmare abſque facultate illius Epiſcopi, vbi debet Confirmationis ſacramentum adminiſtrare, vt patet ex declaratione Cardinalium circa decretum Concil. Trid. Seſſ. 6. capit. 5. de Reformat. vbi expreſsè iubetur ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, ne vllus Epiſcopus in alterius Diœceſi Pontificalia exerceat, abſque Ordinarij loci expreſſa facultate, & in perſonas alteri ordinario ſubiectas.

12 Debet eſſe in gratia, quando ſacramentum adminiſtrat. Non tenetur eſſe ieiunus. Vltimò tandem dicimus, quod Miniſter huius ſacramenti, quando hoc debet ſacramentum adminiſtrare tenetur eſſe in gratia, & ſine conſcientia peccati mortiferi: Ratio huius eſt, quia Epiſcopus eſt miniſter conſecratus, & ex officio deputatus ad hoc miniſterium: Non tamen neceſsè eſt, vt ſit ieiunus, vel vt adminiſtret in die feſto: Hoc enim nulla lege præſcriptum eſt, ſicut neque eſt neceſsè confirmandum eſſe ieiunum: Nam ieiunium non eſt de præcepto in hoc caſu, ſed ſolum de Conſilio: Ità Henriq. lib. 2. c. 5. nu. 6. & cap. 6. num. 7. Graff. 2. p. deciſ. lib. 1. cap. 5. nu. 12. Debet etiam habere intentionem formalem, aut ſaltem virtualem conficiendi ſacramentum, vt ex ſupradictis conſtat de Sacr. in Gen. Henriq. Graffius.

DE SVBIECTO SACRAMENTI Confirmationis.

CAP. II.

1 Omnis homo Baptizatus poteſt ſemel Confirmari. Circa ſubiectum ſacramenti Confirmationis dicimus breuiter: Quemlibet hominem, qui characterem Baptiſmi habeat, ſemel in vita eſſe huius ſacramenti capacem: Vndè ſequitur: Quemcumque baptizatum, tam in pueritia, quàm in ſenectute, ſiuè marem, ſiuè fœminam Confirmari poſſe; ſic enim habetur in c. Omnes de Conſ. d. 5. vbi dicitur: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur.*

2 Non debet recipi ante vſũ rationis. Petr. de Pala. Sed aduertendum: Non eſſe expediens Infantes ante rationis vſum Confirmare, vt ait Petrus de Palacio: in 4. diſt. 7. quæſt. 4. & Soto, quæſt. Vnica, articul. 8. & patet hoc ex vſu Eccleſiæ, quæ ſicut ſumptionem Euchariſtiæ pueris non concedit, ſic neque habet in vſu eos antequam aliqua rationis luce fruantur Confirmare: vt habetur ex Conc. Aurelian. in c. vt Ieſum de Conſ. d. 5. vbi dicitur: *Ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis:* Et ratio huius eſt, vt maiori cum deuotione ſacramentum recipiant, & vt recordentur de ſacramento recepto, ne illud iterum recipiant contra præceptum Eccleſiæ, & ſacramenti irreuerentiam. Soto. Conc. Aurel.

Si tamen ante vſum rationis Confirmentur ſacramentum erit validum: Vndè aliquando expediẽs erit, etiam ante vſum rationis puerum Confirmare, vt propter longam futuri Epiſcopi abſentiam, vel propter periculum inſtantis mortis: Ità docent Filliuc. to. 1. tract. 3. de Sacram. c. 2. num. 36. Bonac. diſp. 3. de Confirmat. p. 4. num. 5. 3 Aliquando tamen poterit. Filliuc. Bonac.

Adulti autem, vt Sacramentum recipiant non ſolùm debent habere characterem Baptiſmi; ſed etiam voluntatem recipiendi Confirmationem, quæ voluntas, ſi non ſit formalis, ſufficit virtualis, aut ſaltem interpretatiua: aliter enim nullum eſſet Sacramentum, vt conſtat ex his, quæ diximus in tractatu de Sacram. in Gen. 4 Adulti debẽt habere intentionem recipiendi Sacramentum.

Secundò de neceſſitate præcepti Confirmandus, vt effectum recipiat Sacramenti tenetur eſſe in gratia: Vndè ſi haberet conſcientiam alicuius peccati mortiferi tenebitur, vel confeſſionem ſacramentalem præmittere, vel ſaltem producere actum contritionis, quam moraliter iudicetur eſſe ſufficientem ad ſacramentum dignè recipiendũ, aliter enim peccaret mortaliter, ſi indignè cum obice ad ſacramentum accedat. Ità Angel. ver. Confirm. q. 5. Sylueſt. quæſt. 5. Chamer. tract. 3. de Confirm. c. 6. Vndè ait D. Tho. 3. p. q. 72. art. 7. ad ſecundum & Soto in 4. diſt. 7. art. 8. Et ſi non perfectè contritus accedat, dummodò non fictus per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur remiſſionem peccatorum ex opere operato, recipiendo cõtritionis effectum. 5 Tenentur eſſe in gratia. Angelus. Syluestr. Chamerot. D. Thom. Soto. Sufficit cõtritio putata.

Tertiò adulti Confirmandi (non de neceſſitate, ſed de conuenientia) ieiuni accedere debent ad recipiendum ſacramentum, & hoc, vt maiori cum deuotione, & reuerentia Spiritum Sanctum, & gratiam ſacramentalem recipiant: Quod dicitur de ſuſcipientibus, dicitur etiam de miniſtrantibus, vt in c. Vt Epiſcopi de Conſ. diſt. 5. dicitur: Vndè ſi quis non ieiunus ſuſciperet, aut miniſtraret hoc ſacramentum non eſſet peccatum: cùm hodiè permittatur propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia, vt hoc Sacramentum, quod niſi per manus Epiſcoporum miniſtrari poteſt recipiatur, & detur etiam à non ieiunis: Nam vnus Epiſcopus in vna magna Diœceſi non ſufficeret ad tot homines Confirmandos, ſi ei tempus arceretur: Verum eſt tamen, quod quãdo commodè ſeruari poteſt, conuenientius eſt, vt à ieiunis detur, & recipiatur, prout docent D. Thom. 3. p. q. 72. art. 7. ad ſecundum & Graff. p. 2. Deciſ. lib. 1. c. 5. nu. 14. de Confit. & Chamerota, loco ſupra citato. 6 Ieiunium eſt de congruentia, non de præcepto. D. Thom. Graff. Chamerot.

Dico quartò, quod Muti, & Surdi debent, & poſſunt legitimè Confirmari, vt in eis gratia augeatur, & fiant etiam habiles, vt fidei dignitatem poſſint cognoſcere, & in eius tutelam vitam exponere. Ità Soto in 4. d. 7. q. Vnica art. 8. & alij communiter. 7 Muti, & ſurdi etiam Confirmari poſſunt. Soto.

Item amentes, qui lucidis interuallis gaudent abſq; vlla controuerſia Confirmari poſſunt, non ſolùm dum luce rationis fruuntur, verùm etiam in amentia, niſi antea contradixerint, quia tunc non eſſet volũtas virtualis recipiendi Confirmationẽ; vel ſi conſtaret, quod quando vſum rationis amiſerunt erant in ſtatu p. m. tunc enim ratione obicis non eſſent Confirmandi: Quando autem non eſt tale impedimentum, nec eſt ſpes, quod reſipiſcant, tunc poſſunt Confirmari, vt characterem, & effectum ſacramenti recipiant. 8 Amentes, an poſſint Confirmari, & quomodo.

Si autem, ità nati ſint amentes, licèt Marſilius dicat, 9 Etiam amentes perpetui, & ità nati.

dicat, quod non poſſint Confirmari: Dicimus tamen, quod ſi Confirmentur ſacramentum erit validum, ſicut in pueris ante vſum rationis: Ratio huius eſt, quia non poteſt afferri ſufficiens ratio, qua oſtendatur hos priuandos eſſe gratia habituali, quæ confertur per ſacramentum Confirmationis.

10 *Item monſtruoſi, & Hermafroditæ, & in articulo mortis.* Nec obſtat illos non eſſe pugnaturos, & proteſtaturos fidem; Hoc enim eſt per accidens: Ità Bonae. ſupra nu. 6. Sic etiam dicimus, quod etiam monſtruoſi, & Hermafroditæ, atque etiam in articulo mortis conſtituti, licitè poſſunt, & debent Confirmari, quando eſt commoditas, quia licèt ſubtrahantur à pugna, pergũt tamen ad præmia militantium, vndè conſequenter accipiunt Chriſtianæ militiæ ſignum: Ità Sylu. ver. Confir. Diuina, q. 4. & alij. *Syluester.*

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI Confirmationis.

CAP. III.

1 *Sacramentũ tantum.* IN hoc ſacramento conſideranda ſunt illa tria, quæ in omni Sacramento inueniuntur, videlicet ſacramentum tantùm; Res ſacramenti, & res ſimul, & ſacramentum, ſicut diximus in tractatu primo de effectibus ſacramentorum in Genere cap. 5. num. 2. Sacramentum tantùm eſt illud ſignum ſenſibile, conſtans ex rebus, & verbis, Vnctio videlicet Chriſmatis in fronte Baptizati, ſimul cum verbis ab Epiſcopo in forma prolatis, quæ determinant materiam illam ſenſibilem ad faciendum vnum ſacramentum, quod ſignificat, & non ſignificatur; *Res ſacramenti.* Res ſacramenti, quæ ſignificatur, & non ſignificat eſt ſacra res. Ideſt, inuiſibilis gratia habitualis, ſiuè inuiſibilis Confirmatio in anima baptizati, quæ eſt gratia Spiritus Sancti, quæ datur ad robur fidei: *Res ſimul & ſacramentũ.* Res ſimul, & ſacramentum eſt character, qui in Anima Confirmati imprimitur indelebiliter, perſeuerans in ipſa Anima confirmata.

2 *Triplicẽ effectũ confert. Primus eſt gratia Spiritus ſancti.* Ex quo ſequitur, quod: triplicem in anima ſortitur effectum, quorum primus eſt: Conferre gratiam gratum facientem ex opere operato, qui quidem effectus, dupliciter poteſt conſiderari: primò in Ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus: Datur enim per Sacramentum hoc plenitudo Spiritus Sancti ad robur, qui in Baptiſmo plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; Vndè in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum Confirmamur ad pugnam: In Baptiſmo abluimur, poſt Cõfirmationem roboramur. Ità dicit Melchiades Papa in Can. Spiritus Sanctus de Conſ. d. 5. *Melchiades Papa.*

3 *Quænam ſit maior gratia Baptiſmi, an Confirmationis?* Quàpropter ſi conſideretur gratia Sacramenti Cõfirmationis in hoc ſenſu eſt maior gratia Baptiſmi; Si autem conſideretur in ordine ad remiſſionem peccatorum minorem confert gratiam, quam Baptiſmus; Nam Confirmationis ſacramentum non eſt inſtitutũ ad conferendam primam gratiam, ſed ad augendam, neque remittit totam pœnam, vt facit gratia Baptiſmalis, ſed ſecundum diſpoſitionem recipientis, ſecundum magis, & minus.

4 *Sufficit contritio putata ad recipiendam gratiã.* Verum tamen eſt, quod ſi aliquis ad hoc ſacramentum accedat cum contritione putata, quamuis realiter non ſit perfectè contritus, ſed attritus virtute Sacramenti ex vi operis operati recipit gratiam, dummodò tamen fictè non accedat: Ità Suarez d. tom. 3. d. 34. ſect. 2. Chamet. tract. 3. de Confirm. c. 4. & alij communiter. *Suarez. Chameros.*

5 *Forma Græcorum in ſacramento Cõfirmationis.* Ex quo ſequitur, quod in ſacramento Confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur: quàpropter Epiſcopus Græcus quando confirmat baptizatũ inungit ipſum Oleo Chriſmatis conſecrati primò in fronte, dicendo, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου i. Signaculum donationis Spiritus Sancti, quamuis deſit verbum more Græcorum, quorum phraſis propria hoc eleganter aliquandò exigit: Et ſenſus eſt: Hoc ſignaculo donantur munera Spiritus Sancti, imò ipſemet Spiritus Sanctus; prout docet Petr. Arcudius lib. 7. de Concord. Eccleſ. Græcæ, & Latinæ de forma Confirmationis, cap. 6. *Petrus Arcudius.*

6 *Ritus Græcorum in adminiſtratione huius ſacramenti.* Deindè eodem modo inungit oculos, Nares, Os, Aures, Pectus, Manus, & Pedes, vt in omnibus membris, & ſenſibus dentur dona Spiritus Sancti, ſed prius inungitur frons, ad oſtendendum reliquas partes corporis præter frontem vngere non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed tantum de integritate; *Explicatur forma Græcorum.* Vndè in illa Græcorum forma denotatur character, quando dicitur: Σφραγὶς, quod eſt ſignaculum; denotatur gratia inuiſibilis in ver. illo: δωρεᾶς, ideſt, doni, additur πνεύματος ἁγίου. Spiritus Sancti, in quo exprimitur cauſa efficiens principalis, cui ſingulariter attribuitur hæc ſanctificatio, & in quo cæteræ quoque Diuinæ perſonæ propter vnitatem ſubſtantię comprehenduntur, prout docet dictus Petrus de Arcudio loco citato. *Petr. Arcud.*

7 *Secundus effectus eſt character.* Secundus effectus eſt character, qui per virtutem Sacramenti imprimitur in anima Confirmati quo adſcribitur in Chriſti familia: Quod autem per ſacramentum Confirmationis imprimatur character eſt de Fide per Conc. Flor. & Trid. Seſ. 7. de Sacr. in Gen. determinatum.

8 *In quo diſtinguitur iſte character à charactere Baptiſmi.* Eſt autem huiuſmodi character, diſpoſitio quædam, & qualitas ſpiritualis hominem conſignans, deputando illum partim ad agendum, & partim ad patiendum: Diſtinguitur autem iſte character à charactere Baptiſmi, non ſolùm numero (ſecundum veriorem ſententiam) verum etiam ſpecificè, & eſſentialiter; aliter enim iſta ſacramenta non eſſent eſſentialiter diſtincta, tum quia per iſta deputatur homo ad diſtincta munera: Ità Suarez to. 3. de Sacram. diſt. 34. ſect. 1. Filliuc. to. 1. tract. 3. c. 3. nu. 51. *Suar. Filliucio.*

9 *Reiterans Cõfirmationem peccat m. nõ tamen fit irregularis.* Vndè ſequitur: Hoc Sacramentum eſſe irreiterabile, quare ſi quis ſcienter iterum hoc ſacramentum reciperet grauiſſimum ſacrilegium committeret, cùm magnam iniuriam, & contumeliam faceret Sacramento, & Spiritui Sancto, non tamen irregularitatem incurreret, quia talis irregularitas in iure non eſt impoſita, ſicut per reiterationem Sacramenti Baptiſmi: Ità docent Graff. par. 2. deciſ. lib. primo, capit. quinto, num. 45. & Filliuc. Suar. & alij, locis ſupra citatis. *Graff. Suar. Filliuc.*

10 *Epiſcopus nõ incurrit irregularitatem, ſi bis aliquẽ Confirmaret.* Idem dicas de Epiſcopo, qui ſcienter aliquem iterum confirmaret, peccaret quidem mortaliter, non tamen fieret irregularis: Ratio huius eſt, quia nulla irregularitatis pœna iterantibus Confirmationem eſt impoſita: vt patet ex capite Debitum: Et capite De homine de Conſecrat. diſtinct. 5. ergò ſequitur, quod non fit irregularis, cùm irregularitas tantum contrahatur in caſibus in iure expreſſis: Vt dicitur in capit. Si quis in Eccleſia, de Sententia excommun. in 6. *c. Debitum. c. de homine. c. Si quis in Eccleſia.*

11 *Tertius effectus eſt cognatio ſpiritualis.* Tertius effectus eſt Cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur inter Confirmantem, & Confirmatum, & inter Patrinum, & Confirmatum, & patrem, & matrem confirmati cum Patrino, vt dictum eſt de Baptiſmo capit. Si quis, & capit. De his, 30. quæſt. 1. Et iſta de effectibus Sacramenti Confirmationis, dicta ſufficiant.

DE

Digitized by Google

DE CAEREMONIIS, ET RITV ſeruando in adminiſtratione huius Sacramenti.

CAP. IV.

1 DVo veniunt conſideranda, pro complemento huius tractatus ſacramenti Cōfirmationis, quæ pertinet ad cæremonias illius, ab Eccleſia inſtitutas. Vnum eſt confectio Chriſmatis, quæ fit multis ſolēnitatibus feria quinta in Cœna Domini quolibet anno ab Epiſcopo; Alterum eſt, ſacramentalis vſus ipſius Chriſmatis, in quo vſu ratio ipſius Sacramenti conſiſtit, & vtrumque ſpeciali ritu, & ſolemnitate inſtitutum eſt, quo ad modum, vt videre eſt in Pontif. Roman.

Ritus Conficiendi Chriſma.

2 Circa primum ergò dicimus breuiter, quod: Epiſcopus ſingulis annis feria quinta in Cęna Domini in ſolemnitate Miſſæ illius diei, peracta Conſecratione, & facta oblatione ſacrificij Sanctiſſimi Sacramenti, & facta conſumptione ſpecierum conſecratarum per communionem, conſumato iam ſacrificio Miſſę, antequam dicat: Poſt communionem, deſcendit de altari, & accedit ad locum pręparatum pro benedictione Chriſmatis.

Quomodò fit Conſecratio Chriſmatis.

3 Vbi primò recitat multas, variaſque Orationes, & deuotas preces, quibus Oleum, & Balſamum bene ✠ dicitur, & Sancti ✠ catur, ſecundum illud Apoſtoli 1. Tim. 4. dicentis: *Omnia ſanctificari debent per verbum Dei, & Orationes.*

1. Actio Epiſcopi eſt oratio, ſiuè benedictio.

4 Secundò facit multas Cruces, quo ſigno ſanctificātur Oleum, & Balſamum, cùm ſine hoc ſigno Crucis nihil ſit conſecrandum, vt omnes Theologi communiter docent.

2. Actio eſt benedictio cum ſigno Crucis.

5 Tertiò Epiſcopus halat aliquoties ſuper ampullam Chriſmatis, vt deſcenſus Spiritus ſancti deſignet ad illud ſanctificandum ad imitationem ipſius Chriſti, quando inſuflauit Apoſtolis, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum.*

3. Halat ſuper Oleum benedictum.

6 Quarta cæremonia eſt, quod: Chriſma conſecratū ſalutatur, & adoratur ab Epiſcopo, & deindè oſculatur labrum ampullæ tribus vicibus cum genuflexionibus, dicendo: *Aue Sanctum Chriſma*: Quæ ſalutatio, & reuerentia Chriſmati conſecrato adhibetur ad oſtendendum, illam eſſe rem ſacram, & vim habētem, vt Dei inſtrumentum ſanctificandi: Non adoratur autem adoratione Latriæ, quæ ſoli competit Deo, (vt falsè Hæretici putant) ſed adoratur adoratione, quæ dicitur Duliæ, quæ conuenit Sanctorum reliquijs, & rebus ſanctificatis.

4. Salutatur, & adoratur Chriſma tribus vicibus. Quid ſignificet iſta ſalutatio.

Adoratio latrię, & dulię, in quo differant.

7 Quæ cæremoniæ, & aliæ, quibus Eccleſia in confectione Chriſmatis vtitur ſunt conuenientiſſimè ab ipſamet Eccleſia Spiritu ſancto inſpirante inſtitutæ, prout docent D. Thom. in 3. p. q. 72. ar. 12. Suar. d. 37. ſect. 1. Soto in 4. d. 7. art. 12. Qui varijs rationibus, & conuenientijs hoc probant, atque declarant.

Omnes iſtæ Cæremoniæ ſunt conuenientiſſimæ. D. Thom. Soto. Suar.

8 Circa ſecundum de Ritu in ipſa adminiſtratione ſacramenti huius, præter ea, quæ in Pontificali Romano habentur, dicimus ſequentia; Nam præter cæremoniam eſſentialem vngendi, & ſignandi frontem baptizati ſigno Crucis, in qua denotatur Spiritus ſancti gratia ad robur fidei, & augmentum gratiæ Sanctificantis: Adhibentur, & aliæ cæremoniæ exterius ab ipſamet Eccleſia inſtitutæ.

Ritus adminiſtrandi ſacramentum.

9 Quarum prima eſt, vt adſit Patrinus, qui confirmandum teneat, & offerat Epiſcopo, ſicut in Baptiſmo, & hoc non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici, quare: Si quis ſine Patrino ſe fecerit confirmari, peccaret mortaliter contra præceptum Eccleſiæ in cap. Cùm Marthæ, de celebr. Miſſ. Non poteſt autem tenere confirmandum, non confirmatus, ſicut nec non baptizatus poteſt aliquem in Baptiſmo, ſiuè confirmatione tenere, vt habetur in c. In Baptiſmate de Conſ. diſt. 4.

Patrinus eſt adhibēdus in Confirmatione.

Debet eſſe Cōfirmatus.

Quapropter ſi quis non Confirmatus teneret confirmandum peccaret mortaliter, faciens contra ordinationem Eccleſiæ, non tamen contraheret cognationem ſpiritualem, cùm non ſit legitimus ſuſceptor: prout docent Coninch. q. 72. ar. 10. n. 49. Regin. to. 2. lib. 31. c. 1. n. 157. Sanch. de Matrim. to. 2. lib. 7. d. 60. n. 19. qui alios citat, & ſequitur Diana de Sacr. Confirmat. reſol. 26. contra Palud. Roſell. Tabien. Soto, & alios, pro vt refert Sanch ſupra, putantes, quod etiam ſi ſuſceptor non fuerit confirmatus cōtrahat cognationem ſpiritualem, ſed falluntur (inquam) quia talis non eſt legitimus ſuſceptor, idcòque non contrahit, tanquam ſi non eſſet. 10

Patrinus nō Confirmatus peccat, ſed nō contrahit cognationem. Coninch. Reginald. Sanch. Diana.

Suſceptor verò, ſiuè Patrinus in hoc Sacramento non poteſt eſſe, niſi vnus, aut vna, vt habetur in cap. Non plures de Conſ. d. 4. cap. Quamuis de Cognatione ſpirituali in 6. & definitum eſt per Concil. Trident. Seſſ. 24. de Reformat. c. 2. 11

Suſceptor nō debet eſſe niſi vnus, aut vna.

Altera cæremonia eſt, vt confirmatus ab Epiſcopo alapa in faciem leuiter cædatur, & hoc non ſolum (vt ait Syluest. ver. Confirmatio, numero quarto) vt confirmatus recordetur, ſe hoc Sacramentum ſuſcepiſſe propter periculum reiterationis, ſed etiam, vt confirmatus intelligat ſe contrà ignominias, & iniurias pro Chriſti nomine perferendas patientiæ virtute præcipuè armandum eſſe: Legite Catechiſmum pag. 223. in fine: Suarez in 3. p. D. Thom. to. 3. diſt. 37. ſect. 2. & alios multos, quos ipſe cit. Suar. 12

Quare Cōfirmatus alapa cęditur.

Catechiſmus Rom. Suarez.

Altera cæremonia eſt, vt faſcia ligetur frons confirmati, tum ne chriſma facilè defluat, tum etiam, vt ſignificet acceptam gratiam diligenter eſſe conſeruādam, iuxta illud, 1. Ioan. *Vnctionem, quam accepiſtis maneat in vobis*: Sed in hac re ſeruanda eſt Eccleſiæ conſuetudo, alicubi enim ad ſeptimum diem fronti faſcia conſeruatur, alicubi ad tres, alicubi continuo abluitur, & exiccatur Chriſma à Sacerdotibus adſtātibus, adeò vt faſciæ opus non ſit neceſſaria, iuxta Eccleſiæ receptam conſuetudinem, quæ hodiè in praxi ferè communiter habetur. 13

De faſcia, quæ ligatur ad frontem Confirmati. 1. Ioan. c. 2.

Vltimò tādem, pro complemento huiuſmodi materię: Dico quod licèt ſit conueniens, vt ſacramētum Confirmationis in die Sabbathi Sancti, Paſchę, & Pentecoſtes adminiſtretur ab Epiſcopis, quandò commodè fieri poteſt: quia videlicet his diebus adminiſtrari ſolet Baptiſmus ſolemnis: Verùm eſt tamen, quia cùm hoc ſeruari de facili non poſſet, permiſſum eſt, vt in quolibet anni tempore, & die Chriſmatis Sacramentum licitè conferri, & adminiſtrari poſſit ad libitum Epiſcoporum pro opportunitate temporis, quemadmodum etiam, & prima Tonſura: & non ſolùm in Eccleſia: ſed etiam extra, & in quolibet loco conuenienti, & decenti, ac etiam tempore interdicti, ſubmiſſa tamen voce. 14

De tempore, & loco adminiſtrandi Confirmationem.

Non tamen licet Epiſcopis extra ſuam Diœceſim miniſtrare hoc ſacramentum, niſi ex facultate illius Epiſcopi loci, in quo ſacramentum eſt adminiſtrandum: & hoc ex pręcepto Concilij Triden. ſupra citati, non autem eſt de eſſentia ſacramenti: Et iſta ſufficiant de ſacramento Confirmationis. 15

Non extra, ſed in propria Diœceſi.

Digitized by Google

TRACTATVS VII.

DE SACRAMENTIS.

ET DE SS. EVCHARISTIÆ SACRAMENTO,

TRACTATVS PRIMVS.

PROOEMIVM.

Introductio.

A*Bſolutis, & expeditis duobus ſacramentis nouæ legis, Baptiſmo videlicet, & Confirmatione, quæ in ſacramentorum Ordine, & enumeratione primum, ac ſecundum locum obtinent, non dignitate, ſed vſu, per vnum enim renaſcitur homo, qui mortuus erat in peccato Adæ, & incipit viuere vita ſpirituali per gratiam iuſtificantem, quæ in Baptiſmo confertur; Vndè rationabiliter appellatur Baptiſmus:* Regenerationis ſacramentum, *quia per illud renaſcitur homo, & fit Filius Dei, non quidem per naturam, ſed per gratiam: per alterum verò confortatur, & confirmatur homo renatus per gratiam Spiritus Sancti, roborantem ad audacter fidem Chriſti, noniter receptam confitendam: Accedimus modo ope Diuina freti ad tertio loco agendum de Sanctiſſimo, & Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quod eſt Sacramentorum omnium præſtantiſſimum: Quapropter D. ait. Dionyſius cap. 3. de Eccl. Hierarch.* Euchariſtia eſt conſummatio, & perfectio ſacramentorum omnium: *Non modo enim eſt ſignum, & cauſa gratiæ hominibus conferendæ, verùm etiam ipſum fontem, & auctorem gratiæ, in ſe continet ſub ſpeciebus panis, & vini latentem, vt ineffabilè quodam modo nobiſcum vniatur: Et quamuis ſacramentum hoc dignitate, & excellentia primum omnium ſit, in tractatu tamen de Sacramentis tertium locum obtinet, nam in ſacramentorum vſu, talem ordinem tenet:* Tria enim *(ait D. Thom. in 3. p. qu. 75. art. 1. & 2.)* ſunt ſacramenta, quibus primo, & per ſe ſufficienter initiantur, & ſanctificantur fideles, Baptiſmus videlicet, Confirmatio, & Euchariſtia, *nam ſpiritualis generatio per Baptiſmum confertur; poſt ipſum ſuccedit Confirmatio, quæ hominem in ſtatu quaſi vitali, & perfecto conſtituit, vt tandem capax ſit Euchariſtiæ, quæ cibus perfectorum eſt, & ſpiritualem vitam nutrit: Vndè Damaſcenus lib. 4. c. 14. dicebat:* Quod per Regenerationis lauacrum in nobis inchoat, & Confirmationis Sacramentum perficit; Euchariſtiæ ſacramentum per ſe ipſum conſeruat, fouet, nutrit, & vſque ad vltimam perfectionem perducit; *Quapropter in principio naſcentis Eccleſiæ noniter baptizati immediatè, quandò erat commoditas poſt Baptiſmum confirmabantur Chriſmate ſalutis, & poſteà Euchariſtiæ ſacramentum illis conferebatur: Vndè in Sacramentis enumerandis hunc ordinem ſeruauerunt Concil. Florent. in inſtructione Arm. & Trid. à Seſ. 7. vſque ad 13. Eumque ordinem tenuerunt Patres, & ferè Theologi omnes cum Magiſt. in 4. ſent. ipſumque ordinem tenebimus, & nos: quapropter; Tertiò in ordine loco dicendum venit de Sanctiſſimo, & Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

Sacramentū Euchariſtiæ. D Dionyſ.

D. Thom.

Damaſcen.

Quare tertiò loco ponitur Euchariſtia. Conc. Flor. & Trident.

Quod dupliciter poteſt conſiderari; Primò in Ordine Sacramenti: Secundò in ordine ſacrificij, quatenus enim repræſentat tempus præteritum, cuius eſt memoriale videlicet ſacrificij illius cruenti, in Ara Crucis oblati, appellatur Sacrificium: Continet enim illam Hoſtiam .i. Chriſtum Dominum in Ara Crucis oblatam, cuius modò hoc ſacramentum memoriam repræſentat: Et ſic eſt ſignum rememoratiuum: In hoc ſolum eſt diſcrimen huius, & illius ſacrificij, quod illud fuit cruentum, hoc verò incruentum, in reliquis verò ſunt paria: Idem enim Chriſtus, qui ibi fuit ſacrificatus, pariter, & hic, & ſicut de ratione ſacrificij eſt conſummari, ita, & hic debet hæc Hoſtia conſummari, & à Sacerdote ſummi ſub vtraque ſpecie, vt ſacrificium ſit perfectum: De quo ſacrificio tractabimus poſtea, loquendo de ſacrificio Miſſæ: Nunc autem primo loco agemus de ipſo quatenus Sacramentum eſt: Vndè Primò videbimus quiditatem ipſius per Etym. nominis: Secundò per deſcriptionem, & Tertiò per diſinitionem eſſentialem: Hac enim triplici via ad rerum cognitionem peruenitur: Poſteà verò tractabimus de inſtitutione, neceſſitate, ac vnitate ipſius, & tandem de alijs, quæ de hoc Auguſtiſſimo Sacramento à Theologis diſputari ſolent, ea breuitate, & claritate, quæ poterimus ad breuem ſummam morali modo reducemus: Quod Deus ipſe, ſua protegente gratia, præſtare dignetur.

Euchar. dupliciter poteſt conſiderari in ordine ſacrificij, & ſacramenti.

Diſcrimen inter ſacrificium cruentum, & incruentum.

De ratione ſacrificij eſt cōſummatio Hoſtiæ.

Diuiſio Tractatus.

DE NOMINIBVS, ET QVIDITATE Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ.

CAP. I.

1 Multis nominibus denominatur ſanctiſſimum Sacramentū.

SAcroſanctum, ac præſtantiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum polynomum eſt: Pluribus enim modis, multiſque nominibus à Theologis propter eius ineffabilem excellentiam, ac dignitatem appellari ſolet: continet enim in ſe multa, & innumerabilia myſteria, ideòque multis nominibus ſub diuerſis rationibus ſignificatur, & proponitur.

2 1. A materia ſenſibili.

Primò enim à materia ſenſibili; ex qua hoc ſacramentum efficitur; dicitur: *Conuiuium dominicum, Panis Dei, Panis Angelorum, Manna cæleſtis, Cœna Dominica: Panis vitæ: Cibus verus: Eſca ſpiritualis.*

Secundò ab vſu appellatur *Communio*; quia (vt ait Damaſcenus lib. 4. cap. 25. de Fide) *Communicamur per ipſum Chriſtum, & quia participamus eius carne, & Deitate, & quia communicamur, & vnimur ad inuicem:* In quo ſenſu ait Trid. Seſ. 13. cap. 8. *Euchariſtia eſt ſignum vnitatis, vinculum charitatis, Symbolum pacis, & concordiæ:* Quia ſingulari modo perficit, & ſignificat vnitatem Corporis Chriſti miſtici, ideòque à Græcis appellatur: *Σύναξις* Synaxis enim (vt dicit Dionyſius cap. 3. de Eccleſiaſtica Hierarch.) *Congregatio fidelium interpretatur.* 3 Secundò ab vſu. Damaſcenus. Trident. Dionyſ.

Tertiò ab effectu dicitur primò: *Fons bonorum omnium:* Secundò. *Carbo ignitus, purificans animam:* Tertiò: *Charitas, & vita æterna:* Quartò. *Pharmacum immortali-* 4 Tertiò ab effectu.

mortali-

mortalitatis: Quintò: *Mortis antidotum*. Sextò: à Græcis dicitur: *Μεταλήψις*, quæ interpretatur aſſumptio, quia (vt ait Damaſceen.) *Per hoc Sacramentum Filij Deitatem aſſumimus*, ſiuè magis propriè, Metalipſis interpretatur, *Participatio, ſiuè tranſmutatio*: nam virtute Sacramenti huius deificamur, ſecundum illud Domini Ieſu: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo.*

Damaſcenus.

5 — 4. à Re contenta.

Quartò à Re contenta: primò dicitur *Corpus, & Sanguis Chriſti*: 2. *Caro Domini Ieſu*; 3. *Pignus futuræ gloriæ*; 4. per Antonomaſiam dicitur *Sanctiſſimum, ſiuè Sacramentum*: 5. *Sacro Sanctum myſterium*, quia infinita myſteria in ſe continet: 6. *Conſummatio, & perfectio omnium Sacramentorum.*

6 — 5. à Significatione. Magiſt. ſent.

Quintò tandem à ſignificatione dicitur; *Euchariſtia*, quæ ſignificat bona gratia, quia (vt ait Magiſt. ſentent. d 8.) *Ieſum Chriſtum, qui eſt fons, & origo omnium gratiarum in ſe continet*: Dicitur autem Ε'υχαριστία à verbo Græco Ε'υχαριστέω quod ſignificat gratias ago, quia in gratiarum actionem conſecratur, & offertur Deo, vel ab effectu, quia magnum gratiæ cumulum confert, vel quia magnum Dei donum eſt, & magnam gratiam confert.

7 — 6. In ratione ſigni. Signum Rememoratiuũ. Signum Demonſtratiuũ.

In ratione autem ſigni, quatenus Sacramentum eſt ſignum rememoratiuum paſſionis Chriſti appellatur, Sacrificium incruentum in memoriam Sacrificij illi cruenti, de quo dicetur poſteà loco ſuo in tractatu de Sacrificio Miſſæ: Eſt etiam ſecundò ſignum demonſtratiuum, ideſt rei præſentis, ideſt gratiæ Sanctificantis per veram, & realem Chriſti præſentiam, ſub illis ſpeciebus conſecratis ineffabiliter contentis, & tandem eſt ſignum prognoſticum, ideſt futuræ gloriæ, & vt ſic appellatur: *Viaticum*, quia hic præbet nobis viã illuc perueniendi, prout docet D. Thomas in 3. part. qu. 73. A. 4. Quàpropter de hoc venerabili Sacramento canit Eccleſia Sancta Dei, dicens: *O Sacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*: Et hæc pro Etymologia, & quid nominis.

Signum Prognoſticum. D. Thom.

8 — Excellentia Sacramenti Euchariſtiæ.

Circa quid rei dicimus, quod licet hoc auguſtiſſimum, & admirabile Sacramentum propter ſummam eius excellentiam nulla poſſit ratione comprehendi, nec fecunditate humanæ eloquentiæ explicari; Continet enim ineffabiliter carnem, & Sanguinem Chriſti Ieſu, vnà cum Anima, ac Diuinitate ineffabili quadam virtute latentem: Nihilominus tamen ſecundùm noſtram capacitatem, & noſtrum modum intelligendi, tali pacto ipſam Euchariſtiam deſcribere poſſumus.

9 — Deſcriptio Euchariſtiæ ſecundum Magiſtrum. Deſcriptio Nauarri.

Videlicet: Euchariſtia eſt Sacramentum corporis, & Sanguinis Chriſti, quo vita ſpiritualis nutritur, quã, & Baptiſmus nobis præſtat, & Confirmatio corroborat: Ità enim à Magiſt. ſentent. in 4. d. 8. deſcribitur, ſiuè clariùs, ſecundùm mentem Nauarr. cap. 22. in man. nu. 10.

10 Euchariſtia eſt Sacramentum, quod ſub ſpeciebus panis, & vini, vel alterius eorum verum Corpus, & Sanguinem Ieſu Chriſti continet: Sacramentum ponitur pro genere. Eſt enim genus proximum, ſcilicet ſignum illud ſacrum ſenſibile, efficaciter ſignificans inuiſibilem gratiam, ſiuè effectum eius gratuitum ex Diuina inſtitutione, reliqua ponuntur loco differentiæ, vt diſtinguatur ab alijs Sacramentis.

11 — Definitio Scoti.

Sed inter multas, ac varias definitiones, quæ de ipſa Euchariſtia à Theologis aſſignantur nobis magis arridet illa Subtiliſſimi Doctoris noſtri Scoti diſtin. 8. in 4. ſentent. dicentis: Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, veraciter contenti ſub ſpeciebus panis, & vini, poſt conſecrationem factam à Sacerdote ſub certis verbis, debita cum intentione prolatis ex inſtitutione diuina veraciter ſignificans Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub eis realiter contineri.

Hæc inquam Scoti definitiò omnia, quæ ad perfectam ipſius Sacramenti intelligentiam deſiderari poſſunt artificioſè comprehendit, ac declarat: Aſſignat enim genus proximum, & differentiam vltimam conſtituentem, dum dicit: (Euchariſtia eſt Sacramẽtum Corporis, & Sanguinis Chriſti:) Aſſignat etiam materiam remotam (per ly panis, & vini,) declarat cauſam efficientem principalem, & inſtrumentalem inſtrumenti coniuncti, ac ſeparati, dum dicit (ex Diuina inſtitutione, & à Sacerdote:) Additur etiam cauſa formalis (per ly ſub certis verbis,) & tandem explicat rem ipſam Sacramenti, ad quam terminatur relatio ſigni ſignificantis. Quandò dicit ſignificans ibi eſſe Corpus Chriſti, per ly etiam ſub ſpeciebus conſecratis aſſignat materiam proximam Sacramenti permanentis, quæ ſunt ſpecies conſecratæ: Vndè cùm ſit clariſſima definitio non oportet illam amplius explicare: cùm ex his quæ dicta ſunt in ſuperioribus clariſſimè intelligantur omnia. 12 — Amplectitur iſta definitio, & explicatur.

Si autem deſideras aliam definitionem breuiorem, ſic ipſam deſcribo: Euchariſtia eſt Sacramentũ Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini in alimoniam Spiritus conſecrati, cuius expoſitio ex ſupra dictis patet, ideò, &c. 13 — Alia definitio breuior.

Hic tamen eſt aduertendum, quod licèt ex vi verborum conſecrationis ſub ſpeciebus panis ſit Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini Sanguinis ipſius: Quoniam tamen modò Chriſtus non habet Corpus, ſine Sanguine, nec Sãguinem ſine Corpore, ideò ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus, eo modo, quo eſt in Cœlo, vndè per concomitantiam manet Chriſtus totus ſub qualibet ſpecie conſecrata, ſimul cum anima, & Diuinitate, vt melius loco ſuo explicabitur. 14 — Sub qualibet ſpecie conſecrata eſt totus Chriſtus per concomitantiam.

Vltimò tandem dicimus, quod: In hoc Sacramento, ſunt illa tria, quæ in omnibus Sacramentis nouæ legis conſiderari ſolent, Videlicet Sacramentum tantum, & ſunt ſpecies illæ conſecratæ, quæ ſignificant veraciter ibi eſſe Corpus Chriſti; Eſt etiam res Sacramenti, quæ eſt gratia inuiſibilis, quæ mediantibus illis ſpeciebus ſignificatur, & confertur: Res tandem, & Sacramentum eſt ipſemet Chriſtus Dominus, qui ex modo, quo continetur ſub ſpeciebus ſignificat, & ſignificatur, qui eſt effectus gratuitus. In quo diſtinguitur ab alijs Sacramentis: nam illa conſiſtunt in vſu quandò conficiuntur, hoc autem in facto eſſe, & ideò dicitur Sacramentum permanens: vt in c. Cum Marthæ de Celebrat. Miſſarum dicitur: Et hæc de Quiditate iſtius Sacramenti. 15 — Sacramẽtum tantum. Res Sacramenti. Res, & ſacramentum. Sacramẽtum permanens.

DE INSTITVTIONE SANCTISSIMI Euchariſtiæ Sacramenti.

CAP. II.

Qvo ad inſtitutionem Sanctiſſimi Sacramenti huius, dicimus: Chriſtum Dominum inſtituiſſe illud in nocte Cœnæ in ipſa nocte, in qua tradebatur, ideſt pridiè quam pateretur: ſic enim definitum eſt in Clement. Vnica de Reliquijs, & Venerat. Sanct. & elicitur ex Euangelio Matth. c. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Illa enim nocte panem, & vinum conſecrauit, ex quo manifeſtè patet, tunc Sacramentum hoc inſtitutum eſſe, & poteſtatem à Chriſto Domino datã fuiſſe Sacerdotibus hoc Sacramentum, aliaque conficiendi illis verbis: *Hæc quotieſcumque feceritis*. nec legitur alicubi, hoc feciſſe, aut dixiſſe. 1 — Quando fuit ſacramẽtum hoc inſtitutũ. Matth. c. 26. Marc. c. 14. Luc. c. 22.

Vbi notandum eſt illud inſtituiſſe poſt trigeſimum tertium annum, & tertium menſem à ſua Natiuitate 2 — Quo tempore vitæ Chriſti.

ideſt

Digitized by Google

ideſt in fine vitæ ſuæ: In primo verò menſe lunari totius anni, qui menſis lunaris iuxta computationem Iudæorum incipiebat à prima Luna poſt æquinoctiũ menſis Martij: & quartadecima Luna illius primi mẽſis quandò Luna erat quarta decima hoc inſtituit Sacramentum: Chriſtus enim ſeruare voluit ritum Iudæorum, apud quos erat lex, vt comederent Agnum Paſchalem in quarta decima Luna illius menſis in memoriam exitus filiorum Iſraelis de Ægypto, vt habetur in libr. Exod. cap. 12. vbi dicitur: *Immolabit Agnum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad Veſperam Paſcha: eſt enim Phaſa ideſt tranſitus Domini*: vt patet.

3 Difficultas inter Græcos, & Latinos.

Eſt tamẽ aliqua difficultas apud aliquos Doctores: An Videlicet in prima, vel ſecunda Veſpera, ideſt in principio, vel fine quartæ decimæ Lunæ Chriſtus Dominus Sacramentum inſtituerit: Nam feſta Iudæorũ à Veſpera, vſque ad Veſperam computabantur, iuxta illud Leuit. 3. *A Veſpera ad Veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.*

Leuit. c. 3.

4 Et quamnis nonnulli Doctores, Græci præcipuè, exiſtiment: Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacramẽtum in prima Veſpera in principio quartæ decimæ Lunæ, tamen probabilius tenendum puto, ſecundùm communiorem ſententiam, quam tenent Latini Doctores: In 2. Veſpera quartæ decimę Lunæ in fine diei quartæ decimæ, & in principio quintæ decimæ Lunæ Chriſtum Dominum Cęnam fecisse, & Sacramentum inſtituiſſe.

Inſtitutum fuit in fine 14. Lunæ.

5 Probatur primò ità: Chriſtus ea parte diei comedit Agnum legalem, & inſtituit Sacramentum, quo Iudæi, ſecundùm legem Diuinam comedebant Agnũ: Sed hoc erat in ſecunda Veſpera quartæ decimæ Lunæ: vt colligitur ex Exodo 22. Leuit. 2. num. 28. ergò in ea parte diei illud inſtituit. Probatur minor: Dies enim azymorum apud Iudæos erant tantùm 7. & terminabantur die vigeſimo primo eiuſdem menſis primi incluſiuè, & incipiebant in eadem Veſpera, in qua comedebant Agnum, & ità ſequitur, quod in eadem hora inſtituit Sacramentum, & ſic cæremonijs legis veteris finem dedit: Dies enim azymorum incipiebãt apud Iudæos ſimul cum Paſcha: Vndè quando Apoſtoli acceſſerunt ad Ieſum, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* hoc fuit in quarta decima Luna poſt meridiem, & comederunt in ſecunda Veſpera eiuſdem diei, & in prima ſequentis diei. Ità colligitur ex Euangelio, vbi dicitur: *erant enim dies azymorum*: Suar. d. 41. ſect. 1.

Probatur ſententia Latinorum. Exod. c. 22. Leuit. c. 2. Dies azymorum ſeptem, & quandò terminabantur.

Suarez.

6 Secundò probatur, quia Chriſtus ſecundùm fidem, mortuus eſt in artificiali die primi ſequentis poſt noctem Cœnæ quandò Sacramentum inſtituit, ſed Chriſtus mortuus eſt Luna quintadecima circa Veſpera, ergò in Veſpera proximi præcedentis Cœnam fecit, & Sacramentum inſtituit ergò, &cet. & conſequenter concluditur: Chriſtum dominum circa primam, vel ſecundam horam noctis poſt ſolis occaſum quartæ decimæ Lunæ inſtituiſſe hoc Sacramentum, hoc modo.

Probatur 2. ex morte Chriſti.

7 Primò enim Cœnam fecit legalem, in qua ſecundùm legem Agnum comedit & Cœna facta, Agni Videlicet legalis, ſurrexit è Cœna, & lauit pedes Diſcipulorum ſuorum, deindè poſt lotionem pedum, iterum recubuit in Cœnaculo, & in principio Cœnæ vſualis antequam aliquid comediſſent inſtituit Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini, deditque Diſcipulis ſuis ad manducandum, & bibendum, & tunc Apoſtoli inſtituti fuerunt Sacerdotes noui teſtamenti, & ſequutus eſt deindè Cœnam vſualem, in qua dedit Iudę Iſcarioti panem intinctum, & poſt buccellam introiuit in eum Sathanas, & continuò exiuit, vt clarè patet ex Euang. Ioan. c. 15.

Modus quo Chriſtus Euchariſtiam inſtituit.

Apoſtoli quandò inſtituti fuerunt Sacerdotes.

Ioan. c. 15.

Ex quo ſequitur, quod, Panis, quem Dominus Ieſus conſecrauit erat azymus, & non fermentatus: nã in Cęna Agni Paſchalis comedebatur Agnus cum pane azymo, & lattucis agreſtibus, vt dicitur in libr. Exod. 12. Contra opinionem Græcorum: prout docét Suarez d. 41. ſect. 1. & 2. Bonacina tom. 1. de ſacra. D. 4. p. 2. n. 2. Filliuc. tom. 1. tract. 4. c. 2. q. 10. num. 33. alijque Theologi communiter. 8

Chriſtus cõſecrauit panem azymũ. Exod. c. 12. Suarez. Bonac. Filliuc.

DE NECESSITATE HVIVS SS. Sacramenti.

CAP. III.

Neceſſitas Sacramenti Euchariſtiæ dupliciter poteſt conſiderari: Vno modo quo ad inſtitutionem: 2. modo quo ad vſum, ſuppoſita tali inſtitutione. Si loquimur ergò primo modo, abſolutè dicimus: Euchariſtiæ inſtitutionem non fuiſſe neceſſariam neceſſitate ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, ideſt ſecundùm quid: poterat enim Deus, ſi ità voluiſſet alijs, atque alijs medijs perficere ſalutem humani generis: fuit tamen talis inſtitutio conuenientiſſima, & vtiliſſima pro noſtra, omniumque ſalute. Ita D. Tho. 3. p. q. 73. A. 3. & Coninch. ibid. n. 44. Suar. D. 40. Reginal. lib. 29. n. 8 Soto d. 8. A. 5. 1

dup Conſideratur neceſſitas Euchariſtiæ. 1. modo non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ſecũdum quid.

D. Thom. Coninch. Suar. Reginald. Sot.

Si autem loquimur de neceſſitate præcepti, quò ad vſum; Dico primò, quòd: Dupliciter poteſt conſiderari iſta neceſſitas ſuppoſita inſtitutione, vel de neceſſitate medij, vel de neceſſitate præcepti: Quare, ſi loquimur primò modo de neceſſitate medij: Dico etiã, quod: Duplici poteſt conſiderari, vel reſpectu paruulorum, vel reſpectu adultorum. 2

Neceſſitas præcepti dupliciter conſideratur.

Quo ad primum abſolutè dicimus: Nullo modo Euchariſtiam eſſe neceſſariam paruulis ante vſum rationis: quia ſine Euchariſtiæ ſumptione, ſi baptizati moriantur, ſtatim ſine impedimento aliquo euolant in Cœlum. 3

Non eſt neceſſaria paruulis ante vſum rationis.

Quo ad ſecundùm de adultis dicimus etiam, quod Euchariſtia non eſt illis neceſſaria neceſſitate medij, neque in re, neque in voto, poteſt enim adultus ſaluari abſque Euchariſtiæ ſuſceptione, vt patet de adulto ſtatim poſt Baptiſmum decedente, qui ſtatim gloriam conſequitur per Baptiſmum, ergò Euchariſtia non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medij, neq; in re, neque in voto, cùm illud dicatur neceſſarium in voto, ſine quo ſalus obtineri non poteſt, niſi aliquod loco ipſius recipiatur, vt patet de Baptiſmo, & Pœnitentia: At Euchariſtiæ ſumptio non eſt huiuſmodi, cùm ſimpliciter baptizatus poſſit ſaluari, ergò Euchariſtia non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medij, neque in re, neque in voto. Ità Coninch. q. 75. A. 3. nu. 38. Suarez ſuprà diſp. 40 ſect. 1. & 2. 4

Nõ eſt neceſſaria adultis neceſſitate medij ſimpliciter.

Coninch. Suar.

Si autem loquimur de neceſſitate præcepti: Sic etiam dicimus, quod: Iſta neceſſitas conſideratur dupliciter, vel de præcepto Diuino, vel Eccleſiaſtico: Quo ad primum dico, quod: Euchariſtia eſt neceſſaria habentibus vſum rationis de Iure Diuino: patet ex Euangelio Chriſti dicentis: *Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis*. Ioann. c. 6. quæ verba indicant moralem neceſſitatem præcepti Diuini: nam, ſuppoſita inſtitutione eius neceſſariò conſequitur, quaſi naturaliter hominem teneri ad eius vſum. At quia talis inſtitutio fuit à Chriſto, ab eodem etiam cenſetur orta præcepti neceſſitas, atque adeò erit Diuinum: nam ſi Eccleſia Euchariſtiæ ſumptionem non præcipiſſet, Euchariſtia adhuc eſſet neceſſaria, & ea non ſumpta non adimpleretur Diuinum præceptum, & per conſequẽs periret vita animæ, iuxta præcitatam auctoritatem: *Non habebitis vitam in vobis*: Ità Soto d. 12. q. 1. A. 11. 5

Euchariſtia eſt de neceſſitate præcepti Diuini. Ioan. c. 6.

Soto.

Bonac.

Bonac. Filliuc. Chamerota. Nauarr. Contra Caietanum, & Syluestrum.

Bonac. tom. p. D. 4. q. 3. p. 2. nu. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 4. de Euchariſtia c. 2. nu. 36. Chamerot. de Euchariſt. c. 10. d. 1. Nauar. in man. c. 20. nu. 57. & alij. Quicquid dicant Caiet. 3. p. q. 81. A. 11. & Syluest. V. Euchariſtia 3. aſſerentes: Euchariſtiam eſſe tantummodò neceſſariam de præcepto Eccleſiaſtico, & non diuino.

Quandò obliget hoc diuinum præceptum. 1. ante mortem. Filliuc. Bonac. Chamerota. Suar. Conc. Nicænum.

6 Sed difficultas eſt explicare, quandò obliget hoc diuinum præceptum; Reſpondetur ſecundùm probabiliorem ſententiam Theologorum: primò teneri omnes fideles, quandò eſt commoditas, ſaltem in articulo mortis de Iure Diuino Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere: aliter enim peccarent mortaliter: Ità Filliuc. Bonacin. Chamer. & alij ſupracitati, quos refert Suarez D. 69. ſect. 3. & patet ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, vt dicit Concil. Nicæn. in ca. de Ijs 26. quæſt. 6.

Secundus caſus eſt poſt annos diſcretionis. Limitatio. 1 Filliuc.

7 Secundus caſus eſt: Poſtquam homo peruentus eſt ad uſum perfectè rationis, & ſecundùm iudicium confeſſarij eſt capax recipiendi Euchariſtiam, tunc ſi talis non habuerit legitimum impedimentum, & nolit recipere Euchariſtiam videtur grauiter peccare, quia cùm ſit præceptum Diuinum tenetur quilibet illud adimplere: Si autem propter negligentiam diſtulerit habens tamen voluntatem recipiendi, & adimplendi Diuinum præceptum in aliqua alia occaſione, ſecundùm Filliucium non peccabit, niſi venialiter; Secus autem ſi haberet voluntatem numquam in vita recepturum; quia tunc peccaret mortaliter contra Diuinum præceptum: *Niſi manducaueritis, &c.*

3. Tempus huius obligationis. Opinio Suar. & Filliucij de hoc tempore.

8 Tertius; tempus huius obligationis videtur eſſe id, quod intermediat ab initio vitæ vſque ad finem, de quo videtur dicendum obligare aliquoties: Ratio huius eſt, quia præceptum affirmatiuum, quamuis nõ determinet tempus, ex ſua tamen ratione comprehẽdit tempora, iuxta prudentum interpretationem definita: Quantum autem ſit hoc tempus arbitrio prudentis relinquitur: Vndè ait Suarez D. 69. ſect. 3. quod probabiliter exiſtimat, non debere excedere quartum, aut ad ſummum quintum annum, Nam maior dilatio videretur irrationabilis: Ità Filliuc. tract. 4. c. 2. nu. 50. & alij.

Determinatio Eccleſiæ eſt ſemel in anno.

9 Verum eſt tamen, quod hodiè ab Eccleſia determinatum eſt tempus recipiendi Euchariſtiam à quolibet fideli baptizato, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit ſemel in anno, & hoc in Paſchate Reſurrectionis Dominicæ, quod quamuis ſit præceptum Eccleſiæ in c. Omnis vtriuſque ſexus, de Pœnit. & remiſſ. eſt tamen determinatio temporis adimplendi Diuinum præceptum.

Alia neceſſitas ſecũdum Theologos ad vincendas tentationes. Filliuc.

10 Ponunt autem Theologi aliam neceſſitatem recipiendi Euchariſtiam de Iure Diuino naturali, non per ſe, ſed per accidens, quandò Videlicet quis ſe videt grauiſſimis tentationibus oppreſſum, & in ſe ipſo expertus ſit, quod quoties communicat faciliter tales tentationes ſuperat, tunc in hoc caſu de Iure Diuino naturali iſte talis tenebitur Euchariſtiam recipere ad euitandum periculum peccati: Ità Filliuc. loc. cit. num. 51. & alij.

De præcepto Eccleſiæ dicetur loco ſuo.

11 Quò ad ſecundum de præcepto Eccleſiaſtico, dico breuiter pro modo, quod: Iam determinatum eſt ab Eccleſia ſemel in anno in Paſcha teneri quemlibet fidelem, niſi ſit legitimè impeditus ſacram communionem recipere: de quo præcepto dicendum eſt loco ſuo, agendo de ſubiecto huius Sacramenti.

DE VNITATE SS. SACRAMENTI *Euchariſtiæ.*

CAP. IV.

QVoniam Euchariſtiæ Sacramentum duas habet formas, duaſque materias, ſpecie diſtinctas, duabuſque conſecrationibus ſpecie diſtinctis perficitur: Nam vna eſt forma conſecrationis corporis, altera Sanguinis: Ideóque meritò quæritur: An Sacramentum hoc ſit vnum, An verò plura; & Ratio dubitandi eſt, quia fuerunt aliqui Theologi, qui putauerunt in Euchariſtia duo eſſe Sacramenta ſpecie diſtincta: Vna enim eſt ſpecies conſecrata corporis, altera Sanguinis: Ità videtur dicere Capreol. in 4. d. 8. q. 1. citans Aureolum, & Gabr. ibi q. 2. A. 2. lect. 53. in can. & alios, qui ſibi perſuaſerunt, & videntur dicere: In Euchariſtia plura eſſe Sacramenta. 1

An Euchariſtia ſit vnum Sacramẽtum an plura. 1. Opinio. Capreolus. Aureol. Gabriel.

Quorum fundamentum eſt, quia in hoc Sacramento duæ ſunt materiæ panis Vid. & Vinum, duæque ſunt formæ: Nam vna eſt forma conſecrationis panis, altera vini, ergò duo erunt Sacramenta: nam ad multiplicationem materiæ, & formæ multiplicantur compoſita: Impoſſibile enim eſt, multiplicato genere, non multiplicari ſpeciem: Sed ſignum eſt genus Sacramenti, & ſigna ſunt plura eſſentialiter diſtincta, vt patet; ergò ſunt plura Sacramenta; nam multiplicatis fundamentis, multiplicantur etiam relationes, ergò, &c. 2

Fundamentũ iſtius ſententiæ. Multiplicatis materia, & forma, multiplicantur compoſita.

Confirmatur primò hæc opinio, quia Iſtæ duę formæ diſtinctæ ſignificant etiam relationes, & efficiunt per ſe primò res diuerſas: nam prima forma: *Hoc eſt Corpus meum*, primò, & per ſe ſignificat, & efficit Corpus Chriſti, ſecunda verò: *Hic eſt Sanguis meus* ſignificat, & efficit primò, & per ſe Sanguinem Chriſti: Sic etiam ſpecies panis ſignificant Corpus Chriſti, & ſpecies vini Sanguinem Chriſti, quod continet, cùm ergò ſigna ſint diuerſa, conſequenter diuerſa ſunt Sacramenta: quia diuerſa ſignificant, & continet rem ſacram, ergò plura ſunt Sacramenta. 3

Confirmatur ſententia.

Secundò confirmatur, quia duæ iſtæ ſpecies conſecratæ non poſſunt eſſe duæ partes partiales ad componendum vnum ſignum totale, compoſitum ex duabus partibus integrantibus, quoniam Sanguis non eſt ità pars corporis, vt ſit illi continua, ſed eſt diſcontinuus, & per venas diſperſus, quare ex vi conſecrationis panis non eſt illic, niſi corpus, ſanguis verò per concomitantiam: Et ex vi conſecrationis vini, non eſt niſi ſanguis, & per concomitantiam corpus: Cùm ergò iſtæ ſpecies ſint ſigna per ſe diſtincta, & nullam inter ſe habeant coniunctionem, & connexionem ad componendum vnum ſignum, ergò non poteſt dici vnum Sacramentum, ſed plura, ergò &c. 4

Confirmatur 2. alia ratione.

His tamen non obſtantibus dicimus nos, quod: Licèt in Sacramento Euchariſtiæ ſint diuerſæ ſpecies conſecratæ ſub diuerſis formis, & per conſequens materialiter poſſint dici plura Sacramenta numero: formaliter tamen, & ſpecificè non eſt niſi vnum Sacramentum vnitate formali, & ſpecifica, athoma, & perfecta: Sicut enim homo dicitur vnus homo vnitate ſpecifica, reſpectu omnium indiuiduorum hominum, ſecundùm illud Philoſophi: *Participatione ſpeciei, plures homines ſunt vnus homo*: Ità hoc Sacramentum dicitur vnum vnitate ſpecifica reſpectu ſpecierum conſecratarum panis, & vini. 5

Cõcluſio pro 2. ſententia. Eſt vnum Sacramentum ſpecificè, vnitate formali. Ariſtoteles.

Nam ratio formalis Euchariſtiæ, & ſpecifica eſt ſignificare ſpiritualem refectionem, & eam ſignificando efficere, ſed iſta ſignificatio eſt vna formaliter, quia tam corpus Chriſti ſignificat refectionem ſpiritualem, 6

Probatur cõcluſio.

tualem, quam ſanguis, cùm ſicut vtraque ſpecies reficiat corpus, Ità vtraque & quælibet continet Chriſtũ, & ſignificat animæ refectionem, iuxtà illud Ioann. c. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, ergò Sacramentum Euchariſtiæ eſt vnum Sacramentum formaliter, cùm eamdem habeat rationem formalem, & ſpecificam.

Ioan. c. 6.

7 Probatur 2.

Tum quia ſi plura eſſent Sacramenta formaliter, & ſpecificè Eccleſia non prohiberet laicis ſumptionem Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie, alioquin laicis prohiberetur ſuſcipere integrum Sacramentum, & effectũ; Nam ſi admittamus eſſe duo Sacramenta ſpecie diſtincta, debemus etiam aſſerere habere duplicem effectum; Cùm autem non ſit credibile, Eccleſiam velle priuare laicis effectu Sacramenti: Dicendum eſt: Euchariſtiam non eſſe Sacramentum multiplex formaliter, ſed tantùm materialiter: Vndè formaliter, & ſpecificè eſt vnum Sacramentum, vt dixi: Ità communiter docent Theologi: vt D. Thom. 3. p. qu. 53. A. 2. Diuus Bona. in 4. d. 8. q. Vnica Riccard. q. 2. A. 1. Soto q. 1. A. 3. Pitig. ibi Coninch. & Nugn. qu. 75. diff. 2. Suarez D. 39. ſect. 3. Reginald. lib 29. nu. 6. Bonac. D. 4. q. 1. p. 4. nu. 2. Tolet. lib. 2. c. 25. n. 1. & alij Doctores ab ipſis citatis.

Confirmatur concluſio, & declaratur. Doctores huius ſententiæ. D. Thom. D. Bona. Riccard. Soto. Pitigian. Coninch. Nugnus. Suar. Reginald. Bonac. Tolet.

8 Catechiſm. Rom.

Secundò probatur ex Catechiſm. Rom. Pij V. dicentis: *Non plura, ſed vnum tantum Euchariſtiæ Sacramentum eſſe Eccleſiæ auctoritate confitemur.*

9 3. Probatur congruentia.

Tertiò probatur congruentia, quia vnus fuit inſtitutor, & vnica inſtitutione fuit inſtitutum hoc Sacramentum, & vnus eſt effectus vtriuſque ſpeciei, ergò, &cet.

10 4. Probatur ratione.

Quartò probatur: Ibi eſt vnum Sacramentum, vbi, & quandò diuerſæ res conueniunt, & componunt vnũ integrum ſignum, ſed hæ ſpecies, licèt ſint diuerſæ res, conueniunt, & componunt vnum integrum ſignum rei ſacræ, ergò, &c. Maior patet exemplo Baptiſmi, nam aqua elementaris, lotio, verba, &c. conueniunt tanquam vnum ſignum ad ſignificandum vnum Baptiſma, ſicut lapides, ligna, cęmentum conueniunt ad conſtruendam vnam domum. Ità, &c. Minor etiam patet, quia ex ſpeciebus panis, & vini, & verbis formæ componitur vnum ſignum, ſiuè Sacramentum ſub diuerſis ſpeciebus, continens corpus, & ſanguinem Chriſti: Ideò, &c.

11 Soluitur fundamẽtum prioris ſententiæ.

Reſpondetur modò ad primum fundamentum contrariæ opinionis; quod: Quamuis ſint duæ materiæ, & duæ formæ, realiter diſtinctæ, eſt tamen vnum Sacramentum formaliter, & ambo conueniunt in vnitate ſpecifica, & quamuis non conueniant vnitate phyſica, quæ non requiritur in Sacramentis, vniuntur tamen vnitate morali, ſiuè ordinis, vt patet in artificialibus: Vndè licèt ſpecies materiales multiplicentur, formaliter tamen, & ſpecificè ſunt vnum Sacramẽtum in ratione ſignandi; cùm ipſe Chriſtus, quem ſignificant ſit tantùm vnus, conſtans ex anima, & corpore cum ſanguine.

12 Soluitur 2. ratio.

Et quamuis ex vi verborũ ſub ſpecie panis ſit corpus, per concomitantiam; tamen eſt etiam ſanguis in ſuis Sacratiſſimis venis: Similiter etiam in ſpecie vini, licèt ex vi verborum ſit tantum ſanguis, per concomitantiam eſt etiam Corpus: quia Chriſtus Dominus non habet corpus, ſine ſanguine, nec ſanguinem ſine corpore, ideòque eſt tantum vnum Sacramentum formaliter, vt dixi, ergò, &c.

13 Soluitur. 1. confirmatio.

Ad primam autem confirmationem, ſiuè primum argumentum: Reſpondetur, Verum eſſe, illas ſpecies non poſſe dici partes totius ſi conſiderentur non conſecratæ, ſed nos loquimur de illis poſt conſecrationem: Quæ quidam ſpecies conſecratæ dicuntur ſigna ſpecialia vnius Sacramenti Euchariſtiæ, quia conueniunt ad vnum Sacramentum vnitate ſpecifica cõponendum: In quò ſenſu ait D. Bona. in 4. d. 11. q. 2. A. 1. *Fideles, qui cõmunicantur ſub vna ſpecie recipiunt totum Sacramentum, quo ad effectum, non quoad ſignificationẽ.* idest reſpectu ſigni, quia ſpecies panis, & ſpecies vini ſunt ſigna diſtincta, & partialia ad ſignificandum corpus, & ſanguinem Chriſti in duabus ſpeciebus, ſicut ſub quodam particulari ſigno continetur totus Chriſtus per concomitantiam, vt ſupra iam explicatum eſt.

D. Bona.

Ad ſecundam confirmationem: Reſpondetur: Impertinens eſſe ad vnitatem ſigni, ſiuè Sacramẽti, quod corpus, & ſanguis ſint vnum per continuationem ſeù per aggregationem, aut quod ſpecies ſint continuæ: aliàs enim ſequeretur, quod: quandò Sacerdos tripartitam ſumit hoſtiam conſecratam, tria ſumeret Sacramenta, quod non eſt dicendum: Vnitas ergò Sacramenti, quatenus eſt ſignum ſumitur ab vnitate, & vnica ſignatione, quæ ex duabus conſecrationibus reſultat, per quas ſignificatur vnica refectio, cuius integritas conſtat ex cibo, & potu, & hæc eſt vnitas formalis in genere Sacramenti, vt patet. 14

14 Soluitur 2. confirmatio.

Ad tertiam tandem confirmationem: Reſpondetur, quod collecta illa, quæ dicit: *Sacramenta, quæ ſumpſimus*: non ſignificant plura Sacramenta, ſed vnum; quare ſtatim ſinguiariter ſubditur; *Vt hoc tuum Sacramentum*: Secundò dico, quod illa verba eſt vulgaris loquutio, & nihil facit ad rem: 3. dicuntur plura Sacramenta materialiter propter plura ſigna partialia, quæ ſumuntur à Sacerdote in Miſſæ ſacrificio, panis videlicet, & vini: 4. dicuntur plura propter plura myſteria, quæ in hoc Sacramento continentur, & faciunt hunc ſenſum: *Sacramenta, quæ ſumpſimus*. idest myſteria, quæ ſunt amor Dei, memoria paſſionis Chriſti: verbum Dei humanatum, & per concomitantiam tota Sanctiſſima Trinitas. 15

15 R. ad obiectionem tacitam de collecta miſſæ: Sacramenta, quæ ſumpſimus.

Sed quærimus modò: An plures hoſtiæ conſecratæ conſtituant vnum numero Sacramentum; An plura? Et pro ſolutione dubij. 16

16 Alia difficultas. An plures hoſtiæ ſint plura numero Sacramẽta. Reſolutio.

Reſpondetur. Hoſtias conſecratas poſſe conſiderari dupliciter, vno modo, præſcindendo à ſumptione. 2. modo quatenus ſumuntur à fidelibus. Si conſiderentur primo modo, etiam dupliciter poſſunt conſiderari: vel quatenus eſt Sacramẽtum tantũ .i. ſignum illud, vel quatenus eſt res Sacramenti: Vndè reſpectu rei contentæ, ſeù ſignificatæ, abſolutè dicimus, quod: Quamuis multiplicentur ſpecies conſecratæ, etiam in diuerſis locis, vnum tantùm numero eſt Sacramentum, quia effectus eius gratuitus, quem ſignificat, tãtum eſt vnus Chriſtus, ſicut vnum numero Corpus in diuerſis locis poſitum per diuinam potentiam eſt tantùm vnus homo numero.

Idem homo in diuerſis locis exiſtens eſt vnus homo.

Similiter etiam dicimus: Si Diuinum verbum aſſumeret plures humanitates eſſet tantùm vnus homo, ergò Chriſti Corpus Sacramentaliter, ſibi coniungens plures ſpecies panis cum eis conſtituit vnum Sacramentum: Quapropter D. Paulus 1. Corinth. 10. dixit: *Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno Calice participamus.* 17

17 Alia ratio.

1. Cor. c. 10.

Ex quo patet: Euchariſtiam eſſe Sacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis: ſed Sacramentum ſimilitudinem rei gerit, cuius eſt Sacramentum, ergò Euchariſtia eſt vnum Sacramentum. Nam ſicut omnes fideles conſtituunt vnum numero Corpus Eccleſiæ: ſic diuerſæ formulæ, & diuerſæ ſpecies in eodem, vel diuerſis locis vnum corpus Chriſti conſtituunt. Ità docet Suarez D. 73. ſect. 4. & alij. 18

18 Alia ratio.

Suar.

Si autem plures hoſtiæ conſecratæ conſiderentur ſecundùm ſe, quatenus ſunt plures numero formulæ conſecratæ poſſunt dici plura numero Sacramenta materia- 19

19 Poſſunt dici plura numero materialiter.

Digitized by Google

materialiter, ſeù plura indiuidua Sacramenti: Ratio huius eſt, quia ſunt diſtinctæ numero materiæ: Imò poſſunt eſſe etiam diſtinctæ numero formæ, ſi ſumamus hoſtias diuerſo tempore, vel à diuerſis Sacerdotibus conſecratas. Ità Bonac. d.4.n.3.

Bonac.

20 Quatenus vnico actu ſumuntur ſunt ſimpliciter ſacramẽtum vnum.

Si verò hoſtiæ conſiderentur, quatenus vnico actu ſumuntur, ſunt ſimpliciter vnum Sacramentum, tum quia habent rationem vnius refectionis, tum quia dicitur vnum Conuiuium, etiam ſi multis conſtent dapibus: Ità dicitur: Vnum cõuiuium ſpirituale: Vnum Sacramentum, etiam ſi diuerſæ particulæ ſumantur: Ità Suar. d.39. ſect.4.

Suar.

21 Inferentia.

Quartò hinc ſequitur: Vt qui plures hoſtias, aut vnam grandiorem recipit, non recipit maiorem gratiam ex opere operato ex eo præcisè, quod recipit plures hoſtias, vel grandiorem, quia licèt plures hoſtiæ, ſecundùm ſe conſideratæ ſint plura indiuidua, tamen quatenus ſumuntur ſimul, habent rationem vnius refectionis ſpiritualis; Secus autem ſi recipiantur per modum plurium refectionum, vt accidit in die Natiuitatis Domini, in quo Sacerdos ter celebrat, & communicat, & conſequenter recipit fructum triplici ſumptioni reſpondentem; Ità docent D. Thomas in 3. p.q.79. ad 3. Henriquez in ſumm. lib.8. cap. 43. numer. 1. Candel. Aur. de Euchariſtia cap. 11. nu. 3. & alij.

Sacerdos ter celebrans recipit triplicem fructũ.

D. Thom. Henriq. Viualdus.

22 Laici cõmunicantes ſub vna ſpecie recipiunt eumdem effectũ ſacramenti, ſicut ſacerdotes.

Similiter etiam dicimus ſecundùm probabiliorem ſententiam Theologorum in 4. libr. ſent. Laicos tantumdem gratiæ recipere communicando ſub vna ſpecie, ac ſi ſub vtraque ſpecie communicarent: Nam res Sacramenti, quæ recipitur eſt vna .i. Vnus Chriſtus, tam ſub vna, quam ſub altera ſpecie conſecrata, quamuis in ratione ſacrificij à Sacerdotibus ſumatur ſub vtraque ſpecie ad ſignificãdum ſacrificium Chriſti cruentum in Cruce oblatum, effectus tamen ſacramenti vnus, & idem eſt; Sicut ità recipit gratiam Baptiſmi, qui vnica aſperſione baptizatur, ac trina ablutione, licèt triplex ablutio clarius oſtendat ablutionem Animæ in nomine Trinitatis. Ità Bellarmin. libr.4. de Euchariſtia cap. 23. Henriq. lib. 8. capit. 8. n. 2. Suarez in 3.p. tomo 3. diſt.63. ſect.6. & d.72. ſect. 3. Coninch. de Sacram. quæſt.79. art. 1. dub. 2. num.34. Chamer. de Sacr. cap.8. num.5. Bonac. tom.1. d.4. q. 1. p.4. num.5. & alij.

Exemplũ de Baptiſmo triplici ablutione.

Bellarm. Henriq. Suar. Coninch. Chamerot, Bonac.

TRACTATVS VIII.
De Sacramentis.
Et de SS. Euchariſtiæ Sacramento, Tract. II.
PROOEMIVM.

Introductio.

ESſentia, ac quidditate Euchariſtiæ Sacramenti, iam explicata: Vbi de ipſius nominis Etymologia, deſcriptione, ac definitione, necnon de inſtitutione, neceſſitate, ac de ipſius Vnitate tractauimus: Opere pretium eſt, pro maiori notitia ipſius Auguſtiſſimi Sacramenti, vt de partibus intrinſecis, quæ neceſſaria ſunt dicamus: At quoniam in compoſitis Phyſicis duæ ſunt partes intrinſecè componentes, materia videlicet, & forma, ideò etiam de ipſis modo ſuo in ſacramentis eſt dicendum.

Quoniam verò in hoc Sacramento, ſicut & in cæteris; Duplex eſt Materia vna remota, altera propinqua: Ideò in hoc præſenti tractatu loquimur de ipſa remota materia, nam de proxima dicetur poſteà in alio tractatu: Materia ergo remota in hoc ſacramento duplex eſt, vna reſpectu corporis, altera reſpectu ſanguinis Conſecrandi. Ideò primum dicendum eſt de materia Corporis: Secundò de materia Conſecrationis ſanguinis; Tertiò videndum eſt: An neceſſò ſit ſub vtraque ſpecie conſecrare: Quartò an in conſecratione Calicis adhibenda ſit aqua: Quintò an quælibet materia quantitas poſſit Conſecrari, & ſextò an materia conſecranda debeat eſſe præſens, & quomodò.

Diuiſio tractatus.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

DE MATERIA REMOTA SS. Sacramenti Corporis.

CAP. I.

NOn loquimur de materia totius, quod eſt fundamentum, ſeu totum illud ſignum ſenſibile, conſtans ex rebus, & verbis, quod ſacramentum dicitur, in quo fundatur relatio illa, quæ ſignificatur, quę dicitur forma totius Sacramenti: Sed loquimur de materia partis reſpectu ſigni, quæ determinatur per verba, quæ habent rationem formę metaphoricè, vt ſupradictum eſt: Vndè quærimus: Quænam ſit materia illius ſigni, quæ determinatur per verba à Sacerdote celebrante prolata, determinantia talem materiam ad ſignificandum tale Sacramentum, vt explicatum eſt in tractatu de Sacramentis in genere c.2. tract.1. nu.9. 1

Materia partis.

At quoniam in Sacramento Euchariſtiæ duplex eſt materia remota conſecranda, vna reſpectu Corporis, altera reſpectu Sanguinis: Ideòque in præſenti capitulo videndum eſt: Quænam ſit materia neceſſaria reſpectu iſtius ſacramenti? Quapropter dico primò: Materiam remotam Sacramenti corporis eſſe panem triticeum (panem inquam vſualem) quo ordinariè ſolent homines veſci ex tritico frumento, & non alio compoſitum, & aqua naturali confectum: Ità enim habetur in cap. In Sacramento de conſ. d.2. & in Conc. Florent. in Decreto Eugenij dicitur: *Materiam Euchariſticam eſſe tantummodo panem triticeum:* Patet hoc ex Chriſti inſtitutione, nam ipſe panem triticeum vſualem conſecrauit in nocte Cœnę, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*, ergò de iure Diuino non poteſt eſſe alia materia, aliter nullum eſſet Sacramentum: Ità cõmuniter omnes Theologi in materia de Euchariſtia: Omnes enim communiter concludunt, quod, ſolus panis triticeus, ſeù quod conficitur ex tritico, vel ex eadem ſpecie poteſt eſſe materia, ex qua conficitur hoc ſacramentum: Vndè ſi Sacerdos conficere vellet in alio pane non triticeo, vel alterius ſpeciei, vt Hordei, Milij, &c. non conficeret Sacramentum c. Firmiter de Sum. Trinitat, cap. Cum Marthę de celebrat. Miſſ. D. Thom. 3. p. quęſt.73. art.1. Soto in 4. d.9. quęſt. 1. art.1. & alij communiter. 2

Materia remota ſacramenti corporis, eſt panis triticeus vſualis.

Canones, & Concilia.

Panis nõ triticeus nõ eſt ſufficiens materia.

c. Firmiter. c. Cum Marthæ.

D. Thom.

Sed difficultas eſt; ad cognoſcendum, Quænam genera frumenti comprehendantur, & quæ non comprehendantur ſub nomine tritici: Vndè pro ſolutione. Reſpondetur quod, Hordeum, Lolium, Far, Miliũ, Auena ſeu Spelta, quæ vulgò dicitur Biada, & Panicũ, quod eſt genus frugis à paniculis dictum, & huiuſmodi non comprehẽduntur ſub nomine tritici, quia ſpecie differunt à tritico, ideòque panis confectus ex his non poteſt eſſe materia ſufficiens ad conficiẽdum ſacramentum. Ità Henriq. lib.4. cap.9. nu. 1. lit. M. Chamer. de Sacr. cap.6. dub.9 Bonac. tom.1. D.4. quęſt. 2. D.Thom. 3.p.q.74. art.3. & alij. 3

Hordeum. Lolium. Far. Milium. Auena. Spelta. Panicum nõ ſunt ſufficiẽtia.

Henriq. Chamerot, Bonac. D.Thom.

De Saligine verò, & de Germano eſt aliqua cõtrouerſia inter Theologos: Nam alij affirmant, alij verò negant: Nos verò dicimus: Hanc quæſtionem pendere ex Philoſophia: Si enim Saligo, ſiuè Secala eſt eiuſdem ſpeciei cum tritico erit ſufficiens: Secala 4

De ſaligine, & Germano eſt cõtrouerſia.

Digitized by Google

enim, & Germanum non eſt aliud, niſi triticum aliquantum inferius ordinario tritico, ideòque probabiliter ſubſtineri poſſet, quod eſſet ſufficiens. At quoniam ſecala præcipuè in noſtris Regionibus non habetur pro tritico, ideò eſt materia dubia, quapropter conficiens in pane, confecto ex huiuſmodi non excuſabitur à peccato propter periculum non conficiendi ſacramentum: de Germano autem non eſt tanta difficultas.

Secundò quæritur: An quilibet panis, confectus ex
5 tritico ſit materia ſufficiens huius Sacramenti?

Qualis panis ſit ſufficiens materia conſecrandi.

Reſpondetur affirmatiuè, his tamen concurrentibus circunſtantijs, videlicet Primò, vt verè denominetur panis vſualis: Nam ſi alio nomine appelletur, non præſumeretur materia apta, quia videretur aliam induiſſe naturam: Secunda, ſi confectus ſit aqua naturali: Vndè ſi eſſet confectus aqua artificiali, vel alio liquore, non verè diceretur panis vſualis, (vt dicetur:) Tertia, vt ſit coctus igne per modum aſſationis, vt in furno, vel ſub cinere, aut ferro calido: aut alia ſimili ratione: Nam panis, qui ſimili modo confectus non ſit, non propriè diceretur panis: Ità docent Pitigian. in 4.d.11. quæſt.6.d.2.D.Bona. q.4. artic. 1. & alij ſupra citati à Suarez in 3.p. D.Tho.to.3. diſt. 44. ſectio, ſecunda.

Pitigian. D. Bona. Suar.

6 Hinc ſequitur Primò, panes dulciarios, confectos ex melle, vel ſacchаro, vel latte, aut aqua roſacea, ſiuè alio ſimili liquore in tanta quantitate, vt non amplius dicantur panes vſuales, ſed dulciarij, mutato odore, & ſapore non eſſe materiam ſufficientem huius Sacramenti.

Panes dulces artificiosè confecti non ſunt materia apta.

7 Si verò panis eſſet confectus aqua naturali, & illi admiſta ſit aqua artificialis, ſiuè alius liquor in minori quantitate aquæ naturalis, adeò vt talis liquor admiſtus ſuperetur ab aqua naturali, quia modica quātitas abſorbetur, & trahitur ad naturam aliorum, quæ concurrunt, adeò vt non deſtruatur natura panis vſualis: tunc vtique eſſet ſufficiens, quamuis in tali pane conficiens mortaliter peccabit: Ità docent Tolet. lib.2.cap.25. Graff. 2. part. deciſ. lib.1.cap.6. num.8. Syluest. ver. Euchariſtia 1.num.3. Armilla ver. Euchariſtia, 6. & alij.

Minima quātitas admiſta non variat materiam.

Tolet. Graff. Syluest. Armill.

8 Dico ſecundò quod Panis, ex quo conficienda eſt Euchariſtia non debet eſſe corruptus, quia aliquandò tanta eſt corruptio, quod ſoluitur ſpecies panis, quæ ſolutio, & corruptio apparet cùm ſoluitur continuitas, ſapor, & color, & alia accidentia, tunc enim non conficitur ſacramentum.

Panis nō debet eſſe corruptus.

Si verò panis totaliter non ſit corruptus, ſed in via ad corruptionem, tunc conficitur quidem ſacramentum, ſed conficiens grauiter peccaret propter periculum, & irreuerentiam ſacramenti: Chamerot. trac. 4. cap.6. dub.12.

Chamerot.

9 Dico tertiò, quod: Si panis confectus ex tritico ſit admixtus cum frumento alterius ſpeciei, vt Hordei, & Farri: Si admixtio eſſet in magna quantitate, vel æquali, adeò vt ratio veri tritici ſit permutata in aliam ſpeciem, tunc non eſſet materia apta ad conficiendum. Si verò eſſet parua admixtio nihil refert: Nunquam enim inuenitur panis triticeus ità purus, quin alia grana alterius frumenti miſceantur, non enim farina triticea inuenitur omninò pura, niſi diligenter grana ſingula eligantur; prout aduertit D. Tho. 3.p. q.74. art.3. Soto in 4.d. 19. quæſt. 1. art.3. ad tertium, & alij.

D. Thomas. Sot.

10 Dico quartò, quod quamuis ex Amylone cùm ſit lac expreſſum ex tritico macerato, & aliqualiter corrupto non poſſit confici ſacramentum in tali materia, vt ità eſt: Tamen ſi Amylon ſit deſiccatum, & iterum redactum in farinam, & ex eo fiat panis more ſolito, poterit eſſe materia ſufficiens ad conficiēdum ſacramentum, ſi talis panis confectus ex Amylone habeat odorem, & ſaporem panis: tamen cùm res ſit dubia, & controuerſa, taliter conficiens grauiter peccaret, quia exponeret ſe periculo non conficiendi verum ſacramentum. Ità Bonacin. tomo primo Diſput. quarta, quæſt. ſecunda, num. ſeptimo, Chamerot. loco cit. & alij.

De Amylone.

Bonacin. Chamerot.

Dico quintò: Paſtam, ſiuè maſſam crudam, pultę, ſiuè lagenam, & ſimilia non eſſe materiam ſufficientem, quia licèt paſta ſit eiuſdem ſpeciei cum pane triticeo, non eſt tamen verus panis vſualis, cùm non ſit coctus igne, nec ſufficit, quod illa paſta ſit cocta, aut fricta cum oleo, butyro, aut aqua elixa, quia, vt ſic non habet formam, & rationem panis vſualis: poterit tamen talis paſta torreri ſub cinere, in furno, vel in aliquo vaſe lapideo, aut ferro calido, & tunc habebit rationem panis, & ità eſſet ſufficiens: Prout docent Suarez in 3.p.to.3. diſt.44. ſect.2. Soto in 4.d.9.q. 4. art.3. Chamer.d.4. 11

Paſta cruda pultæ, & lagena nō ſunt ſufficientia.

Suar. Soto. Chamerot.

Dico ſextò, quod: Panis, licèt ſit fermentatus, ſiuè azymus eſt materia ſufficiens ad efficiendum Euchariſtiam: Ratio huius eſt, quia fermentatus panis non differt ſpecie ab azymo, & fermentum non ità corrūpit paſtam, vt efficiat panē differre ſpecie ab azymo, ideòque valida eſt conſecratio, ſiue fiat in azymo, ſiuè in fermentato: Ità Coninch. q.74.a.4.n.56. Bonac. to.1. d.4.q.2. n.8. & alij. 12

Panis, ſiuè azymus, ſiuè fermentatus eſt ſufficiens.

Coninch. Bonac.

Et quamuis Græci dicant, quod panis debet eſſe fermentatus (putant enim in pane vſuali fermentato confeciſſe Chriſtum Dominum ſacramentum) Ipſi enim dicunt: *Ieſum Chriſtum Sacramentum instituiſſe in principio Lunæ quarta decimæ, quando non erat adhuc panis azymus apud Hebræos*: Nam dies azymorum incipiebant poſt quartam decimam Lunam: Vnde ſecundùm Græcos panis azymus non eſt ſimpliciter panis vſualis, ſed ſecundùm quid. 13

Græcorum opinio de pane azymo, & fermentato.

Nos autem dicimus, quod probabilior eſt Latinorum ſententia, dicentium: *Chriſtum Dominum Conſecraſſe in azymo*, quia Sacramenti inſtitutio facta fuit in fine quartædecimæ Lunæ, & in principio quintædecimæ, quandò tunc Hebræi pane azymo vtebantur, & non fermentato: Vndè comedebant agnum typicum Paſchalem cum pane azymo, & lactucis agreſtibus, vt plenius ſupra in cap. 2. præcedentis tractatus diximus: Quapropter exiſtimamus: Probabiliorem eſſe Latinorum ſententiam, dicentium: Chriſtum confeciſſe in azymo, ideòque Græci illi, qui vſū, & ordinationem Eccleſię Latinæ conſecrandi in azymis carpunt, & reprehendunt, grauiter errant, quorum rationem Leo Papa IX. reprehendit, & appellat hæreticam. 14

Latinorum ſententia eſt probabilior.

Leo Pap. IX.

Dico tandem, tam Græcis, quàm Latinis licere ſuę Eccleſiæ conſuetudinem obſeruare: Vndè Sacerdos Latinus in Eccleſia Latina conficiens tenetur abſque dubio in azymo conficere, quia ſic obligat conſuetudo Eccleſiæ, vt habetur in cap. Litteras de Celebrat. Miſſ. in quæ refertur: Punitum fuiſſe quendam Sacerdotem Latinum, qui in fermentato Conſecrabat: Item Sacerdos Græcus, in Eccleſia ſua conficiēs debet Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem obſeruare, & conficere in fermentato. Ità D. Thom. 3.p. q.74. artic.4. Nugn. ibi concl.7. & conſtat ex Florent. Concil. ſeſſ. vltima in litteris vnionis. 15

Græci Sacerdotes, & Latini debent ſuæ Eccleſiæ conformari. c. Litteras de celebr. Miſſ.

D. Thom. Nugnus. Concil. Flor.

At ſi in Eccleſia Græca templa Latinorum, & in Eccleſia Latina Templa Græcorum inueniantur, debent Latini in azymo, & Græci in fermentato in Eccleſia propria conficere, & vnuſquiſque ſeruare debet vſum Eccleſiæ ſuę, vt ait Leo Papa epiſt.9. ad Michaelē capit.29. dummodò vterque non improbet alterius 16

Non debent improbare ritum alterius Eccleſię. Leo Papa.

Eccleſiæ

Eccleſiæ Ritum, quia improbando grauiter peccaret.

Græcus poteſt conficere in azymo, nō verò Latinus aliquandò.

17 Sed Latinus Sacerdos non debet in templis Græcorum in fermentato conficere: Ratio huius eſt, quia ſpeciale priuilegium tantùm Græcis conceſſum eſt, & non Latinis: At ſi Latinus Sacerdos verſetur in templis Græcorum, exiſtentium in Eccleſia Greca, poterit ſe conformare illius ritui, conficiendo in fermentato: Prout docent Henriquez in Sum. lib. 4. cap. 11. Coninch. q. 74. art. 4. dub. 3. Bonac. tom. 1. de Sacrament. d. 4. q. 2. nu. 10. & colligitur ex cap. Ex illa d. 12. Ratio huius eſt, quia:

Henriq. Coninch. Bonac.

Cum fueris Romæ Romano viuito more,
Et cum fueris alibi viuito, ſicut ibi.

Sed hoc intelligendum eſt quandò inter Græcos, & in eorum Eccleſijs diu commoratur, vbi non inueniuntur Templa Latinorum.

Græcus Sacerdos quandò poteſt ſeruare Latinorum Ritum. Hoſpes per tranſitū ſeruet Ritum ſuum.

18 Sic etiam dicimus de Sacerdote Græco, commorante in Eccleſia Latinorum, vbi Templa Græcorum non inueniuntur: Ratio huius eſt, quia commorando factus eſt membrum illius Eccleſiæ, in qua commoratur. Sed ſi vterque Sacerdos eſt hoſpes, & per tranſitū tranſit per alienam Eccleſiam: poterit ſeruare ſuum ritum, dummodò non adſit ſcandalum: prout colligitur ex Eugenio Papa in Litteris vnionis in Concil. Florent. Seſ. vltima. In quibus datur facultas, vt vnuſquiſque Sacerdos ſeruet ritum Eccleſiæ ſuæ: Prout docent Suar. de Sacram. d. 34. ſect. 3. concl. 3. Bonacin. ſupra loc. cit.

Suar. Bonac.

Dubium. An pro communicando infirmo poſſit confici in fermentato.

19 Dubium tamen remanet reſoluendum: An Sacerdos Latinus ad communicandum infirmum in mortis articulo conſtitutum, non habens panem azymum, poſſit conficere in fermentato, de quo magna copia vbique eſſe ſolet: Item An Sacerdos Græcus in tali caſu poſſit conficere in azymo?

Reſolutio.

20 Reſpōdetur de primo: Non poſſe, nec debere, quia conficiendo in fermentato grauiter peccaret, propterea potius permittere debet: Infirmum abſque Viatico decedere, quàm conficere in fermentato. Ratio huius eſt, quia præceptum recipiendi Euchariſtiam in articulo mortis, licèt ſit de iure Diuino, & præceptum conficiendi in azymis ſit de iure humano, tamen primum eſt præceptum affirmatiuum, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper: Secundum autem reducitur ad præceptum negatiuum, quod obligat, quoad ſemper, ideò, &c.

Præceptum affirmatiuū, & negatiuū.

21 Secundò reſpondetur, quod: obſeruantia huius præcepti Diuini, quando impeditur per præceptum Eccleſiaſticum, impeditur etiam, & obligatio: E. g. Miſſæ debent celebrari, vt fideles ſatisfaciant præcepto ſanctificandi Sabbato, ſed ſi non adſint veſtes ſacræ ad celebrandum neceſſariæ, non tenebitur, nec Sacerdos celebrare, nec fideles ad audiendam Miſſam.

Differentia inter Græcos, & Latinos.

22 De Sacerdote autem Græco dico, quod ſi occurrat caſus, licebit illi in tali caſu in azymis conficere, quia quamuis recedat à cæremonijs, & ritu ſuæ Eccleſiæ particularis, conformat ſe tamen Eccleſiæ vniuerſali, & capitali: Quod ſecus eſt de Sacerdote Latino: Ità docent Suarez, to. 3. de Sacr. D. 34. ſect. 3. in fin. Bonac. to. 1. d. 4. queſt. 2. nu. 11. & alij communiter.

Suar. Bonac.

DE MATERIA SS. SACRAMENTI Sanguinis.

CAP. II.

Vinum vitis eſt materia ſacramenti ſanguinis.

1 Circa remotam materiam conſecrationis ſanguinis, dico primò ex cōmuni omnium Theologorum ſententia, eſſe vinum vitis cuiuſcumque coloris, ſiuè ſaporis, dummodo non ſit acetum: Patet hoc ex Chriſti facto adiuncta Eccleſię traditione, prout refert Suar. d. 43. ſect. 1.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Suar.

2 Quod autem Chriſtus Dominus conſecrauerit vinum vitis, patet ex Euangelio Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. illis verbis: *Non bibam amodò ex hoc genimine vitis*: Patet etiam ex Conc. Flor. & Trid. vbi expreſsè definitum eſt: *Materiam ſanguinis Conſecrandam eſſe vinum vitis*. Ratio huius eſt, quia niſi ſit ex vite, non diceretur ſimpliciter vinum.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Concil. Flor. & Trident.

3 Quapropter vina malorum Granatorum, ſiuè Punicorum, ceraſorum, & aliorum liquorum, qui non ſunt ex vite non ſunt ſufficientes materiæ ſecundum D. Thom. 3. p. q. 74. art. 5. Tolet. lib. 2. cap. 25. nu. 3. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 9.

Alia vina nō ſunt ſufficientia. D. Thom. Toletus. Azor.

4 Hinc ſequitur primò, quod ſiuè vinum ſit album, ſiuè nigrum, ſiuè eiuſdem, ſiuè diuerſæ ſpeciei, dummodò tamen ſit vinum vitis ſemper eſt materia ſufficiens ad conficiendum ſacramentum ſanguinis, Filliuc. tra. 4. cap. 3. nu. 86.

Vinū cuiuſcumque coloris & ſaporis eſt ſufficiens. Filliuc.

5 Dico ſecundò, quod: Neceſſe eſt, vt vinum ſit expreſſum ex vuis maturis, non agreſtibus, aliter enim non eſſet vinum, ſed liquor acer, & per conſequens non eſſet materia apta ad conſecrandum, quia agreſta nondum eſt vinum: Ità Angles de Euchariſt. q. 1. art. 5. Bart. ab Angel. Dialog. 4. §. 336.

Vinū expreſſum ex vuis maturis. Agreſta nondū eſt vinum. Angles. Barth. ab Angelo.

6 Dico tertiò quod: Neceſsè eſt, vt vinum ſit expreſſum ex vuis, quare licèt vinū incluſum in aliqua phiala, ſiuè alio vaſe vndique recluſum ſit materia ſufficiens, non eſt tamen apta, nec poteſt cōnſecrari incluſum in vuis. Ratio huius eſt, quia quandò conſecratur, quandiu eſt in vua, non adhuc eſt vinum. Vndè dicendo: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Non aſſignatur vinum, ſed vua, in qua vinum ſtat per modum partis, per ſe latentis, ſed vinum in vua non eſt potabile, ergo nec eſt materia apta.

Vinum expreſſum ex vuis, & non incluſum.

7 Dico quartò muſtum nouiter expreſſum ex vuis maturis, licèt ſit materia ſufficiens conſecrationis, quia verè eſt vinum, non eſt tamen conueniens, ſi non ſit purum: Muſtum .n. ſępè ſępiùs eſt feculentū, & impurum: Vndè in muſto poteſt fieri tantùm in caſu neceſſitatis, non autem extra, & hoc propter reuerentiam, & decentiam ſacramenti, alioquin conficiens grauiter peccaret, vt colligitur ex c. Omne crimen de conſ. d. 2.

Muſtum an ſit materia ſufficiens? Cap. Omne crimen de Conſ. d. 2.

8 Muſtum autem ſatis decoctum, quod vulgò dicitur: *Vinum coctum*, non eſt apta materia ad conficiendum quia per decoctionem perfectam mutauit ſpeciem vini, nec propriè dicitur vinum, ſed cum illo addito, *decoctum*: Ità Henriquez lib. 8. cap. 12. nu. 1. Bonac. to. 1. D. 4. quæſt. 2. p. 2. nu. 3. Soto in 4. ſent. d. 9. quæſt. 1. artic. 5. & alij.

Vinum decoctum non eſt materia ſufficiens. Henriq. Bonac. Soto.

9 Dico quintò, Acetum non eſſe materiam aptam ad conficiendum: Nam acetum non eſt propriè vinum, ſed corruptum, & tranſactum in aliam ſpeciem: ſed ſi vinum ſit in via, quaſi aceſcendi, & tendit ad acritudinem, tamen adhuc forma ſubſtantialis vini non eſt mutata, poteſt quidem cōfici, quamuis Sacerdos propter irreuerentiam, & periculum grauiter peccaret, quia vteretur materia dubia .i. vino aceſcente extra neceſſitatem, & hoc peccatum eſſet mortale, ſi vinum vergat ad acetum, & dubium ſit: An ſit propriè acetum, quia exponeret ſe periculo non cōficiendi propter materiam dubiam. Ità Pitig. in 4. d. 11. q. 7. concl. 7. Bonac. ſup. n. 5. Suar. D. 45. ſect. 1.

Acetum non eſt materia ſufficiens. Pitigian. Suar. Bonac.

10 Dico ſextò quod: Aquatena, quæ dicitur Vapa, nō eſt ſufficiens materia, Vapa enim nō eſt propriè vinū, ſed aqua aliquantum vinata fuſa per racemos vuarum poſtquam eſt expreſſum vinum, & maior illius pars

Vapa ſiuè aquatena non eſt materia ſufficiens.

Filliuc.

eſt aqua, ideò, &c. Ità Filliuc. tra 4 c. 3. nu. 87. diſt. 5.

11 Similiter dico, ſi aqua exprimatur ſuper fęces, quia tale non eſt vinum, ſed aqua aliquantum, vinata; Ità Sum. Confeſ. lib. 3. tit. 24. q. 99.

Ceruiſia, ſiuè ſicera non eſt materia ſufficiens. Bonacina.

Idem dico de ceruiſia, aut ſicera, aut alijs ſpeciebus vini artificiosè effectis, quia non poteſt talis liquor Conſecrari, cùm non ſit vinum vitis; Similiter etiam dico de aqua, effuente ex vite concìſa, quæ non eſt vinum, ſed aqua; Bonac. ſup. nu. 7.

12 Vinū congelatum, an ſit materia ſufficiens.

Dico ſeptimò quod: Vinum congelatum propter frigiditatem aeris, ſi ante Conſecrationem erat liquefactum, vel poſt Conſecrationem eſt liquefactibile, quamuis in actu Conſecrationis ſit congelatum eſt materia apta ad conficiendum: Non enim per congelationem, amittit naturam vini, nam liquefactum eſt eiuſdem ſpeciei, & eiuſdem naturæ; Verum eſt tamen, quod extra neceſſitatem non debet conſecrari propter ſacramenti irreuerentiam; Ità Syluest. Verbo Euchariſtia 2. quæſt. 10. Angel. Miſſa, numer. 23, Soto in 4. d. 9. q. 1. art. 5, Filliuc. tract. 4. cap. 3. nu. 87. dub 6.

Syluest. Angel. Soto. Filliuc.

13 Aliquorum opinio. Armillæ. & Ledeſm. Reijcitur.

Et quamuis nonnulli Doctores, vt Armilla Verbo Euchariſtia, num. 12. & Ledeſm. quæſt. 15. art. 5. cum alijs dicant: Vinum congelatum non poſſe Conſecrari (putant enim iſti Doctores, vinum per congelationem eſſe corruptum). Tum quia non eſt potabile; Nihilominus tamen dicimus nos, quod per ſimplicem congelationem, vinum ſecundùm ſubſtantiam non eſt corruptum, quia liquefactum eſt eiuſdem ſpeciei, & naturæ: Ità Suarez d. 45. ſect. 1. Verum eſt tamen, quod quandò tanta eſſet congelatio, vt probabiliter putetur omninò receſſiſſe à natura vini, tunc non eſſet Conſecrandum, vt benè aduertit Filliuc. cum Suarez locis ſup. cit.

Suarez. Limitatio. Filliuc. Suar.

DE NECESSITATE CONFICIENDI Euchariſtiam, ſub vtraque ſpecie.

CAP. III.

1 Neceſſitas duplex ſacramenti, & præcepti.

NEceſſitas conficiendi Sacramentum Euchariſtiæ, ſub vtraque ſpecie dupliciter conſiderari poteſt; Primò de neceſſitate ſacramenti: An videlicet ſacramentum ſit validum, ſi ſub altera tantùm ſpecie conſecretur: Secundò de neceſſitate præcepti: An videlicet licitum ſit, ſaltem in aliqua neceſſitate in vna tantum ſpecie conſecrare, & an in hoc caſu poſſet Summus Pontifex diſpenſare?

Difficultas.

2 Conſecrare ſub vtraque ſpecie non eſt de neceſſitate ſacramenti.

Quò ad primum, reſpondetur breuiter; Non eſſe de neceſſitate ſacramenti Conſecrare Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie: & probatur, quia Sacerdos prius tempore conſecrat vnam ſpeciem ſine altera, & ſtatim ipſam conſecratam adorat, & proponit populo adorandam, tanquam verum ſacramentum; tum quia forma ſacramenti non ſolum ſignificat, verùm etiam ſignificando efficit: ſed forma corporis conſecrationis ſignificat, ibi eſſe Corpus Chriſti, etiam ſi nondū Calicis forma prolata ſit: Vndè contigere poteſt, vel per inaduertentiam, vel per ignorantiam, ſiuè per malitiam, quod celebrans, conſecrata Hoſtia, non conſecraret Calicem, & factum tenet, & eſt verum ſacramentum, ergò validitas ſacramenti non pendet ex conſecratione alterius ſpeciei: Aliter enim non eſſet adorandum, niſi facta conſecratione alterius ſpeciei, quod eſt contra vſum Eccleſiæ, & experientiam, ergò &c. Ità Filliuc. tract. 4. de Euchariſtia, ca. 3. nu. 63.

Filliuc.

3 Conficiens ſub vna tantum ſpecie p. mortaliter.

Ex quo ſequitur: Validam fore conſecrationem ſanguinis, factam ante panis conſecrationem; & è contra: Graue tamen ſacrilegium cōmitteret Sacerdos conficiendo ſub vna tantum ſpecie; faceret enim contra exemplum Chriſti. & contra Diuinum præceptum, & contra vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem in re graui; Ità Regin. lib. 29. n. 12. & omnes communiter Theologi in 4. ſent. d. 9. & 10.

Reginald.

Circa ſecundum de neceſſitate præcepti, etiam abſolutè dico ex communi omnium Theologorum conſenſu; Neceſſe eſſe de neceſſitate pręcepti conficere ſub vtraq; ſpecie, panis videlicet, & vini, non ſolum Eccleſiaſtici, vt habetur ex c. Comperimus de Conſ. d. 2. vbi dicit Gelaſius Papa; *Non poſſe abſque magno ſacrilegio diuidi myſterium, vt conficiatur corpus ſine ſanguine:* Vnde Eccleſia Sacerdotibus celebrantibus præcipit, quod: Si caſu, aut inaduertentia contingat aquam loco vini in Calicem ponere, & loco ſanguinis ſumere, teneri nihilominus ſtatim vinum apponere, & conſecrare, & ſumere, licèt non ſint ieiuni, quia maius pręceptum eſt, vt ſacrificium compleatur, quàm ſacramentum à ieiunis ſumatur, vt patet ex Rubrica in Miſſali Romano. 4

Neceſſitas præcepti cōficiendi ſub vtraque ſpecie. Gelaſius Pap.

Si aqua pro vino in Calice conſecretur. Quid faciendum in caſu.

Quàpropter Nauarr. cap. 25. numer. 91. Tab. verb. Euchariſtia, num. 26. dixerunt: Hoc eſſe præceptum Eccleſiæ, vt ſub vtraque ſpecie conficiatur ſacramentum ad Chriſtum imitandum, qui in nocte Cœnæ ſub vtraque ſpecie conſecrauit, non tamen ſcriptura dicit: Hoc præcepiſſe Chriſtum Dominum. 5

An ſit præceptum Diuinum. Prima Opinio Nauarri & Tabienſis.

Nihilominus dicimus nos, ſecundum Theologorum probabiliorem ſententiam communiter dicentium: *Hoc non ſolum eſſe præceptum Eccleſiaſticum, verum etiam Diuinum ex voluntate ipſius Chriſti, vt ſacramentum non conficiatur: niſi offerendo Deo ſacrificium incruentum in memoriam illius cruenti in Cruce oblati*, prout colligitur ex Concil. Trid. Seſ. 22. cap. 1. & infrà; & ex C. Scriptura de Conſ. d. 2. Nam ſacrificium illud eſt expreſſa repræſentatio illius ſacrificij cruenti, quandò fuit corpus Chriſti in Cruce poſitū, & ſanguis eius effuſus in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ergò ſub vtraque ſpecie eſt offerendum. 6

2. Sententia.

Conc. Trid. c. Scriptura de Conſ. d. 2.

Et Confirmatur, quia Chriſtus ità inſtituit ſub vtraque ſpecie, vt patet ex Euangelio, & ordinando Apoſtolos Sacerdotes, dixit eis: *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis*: Ex quo colligunt Doctores, tunc præcepiſſe Dominum Ieſum, vt ſub vtraque ſpecie ſacramentum ad ipſius imitationem conficiatur: Si enim ſolùm fiat conſecratio Corporis, non expreſsè ſignificabit effuſionem, & ſeparationem Sanguinis Chriſti: Ità Palud. in 4. d. 9. quæſt. 1. art. 1. Caiet. in 3. par. q. 80. art. 12. Suar. d. 43. ſect. 3. Filliuc. tract. 4. cap. 3. nu. 65. Regin. lib. 29. nu. 13. Bonac. d. 4. quæſt. 2. part. 3. nu. 5. Chamerot. cap. 6. dub. 1. Nugn. quæſt. 74. art. 1. concl. 2. in 3. p. D. Thom. alijque. 7

Hæc quotieſcumque feceritis.

Præceptum Diuinū conficiendi ſub vtraq; ſpecie. Palud. Caietan. Suarez. Filliuc. Reginald. Bonac. Chamerot. Nugnus.

Ex quo ſequitur: Si Sacerdos, peracta Conſecratione Corporis, ſtatim intereat, perfici debet ſacrificium ab alio Sacerdote, etiam non ieiuno, ne ſacrificium remaneat imperfectum, vt patet ex Rubrica miſſalis Rom. & communiter dicunt omnes Theologi ſupra cit. alijque. 8

Sacrificium neceſſariò eſt perficiēdum.

Secundò infero: Sacerdotem non ſolùm teneri de iure Diuino Conſecrare ſub vtraque ſpecie, ſed etiam teneri recipere ſub vtraque ſpecie, quandò celebrat, cùm ſacrificium perficiatur non ſolum Conſecratione, & oblatione, verum etiam conſumptione, vt loco ſuo, agendo de Miſſæ ſacrificio probabitur: Quamobrem Conc. Trid. præcipit, vt quoties Sacerdos celebret, communicet etiam ſe ſub vtraque ſpecie conſecrata. 9

Tenetur ſacrificans ſub vtraque ſpecie ſe communicare. Conc. Trid.

Nec valet dicere: Fideles communicantur ſub vna ſpecie, ergò etiam ſub vna ſpecie conficere licet: Reſpondetur negando ſimilitudinem; Nam ſumptio ſacramenti non eſt ſacrificium, ſed vſus Sacramenti: Sacrificium verò non perficitur, niſi conſecrando, 10

Obiectio. Solutio.

&

Digitized by Google

& offerendum corpus, & Sanguinem ſub vtraque ſpecie, & ità tenetur ſe communicare, vt perficiat ſacrificium, vt habetur ex cap. Cùm Marthæ de Celebrat. Miſſ.

c. Cum Marthæ de celebr. Miſſ.

11 Dubium. An ſit præceptum affirmatiuum? Reſolutio. Aliqui caſus, in quibus excuſatur Sacerdos à conſecratione ſanguinis.

11 Sed hic mouetur dubium: An præceptum hoc Diuinum Conſecrandi ſub vtraque ſpecie ſit affirmatiuũ, an negatiuum, quod obliget ſemper, & ad ſemper?

Reſpondetur eſſe præceptum affirmatiuum, dantur enim aliqui caſus, in quibus non extat obligatio conficiendi ſub vtraque ſpecie, vt ſi Sacerdos conſecrata Hoſtia comperiat Vinum eſſe venenatum, nec habeat copiam alterius vini, aut comperiat non eſſe vinum in Calice, nec poſſet aliud inuenire, ſaltem ſine magno ſcandalo, aut ſine vitæ periculo: vt ſi Sacerdoti, poſt Conſecrationem Hoſtiæ immineat periculum vitæ, proſequendo Conſecrationem Calicis, poterit deſiſtere à Conſecratione Calicis, ſtatimque conſumpta Hoſtia, fugere ad præcauendum vitæ periculum; quia præceptum cõſecrandi ſub vtraque ſpecie non obligat cum tanto detrimento, & conſequenter non eſt præceptum negatiuum, ſed potius affirmatiuum, cùm non obliget in omnibus caſibus: Ità docent Suar. d.43. ſect.4. Reginald. lib. 29. nu.14. Bonac. d.4. ſupra num.7.

Suar. Reginald. Bonac.

12 An licitũ ſit Conſecrare ſub vna ſpecie pro communicando infirmo? Reſpondetur negatiuè. Differentia inter hũc caſum, & præcedentes.

12 Secundò quæritur: An Sacerdos poſſit aliquando Conſecrare Euchariſtiam ſub vnica ſpecie, quandò metu mortis cogitur conſecrare ad communicandum infirmum ſub ſpecie panis, ſiuè quia vinum non reperiatur, ſiuè quia non admittitur illud inuenire.

Reſpondetur: non licere, quia in hoc caſu, conficiendo ſub vna ſpecie faceret contra Diuinum præceptum, & peccaret mortaliter, intendens facere ſacrificium imperfectum, quod eſt intrinſecè malum, quã ob rem, aliud eſt aliquandò derelinquere ſacrificium, bona fide inchoatum, & aliud eſt inchoare ſacrificiũ cum intentione non perficiendi: Primum enim aliquandò licitum eſt, quia non intenditur violatio integritatis ſacrificij, ſed permittitur omiſſio præcepti: Secundùm verò non eſt licitum, quia formaliter intẽditur mutilatio ſacrificij, quod eſt peccatum intrinſecè malum: Ità Reginald. libr.29. num.15. Suarez d. 23. ſect.4. concluſ.1. Candel. Aur. cap. 7. numer. 24. alijſque.

Reginald. Suar. Cand. Aur.

13 An Summus Põtifex poſſit diſpenſare, vt celebretur ſub vnica ſpecie.

13 Tertiò tandem quæritur: Quid fiet in illis Regionibus, in quibus vinum non habetur, neque aliqua via poſſit haberi vllo modo: An in tali neceſſitate, ne populus Chriſtianus illarum Regionum remaneat ſine hoc Sacramento, poſſet Summus Pontifex de plenitudinis poteſtate diſpenſare, vt ſub vna tantum ſpecie conficiatur ſacramentum, & ſacrificium?

14 Prima ſententia. Alberti Magni. Gabriel. Angeli. Henriq. Chamerota. Filliuc.

14 Reſpondetur; In hac re duas eſſe opiniones, ambas probabiles, quarum vna eſt affirmatiua: Albert. Magn. libro de Corp. Domini, Gabriel. lect.33. in cano. Angel. in Verbo Euchariſtia 1. num. 20. Henriqu. c.13. in ſumm. Chamer. tract.4 c.6. d.2. Filliuc. tract.4. cap.3. nu.66. aliorumque dicentium: Poſſe ſummum Pontificem in tali caſu diſpenſare, vt ſub vna tantùm ſpecie conficiatur Corpus Chriſti, interpretando Ius Diuinum: Nam in hoc caſu Papa propriè non dicitur diſpenſare, ſed interpretari Diuinum pręceptum, occurrentibus talibus circumſtantijs non obligare: habet enim Summus Pontifex illam auctoritatem per Clauem ſcientiæ, & poteſtatis ad interpretandum Ius Diuinum.

15 Onuphrius & Genebrardus.

15 Quemadmodum diſpenſaſſe dicitur Innocen. VIII. prout refert Onuphrius & Genebrardus ex Volaterano in chronica Noruegiana anno 1490 quod in ea Regione, quia non habebant vinum, nec poterat ibi aſportari, & propter nimiam frigiditatem vinum cõſeruari non poterat, ſed ſtatim aceſceret, & corrumperetur: Dicunt enim ipſi: Permiſiſſe Pontificem, vt Sacerdotes illius Regionis poſſent celebrare in Calice ſine vino: Vndè dicunt illi Doctores: poſſe Pontificem maximum in hoc diſpenſare, quia ſi non poſſet: Innocentius non diſpenſaſſet.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

16 Secunda ſententia negatiua.

16 Quamuis autem prædicta opinio videatur probabilis, tamen eſt contraria opinio negatiua, quæ eſt communior, & probabilior, abſolutè dicens: Nullo modo poſſe in hoc ſummum Pontificem diſpenſare, eò quod ſummus Pontifex non habet auctoritatem ſupra Ius Diuinum: Quapropter ſumma Armilla Verbo Euchariſtia num. 10. refert Alexandrum Papam Quartum voluiſſe in tali caſu neceſſitatis diſpenſare, & fuiſſe determinatum, non poſſe. & Pater Suarez dicit, conceſſionem illam Innocentij VIII. eſſe apocriſam, & non apparere, neque vllum veſtigiũ talis conceſſionis apparet, nec inuenitur talis conceſſio aliquandò eſſe facta.

Armilla. Suar.

17 Rx. ad relationem Volaterani de conceſſione facta.

17 Deindè ipſa verba Volaterani, ex quibus ſumpſit Onuphrius, declarant falſitatem talis conceſſionis: Nam dicunt iſti: *Summum Pontificem permiſiſſe, vt poſſint celebrare in calice ſine vino:* Vel ergò in Calice vacuo ſine vino: Et hoc eſt impoſſibile, vel in calice cum aqua ſine vino, & hoc eſt abſurdum: Vndè concludit Pater Suar. Talem conceſſionem non eſſe veram, maximè, quia Summus Pontifex non poteſt diſpenſare ad ea, quæ pertinent ad Sacramenti ſubſtantiam, vt colligitur ex Trid. ſeſſ.21. c.2.

Suar. Conc. Trid.

18 Ratio 2. ſententiæ.

18 Et Ratio huius noſtræ ſententiæ eſt, quia cum hoc Sacramentum non ſit ſimpliciter neceſſarium ad acquirendam primam gratiam, ſed ſolùm augmentum gratiæ, ſequitur, quod maius bonũ eſt Eccleſiæ, quod ritus ſacrificandi Deo ſit vnus, idemque perfectus, quàm immutari propter commodum alicuius Prouinciæ: Ità Suarez in 3. p. D. Tho. to.3. D.43. ſect.4. Soto in 4. d.9. q.1. A.1. Sylu. V. Euchariſtia 1. n.3. Nugn. 3. p. q.74. A.1. concl.3. Bonac. D.2. q.2. p.3. nu.13. Bellarm. to.3. lib.4. de Euchariſtia c.26. alijque.

Suar. D. Thom. Soto. Syluester. Nugn. Bonac. Bellarm.

19 2. Ratio concluſionis.

19 Secundò probatur, quia ſi hoc eſſet, diſpenſandum eſſet propter carentiam vini in tali Prouincia, nè illa remaneret priuata hoc Sacramento: Sed hoc non admittitur: Nulla enim Prouincia inuenitur ad præſens, in qua facta eſſet talis diſpenſatio propter vini carentiam: Et dato, quod in aliqua Prouincia non poſſet inueniri vinum vitis, poſſet tamen aliundè aſportari. Et quamuis per hanc tranſportationem vini de longinquo ſacrificium hoc ratò eſſet conficiendum, melius eſſet, vel minus inconueniens, hoc ſacrificium minus frequentari, quam ritum ſacrificij Incruenti mutare: Ità Suarez, vbi ſupra.

Suar.

20 3. Ratio principalis.

20 Tertiò probatur; Nam Eccleſia facere non poteſt, quod hoc Sacramentum conficiatur, non offerendo ſacrificium Deo extra miſſam, nec poteſt facere, vt ſacrificium non fiat integrum, & perfectum ex omni parte, ergò, &c. Prima pars antecedentis probatur ex Chriſti inſtitutione, vt patet ex Euangelio, & habetur in C. In Sacramento de Conſ. d.2. Probatur minor ſecundæ partis, quia ad reuerentiam Sacramenti, & Dei ſpectat, quod ei non offeratur ſacrificium mutilum, & imperfectum, quò ad ſignificationem, ergò, &c.

21 Concluditur pro 2. ſententia.

21 Ex quo concluditur: *Hoc eſſe de Iure Diuino, & nullo modo licere, nec deberi in hoc diſpenſari:* Ità communiter tenent omnes præallegati Doctores pro ſecunda opinione, quæ videtur nobis valdè probabilis, & communior, quamuis prima opinio etiam non ſit improbabilis, quam tenent etiam multi eximij Doctores.

DE MIXTIONE AQVAE IN VINO ante conſecrationem: Et in qua quantitate ſit apponenda.

CAP. IV.

1 Admiſcenda eſt aqua in vino ante cōſecrationem. Significatio. Repræſentatio.

PRo deciſione, dico primò: In vino, quod eſt materia remota Sacramenti ſanguinis de præcepto Eccleſiæ, & ad ipſius Chriſti imitationem admiſcendam eſſe patuam quantitatem aquæ natutalis ad ſignificandam ipſius Chriſti cum Eccleſia vnionem, tum etiam ad oſtendendum Chriſtum fuiſſe pro humano genere paſſum, & humanum genus per ipſius paſſionem redemptum cap. Cùm omne, de Conſ. d. 2. Tum etiam, quia conuenit repræſentationi Dominicæ paſſionis, vtrumque enim ex eius latere effluxiſſe legitur, quandò vnus militum lancea latus eius apetuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua, tum ad ſignificandam vnionem Eccleſiæ cum Chriſto: nam pet aquas ſignificantut populi. Apoc. 17. tum etiam ad ſignificandam Chriſti gratiam, quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam; Tum etiam ad ſignificandam duplicem Chriſti natutam: Diuinam Videlicet, quæ per vini myſterium, & humanam, pet aquę admixtionem, pro vt docet Sacrum Conc. Trid. ſeſſ. 13. & ſeſſ. 22. c. 7. & habetur in Sactis Cauonibus præcipuè c. 1. & 2. de conſ. d. 2.

Aqua ſignificat populū. Apoc. c. 17. Item Chriſti gratiam. Vinum, & aqua ſignificant duplicē Chriſti naturam. Conc. Trid.

2 Non eſt de Iure Diuino, ſed Eccleſiæ.

Vndè ſequitut primò: Appoſitionem aquæ non eſſe de ſubſtantia Sactamenti, cùm non ſit de Iure Diuino, ſed ſolū de præcepto Eccleſię: Ideò ſi quis ſcienter, vel per ignorantiam aquam non apponeret, peccaret quidem mortaliter, debebat enim ſcire ea, quæ ſuo muneri incumbunt: Sacramentum tamen verum eſſet, quantum ad ſubſtantiam: Ità docent Scotus in 4. d. 9. q. 7. Soto q. 1. A. 6. Bonacin. D. 4. q. 2. p. 4. Tolet. lib. 2. c. 25. num. 4. Graff. 2. p. lib. 1. cap. 6. num. 17. Suarez D. 45. ſect. 2. Filliuc. tract. 4. ca. 6. num. 90. alijque communiter.

Scotus. Soto. Bonac. Toletus. Graff. Suar. Filliuc.

3 Aqua admiſcenda eſt in minima quātitate.

Secundò infero, quod cùm materia conſecrationis ſanguinis non ſit aqua, ſed vinum, ideò aqua admiſcenda eſt in modica quantitate, & ante conſecrationem, vt tempore, quo fit conſectatio conuerſa ſit in vini ſubſtantiam; alioquin aqua appoſita non temaneret conſecrata, prout docent omnes prædicti Doctores communitet.

4 R. difficultati.

Nec obſtat, quod in tali caſu non poſſet adorari totum, quod eſt in calice, quia tunc adotaretur ſimplicitet illud, quod eſt conſectatum in Calice, non autem omne ſimplicitet, quod eſt in eo, Nec enim paleæ, vel muſca, quæ ſi ibi eſſent propterea adorantur, ità nec aqua.

5 R. difficultati.

Neque obſtat, quod Sacerdos in tali caſu, ſumendo dictam aquam, non eſſet ieiunus. Reſpondetur enim primò probabilitet poſſet credere ſempet eſſe conſecratam, quandò ſeruantut debitæ conditiones: Si autem aliquandò probabilius eſſet, non eſſe conſecratam, eo quod adhuc in vinum, non eſſet conuerſa, non tamen propterea deſiſtendum eſſet ab illius ſumptione: quia præceptum de integritate ſacrificij eſt maius, ideòque conſumandum eſt ſacrificium.

6 Difficultas de Die Natiuitatis.

Reſpectu verò alterius conſecrationis faciendæ, vt in die Natiuitatis Domini abſtinendum eſſet, niſi depoſita conſcientia probabilitet crederet, aquam conuerſam fuiſſe primò in vinum, deindè in ſanguinem, vel quod totum, quod erat in Calice receptum eſt pet modum vnius Sacramenti, atque adeo non impediret alterius Sacramēti ſumptionem: quæ vltima ratio pacatas reddere poteſt omnium conſcientias, vt poſſint abſque ſctupulis in die Natiuitatis Domini tres miſſas celebtare: Ità Suarez in 3. p. D. 45. ſect. 2. Filliuc. alijque ſupracitati. Suar. Filliuc.

Tertiò infero: Aquam apponendam eſſe in Calice ante oblationem Calicis, iuxta Ritum, & conſuetudinem Eccleſiæ, & in modica quātitate, ne Sacerdos exponeret ſe periculo nō conſecrandi, & ad Chriſti imitationem, quia ſic creditur Chriſtum feciſſe in nocte Cęnæ: Et quamuis aliqui putent Chriſtum Dominum maximam quantitatem aquæ miſcuiſſe in vino, eo modo, quo vti ſolent homines in potione vſuali, quandò tempetatur vinum cum aqua, & fundantut in illo Sap. c. 7. *Venite, & comedite, & bibite vinum, quod miſcui vobis.*

7 Aqua eſt apponenda ante oblationē. An Chriſtus appoſuiſſet aquam in quantitate. Sap. c. 7.

Nihilominus dicimus nos, & probabilius exiſtimamus: Chriſtum Dominum eam paruam quantitatem aquæ appoſuiſſe, quæ conuerti poterat naturaliter in ſubſtantiam vini, tum maximè, quia Chriſtus inſtituit Sacramentum, non in menſa vſuali, ſed Sacramentali, Ideòq; diximus ſuprà, quod ſi aqua infuſa non trāſeat in ſubſtantiam vini, non efficitur ſanguis Chriſti.

8 Reſolutio.

Ratio huius eſt, quia aqua ſola, non eſt materia Sacramenti ſanguinis Chriſti, ſed quatenus conuerſa eſt in vinum; prout eſt doctrina Innocentij Papę III. & refertut in c. Cum Marthæ de Celebr. Miſſ. §. Quæſiuiſti: Vbi Innocentius refert tres opiniones, & iſtā amplectitur, quod Videl. Aqua debet conuerti in ſubſtantiā vini, & vinum in ſanguinem: Vndè ſi in actu prolationis formę, & quandò forma fuetit completa, aqua fuerit transmutata in vinum, poſt prolationem formę cōſectatur: Si autem transmutata fuerit poſt prolationē formæ, aqua non eſſet conſecrata, nec tranſit in ſanguinem, ſed temanet vt prius cum accidentibus circumfuſa, etiam quod vini ſapor aſſumat, vt in d. cap. cum Marthæ de celebrat. Miſſ. dicitur.

9 Ratio reſolutionis. Innocentius Papa III. Si aqua non ſit conuerſa in vinum nō conſecratur.

Sed dicet aliquis: Si aqua, quæ ante conſectationē non adhuc conuerſa eſt in vinum, & remanet non cōſectata: An ſi poſt conſecrationem conuertatur in vinum remaneat conſectata in Calice. 10 Dubitatio.

Reſpondetur: Non poſſe conuerti in ſanguinem, quia verba conſecrationis, iam tranſacta ſunt: poſſe tamen conuetti in vinum, ſi tamdiu remaneat admixta ſpeciebus vini, quamdiu ſufficiat ad conuerſionē: Ratio eſt, quia in illis ſpeciebus conſecratis remanet virtus ad producendum vinum, ac ſi ſubſtantia vini adeſſet, Deo aliquid ſupplente ex parte ſpecierum. Sicut etiam ſupplet, quandò ex ſpeciebus vini generatur acetum, vel aliquid aliud ſimile, vt loco ſuo explicabitur: Ità Reginal. lib. 39. nu. 36. Chamer. de Euchariſtia cap. 6. d. 55. Suarez, Scotus, Durandus, alijque ſupracitat.

Reſolutio. Aqua poſt conſecrationem poteſt conuerti in vinum, & non in ſanguinem. Reginald. Chamerot. Suarez. Scotus Durand.

Nec valet dicere, ex eo, quod Chriſtus conſecrauit aquam cum vino, Aquę admixtionem eſſe de eſſentia, & de Iure Diuino; nō enim omnia, quę Chriſtus in Cęna fecit habent neceſſitatem præcepti Diuini: Nam Chriſtus conſecrauit in azymo, & tamen azymus non eſt de eſſentia Sactamenti, quia fit etiam in fermentato: Sic etiam Chriſtus lauit pedes diſcipulorum in Cęna; non tamen hoc eſt de eſſentia.

11 Non omnia, quæ fecit Chriſtus in Cęna ſunt de neceſſitate.

Quapropter reſolutoriè dicimus: Mixtionem aquæ eſſe tantummodò de præcepto Eccleſiæ, & hoc antiquiſſimo ritu ex tempore Apoſtolorum: Et quāuis Alexander Papa, hoc præcepetit, non tamen ipſe fuit inſtitutor (vt aliqui putant) nam ipſemet fatetur Epiſt. 1. cap. 4. *A prædeceſſoribus, hoc accepiſſe*: Ità Coninch. qu. 74. A. 7. num. 138. Filliuc. Bonac. Suarez, locis ſupracit.

12 Mixtio aquæ eſt tantummodò de pręcepto Eccleſiæ. Coninch. Filliuc. Bonacina. Suarez.

Quæres tandem, quid faciendum ſit, quandò Sacerdos ex obliuione aquam non infundiſſet: Reſpondetur, quod, ſi hoc aduertat ante cōſecrationem, debet illam ſtatim apponere, etiam ſi moraliter ſciat:

13 Quid faciendum quandò ex obliuione non fuerit aqua appoſita.

aquam

Digitized by Google

aquam non eſſe in vinum conuertendam: adhuc enim poteſt præceptum Eccleſiæ adimplere; Si verò peracta conſecratione aduerterit, ſe aquam non appoſuiſſe: non poteſt amplius illam opponere; non enim admiſcenda eſt aqua in ſanguine, ſed in vino. Ità Coninch. Suarez, Filliucius, loc. cit. & Bonac. num. 6.

Coninch. Suar. Filliucio. Bonac.

AN IN CONFICIENDO EVCHARIſtiam ſit determinata quantitas materiæ Conſecrandæ.

CAP. V.

1 An quælibet quantitas materiæ poſſit conſecrari.

PRæſens quæſtio mouetur à Theologis: An in Sacramento Euchariſtiæ ſit determinata quantitas, adeò vt Sacerdos pro ſua libera voluntate poſsit validè conſecrare quamcumque materiam magnam, ſiuè minimam panis, aut vini, quamuis ſit improportionata ad vſum fidelium.

2 Quælibet parua quantitas ſenſibilis poteſt cōſecrari.

Quàpropter, pro ſolutione, diſtinguendum eſt de quantitate minima, aut maxima: Ideòque quò ad primum de quantitate minima: Abſolutè dicimus, quod quælibet parua quantitas, ſiuè panis, ſiuè vini, dummodo tamen aliquo modo ſit ſenſilis, adeò vt in illa parua quantitate ſit, & poſſit conſeruari panis, aut vini ſubſtantia, eſt materia ſufficiens ad conficiendum Sacramentum: Ratio huius eſt, quia hoſtia conſecrata, ſi diuidatur in minutiſſimas partes, quælibet pars remanet conſecrata: Secundum illud D. Thom. *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmentum, quantum toto tegitur*, ergò etiam quælibet parua quantitas poteſt conſecrari, dummodò ſit aliquo modo ſenſilis: quia ſi fortè detur tam parua quantitas panis, ſiuè vini, quæ non ſit ſenſibilis, adeò vt non poſſit deſignari, non eſt apta materia conſecrationis, quæ humano modo non eſt ſenſibilis, nec deſignari, aut demonſtrari poteſt per particulam illam demonſtratiuam: *Hoc, vel Hic*: Ità Suarez. D. 43. ſect. 7. Coninch. quæſt. 74. A. 2. dub. 1. Tolet. lib. 2. cap. 15. nu. 5. Reginald. lib. 29. num. 17. Henriquez lib. 8. c. 14. nu. 4. aliique.

Ratio concluſionis.

D. Thom. in ſequētia miſſæ.

Si non ſit ſenſibilis non poteſt.

Suar. Coninch. Tolet. Reginald. Henriq.

3 Etiam ſi ſit cognoſcibilis per ſolā Diuinam potentiam.

Exiſtimo tamen, ſecundum mentem Suarez ſupra ſect. 8. ad finem, quod: ſi parua quantitas eſſet tam minima, vt ſaltem ab aliquo oculo per Diuinam potentiam eleuato ad eam videndam, per quem oculum eleuatum poſſet talis materia minima cognoſci, & per particulam illam, *Hoc, ſiuè Hic*, deſignari, quamuis naturaliter non eſſet cognoſcibilis, nec tangibilis, tamen hic, & nunc videretur, & ſentiretur, & conſequenter poſſet deſignari, & conſecrari: Ità Nugn. quæſt. 73. difficult. 2. concl. 2. Bonac. D. 4. quæſt. 2. pat. 5. num. 1. Suarez ſupra Filliuc. tractat. 4. cap. 3. num. 75. de Euchariſtia.

Nugn. Bonac. Suar. Angelus.

4 De quantitate maxima. P. ſententia D. Bona. Alex. de Ales. Angelus.

Quò ad ſecundum de quātitate maxima, & improportionata; Duplex eſt opinio: Vna D. Bona. in 4. d. 10. A. 2. q. 4. qui quidem Doctor, vt Seraphicus omnia congerit in honorem, laudem, & amorem Dei: Quàpropter dicit ipſe, & cum eo concordāt Alex. de Ales tract. 4. de Euchariſtia q. 74. memb. 1. & Angel. Verb. Euchariſtia num. 25. quod: Si quis Sacerdos proferret etiam cum intentione conſecrandi verborum conſecrationis formam, in foro ſuper totam quantitatem panis, quæ illic inuenitur, vel ſi formam conſecrationis ſanguinis proferret in Cella vinaria, & voluerit totum illud vinum conſecrare nullum conficeret Sacramentum.

5 Ratio iſtius ſententiæ.

Quorum fundamentum eſt, quia ad Sacramentum conficiendum requiritur materia, & forma proportionata, & intentio miniſtri, quæ debet eſſe concors intentioni Chriſti inſtitutoris, & Eccleſiæ: Sed Eccleſiæ intentio, & Chriſti inſtituentis eſt conſecrare materiā ad vſum fidelium proportionatam: At illa maſſa, ſeù magna quantitas improportionata panis, aut vini nō eſt accommodabilis modo Sacramentali, & reuerenti ad vſum fidelium communicandorum, ergò illam cōſecrare non poteſt.

Secundò probatur, quia intentio miniſtri regulariter ad tantam materiam ſe extendit, ad quantam poteſt Sacerdos conijcere, quod debeat, & congruit ſumi ad vſum fidelium, ſed illa magna quantitas panis, aut vini non eſt huiuſmodi, cùm ſit improportionata; ergò &c. 6 2. Ratio.

Tertiò probatur: quia Chriſtus Dominus non dedit poteſtatem Sacerdotibus ad irriſionem fidei, & Sacramentorum, ſecundum illud Apoſt. 1. Corinth. 10. dicētis: *Secundum poteſtatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem, & non in deſtructionem*; Sed illa quantitas magna, & improportionata non eſt ad ædificationem, neque ad vſum fidelium rationabiliter accommodanda. Imò reſultaret in contumeliam Sacramenti, cùm non poſſet moraliter reuerenter ſumi, ſicut decet, ergò &c. 7 3. Ratio. 1. Corinth.

Quartò probatur, quia Deus, & natura, nihil agit fruſtra, ergò &c. Quàpropter prædicti Doctores exiſtimant: Sacramentum irritum eſſe, ſi contra inſtitutionem, & intentionem inſtituentis conficiatur: Sed intentio Chriſti inſtituentis non eſt conficere totum panem, qui eſt in platea. ergò Sacerdos, tentans conſecrare huiuſmodi materiam nihil faciet: Vndè idem D. Bona. ſupra num. 52. explicans ſuam opinionem dicit: *Sine præiudicio alterius opinionis exiſtimo, quod: In tali improportionata materia virtute verborum nihil fiet conſecrationis.* 8 4. Ratio. D. Bona. ſententia.

Altera opinio eſt communis omnium ferè aliorum Doctorum, abſolutè dicentium: Sacerdotem poſſe validè conſecrare quamcumque materiam panis in foro, aut vini in dolio, ſed grauiſſimè peccaret, & grauiter eſſet puniendus: Ità Ledeſma q. 11. A. 2. Sylu. Ver. Euchariſtia 2. q. 4. nu. 6. aliique. 9 2. Sententia. Ledeſmæ, & Syluestri.

Pro ſolutione igitur huius quæſtionis, diſtinctione eſt vtendum; Aliud enim eſt loqui de quantitate panis, aut vini per ſe, & ex parte magnitudinis tantum, Aliud verò præſentiæ neceſſariæ ad veritatem formæ: Vndè circa hoc duæ aſſignantur Concluſiones, quarum prima eſt. 10 Reſolutio eſt diſtinctione.

Per ſe, & ex vi formæ, ac poteſtatis miniſtri conficientis, qualibet magnitudo præſens, ſiuè panis, ſiuè vini abſq; vllo termino magnitudinis, dum tamen præſens ſit in debita diſtantia, poteſt validè, ſed non licitè conſecrari: Quæ quidem concluſio probatur: Ità. 11 P. Concluſio.

Primo quia ex fide habemus, dediſſe Chriſtum Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem, & vinum abſolutè dicens: (*Hæc quotieſcumque feceritis*;) Et nulla auctoritate, vel traditione, ſiuè alio principio conſtat limitaſſe hanc poteſtatem ad certum terminū, ſed potius ſimpliciter, & indefinitè illam tradidiſſe: ergò validè talem materiam conſecrare poſſunt: ergò &c. 12 Probatur cōcluſio 1.

Secundò probatur, quia hæc determinatio quantitatis, non poteſt ſumi ex vſu, vt benè probat Diu. Thom. 3. par. quæſt. 74. Art. 2. quia non poteſt eſſe, quod determinetur ad vſum fidelium, vt occurrunt præſentes, alioquin ſacerdos, qui conſecraret plures particulas, quam ſit numerus fidelium illius Ciuitatis, vel Prouinciæ, non conficeret Sacramentum, quod eſt abſurdum, & contra omnium opinionem: ergò &c. 13 Probatur 2. D. Thomæ.

Sic etiam ſequeretur, quod facta conſecratione proportionata, ſecundum numerum fidelium illius Ciuitatis, 14 Probatur 3.

taris, ſi alius Sacerdos, iterum conſecraret alium numerum ſimilem formularum, & alius ſimiliter, & alius, non conficeret, cùm determinata quantitas iam fuerit conſecrata, quod eſt omninò falſum, & contra totius Eccleſiæ ſenſum, & veritatem formæ: Nam valor Sacramenti non pendet ex circumſtantijs extrinſecis, & ex præterito, ſiuè futuro euentu, ſed ex proprijs principijs, & cauſis, etiam ſi ab eodem, ſiuè diuerſis Sacerdotibus conſecrationes in infinitum multiplicentur, ſiuè repetantur: Vndè ſequitur, quod materia huius Sacramenti, non determinatur per cõparationẽ ad vſum fidelium abſolutè: Numerus enim fidelium eſt indeterminatus, ergò quantitas materiæ conſecrandæ non eſt determinata, ſed abſoluta; ergò &c.

Valor Sacramentorum non pendet ex circumſtã tijs extrinſecis, & futuro euentu.

15 Neque obſtat, quod tanta quantitas non poſſet reuerenter ſumi, quia hoc eſſet per accidens, & non impediret valorem Sacramenti: Neque quantitas determinatur ex forma, quia illa optimè poteſt in quamcumque materiam cadere. Neque ex intentione miniſtri, quia hæc extendi poteſt ad omnem magnitudinem præſentem: Neque ex eo, quod conſecratio tantæ materiæ eſſet inutilis, & iniurioſa Sacramento, quia hoc pertinet ad bonum, vel prauum vſum, qui non impedit Sacramenti ſubſtantiam, ſi cætera neceſſaria cõcurrant: Vndè praua miniſtri intentio non impedit Sacramenti validitatem, & veritatem, dummodo intendat facere Sacramentum.

Re. ad rationes contrariorum.

16 Et non obſtat, quod id fiat ad malum finem, neque Eccleſia poteſt hanc poteſtatem limitare, cùm abſolutè, & ſimpliciter à Chriſto Sacerdotibus data ſit poteſtas abſque limitatione: Quapropter Sacerdos ſuſpenſus, ſiuè excommunicatus, ſiuè degradatus poteſt validè conſecrare, & factum tenet: Ita communiter omnes Theologi: vt Diu. Thom. 3. par. quæſt. 74. Art. 2. Coninch. ibid. 2. nu. 6. Suarez D. 43. ſect. 8. Henriq. lib. 7. cap. 14 num. 4. Vaſquez 3 p. q. 73. c. 3. Pitig. D. 11. q. 6. A. 5. Filliuc. tract. 4. cap. 3. num. 75. Bonac. D. 4. part. 5. num. 2.

Mala intentio miniſtri non vitiat Sacramentum.

D. Thom. Coninch. Suar. Henriq. Vaſq. Pitigian. Filliucio. Bonac.

17 Ex dictis patet, ſolutio argumentorum contrariæ opinionis: Vndè, reſolutoriè dicimus, quod: De neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ non eſt certa, & determinata quantitas materiæ, quò ad magnitudinem, ſeu paruitatem, eò quod Euchariſtiæ Sacramentum confici poteſt, tam in parua quantitate ſenſibili, quam in magna, dummodò ſit moraliter præſens.

Reſolutio quæſtionis.

18 Quapropter ponitur ſecunda Concluſio pro ſecunda parte quæſtionis quæ talis eſt; *Si magnitudo conſecranda materiæ panis, vel vini eſſet in tanta copia, quod non poſſet eſſe moraliter præſens, & determinari à Sacerdote conſecrante per ly verbum Hoc, vel Hic, tunc non poſſet conſecrari validè*, quia præſentia materiæ conſecrandæ, & determinatio ipſius eſt intrinſecè neceſſaria ad valorem Sacramenti: Vndè ſi quis vellet conſecrare totum panem, qui eſt in Ciuitate, vel totum vinum quod eſt in diuerſis cellarijs vini, non conficeret Sacramentum, quia talis improportionata materia non eſſet præſens, & determinata, ideò, &c. Ità communiter omnes Theologi ſupra citati.

2. Concluſio. Præſentia & determinatio materiæ conſecrandæ eſt de neceſſitate.

19 Hinc infero primò: Nullam hoſtiæ partem remanere conſecratam, quandò Sacerdos intendit ſolam quartam hoſtiæ partem, vel medietatem conſecrare, non diſtinguendo, quam partem conſecrare velit. Secus autem ſi aliquam hoſtiæ partem determinatam, & deſignatam intenderet conſecrare; tunc enim pars illa determinata tantum conſecrata remaneret.

Prima inferentia. Quando Sacerdos intenderet conſecrare tantum medietatem Hoſtiæ.

20 Nec obſtat; quod pars conſecrata cum alijs partibus non conſecratis ſit coniuncta, ſicut patet à ſimili de vino conſecrato, quod admiſcetur, & coniungitur cum alio vino non conſecrato: nam tunc conſecratum non deſinit eſſe conſecratum propter admixtionem, & coniunctionem cum non conſecrato: Ità dicas de Hoſtiæ medietate ſimiliter: Ita Suar. D. 43. ſect. 6. Syln. & Angel. Euchariſtia 2. q. 5.

Medietas nõ cõſecrata poteſt ſtare cũ non conſecrata.

Suar. Syluest. Angelus.

Secundò infero, quod ſi Sacerdos habeat præſentes decem hoſtias, & intendat ſex tantum, aut octo conſecrare, non determinando, quas velit conſecrare, nulla illarum conſecrata remaneret: Ratio huius eſt, quia materia non eſt determinata in mente conſecrantis, nec eſt maior ratio, cur vna potius, quàm altera remaneat conſecrata. 21

Secunda inferentia. Si quantitas materiæ non ſit determinata.

Secus autem eſſet, ſi habuiſſet intentionem conſecrandi totam illam materiam præſentem, quamuis putaret eſſe decem, quia tunc omnes eſſent conſecratæ, quia error ſpeculatiuus, ſiuè priuata deceptio, non obſtat debitæ intentioni, quam Sacerdos debet habere, & moraliter habet conſecrandi totam materiam præſentem, quia tunc tota eſſet determinata. Ità docent Soto in 4. d. 9. A. 2. Nauarr. c. 25. nu. 91. Bonac. D. 4. q. 2. p. 5. 22

Intentio conſecrandi materiam præſentem eſt ſufficiens.

Soto. Nauarr. Bonac.

Item dicas, quandò Sacerdos ponit duas Hoſtias ſuper patenam, putans eſſe tantum vnam: ſi in actu conſecrationis intendat conſecrare totam materiam præſentem, vtraque Hoſtia remanet conſecrata: Secus autem dicendum eſſet, ſi talis Sacerdos non intendebat conſecrare, niſi vnam abſque determinatione in particulari, quia tunc nulla conſecrata, eſſet cùm nulla illarum fuerit determinata: Si verò intendebat conſecrare tantùm illam, quam videbat, & non alteram abſconditam, tunc illa ſola eſſet conſecrata, & non altera, quæ tunc erat determinata: Ita Rodriq. in ſumm. cap. 249. numer. 10. alijque ſupra citati. 23

Quando loco vnius hoſtiæ ponãtur duæ.

Rodriquez.

Tertiò infero: Guttas vini, quæ ſunt extra cuppam Calicis, vt in pede non remanere conſecratas, quia Sacerdos non habet determinatam intentionem circa illas, quamuis illas haberet præſentes: Ità Reginal. lib. 29. n. 19. Secus autem dicendum probabilius videtur de guttis, exiſtentibus intra cuppam Calicis ſeparatis à vino, ſimul vnito, quia quamuis ſint ſeparatæ à toto, ſunt tamen intra Calicem, & intentio Sacerdotis, conſecrantis ferri videtur circa totam materiam, in Calice exiſtentem, quæ demonſtratur per particulam Hic: Ità Coninch. q. 74. A. 2. d. 2. n. 43. Chamer. de Euchariſtia c. 6. d. 6. Bonac. Filliuc. alijque ſupracitati. Secus autem ſi habuiſſet intentionem illas non conſecrare, quia tunc non eſſent conſecratæ: prout aduertit Reginald. ſupra. 24

Tertia inferentia. De Guttis vini in pede Calicis. Reginald. De Guttis, exiſtentibus intra cuppã.

Coninch. Chameron. Bonac. Filliuc. Limitatio de intentione. Reginald.

Quartò infero: Non eſſe validam conſecrationem, ſi Sacerdos intendat eas hoſtias, vel eam partem Hoſtiæ conſecrare, quam Deus intendit: Nam tunc Sacerdos non dicitur habere intentionem circa materiã humano modo determinatam, nec poteſt diſtinguere materiam conſecratã à non conſecrata: Ità Coninch. Suarez, Bonac. alijque ſupra citati. 25

Quarta inferentia. De conſecrãte, Sacramentum intentione ſolius Dei.

Coninch. Suar. Bonac.

DE PRAESENTIALITATE
Materiæ conſecrandæ.

CAP. VI.

PRo complemento huius præſentis tractatus, videndum eſt: An materia conſecranda debeat eſſe præſens coram Sacerdote conſecrante, & qualis, & quanta debeat eſſe talis præſentialitas materiæ. 1

Quæ præſentia materiæ requiratur.

Reſpondetur breuiter ex communi conſenſu omnium Theologorum, quod materia conſecranda, ſiuè panis, ſiuè vini, neceſsè eſt, quod ſit moraliter præſens 2

Sufficit præſentia moralis.

Digitized by Google

ſens coram Sacerdote in actu conſecrationis, adeò vt poſſit verificari illa demonſtratio: *Hoc eſt corpus meũ, vel Hic eſt ſanguis meus*, iuxta prudentis viri iudicium: Si enim materia conſecranda non eſſet moraliter præſens, falſa redderetur conſecrationis forma: *Hoc eſt*. Ità communiter Theologi, vt Suarez Diſt. 45. ſect. 5. Henriq. libr. 8. cap. 14. Reginald. lib. 29 num. 16. Filliuc. tract. 4. cap. 3. num. 67. Chamer. de Euchariſtia cap. 6. dub. 5.

Suar. Henriq. Reginald. Filliuc. Chamerot.

3 De particulis in Pyxide incluſis.

Hinc infero primò: Particulas in Pyxide contentas, ſiuè aliquo vaſe incluſas, aut latentes, ſub Hoſtijs, vel ſub mappis, aut vellis, ſiuè etiam in miſſali, dum tamen exiſtant coram Sacerdote conſecrante, poſſe validè conſecrari, quia ſufficit quod per particulam illam: *Hoc*, poſſint demonſtrari, Non enim requiritur ad validitatem Sacramenti, quod ſonus verborum attingat materiam conſecrandam, cùm materia poſſit eſſe ſufficienter præſens, etiam ſi ſonus verborum ad ipſam non pertingat, prout docet Bonac. D. 4. q. 2. p. 6. nu. 3. alijque.

Non requiritur, quod ſonus verborũ attingat materiam conſecrandam.

Bonac.

4 De Vino incluſo in dolio ſiuè amphora.

Sic etiã dicimus de vino in Calice contento, & palla, ſiuè aliquo velo cooperto, aut dolio, ſiuè amphora, aut alio vaſe incluſo: ſufficit enim quod veritas formæ per particulam. *Hic*, poſſit verificari. Ità cõmuniter omnes prædicti Doctores citati.

5 2. Reſolutio.

Secundò infero, validam eſſe conſecrationem materiæ, exiſtentis coram Sacerdote, quamuis actu non tangatur, aut præ manibus habeatur, aut oculis non videatur: Non enim viſus, aut tactus requiruntur ad validitatem formæ, ſed ſufficit quod moraliter ſit præſens, vt veraciter poſſit demonſtrari per illam particulam formæ. *Hoc, vel Hic*: Quapropter cœcus poteſt legitimè conſecrare, quamuis actu materiam illam non videat; Sufficit enim, quod ſit præſens, vt dixi.

Viſio, aut tactus materiæ non requiritur ad veritatem formæ.

6 Quanta præſentialitas requiritur.

Quanta autem debeat eſſe iſta præſentialitas materiæ conſecrandæ: alij dicunt, quod non debeat excedere viginti paſſus: Ità Henriquez lib. 8. capitul. 14. numer. 2. Sed non admittitur à Bonacina, qui dicit, quod ipſe non auderet recipere tanquam Sacramentum, materiam conſecratam in tanto longitudinis ſpatio; Vndè ait Filliuc. ſupra numer. 68. id moraliter eſſe iudicandum: Sic etiam Chamerot. tract. 4. cap. 6. diſt. 5.

Henriquez. Bonacina. Filliuc. Chamerot.

7 Tertia inferentia. De materia, exiſtẽte poſt parietẽ ſiuè tabulam.

Tertiò infero: Non poſſe ſacerdotem validè conſecrare Hoſtiam, exiſtentem poſt parietem, aut incluſam in tabernaculo: Nam tali modo videtur abſens, nec propriè humano modo deſignari poſſet per particulam illam: *Hoc, vel Hic*, cùm illa non dicatur: hæc Hoſtia, ſed illa. Ità Suarez Diſt. 43. ſect. 5. Coninch. quæſt. 73. A. 2. num. 19. Bonacin. D. 4. quæſt. 2. p. 6. num. 9.

Suar. Coninch. Bonacina.

8 Quarta inferentia. Si eſſet à tergo Sacerdotis.

Quartò infero: Materiam conſecrandam non debere eſſe poſt tergum Sacerdotis, quia non diceretur præſens coram ipſo, & non verè poſſet verificari forma dicendo: *Hoc*. Si verò Hoſtia eſſet à tergo, & Sacerdos, conſecrans illam manibus teneret, exiſtimo cum Bonacina, quod validè eſſet conſecrata: tunc enim propriè, & verè demonſtrari poſſet per particulam illam, *Hoc*. Ità Suarez D. 43. ſect. 3. Bonac. D. 4. q. 2. p. 6. nu. 6. alijque.

Suar. Bonac.

9 Quinta inferentia. De duplici materia præſente, & abſente.

Quintò infero, ſi ſacerdos intenderet duplicem materiam conſecrare, Vnam præſentem, & alteram abſentem: conſecrationem nõ eſſe validam reſpectu materiæ abſentis, reſpectu verò præſentis videtur eſſe valida, quia de materia præſenti verificatur forma: Ità Bonac. ſupra nu. 8.

Bonac.

10 Sententia Nugni.

Nugnus verò in 3. par. Diu. Thom. quæſt. 74. difficul. 3. tenet quod; In caſu: Nulla eſſet conſecratio, tam de materia præſenti, quàm de abſenti. cuius ratio eſt, quia tunc temporis redditur propoſitio falſa, ergò non efficit, quod ſignificat; Nam illud pronomen, *Hoc*, tantum ſignificat omne illud, quod Sacerdos intendit conſecrare, ſed non poteſt ſignificare materiam abſentem, ergò (ſimpliciter loquendo) propoſitio redditur falſa; ergò. Ità Nugn. ſupra.

Si verò Sacerdos habebat intentionem conſecrandi vtramque materiam præſentem poſſibilem: tunc exiſtimo conſecrationem eſſe validam de materia præſenti, non autem de abſente, & hoc credo voluiſſe dicere Bonacinam, quamuis Nugnus etiam in hoc videatur dubius. 11 Limitatio.

TRACTATVS IX.
De Sacramentis.
Et de Forma Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti.
Tract. III.
PROOEMIVM.

QVoniam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum duplicem habet materiam, remotam vnam, ex qua efficitur Corpus Chriſti, alteram ex qua efficitur Sanguis: Ideò conſequenter, Duplex eſt Conſecrationis forma ipſius: Loquimur enim de forma partis reſpectu illius ſigni ſenſibilis, quod ſacramentum dicitur, ideò primò dicendum eſt de forma, virtute cuius ſubſtantia panis tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti, deindè de forma, qua vini ſubſtantia tranſubſtantiatur in Sanguinem Chriſti: Poſtea de ijs, quæ communia ſunt ad veritatem, & effectum vtriuſque formæ, & quid efficitur ex vi verborum vtriuſque formæ. Diuiſio capituli.

DE FORMA CONSECRATIONIS Corporis Chriſti.

CAP. I.

FOrma verborum, quibus panis ſubſtantia ex Chriſti inſtitutione veraciter ſignificatur, & efficitur tranſubſtantiatio in Corpus Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſunt illa verba, quibus ipſe Dominus conſecrauit, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*. Hæc enim ſunt verba eſſentialia formæ, quorum ſi aliquid deficit non efficitur Sacramentum. 1 Forma Conſecrationis Corporis.

Ratio huius eſt, quia illa eſt forma ſacramenti huius, qua ſignificatur, & efficitur tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, ſed huiuſmodi ſunt verba iſta: ergò, &c. Tum quia Chriſtus Dominus his verbis ſolummodò Conſecrauit; vt patet ex Euangelio Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22, etiam ex Concilijs, & Decretis Pontificum, & ex communi conſenſu omniũ Theologorum, ideòque ab omnibus, & ſingulis Euangeliſtis, qui deſcribunt Sacramenti huius inſtitutionem, quatuor iſta verba ſumma cum diligentia obſeruata ſunt, abſque vlla variatione, quod etiam fit in omnibus Liturgijs Græcis, atque Latinis, vt in Canone Miſſæ: Ergò hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, ſunt de eſſentia huius formæ ſacramenti: Vndè Græci in Conſecratione Corporis Chriſti dicunt: τοῦτο ἐστι τὸ σῶμά μου, ideſt, *Hoc eſt Corpus meum*. 2 Probatur aſſertio. Matth. c. 26. Marc. c. 14. Luc. cap. 22. Forma conſecrationis Græcorum.

Sed

3 *Gratias agēs benedixit, ac fregit, quomodo coniūgantur. Henriq.*

Sed modò eſt difficultas: Quomodò verba illa Canonis: *Gratias agens, benedixit, fregit*, coniungenda, & connectenda ſunt: Reſpondet Henriq. lib. 8. capit. 16. numer. 3. litt. G. Ità eſſe coniungenda illa verba: Gratias agens benedixit, ideſt, conſecrauit, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*, deindè facta conſecratione, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicendo: *Accipite, & comedite*.

4 *Suar. Expoſitio.* *Concil. Trid.* *Rit. Rom.*

Hanc tamen expoſitionem Suar. non approbat, quia variat coniunctionem verborum, & ordinem ab Euangeliſtis narratum: Tum quia ſupponit benedictionem non eſſe diſtinctam à Conſecratione, quam re ipſa diſtinctam eſſe colligitur ex Trid. Seſſ. 13. cap. 1. Dicentè: *Chriſtum instituiſſe hoc ſacramentum poſt panis, & vini benedictionem*: Et in Rituali Romano hæc tria diſtinguuntur; Gratiarum actio, quæ propriè refertur ad Deum, ob idque Sacerdos oculos ad Cœlum eleuat, & caput inclinat: Benedictio materiæ, ideòq; Sacerdos eam Cruce ✠ ſignat: Et forma Conſecrationis, quam Sacerdos poſteà, profert.

5 *Concluſio.* *D. Bonau. Coninch. Suar. Bonac.*

Dicimus ergò: Chriſtum Dominum, poſt gratiarum actionem, & benedictionem fregiſſe panem, illumque Conſecraſſe illis verbis: *Hoc eſt Corpus meum*, illumque tradidiſſe Apoſtolis, dicendo: *Accipite, & comedite*: Ita docent D. Bonau. in 4. diſt. 8. quæſt. 3. artic. 2. Coninch. numer. 14. Suarez D. 38. ſect. 2. Bonacin. cap. 1. d. 4. q. 3. par. 1.

6 *1. Inferentia. Quæ ſunt verba eſſentialia formæ.* *Enim, nō eſt de eſſentia.* *Appoſita fuit à D. Petro.* *D. Thom. Bellarm.* *Omiſſio, n. nō eſſet p. m.* *Henriq. Suar. Coninch. Bonac.*

Hinc infero primò: Tantum illa quatuor verba: *Hoc eſt Corpus meum*, eſſe de eſſentia Conſecrationis Corporis Chriſti, vt ex ſupradictis patet: Quapropter ſi aliquod Verborum illorum à Sacerdote non proferatur ſuper debitam materiam, non conficitur Sacramentum: Particula autem: (*Enim*) quæ interponitur non eſt de eſſentia Sacramenti, quia omiſſio illius particulæ non variat ſenſum: Nec Euangeliſtæ illius mentionem fecerunt: Sed appoſita fuit à Diuo Petro ad continuationem verborum cum præcedentibus, vt ait D. Thom. 3. p. quæſt. 72. art. ſecundo ad quintum, Bellarm. tom. 3. lib. 4. de Euchariſtia, c. 14. Vndè omiſſio illius particulæ: *Enim* (præciſo contemptu) non eſſet peccatum mortale, ſed tantum veniale, prout docent Henriq. lib. 8. cap. 16. num. 4. litt. N. Suar. D. 59. ſect. 1. Coninch. D. 78. art. 3. nu. 73. Bonac. D. 4. q. 3. p. 1. nu. 10. aliique.

7 *Secunda inferentia. Qui pridiè, quam pateretur, non eſt de eſſentia.* *Henriq. Bonac. Coninch.*

Secundò infero: Canonem incipiendo ab illis verbis; *Qui pridiè, quam pateretur &c.* nō eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti: Nam ſolū ſpectat ad ſolemnem Ritum ab Eccleſia præſcriptum: Vndè ſi quis totum illum Canonem omitteret, peccaret quidem mortaliter; Sacramentum tamen eſſet validum: Si verò aliquod verbum, aut ſignum omitteret, cùm ſit materia leuis, non eſſet niſi veniale (ſecluſo contemptu) Ità Henriq. ſupr. nu. 8. Suarez, Coninch. Bonac. locis ſupra citatis.

8 *Difficultas. An verba formæ proferantur recitatiuè? Reſolutio. Recitatiuè, & formaliter effectiuè.*

Quæritur ſecundò: An verba formæ Conſecrationis proferantur à celebrante recitatiuè tantum; An etiam recitatiuè, & ſignificatiuè?

Reſpondetur primò: Quod proferuntur recitatiuè, & ſignificatiuè; Primò recitando, & repræſentando, quod Chriſtus fecit, & dixit, vt patet ex illis verbis: *Qui pridiè, quam pateretur*, vſque ad illud; *Deditque Diſcipulis ſuis*: Secundò recitando, quod Chriſtus dixit: *Accipite, & comedite*: deindè formaliter, & effectiuè, dicēdo in perſona ipſius Chriſti; (*Hoc eſt Corpus meum*:) patet hoc per ly, *Enim*, interpoſitum, quod reddit cauſam præcedentium.

9 *Significatiuè & effectiuè.* *D. Thom. D. Bonau. Soto. Suar. Filliuc.*

Dico ſecundò: quod verba formæ non ſolùm proferuntur recitatiuè, verum etiam, (vt dixi) ſignificatiuè, & effectiuè in perſona Chriſti, & hoc eſt de eſſentia Sacramenti: Vndè ſi quis proferat tantum illa quatuor verba: *Hoc eſt Corpus meum*: (cum intentione Conſecrandi ſuper debitam materiam, ſtatim conficitur Sacramentum, & tamen non refertur per illa: Chriſtum ea dixiſſe, ideòque non ſolum recitatiuè, verum etiam ſignificatiuè proferuntur: Ità Diu. Thom. 3. p. quæſt. 78. artic. 5. Diu. Bonau. in 4. diſtinct. 8. quæſt. 1. artic. 1. Soto D. 11. q. 1. art. 5. Suarez D. 58. ſect. 4. Filliuc. tract. 4. cap. 4. num. 97. Intentio enim conſecrantis eſt de eſſentia Sacramenti, vt patet. Quapropter ſi quis tantum recitatiuè proferat verba ſine intentione conſecrandi, nihil faciet, vt patet ex dictis de Sacramentis in Genere.

Quæritur tertiò: An validè Sacramentum conficiatur, quandò verba conſecrationis variantur? 10 *Tertiū quæſitum de variatione verborum formæ.*

Reſpondetur, quod ſi variatio, ſeù mutatio verborum variet ſenſum formæ, nullum efficitur ſacramentum: Sicut enim non conficitur Sacramentum prætermiſſa forma, ita nec conficitur, variato verborum ſenſu, quo ad eſſentialia, tunc enim non cenſetur eadem forma: Si verò per talem mutationem verborum non varietur ſenſus formæ, niſi accidentaliter, tunc quidem validum erit Sacramentum, quamuis ità conficiens mortaliter peccaret, niſi fortè excuſetur ob materiæ paruitatem, ſiuè inaduertentiam, & ſecluſo contemptu: Ità Suarez D. 59 ſect. 2. & D. 60. ſect. 2. Henriquez c. 16. num. 2. Graſſ. 2. par. deciſ. lib. 1. cap. 6. num. 3. Filliuc. d. tract. 4. c. 4. nu. 97. Bonac. D. 4. quæſt. 3. part. 1. aliique. *Mutatio eſſētialis, & accidentalis quæ.* *Suar. Henriq. Graff. Filliuc. Bonac.*

Hinc ſequitur primò: Validam eſſe Conſecrationem, ſi dicatur: *Hic cibus eſt Corpus meum, vel, Hic eſt Corpus meus*, modò tamen, vt particula: Hic, non accipiatur aduerbialiter, ſed loco pronominis: Ratio huius eſt, quia quamuis erretur contra Grammaticæ præcepta, adhuc ſignificatio verborum remanet vera ideò, &c. Ità Suarez, Henriquez, Coninch. Bonac. aliique locis ſupra citatis. 11 *Variatio Grāmaticalis nō vitiat formā.*

Similiter etiam: ſi quis dixerit: *Hoc eſt Caro mea*, (ſecundum aliquos) validam eſſe cōſecrationem, quia adhuc videtur perſeuerare eadem ſignificatio: nam etiam in ſcriptura: Caro accipitur, vel pro toto homine, vel pro toto corpore hominis. Nam dicitur: *Verbum Caro factum eſt: Et Caro mea verè eſt cibus*: Ità cenſent Henriq. lib. 8. cap. 16. num. 2. & Bonac. D. 4. q. 3. p. 1. num. 8. 12 *Hoc eſt caro mea. P. Opinio.* *Henriq. Bonac.*

Verum eſt tamen, quod Coninch. q. 78. artic. 2. diſt. 3. num. 38. & Suarez D. 59. ſect. 2. cum aliis, hoc non admittunt; Dicunt enim iſti Doctores: Mutationem iſtam eſſe ſubſtantialem: Caro enim propriè non ſignificat omnes partes Corporis Etherogeneas: Ideò dicit Suarez quod, Talis forma eſſet valdè dubia, & probabilius iudicat non eſſe validam. Ità etiam tenet expreſsè Alexand. de Ales, quæſt. 36. memb. 3. artic. 3. Gabr. lect. 38. in Can. aliique Scholaſtici in 4. ſentent. D. 9. & 10. 13 *2. Opinio. Coninch. Suar.* *Alenſ. Gabriel.*

Similiter etiam dicas, ſi quis dixerit: *Hæc eſt ſubſtantia mea*, quia tunc multò magis variatur ſenſus verborum: Non enim iſta forma profertur in perſona Chriſti, ſicut forma eſt proferenda: Ità D. Thom. in 4. d. 8. q. 2. Coninch. D. 38. num. 39. Suarez, & Henriquez, locis citatis. 14 *Hæc eſt ſubſtantia mea* *D. Thom. Coninch. Suar. Henriq.*

Similiter etiam ſi dicatur: *Hoc, quod eſt panis, eſt corpus meum*: nam in his, & ſimilibus, *Vt hic panis eſt corpus meum, vel conficio corpus meum*, non efficitur conſecratio, quia mutatur ſenſus formæ, vt infrà videbitur: ſimiliter etiam ſi dicatur. *Hoc fit Corpus Chriſti, vel Corpus meum*: Nam in his, & ſimilibus mutatur verus ſenſus formæ, quæ debet eſſe in facto eſſe, & non in fieri, ideò. &c. Secundum omnes Doctores ſupra citatos, non efficitur ſacramentum. 15 *Formæ inualidæ, quæ ſint.*

Vel ſi dicatur: *Illud eſt Corpus meum, vel ſit Corpus* 16

meum,

Digitized by Google

meum, vel Hoc Corpus Chriſti, eſt Corpus meum: Idem etiam dicendum eſt, ſi omittatur omninò, Ly *Eſt*, quod eſt de eſſentia, ſiuè *Meum*, quia in huiuſmodi mutationibus eſt variatio eſſentialis formæ Conſecrationis, ideò non perficitur Sacramentum, vt patet.

17 Quartũ quæſitum. Quid ſignificent verba formæ. Quæritur quartò quid ſignificent verba huius formæ: *Hoc eſt Corpus meum*: Reſpõdetur, quod Ly (*Hoc*) eſt pronomen demonſtratiuum, ſed non demonſtrat panem, cùm panis non ſit Corpus Chriſti, niſi in vltimo inſtanti prolationis formæ: Neque ſignificat Corpus, quia ſenſus eſſet: *Hoc Corpus meum, eſt Corpus meũ*, & eſſet propoſitio identica: Ly (*Hoc*) quid ſignificet. Sed Ly (*Hoc*) ponitur indefinitè, & confuſè, & ſignificat: *Hoc contentum ſub iſtis ſpeciebus panis, eſt Corpus meum*, ideſt, *Chriſti*: Non in fieri, ſed in facto eſſe, in vltimo inſtanti prolationis verborum.

18 Ly *eſt*; Quid ſignificet. Ly (*Eſt*) ponitur ad demonſtrandam tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti in facto eſſe, & non in fieri (vt dixi) cùm tranſubſtantiatio non ſit ſucceſſiua, ſed inſtantanea, ideòque in hoc ſacramento non exprimitur perſona miniſtri conficientis, ſicut in alijs ſacramentis, eò quia ſacramentum hoc non conſiſtit in vſu, ſed dicitur, & eſt ſacramentum permanens. Vndè miniſter non habet alium actum in conficiendo ſacramento, niſi prolationem Verborum Chriſti, & applicationem ad materiam proportionatam, ſecundũ intentionem ipſius Chriſti principalis agentis, & ideò Quare dicitur Corpus meum. dicitur, *Corpus meum*, quia miniſter profert illa verba ex perſona Chriſti: At quoniam ſermo Chriſti eſt efficax, & infallibilis, ideò prolatis verbis; in vltimo inſtanti prolationis tranſubſtantiatur panis ſubſtantia Suar. Filliuc. Bonac. Henriq. in Corpus Chriſti verum, & verè eſt Sacramentum: Ità Suarez, Filliuc. & Bonac. Henriquez, alijque, locis ſuprà citat.

19 Quàpropter: Græcorum Sacerdotes eodem modo conſecrant Chriſti Corpus, cum ijſdem verbis, dicendo: τοῦτό ἐςι τὸ σῶμά μου, τὸ πρὸ ὑμῖν διδόμενον. Quod pro vobis tradetur, an ſit neceſſarium. Luc. cap. 22. ideſt, *Hoc eſt Corpus meum*, addunt tamen, *quod pro vobis tradetur*, quæ verba ſcripta ſunt in Euangelio Lucæ cap. 22. non tamen ſunt de eſſentia formæ, nam etiam ſine illis Eccleſia Latina verè Conſecrat: Vndè, & Marcus, & Mattheus illa non referunt, ideòque nõ ſunt de eſſentia, neque de præcepto Eccleſiæ, vt omnes docent communiter Theologi: Filliuc. Suar. Henriq. Bonac. Ità Filliuc. tract. 4. de Euchariſtia c. 4. nu. 105. Suar. D. 59. ſect. 2. Henriq. lib. 8. c. 16. nu. 2. Bonac. D. 4. quæſt. 3. p. 1. num. 8. alijque ſupr. citati.

DE FORMA CONSECRATIONIS Sanguinis Chriſti.

CAP. II.

1 Forma Conſecrationis Sanguinis, quæ. QVantum ad formam Conſecrationis Sanguinis Chriſti eſt communis Theologorum Sententia: Vnam, & eamdem eſſe debere apud omnes Catholicos, quantum ad ſenſum, & ſignificationem verborum, licèt in verbis, ſecundum diuerſitatem linguarum materialiter differant, & differre videantur, non tamen formaliter: Ratio huius eſt, quia verba formæ habent efficaciam ex Chriſti inſtitutione principalis agentis, ideòque ſecundum formam à Chriſto Domino inſtitutam, vna ſimpliciter, & formaliter apud omnes eſſe debet: In hoc enim omnes conueniunt, & nulla eſt controuerſia.

2 Quæ ſint verba eſſentialia huius formæ. 1. Sententia. Sed circa verba eſſentialia huius formæ duplex inter Theologos eſt ſententia: Quidam enim volunt. Omnia illa verba, quæ in Conſecratione Sanguinis ab Eccleſia Romana proferuntur; Videlicet (*Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, Noui & æterni Teſtamenti, myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*) Eſſe de eſſentia Conſecrationis Sanguinis, adeò vt ſi omnia illa non integrè proferrẽtur à Sacerdote celebrante, nulla fieret Conſecratio: Ità tenent Capreolus in 4. diſtinct. 8. quæſt. 1. artic. 3. Palud. quæſt. 3. Herueus Diſtinct. 10. quæſt. 2. Diu. Anton. 3. par. titul. 13. capitul. 15. §. 4. Sylueſt. ver. Euchariſtia 1. q. 6. Armilla. num. 14. Vigoer. cap. 16. nu. 2. in fine. Qui dicunt: Hanc eſſe opinionem D. Thom. quatenus in 3. par. quæſt. 78. art. 3. videatur dicere: Omnia illa verba eſſe ſimpliciter de ſubſtantia formæ, quamuis D. Thom. aliter intelligendus ſit, vt infrà videbitur. Capreolus. Paludan. Herueus. D. Anton. Syluester. Armill. Vigoerius. D. Thom.

Alij verò docent: Tantummodò verba illa: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel, *Hic eſt Sanguis meus*, 3 2. Sententia. eſſe de eſſentia formæ, ità quod, illis prolatis, debita cum intentione conſecrandi, ſtatim effecta ſit conſecratio, reliqua autem verba ſubſequentia, vſque ad *Ly peccatorum* incluſiuè; ſolummodò eſſe de præcepto Eccleſiæ poſitiuo, adeò vt ſi illa Sacerdos omitteret, conſecraret quidem validè, ſed mortaliter peccaret. Ità docent Alexand. de Ales. 4. part. quæſt. 33. memb. 4. artic. 1. Diu. Bonau. in 4. 2. part. D. artic. 1. quæſt. 3. alijque Scholaſtici cum Magiſtro in diſtinct. 4. Diſt. 8. Alen. D. Bonau. Magiſt.

Hæc autem opinio ſimpliciter non eſt intelligenda (vt quidam dicere videntur) quaſi non poſſe ſacerdotem vlla intentione differre conſecrationem vſque ad finem aliorum verborum. 4 Limitatur 2. ſententia.

Probatur autem hoc: Quia cùm Eccleſia ab Apoſtolis inſtructa omnibus illis verbis vtatur in conſecratione Sanguinis, tamquam forma; non eſt negandum, omnia ad effectum conſecrationis concurrere, atque adeò eſſe neceſſaria, ideò, &c. Probatur limitatio primò.

Secundò etiam probatur: quia omnia illa ſubſequẽtia adhibentur, tanquam determinationes, & modi prædicati Sanguinis ſub eodem locutionis contextu: 5 2. Probatur. Vndè celebrans eodem Ritu, & modo, ſcilicet Calicem manu tenens cuncta profert, quaſi per omnia conſecrare intendens: Quàpropter, vltimo verbo abſoluto, ſtatim adorat, ergò, &c.

Confirmatur: Nam omnia verba illa, ſiuè maior illorum pars, ab Euangeliſtis narrantur in conſecratione Sanguinis, dicta fuiſſe à Chriſto Domino, & ab omnibus Euangeliſtis ſunt collecta: ergò, &c. 6 3. Probatur.

Pro ſolutione, & intelligentia huius quæſtionis eſt notandum, quod: Licèt omnia illa ſint de ſubſtantia, & integritate formæ: Non tamen omnia ſunt de eſſentia, (vt videntur dicere DD. in prima opinione.) Sed diſtinguendum eſt: Diſcrimen eſſe inter eſſentiam, & ſubſtantiam formæ ſacramenti: Id enim dicitur de eſſentia, ſine quo nullatenus fieret conſecratio: Quod non eſt de ſubſtantia, & integritate: Aliquod enim poteſt eſſe de ſubſtantia, quod non eſt de eſſentia: Digitus enim ſiuè manus, aut pedes ſunt partes ſubſtantiales hominis, quæ dicuntur partes integrantes, non tamen ſunt eſſentiales, quia ſine illis Homo dicitur, & eſt verus homo, quo ad eſſentialia, quæ ſunt materia, & forma hominis. 7 Notandũ pro reſolutione. Diſcrimen eſt inter eſſentiã & ſubſtantiã formæ.

Dicimus ergò: Quod, Illa prima verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel *Hic eſt Sanguis meus*: Sunt abſolutè de eſſentia formæ, ità quod ſine illis non fieret conſecratio, reliqua verò ſubſequentia ſunt de ſubſtãtia, ideſt, de integritate formæ. 8 Concluſio.

Probatur autem ità: Primò illa verba in hoc Sacramento ſunt dumtaxat de eſſentia formæ, quæ ſignificant totum effectum, ideſt, totam Sacramenti eſſentiam: Ea autem ſunt illa: (*Hic eſt Sanguis meus*, vel, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*,) quæ ſignificant ipſam conuerſionem in Sanguinem, reliqua verò ſigni- 9 Probatur 1.

ficant

Digitized by Google

ficant virtutem Sanguinis, effuſi in Paſſione Chriſti, quæ operantur in hoc Sacramento: ergò, &c. Et ità intelligendus eſt D. Tho. ſuprà & hæc eſt ſententia Soti in 4. ſent. d. 11. q. 1. art. 3. Bellarm. lib. 4. de Euchariſtia cap. 14. arg. 9. Henriq. lib. 8. de Euchariſtia capit. 7. nu, 1. 2 & 3. Suarez 3. p. quæſt. 60. ſect. 1. Coninch. quæſt. 78. art. 2. d. 2.

D. Thom. Soto. Bellarm. Henriq. Suar. Coninch.

10 Secundò probatur, quia ſi quis dixerit tantum illa verba, quæ ab vnoquoque Euangeliſta referuntur valida eſſet Conſecratio, alioquin dicendum eſſet; Illos, qui non habuerunt, niſi vnum Euangelium, non habuiſſet veram Euchariſtiam, quod eſt inconueniens; Certum eſt enim Verba eſſentialia formæ ab vnoquoque Euangeliſta ſufficienter fuiſſe expreſſa, pro vt ait Bellarm. vbi ſuprà: Et Suarez, cum omnibus Theologis in quarta ſententia communiter.

Probatur 2. Quilibet Euangeliſta poſuit verba eſſentialia formę.

Bellarm. Suar.

11 Concludimus ergò; Sacerdotem proferentem verba Conſecrationis ſupra vinum in Calice, intendentem per illa verba: (*Hic eſt Sanguis meus*) vinum Conſecrare, & conſecrationem perficere, tunc in vltimo inſtanti illius verbi (*Mei*) facta eſſet vera tranſubſtantiatio: Sed Sacerdos grauiter peccaret, quia (vt dicit Soto) Inſtitutum eſt ab Eccleſia, vt per omnia verba illa fiat Conſecratio, & ideò per omnia tenetur Sacerdos intendere Conſecrare, adeò vt vſque ad finem: *In remiſſionem peccatorum*, tranſubſtantiatio perficiatur.

Reſolutio quæſtionis.

Soto.

12 Quàpropter Sacerdos habere debet intentionem per omnia verba integrantia formæ ſecundùm Eccleſiæ inſtitutionem perficere Sacramentum, quia ità cẽſentur illa omnia à Chriſto Domino prolata eſſe, quãdò ſacramentum inſtituit in vltima Cœna, prout Euãgeliſtæ teſtantur, Matt. 26. Marc. 14. & Luc. vigeſimo ſecundo.

Sacerdos debet intendere per omnia illa verba Conſecrationem efficere. Matth. c. 26. Marc. c. 14. Luc. cap. 22.

13 Et quamuis aliqua verba formæ expreſsè in Euangelio non legantur, vt ſunt illa (*Aeterni: & myſterium Fidei*) Credendum tamen eſt, quod forma verborum, prout in Canone Miſſę reperiuntur: Et à Chriſto Apoſtoli, & ab ipſis Apoſtolis eorum ſucceſſores acceperunt: Ità enim Innocentius Papa III. in cap. cum Marthæ de Celebrat. Miſſ.

Æterni Teſtamenti. & myſterii fidei, non explicatur in Euangelio. Innoc. III.

14 Quàpropter Scotus in 4. diſtinct. 8. quæſt. 2. & Gabr. diſtinct. 9. quæſt. 3. artic. 2. dubitat; An valida eſſet Conſecratio, quandò Sacerdos tantum illa priora verba, quæ eſſentialia dicuntur, & non reliqua, quæ ſequuntur vſque ad hæc; *Quotieſcumque feceritis*, diceret. Exiſtimamus tamen: Conſecrationem eſſe validam, licèt ſic conficiens mortaliter peccaret, cùm faceret contra Ritum, & Ordinationem Eccleſiæ in re graui & exponeret ſe periculo non conficiendi Sacramentum: Cùm prima opinio ſit etiam valdè probabilis.

Scoti ſententia, & Gabrielis.

Limitatur.

15 Sed modò oportet explicare: Quomodò ſint intelligenda verba huius formæ Conſecrationis Sanguinis: Quàpropter dicimus quod, Illa verba: (*Hic eſt Calix Sanguinis mei*) dupliciter poſſunt intelligi, vel ſecundum figuram, quæ dicitur Methonimia. in qua ponitur continens pro contento, vt ſit ſenſus: *Hic eſt Calix, ideſt, in hoc Calice, ſiuè vaſe continetur Sanguis meus*, pro inſtanti terminatiuo verborum, in quantum eſt potus fidelium.

Verba Conſecrationis Sanguinis quomodò intelliguntur. Hic eſt Calix: eſt figurata locutio.

16 Siuè clarius: Ly Hic, concordat cum Calice, & faciunt hunc ſenſum; *Hic Calix, ideſt, Hæc eſt potio Sanguinis mei*: Nam ſæpè vas pro potione accipitur: Ità enim intelligunt D. Thom. 3. p. quæſt. 87. artic. 3. & D. Bonau. in 4. diſt. 8. 2. p. D. art. 1. quæſt. 2. Ric. art. 3. quæſt. 2. ad ſecundum, Gabr. Lect. 52. in Can. Suar. d. 60. ſect. 2. Henriq in Sum. lib. 8. capit. 19. alijque quam plures communiter.

Calix aliquando accipitur pro potione. D. Thom. D. Bonau. Riccard. Gabriel. Suar. Henriq.

17 Secundò modò poteſt etiam intelligi ſecundum metaphoram, vt pro Calice Paſſio Chriſti intelligatur, quæ ad ſimilitudinem Calicis inebriat, quapropter ipſe Dominus dixit filijs Zebedæi: *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* Ideſt, paſſionem meam, quæ pro Calice ſignificatur ſecundum omnes expoſitores Euangelij: Vndè eſt ſenſus: *Hic eſt Calix, ideſt, meæ Paſſionis, in qua effundendus eſt Sanguis meus, vel Hic eſt Sanguis Paſſionis meæ*, quæ pro Calice ſignificatur, de qua fit mentio in hac forma, quæ per ſeparationem, & ſeparatam vini Conſecrationem ſignificantur, prout docet idem D. Thom. q. 78. A. 3. ad primum, cum alijs multis.

2. Expoſitio per metaphoram.

D. Thom.

18 Sed maior difficultas eſt ad intelligenda verba illa Euangelij Lucæ dicentis: *Hic Calix nouum Teſtamentum eſt in Sanguine meo;* Dicimus tamen breuiter: Eſſe figuratam locutionem, in qua ponitur (vt dixi) continens pro contento, & continens ponitur in recto, & & contentum in obliquo, adeò vt ſit ſenſus: *In hoc Calice eſt Sanguis meus noui teſtamenti*: Ità Suarez vbi ſupra.

Verba Euangelij Lucæ quomodò intelligenda.

Suar.

19 *Noui, & æterni Teſtamenti*, ideſt, Sanguinis mei, quo Sanguine firmatum eſt nouum Teſtamentum, ideſt, æterna hæreditas per Sanguinem Ieſu Chriſti, ſecundum illud D. Pauli ad Hebræos, capit. 9. dicentis: *Ideò Noui Teſtamenti mediator eſt, ſcilicet Chriſtus Dominus, vt morte intercedente repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*: Ità Henriq. libr. 8. capit. 19. numero quinto, Suarez diſtinct. 60. ſect. 2. aliſque.

Noui, & æterni Teſtamenti. Ad Hebræos cap. 9.

Henriq. Suar.

20 *Nouum*, ideſt, vltimum: *Aeternum*, ideſt, perpetuũ prout explicat Innocentius in d. cap. Cum Marthæ de Celebrat. Miſſ. *Myſterium Fidei*, quia in hoc Sacramento includitur vnum ex reconditiſſimis myſterijs noſtræ Fidei: Ità Coninch. q. 78. art. 2. d. 2. num. 53. In eo enim ponitur res valdè arcana, quam nec ſenſu, nec intellectu poſſumus vllo modo naturaliter comprehendere, ſed ſola fide eam debemus credere, nam aliud cernitur, & aliud creditur: Quàpropter canit Eccleſia: *Quod non capis, quod non vides animoſa firmat fides præter rerum ordinem*, c. Cum Marthæ de Celebrat. Miſſar. §. Diſtinguendum.

Nouum, ideſt æternum. Myſterium Fidei. Coninch.

D. Thom.

21 *Qui pro vobis, & pro multis*, ideſt, pro vobis Apoſtolis electis, & pro multis prædeſtinatis efficaciter effundetur in remiſſionem peccatorum; vel ſecundò *pro vobis*, ideſt, præſentibus, & *pro multis*, ideſt, omnibus: Nam, & omnes dicuntur multi, ſufficienter effundetur: Et ſic in hoc ſenſu dicebat Chriſtus, etiam pro Iuda, qui erat præſens, quia Sanguis Chriſti ſufficienter etiam pro non prædeſtinatis effuſus eſt, non autem pro illis efficaciter; vel tertiò, *Pro vobis Sacerdotibus, offerentibus, & pro multis*, ideſt, omnibus, & laicis ſumentibus: *Vel pro vobis Iudæis*, ea quibus erant Apoſtoli, *Et pro multis*, ideſt, Gentibus, ex quibus maior Eccleſiæ pars erat congreganda; Ità Henriquez c. 17. 18. & 19. Suarez D. 60. ſect. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 4. c. 4. num. 19.

Pro vobis, & pro multis.

1. Expoſitio.

2. Expoſitio.

3. Expoſitio.

4. Expoſitio. Henriq. Suar. Filliuc.

22 Vltimò tandem dicimus, quod: Verba formæ conſecrationis, tam corporis, quàm Sanguinis debent à Sacerdote maxima attentione, ac deuotione proferri ſuper debitam materiam præſentem, non ſolum recitatiuè, verum, & formaliter cum intentione conſecrandi eo modo, ſicut de conſecratione Corporis dictum eſt: Quàptopter, ſi in verbis formæ eſſet mutatio eſſentialis, adeò vt varietur ſenſus verborum, quò ad eſſentialia: Nullum eſſet Sacramentum.

Verba Conſecrationis debent proferri attentè, ac deuotè.

23 Si verò mutatio eſſet leuis, adeò vt adhuc remaneret ſenſus verborum eſſentialis, eſſet quidem validum Sacramentum eo modo, vt de Conſecratione Corporis dictum eſt: Vndè exiſtimo, quod ſi quis dixerit, (*Hoc*

Mutatio leuis, & accidentalis non vitiat ſacramentum.

Digitized by Google

(*Hoc eſt Sanguis meus, ſiuè meum*) valida eſſet conſecratio, quia eſſet error grammaticalis, & non eſſentialis: Quapropter Græcorum Sacerdotes ſolummodò dicunt in Conſecratione Calicis: *Τῦτο ἐςὶ τὸ αἷμα μου, καὶ τῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.*

Forma Græcorum in conſecratione Sanguinis.

24 *Hic eſt Sanguis meus, & hæc facite in meam commemorationem:* Et tamen verè conficiunt ſacramentum, quamuis non proferant reliqua verba formæ, vt *Noui, & æterni*; Similiter etiam dicimus, ſi quis dixerit formam illam Euang. Luc. *Hic Calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*: Quia intelligitur eo modo, quo ſupra explicatum eſt: Verum eſt tamen, quod taliter conficiens mortaliter peccaret, eò quod faceret contra ritum, & ordinationem Eccleſiæ Latinæ in re graui: Et hæc de forma Sacramenti Sanguinis ſufficiant: Reſtat modo explicandum; Quid efficiatur ex vi verborum, & quid per concomitantiam, de quibus in ſequentibus.

Verba Euangelij Lucæ, an ſint ſufficientia.

QVID EFFICIATVR IN HOC SAcramento ex vi verborum, & quid per Concomitantiam.

CAP. III.

1 Efficatia verborũ formæ.

Prolatis verbis conſecrationis in vltimo inſtanti immediatè per diuinam virtutem ex pacto facto à Diuino Verbo Incarnato cum Eccleſia efficitur, & veraciter fit tranſubſtantiatio panis, vel vini in Corpus, & Sanguinem Domini Noſtri Ieſu Chriſti: Ita enim docet ſacrum Concil. Trident. Seſſ. 7. capitul. 3. & eſt communis ſententia omnium Theologorum in quarto libr. ſentent. diſtinct. 8. ſed ſub ſpeciebus panis ex vi verborum tantùm ponitur Corpus Chriſti, quod primariò per verba formæ ſignificatur, & in quod ſubſtantia panis præexiſtens conuertitur; Ergò, &c.

Concil. Trid.

Quid efficiatur ex vi verborum.

2 Nomine Corporis intelligitur totum Corpus organizatum, conſtans ex partibus Etherogenijs, ideſt diuerſæ rationis, vt carne, oſſibus, & neruis, brachijs, pedibus; ſiuè illud ſit viuum, ſiuè mortuum: Vndè ſi quis Apoſtolorum in illo triduo mortis Chriſti conſecraſſet, & ſuper debitam materiam cum intentione conſecrandi formam pronuntiaſſet, verè confeciſſet Sacramentum Euchariſtiæ: Sed tunc ſub illis ſpeciebus non fuiſſet Corpus Chriſti viuum, ſed mortuum, & per conſequens ſine Sanguine: Quia tunc Sanguis Chriſti ſeparatus erat è Corpore, vt ſupponitur: ſed non ſine diuinitate, quia quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit, ſecundùm omnes Theologos.

Nomine Corporis quid intelligatur.
In triduo mortis Chriſti, quid eſſet in Euchariſt. ex vi verborum.

3 Similiter etiam dicimus: Si tunc conſecraſſet Sanguinem poſtquam Chriſtus Dominus totum iam effuderat Sanguinem. Adfuiſſet quidem ſub ſpeciebus vini conſecrati totus Sanguis Chriſti, vnitus Diuino Verbo; Corpus verò Chriſti non adfuiſſet, quia tunc Corpus erat ſine Sanguine.

Quid in ſanguine.

4 Si verò conſecraſſet antequam apertum eſſet Chriſti latus, tunc in ſanguine conſecrato eſſet etiam Corpus per concomitantiam, & in corpore eſſet etiam Sanguis, quia in illo tunc iſta duo erant vnita ſimul; Anima autem non adfuiſſet, quia iam erat ſeparata: Ità Coninch. quæſt. 76. art. 1. nu. 5. Nugn. ibidem difficult. prima art. 2. Henriq. lib. 8. cap. 17. nu. 1. Tolet. lib. 2. c. 27. nu. 4. Soto D. 10. q. 1. art. 1. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 3. p. 5. num. 11, Franc. à Victor. de Euchariſtia, nu. 63. alijque.

Quid antequam eſſet apertum latus Chriſti.
Coninch. Nugn. Henriq. Tolet. Bonac. Victoria.

5 Dico ſecundò Corpus Chriſti, quod modò ſub ſpeciebus panis poſt Chriſti reſurrectionem ex vi verborum ponitur eſſe Corpus eiuſdem Chriſti viuum, Anima informatum, ſimul cum Sanguine, & humoribus, ac cæteris partibus, non ſolùm pertinentibus ad ſubſtantiam, verum etiam pertinentibus ad ornatum Corporis Chriſti, vt ſunt vngues, capilli: Imò Theologi etiam exiſtimant eſſe etiam ſub illis ſpeciebus aerem, quem ſolet homo reſpirare, & quo replentur venæ: Hoc enim videtur ſpectare ad perfectionem corporis humani viuentis: Ità D. Thom. q. 76 art. 1. ad tertium Coninch. ibidem num. 2. Henriq. cap. 26. num. 1. Saliua verò, & ſi quæ alia per nutritionem in cinerem redacta ſunt, nõ inueniuntur in hoc Sacramento, quia non ſunt coniuncta cum Chriſti Corpore, Bonac. ſupr. num. 12.

In Euchariſtia modò eſt anima, Corpus, & Sanguis, cũ omnibus pertinentibus ad vitam: cum ipſa Diuinitate.
D. Thom. Coninch. Henriq.
De ſaliua, & alijs humoribus.
Bonac.

6 Similiter etiam dicimus, quod ſub ſpeciebus vini conſecrati ex vi verborum adeſt Chriſti Sanguis, dicitur enim: (*Hic eſt Sanguis meus.*) Ideò efficitur ex vi verborum, quod ſignificatur: Attamen, quia modo Chriſtus Dominus non habet ſanguinem ſeparatum à Corpore, ideò per concomitantiam etiam ſub ſpeciebus Sanguinis conſecrati adeſt totum Chriſti Corpus cum omnibus pertinentibus ad ipſum eo modo, ſicut nunc eſt in Cœlo, ſimul cum Anima, ac diuinitate, quæ per hypoſtaſim eſt vnita Corpori, & Animæ Chriſti, quæ omnia per concomitantiam in qualibet ſpecie conſecrata inueniuntur, ſpeciali tamẽ modo eſt ipſum Diuinum Verbum propter vnionem hypoſtaticam cum humana natura in Chriſto, quia quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit: Ità docent Henriq. lib. 8. c. 26. nu. 2. Regin. lib. 29. nu. 37. & omnes Theologi ſupra citati.

Quid adeſt in Sanguine ex vi verborum. Quid per concomitantiã.
Diuinum verbum ſpecialiter eſt in Euchariſtia.
Henriq. Reginald.

7 Dico 3. Totam Sanctiſſimam Trinitatẽ, Patrẽ Vid. Verbum, & Spiritum Sanctum eſſe concomitanter in hoc diuino Sacramento, tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpeciebus vini conſecrati: Sed magis præcipuè, & immediatè eſſe Diuinum Verbum, cui natura humana hypoſtaticè eſt vnita: Ratio huius eſt, quia in hoc Sacramento veraciter eſt Chriſti humanitas, ſubſtentata à Diuino ſuppoſito, quod ideotificatur cum Patre, & Spiritu Sancto, ideòque ſequitur neceſſariò; In hoc Sacramento adeſſe Patrem, & Spiritum Sanctum, ſed magis propriè immediatè adeſſe filium ratione vnionis cum corpore, quod ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento: propterea filius dicitur incarnatus, dicitur paſſus: Et quandò Euchariſtiam ſumimus dicitur: Nos ſub illis ſpeciebus comedere, & ſumere Chriſtum Dominum: Ità omnes Theologi in materia de Euchariſtia Coninch. q. 76. A. 2. nu. 30. Henriq. lib. 8. c. 26. nu. 3. Nugn, in 3. p. q. 76. A. 1. diffic. 3. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 3. p. 5. nu. 15. alijque.

Tota Sanctiſſima Trinitas per concomitantiã adeſt.
Magis propriè adeſt filius Incarnatus.
Chameron. Henriq. Nugn. Bonac.

8 Concludimos ergò breuiter quod: ſub ſpeciebus panis ex vi verborum adeſt Corpus Chriſti, & per concomitantiam ſanguis, & Anima cum diuinitate, ſicut modo eſt in Cœlo, & ſub ſpeciebus vini ex vi verborum adeſt Chriſti ſanguis, & per concomitantiam adeſt etiam Corpus cum Anima, ac Diuinitas eo modo, ſicut ſupra explicatum eſt plenius: Ità omnes Theologi ſupra citari quibus addo Graff. p. 1. deciſ. libr. 2. cap. 38. num. 9. Angles de Euchariſtia quæſt. 4. Art. 2. Vaſq. 3. par. Diſtioct. 2. cap. 3. Valentia tom. 4. diſtin. 6. p. 2. Philiarcum 2. p. l. 1. cap. 26.

Graffius. Angelus. Vaſquez. Valentia. Philiarcus.

(∴)

TRACTATVS X.
De Sacramentis.

Et de SS. Euchariſtiæ Sacramento.
Tract. IV.

PROOEMIVM.

HActenus de eſſentia, & quiditate, Inſtitutione, Neceſſitate, Vnitate ipſius Euchariſtiæ Sacramenti: Nec non, & de partibus eſſentialibus, intrinſecè componentibus, quæ ſunt materia, & forma conſecrationis vtriuſq; ſpeciei tractauimus; Quartum modò in ordine inſtituimus tractatum, in quo de ſpeciebus conſecratis, quæ ſe habent tanquam materia proxima iſtius Sacramenti eſt agenaũ. Ideòque: Primò eſt dicendum de modo conuerſionis panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, & de modo, quo Chriſtus eſt in Sacramento. Secundò: An quando miraculosè videtur Hoſtia conſecrata, conuerſa in carnem, ſiuè Sanguinem, ſiuè in puerum, ſit ne illa vera Chriſti caro, vel ſanguis, vel ipſemet Chriſtus viſibiliter apparens? Tertiò de modo huius conuerſionis, ſiuè tranſubſtantiationis, & quid ſit iſta tranſubſtantiatio. Quartò: Quomodò deſinat eſſe ſubſtantia panis, & vini ſub ſpeciebus conſecratis. Quintò: Quomodò vniantur ipſa ſpecies conſecrata cum Corpore Chriſti, & quomodò Chriſtus ibi ſit præſens. Sextò: An quando corrumpuntur ſpecies conſecrata deſinat ibi eſſe Corpus Chriſti, & quomodò, & vndè poſſunt generari vermes? Septimò: An ſpecies conſecratæ miſceantur cum alijs non conſecratis?

Materia proxima Sacramenti Euchariſtiæ quæ.
Diuiſio tractatus.

DE CHRISTI REALI PRAESENTIA in Euchariſtia.

CAP. I.

1 QVoniam Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, non conſiſtit in vſu, ſicut & cætera, ſed dicitur, & eſt Sacramentum permanens: Nam peracta conſecratione, remanent ſpecies conſecratæ, & ſub illis modo ineffabili eſt verum corpus, & Sanguis Chriſti Ieſu: Ideò in hoc Almo Sacramento non aſſignatur materia proxima, ſicut in reliquis Sacramentis, in quibus propinqua materia eſt vſus, & applicatio illius remotæ materiæ ad actum Sacramenti.

Quare in hoc Sacramento non aſſignatur materia proxima, ſicut in cæteris.

2 Quapropter communiter dicitur; Materiam proximam Sacramenti huius eſſe ſpecies ipſas conſecratas, quæ per Diuinam virtutem, peracta conſecratione, remanent per ſe abſque ſubiecto ſubſtantiali, ſub quibus modo ineffabili continetur, & adeſt verum Chriſti Corpus, & Sanguis eo modo, quo eſt in Cœlo per conuerſionem, ſiuè tranſubſtantiationem, panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Ieſu Chriſti.

Materia proxima ſunt ſpecies conſecratæ.

3 Quę quidem conuerſio eſt adeò ineffabilis, & admirabilis, vt nulla humana ratione, vel intellectu creato naturali lumine poſſit comprehendi, ſed ſola fide reuelata, quæ fundatur in ipſa veritate infallibili, quæ licèt ſit *Argumentum rerum ſperandarum non apparentium*, eſt tamen ſcientiarum omnium certiſſima, cùm fundata ſit in auctoritate diuinæ ſcripturæ Deo ipſo reuelante: Quapropter de admirabili hoc præſtantiſſimo Sacramento canit Eccleſia: *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem.*

Conuerſio Sacramentalis eſt ineffabilis. Fundata eſt in fide certiſſima.

4 Quapropter Hæretici, qui Sacramentarij sũt appellati turpiter errauerunt, qui proprio intellectu confidentes, errauerunt ab vero, ideſt à lege, ideòque loquuti ſunt falſa, negantes Chriſti realem præſentiam eſſe in Euchariſtia; Moti fortiſan illo philoſophico fundamento: *Nullum corpus poſſe eſſe ſimul in pluribus locis*, cùm nec Angelo hoc conueniat; Nam ità Angelus eſt hic, quod in eodem inſtanti non ſit alibi: Cùm ergò Corpus Chriſti modò ſit in Cœlo, ſequitur ſecundùm ipſos, quod non poſſit eſſe ſimul in pluribus locis: Ideòque dicunt Hæretici: Chriſtum in Euchariſtia eſſe tamquam in ſigno, non autem realiter, & præſentialiter.

Sacramentarij hæretici turpiter errauerunt. In quo fundatur Hæreticorum error.

Nos autem ſecundùm veritatem Catholicæ fidei ponimus noſtram concluſionem primam contra ipſos Hæreticos, dicentes. 5

In almo Sancta Eccleſiæ Sacramento Euchariſtiæ, poſt panis, & vini conſecrationem; Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum, atque hominem verè, & realiter, atque ſubſtantialiter contineri ſub vtraque ſpecie: Licèt enim ex vi verborũ ſub ſpecie panis adſit Corpus Chriſti eo modo, quo eſt in Cœlo, & ſub ſpecie vini adſit Sanguis Chriſti, per concomitantiam tamen etiam in ſanguine adeſt Corpus Chriſti viuum, & in Corpore adeſt ſanguis eiuſdem Chriſti vnitus Corpori, ſimul cũ Anima, ac Diuinitate, cum qua ipſum Diuinum Verbum hypoſtaticè eſt vnitum, vt ſupra in præcedenti tractatu explicatum eſt.

Concluſio catholica contra Hæreticos.

Hæc concluſio eſt de fide expreſsè determinata per Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. & patet ex communi conſenſu omnium Theologorum, vt videre eſt apud Suarez tom. 3. D. 46. ſect. 2. & 3. patet etiam ex illa veritate infallibili Chriſti Ieſu, dicentis. *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus*, non dixit in ſigno, ſed realiter, & ſubſtantialiter, ideò ſubiunxit: *Quod pro vobis tradetur*, & de Sanguine dixit: *Qui pro vobis effundetur:* ſed Corpus Chriſti verè, & realiter fuit traditum pro nobis, & verus ſanguis eius fuit effuſus realiter, & non in ſigno, ergò ibi realiter eſt verum Corpus, & Sanguis Chriſti, ipſe enim dixit, & factum eſt, ipſe mandauit, & tranſubſtantiatum eſt. 6

Probatur cõcluſio. Concil. Trid. Suar.
Argumentũ indiſſolubile ſecundum fidem.

Nec implicat repugnantiam: Chriſtum Dominum eſſe in Cœlo in dextera Dei Patris iuxta modum exiſtendi naturalem, & eſſe ſimul in alijs locis Sacramentaliter; vt omnes rectè ſentientes Theologi fatentur (prout inquit Trid. loc. cit.) Neque implicat per Diuinam potentiam: Vnum, & idem Corpus poſſe eſſe ſimul in pluribus locis, non ſolùm Sacramentaliter, verùm etiam localiter, vt concedunt Coninch. quæſt. 75. A. 4. diſt. 3. Suarez D. 48. ſect. 4. Bellarm. lib. 3. cap. 3. & Scotus in 4. d. 10. quæſt. 2. cum omnibus ſuis aſſeclis, quamuis Thomiſtæ hoc non admittant, quod Videl. (idem Corpus poſſit eſſe per Diuinam potentiam in pluribus locis ſimul) concedunt tamen Sacramentaliter, ideò: &c. 7

℟. ad fundamentum Hæreticorum.
Concil. Trid.
Coninch. Suar. Bellarm. Scotus.

Nec valet dicere, quod ſi Chriſtus realiter exiſteret ſub ſpeciebus conſecratis, ſubiaceret fœditatibus, quibus ſubiacent, ea quæ per os hominum tranſmittuntur in ventrem. 8

℟. tacitæ obiectioni.

Reſpondetur negando conſequentiam: Non enim poteſt fœdari, ſicut fœdantur ſpecies, alioquin idem dicendum eſſet de Deo, exiſtente in quolibet loco, & de Anima rationali, exiſtente tota in toto, & tota in qualibet Corporis parte, Nam Chriſtus Dominus exiſtit in Sacramento modo Sacramentali, & indiuiſibiliter, & per modum ſubſtantiæ ſpiritualis. ideò &c.

Chriſtus exiſtens in Euchariſtia non poteſt fœdari & quare.

Sed difficultas eſt explicare: Quomodo Chriſtus realiter exiſtat ſub ſpeciebus conſecratis: An Videlicet habeat ibi ſuam quantitatem, & qualitates eo modo, quo eſt in Cœlo, & quomodo ibi poſſit exiſtere: Vndè 9

Quomodò Chriſtus exiſtat ſub ſpeciebus conſecratis.

Digitized by Google

Vndè pro intelligentia, ſecundam ponimus concluſionem reſponſiuam, dicentes:

10 Secunda Concluſio.

In Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento exiſtit totus Chriſtus eo modo, quo eſt in Cœlo, non ſolum, quò ad ſubſtantiam, verum etiam, quo ad accidentia: Videlicet quò ad qualitatem, & quantitatem, & non modò ſub qualibet ſpecie, verum etiam ſub qualibet parte ſpecierum, adeò vt ſit totus in tota, & totus in qualibet ipſius parte, ſecundum illud Diu. Thom. quod canit Eccleſia dicens: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur:* Ratio huius eſt, quia Chriſtus in hoc Sacramento non exiſtit modo quantitatiuo, ſed modo quodam admirabili, & ineffabili per modum ſubſtantiæ ſpiritualis, ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam, quantitatem, & qualitates cum omnibus membris, eo modo, quo eſt in Cœlo ſecundùm totam ſuam quantitatem, & qualitatem: Exiſtit enim Chriſtus in Euchariſtia non modo quantitatiuo, ſiuè per extenſionem partium in ordine ad locum, ſed in ordine ad ſe.

Chriſtus in Sacramento eſt totus in toto, & totus in qualibet parte.

Chriſtus non exiſtit modo quantitatiuo, ſed Sacramentali.

Quomodo exiſtat in ordine ad ſe.

11 Duplex eſt munus quantitatis. Scotus.

Duplex eſt enim munus, ſiuè officium quantitatis, prout docet Scotus in 4. diſt. 10. q. 2. Art. 2. & cum eo concordat etiam D. Thom. 3. p. q. 76. A. 3. ad primum. Primum enim eſt ordo partium in toto ideſt extenſio partis extra partem in ipſo toto, eaſque inter ſe ordinare, & hoc modo dicitur Chriſtus eſſe in Sacramento, ſecundum ſuam ſubſtantiam, & quantitatem, quatenus partes corporis non confunduntur ad inuicem, ſed vnumquodque habet ſuum locum, & ordinem, & diſtinctionem ab alijs: Chriſtus enim, exiſtens ſub ſpeciebus habet caput, diſtinctum ab humeris, brachia à pedibus, & talis vocatur à Scoto: *Poſitio de genere quantitatis*, quæ inſeparabilis eſt ab ipſa, cùm ſit de intrinſeca ratione quantitatis.

1. eſt ordo partium in toto. D. Thom.

Poſitio de genere quantitatis.

12 2. Munus eſt Cõmenſuratio partiũ ad partes loci.

Secundum munus, ſiuè officium quantitatis eſt extendere ſubiectum in corporis partes per ordinem ad locum; Ità vt vna pars non ſit in eo loco, in quo eſt alia, ſed vnaquæque ſit in diuerſis locis, & iſta dicitur: *Commenſuratio partium ad partes loci*, quæ appellatur à Scoto: *Poſitio de prædicamento Situs*, & iſto modo Chriſtus non exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis, non enim exiſtit in illis modo quantitatiuo, ſed modo Sacramentali per modum ſubſtantiæ ſpiritualis, ideòque Corpus Chriſti licèt in ſe ſit quantum, non tamen occupat locum, ideòque partes Corporis Chriſti realiter ſunt in Euchariſtia, quia exiſtentia Chriſti in ordine ad locum poteſt per Diuinam potentiam ſeparari ab ipſo quanto.

Poſitio de Prædicamento Situs.

13 Chriſtus in Sacramento habet quantitatem in ordine ad ſe nõ ad locum.

Quàpropter: Chriſtus in Euchariſtia habet ſuam quantitatem in ordine ad ſe, non tamen in ordine ad locum, ideòque partes Corporis Chriſti non extenduntur in ipſa hoſtia, neque commenſurãtur in partibus hoſtiæ. Vndè non eſt inuenire in ipſo Sacramento differentias poſitionis ſitus, ideòque quocumque modo vertatur hoſtia conſecrata, ſiuè ſurſum, ſiuè deorſum, &c. non ideò caput eſt inferius, & pedes ſunt ſuperius: &c. Quia ordo iſte ad locum, ſiuè ſitum non eſt in Chriſto exiſtente in Euchariſtia; quàpropter maior quantitas poteſt ſtare cum minori, imò totus Chriſtus eſt totaliter in quolibet minimo fragmento: prout docent Theologi: vt Coninch. q. 76. A. 4. nu. 66. & q. 77. A. 2. nu. 38. Regin. lib. 29. nu. 37. Henriquez lib. 8. c. 25. nu. 2. Tolet. lib. 2. c. 17. in ſumma Scotus, & D. Tho. cum omnibus ſuis, locis ſupra citatis.

Coninch. Reginald. Henriq. Tolet. Scoto. D. Thom.

14 Quæ prædicata poſſunt prædicari de Chriſto in Sacramento.

Hinc infero primò: Illa prædicata, quæ conueniunt, & concernunt purum motum ſpecierum, vt exiſtentium in loco verificari etiam poſſe, & prædicari de corpore Chriſti denominatiuè: Vndè dicimus: Corpus Chriſti eſſe in Sacramento, eſſe ſurſum, eſſe deorſum: In templo, in altari, in foro, &c. Deferri ad infirmum, ore ſumi, manducari, porrigi, traijci in ſtomachum, & ſimilia, ſicut ipſæ ſpecies dicuntur eſſe ſurſum, deorſum &c.

Ratio huius eſt, quia Chriſtus continetur ſub illis ſpeciebus, illiſque præſens eſt veraciter: Moto autem continente, dicitur etiam per accidens moueri contentum, ſecundum illud Ariſt. 2. Ethycorum: *Motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis:* Ità D. Tho. 3. p. q. 76. A. 6. Coninch. ibi nu. 80. Henriq. lib. 8. c. 20. nu. 5. & c. 27. nu. 4. Suar. D. 47. ſect. 4. & D. 53. ſect. 1. Bellarm. to. 3. lib. 3. de Euchariſtia c. 52. Bonac. to. 1. D. 4. q. 4. & D. 5. q. 3. p. 5. nu. 6. & alij. 15

Ratio aſſertionis. Moto continente mouetur & contentum. Motis nobis mouentur ea quæ ſunt in nobis. Ariſt. D. Thom. Coninch. Henriq. Suar. Bellarm.

Secundò infero: Prædicata illa, quæ oſtẽdunt actionem, & paſſionem ſpecierum non poſſe verificari de corpore Chriſti, ſecundùm proprium loquendi modum, cùm non exiſtat ſub illis ſpeciebus modo quantitatiuo, & per extenſionem; Poſſent tamen verificari impropriè, ſecundum denominationem extrinſecam illarum ſpecierũ: Quàpropter dici ſolet: Corpus Chriſti frangi, videri, tangi, manducari, bibi, &c. non propriè. quia Corpus Chriſti non frangitur, neque videtur, aut tangitur, ſed dicuntur iſta per denominationem extrinſecam, quatenus frãguntur ſpecies conſecratæ, videntur, tanguntur, &c. Ità Regin. d. lib. 29. nu. 38. D. Tho. 3. p. q. 76. A. 7. Suarez, Bellarm. Henriq. alijque locis ſupra citatis. 16

Prædicata, quæ prædicãtur denominatiuè per denominationẽ extrinſecam.

Reginald. D. Thom. Suar. Henriq.

Tertiò infero: Illa prædicata, quæ dicuntur, & ſunt propria abſoluta ſpecierum non poſſe aliquo modo prædicari de corpore Chriſti: Quàpropter quando ſpecies dicuntur albæ, rotundæ, molles, liquidæ, calidæ, frigidæ, corrumpi, fœdari, non poſſe vllo modo iſta prædicata dici de Chriſti corpore: Nam huiuſmodi prædicata ſupponunt pro ipſamet quantitate panis relicta, quæ tanquam ſubiectum cæterarum accidentium, denominatur alba, rotunda &c. Non ſupponunt autem pro Chriſti corpore, contento ſub illis ſpeciebus, quod non eſt album, rotundum, &c. Ità docent Henriquez lib. 8. c. 20. nu. 5. Bonac. ſupra num. 8. alijque. 17

Quæ prædicata dici nõ poſſunt de Corpore Chriſti.

Henriq. Bonac.

Sed poſſet hic quærere aliquis curioſus, dicendo: Quomodò in tam parua quantitate hoſtiæ, vel vnius parui fragmenti poteſt quantitas Chriſti ad minus ſeptem palmorum longitudinis cõtineri: Chriſtus enim in Cœlo habet partes ſuas organicas, determinatè diſtinctas, & quælibet pars habet ſuum proprium locum: aliter enim oculi eſſent in pedibus, & manus in capite, & ſic daretur confuſio, cùm in parua quantitate hoſtiæ, partes organicæ aſſignari non poſſint; Quomodò ergò, habet iſtam quantitatem, & partes. 18

Difficultas, Quomodò totus Chriſtus poſſit eſſe in paruo fragmento.

Reſpondetur, verum eſſe: Corpus Chriſti habere partes organicas, & diſtinctas per ſuas dimenſiones, ſed hoc eſt in corpore, exiſtente in Cœlo ſecundum propriam ſpeciem: ſed Corpus Chriſti, prout eſt in Sacramento habet partes organicas, non ſecundùm poſitionem partium, ſed ſecundùm ſubſtantiam, ità quod ſubſtantialiter, & per modum ſubſtantiæ ſpiritualis omnes partes organicæ ſunt in hoc Sacramento, non autem ſecundùm propriam dimenſionem loci, & quãtitatis ſitus, & ità poſſunt eſſe tam in magna, quàm in minima quantitate hoſtiæ. 19

Solutio difficultatis.

Hinc ſequitur primò: Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento non poſſe facere operationes phyſicas, neque actiuas, neque paſſiuas, ideſt non poteſt efficere aliquod in aliud corpus, nec poteſt recipere aliquod ab alio agente ideſt non poteſt calefacere, nec calefieri: Ratio huius eſt, quia res aliqua in tantum agit, vel patitur, in quantum habet modum exiſtendi quantitatiuum: Nam res in tantum agit, in quantum 20

1. Inferentia. Chriſtus in Sacramento nõ poteſt facere operationes phyſicas. Aſſignatur ratio.

habet contactum cum patiente, ſed Corpus Chtiſti, prout eſt in Sacramento non habet modum eſſendi quantitatiuum, ergo non habet contactum cum patiente, ergò non poteſt agere, nec pati.

3. Ratio.

21 Deindè operatio phyſica, ſiuè actiua, ſiuè paſſiua fit modo naturali, & phyſico ideſt ſucceſſiuè; ſed Corpus Chriſti in Sacramento eſt tantùm indiuiſibiliter præſens, ergò non operatur ſucceſſiuè, ergò non poteſt facere, nec recipere operationes phyſicas: Ità Coninch. quæſt. 76. A. 6. numer. 94. Suarez D. 52. ſect. 2. & 3. alijque.

Coninch. Suar.

22 Secundò ſequitur, quod: Partes organicæ Corporis Chriſti, puta oculi, lingua, manus, pedes, prout ſunt in hoc Sacramento non poſſunt facere operationes ad inuicem inter ſe. Ratio huius eſt, quia omnes iſtæ partes ſunt indiuiſibiliter præſentes, & non ſunt per modum loci, ſed ſubſtantialiter, ideſt per modum ſubſtantiæ, vt dixi: ideò &c. non poſſunt facere operationes phyſicas ad inuicem.

2. Infetentia. Neque operationes ad inuicem. Aſſignatur ratio.

23 Hinc etiam ſequitur, quòd oculus Chriſti, prout eſt in Sacramento non videt, quia non habet poſitionem quantitatiuam, ſed eſt per modum ſubſtantiæ, tum, quia ſenſus exteriores Corporis Chriſti, prout ſunt in Sacramento non recipiunt ſpecies rerum obiectarum, quia non agunt modo naturali per ſucceſſionem, cùm ſint indiuiſibilitet præſentes, vt ſupra iam dictum eſt.

Oculus Chriſti pro vt eſt in Sacramento non videt, & quare.

24 Tertiò, ſequitur: Intellectum Chriſti, prout eſt in Sacramento, non poſſe facere operationes immanentes, ideſt ſpeculationes, & intellectiones. Ratio eſt, quia intellectus non poteſt naturaliter intelligere, nec vti ſpeciebus, quas in memoria tenet, niſi conuertatur ad phantaſmata: Nam, vt ait Ariſtoteles, *Intelligentem oportet phantaſmata ſpeculari, cum nihil poſſit eſſe in Intellectu, quin prius fuerit in ſenſu:* ſed ſenſus exteriores Chriſti non exercentur in hoc Sacramento, vt diximus ſupra: Quapropter ſenſus communis non percipit ſpecies ſenſibiles, ergò phantaſia non facit phantaſmata; ergò intellectus non facit ſpecies intelligibiles, ergò non producit intellectiones rerum: Ità docent Suarez ibi, & Diſt. 52. ſect. 3. Scotus in 4. d. 10. quæſt. 3. & Diu. Thomas 3. p. quæſt. 76. Art. 7.

Intellectus Chriſti in Sacramento nō facit operationes immanentes, & quare. Ariſt. Intelligētem oportet phantaſmata ſpeculari. Suar. Scot. D. Thom.

25 Verum tamen eſt, quod: Intellectus Chriſti, poteſt vti ſpeciebus infuſis, quia non habent reſpectum ad ſenſus exteriores: quemadmodum Animæ ſeparatæ, & Angeli in Cœlo modò intelligunt, & producunt intellectiones per ſpecies infuſas, vel alias acquiſitas: Ità Scotus, & Diu. Thomas, & Suarez, locis ſupra citatis.

Poteſt intelligere per ſpecies infuſas. Suar. D. Thom. Scot.

26 Quartò etiam ſequitur ex præmiſſis, quod: oculus corporalis etiam glorificatus non poteſt videre Corpus Chriſti ſub Sacramento, eo quia omne corpus, ideò eſt viſibile, quia accidentia ipſius immutant medium: ſed accidentia Corporis Chriſti in hoc Sacramento non poſſunt immutare medium, cùm non ſint extenſiuè in loco, ſed per modum ſubſtantiæ ſpiritualis, idcòque naturaliter non poteſt videri oculis corporalibus, niſi miraculosè ergò &c. Ideò à ſolo Intellectu, qui eſt oculus mentis per fidem percipi poteſt: Ità docent Coninch. q. 76. A. 7. nu. 106. Diu. Thom. 3. p. q. 76. A. 7. Scotus in 4. diſtinct. 10. quæſt. 3. & Bonacina, cum alijs ſupra citatis in materia de Euchariſtia.

Oculus corporalis etiā glorificatus non poteſt Chriſtum videre in Euchariſtia. Coninch. D. Thom. Scot. Bonac.

AN QVANDO MIRACVLOSE IN Euchariſtia, videtur caro, ſiuè Sanguis, ſiuè Puer, ſit ibi verè caro, & Sanguis Chriſti.

CAP. II.

1 QVoniam legimus in ſacris hiſtorijs aliquando apparuiſſe in Sacramento altaris Chriſtum Dominum viſibiliter in forma pueri, ſiuè Sacrā hoſtiam miraculosè mutatam eſſe in carnem, vel ſanguinem viſibiliter. Ideò: Quæritur; An in huiuſmodi apparitionibus illa ſit verè caro ipſius Chriſti, & talis puer apparens ſit ipſemet Chriſtus Dominus, qui viſibiliter apparet, & videtur ſub propria ſpecie in Euchariſtia?

2 Reſpondetur, ſecundum doctrinam D. Tho. in 3. p. q. 76. A. 8. quod: Tales apparitiones; dupliciter contingere poſſunt: Vno modo ex parte videntium, quando Vid. oculi tantum circumſtantium tali apparitione, & viſione mutantur, ac ſi exterius videant carnem, aut ſanguinem, ſiuè puerum loco Sacramenti, nulla tamē mutatione facta ex parte Sacramenti: Et hoc quidem videtur contingere, quando ab vno, vel ab altero ſub ſpecie carnis, ſanguinis, ſiuè pueri videtur, ab alijs, tamen nō videtur, niſi propria ſpecies conſecrata, prout realiter eſt in Sacramento.

Apparitiones in Sacramento dupliciter contingere poſſunt. D. Thom. 1. ex parte videntium tantum.

3 Vel ſecundò poteſt contingere talis apparitio realiter per mutationem, factam in corpore circumſtante ipſum Sacramentum, ità vt carnis, vel ſanguinis, ſiuè pueri ſpeciem referat, ſimili modo, quo in nubibus apparent nobis varij colores, & ità nulla in ſenſu eſt deceptio, quia realiter videtur aliquod corpus, aut talem figuram realiter referens, ſed ſpecies Sacramentales non ſunt immutatæ: Et tunc abſolutè dicimus, quod: Sub illis ſpeciebus conſecratis, quæ vel in totum, vel in partem non ſunt realiter immutatæ, eſt verum Sacramentum: Et in hoc omnes Theologi conueniunt vnanimiter: Manentibus enim ſpeciebus conſecratis eſt ibi veraciter Corpus Chriſti: Ità Coninch. quæſt. 76. A. 8. nu. 122. Suarez, & D. Thom. alijque locis citatis.

2. Modo ex parte rei apparentis. Reſolutio. Coninch. Suar. D. Thom.

4 Sed difficultas eſt quando realiter Sacramentales ſpecies immutantur in carnem, vel ſanguinem: An ſub illis mutatis, ſit verè caro, & Sanguis Chriſti.

Difficultas.

Reſpondetur, quod: Si appareat caro ſiuè ſplendor &c. ſolum in aliqua parte immutata, remanet Chriſtus ſub illa ſpecie conſecrata, ſicut prius.

Reſponſio 1. Alex. de Ales & Gabrielis.

5 Si verò tota hoſtia appareat verſa in carnem, ſiue ſanguinem &c. dicit Alex. de Ales. 4. p. q. 57. memb. 4. ad 3. *Se neſcire reſponſionem:* Reſpondet tamen affirmatiuè, quod exiſtimat probabiliter remanere ibi Chriſtum (*ſic enim inquit*) *videtur inſipientiæ meæ:* concordant cum eo Gabr. lect. 51. in Can. miſſ. litt. E. & Ratio iſtorum eſt, quia hoc eſt poſſibile, & videtur neceſſarium, ne aliter deciperemur, credentes nos videre, quod non videmus: Omnis autem deceptio in hoc Sacramento veritatis non eſt admittenda, tum quia illa caro, vel ſanguis eſſent adoranda, & de facto adorantur ab Eccleſia adoratione Latriæ: ergò eſt verum Sacramentum.

Alex. de Ales. Gabriel.

6 Thomiſtæ autem omnes oppoſitum docent: Nullo modo ſub illis apparitionibus verè eſſe realiter Chriſtum, & talem carnem, ſiuè ſanguinem non poſſe eſſe ipſius Chriſti, eò quia Chriſtus non habet modò carnem; & ſanguinem ſeparatum è corpore: Et cùm ipſe Dominus ſit modò in Cœlo, non poteſt ſecundum ipſos, in eodem inſtanti eſſe localiter in

2. Reſponſio Thomiſtarū.

alijs

Digitized by Google

alijs locis, quia ſecundum Thomiſtas, hoc implicat cõtradictionem.

7 *3. Reſponſio Scoti. Quando videtur Chriſtus, eſt ibi realiter ipſe Chriſtus. Paſchaſius. Exemplum de apparitione facta Cuidam Sacerdoti celebranti.*

Scotus autem reſpondet, in Repert. D. 10. quæſt. 9. dicens, quod: Quandò apparet Infantulus viuus, quæ viſio videtur à multis, credibile eſt: Illum puerum eſſe realiter Chriſtum Dominum, volentem ſenſibiliter apparere, & adorari ad confirmationem fidei, ſiuè ad conſolationem ſeruorum ſuorum: Vndè refert Paſchaſius Gerobienſis lib. de corp. Chriſti cap. 54. ſuo tempore, cuidam Sacerdori celebranti apparuiſſe Chriſtum Dominum in ſpecie pulcherrimi pueri, & obtuliſſe ſe amplexandum: mox, id rogante Sacerdote, reaſſumpſiſſe iterum ſpeciem Sacramentalem, vt poſſet ſumi.

8 Quàpropter dicimus, quod: Non modò quando apparet per modum tranſeuntis, ſed etiam permanentis, vt ſi illa viſio permanenter duraret, credi etiam poteſt, quod ille realiter ſit verus Chriſtus ſenſibiliter, non quod in Euchariſtia ſic appareat, ſed (ait Scotus) quod ſicut Chriſtus poteſt cauſare præſentiam ſuam ſine Euchariſtia, ità & in caſu ſupradicto, quia in poteſtate corporis glorioſi eſt manifeſtare ſe ſenſibiliter, ſiuè in magna, ſiuè in parua quantitate.

Corpus glorioſum poteſt ſe manifeſtari quando voluerit.

9 *Corpus glorioſum poteſt habere eſſe replicatum, & quomodo.*

Et non implicat contradictionem, idem corpus per Diuinam potentiam: poſſe eſſe in eodem inſtanti in pluribus locis, & in illo tunc eſſe etiam in Cœlo, ſicuti eſt, & in illo loco realiter apparere; Chriſtus enim glorioſus per ſuam Diuinam potentiam poteſt habere Corpus in Sacramento, & eſſe replicatum, & ſecundum vnam replicationem extendi in ordine ad locum, & apparere in forma humana, ſiuè virili, ſiuè puerili, prout ipſe Deus voluerit: Et ſecundùm alias replicationes idem manere modo Sacramentali, & rurſum poſteà, ſecundum eamdem replicationem reſumere eſſe Sacramentale, prout prius habebat, ſicuti accidit in exemplo, allato à Paſchaſio: Ità docent Coninch. quæſt. 76. Art. 8. d. 1. concl. 4. numer. 128. alijque communiter: Quicquid dicant Thomiſtæ in contrarium. *Coninch.*

10 *Mutatis totaliter accidentibus, non remanet amplius Sacramentum.*

Quandò verò talis mutatio facta eſſet, ad confuſionem celebrantis, ſiuè recipientis, quia indignè accedere præſumpſerint: Tunc dicimus, quod: Si taliter ſpecies conſecratæ ſint permutatæ in carnem, vel ſanguinem, ſiuè in duritiam lapidis, adeò vt non remaneant amplius ſpecies cõſecratæ; Tunc dicimus, quod: Illa non eſt caro, nec Sanguis Chriſti: non enim modò Chriſtus habet carnem, & ſanguinem ſine ſuo corpore, & tantò magis, quando conuerſio facta ſit in duritiam lapidis.

11 *Concluſio.*

Quàpropter, quando in punitionem perfidiæ eius, qui indignè accedere præſumpſit ad Sacramentum recipiendum taliter ſpecies mutentur; vt appareat videnti, & palpanti vera caro, & ſanguis, ſiue lapis, idq; permanenter: tunc credibile eſt, ibi deſinere eſſe Corpus Chriſti, quia corruptis accidentibus conſecratis, deſinit ibi eſſe Sacramentum: Ità omnes communiter: legite Coninch. q. 76. A. 8. d. 2. concl. 4. nu. 133. Et in tali caſu miraculum non eſſet factum ad oſtendendum Chriſtum adhuc ibi eſſe præſentem, ſed adfuiſſe præſentem. *Coninch.*

12 *Caro, aut ſanguis apparẽs viſibiliter, non eſt ipſius Chriſti.*

Sic etiam dicimus, quando ex Hoſtia conſecrata confoſſa, emanet aliquis cruor, nullo modo ibi eſſe ſanguinem Chriſti; Nam cùm illud, quod ibi effluat, non habeat vllam rationem veri Sacramenti, nulla eſt ratio, vt dicamus: ſub ea contineri Corpus Chriſti, & ſanguinem: Certiſſimum enim eſt, ſanguinem illum non elici ex venis Corporis Chriſti, exiſtentis, aut in ſacramento, aut in cœlis, quare eſt ſolum quidam humor ſanguineus à Deo ſubitò, vel creatus, vel ex materia adiacente productus: Ità Coninch. ſupra n. 137. *Coninch.*

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

13 *Quid faciendum ſit de ea ſuar.*

Quàpropter illa caro, ſiuè ſanguis, ſi ità perſeuerauerit, non debet ſumi, tum quia non eſt Sacramentum (vt dixi) neque proponitur, vt cibus: ſed reuerenter debet conſeruari in memoriam miraculi, vt patet ex vſu Eccleſiæ, & communiter Doctores docent: Legite Suarez D. 55. ſect. 1. 2. & 3.

14 *Difficultas. Quomodo adoratur adoratione latriæ.*

Sed dicet aliquis: Si illa caro, vel ſanguis immutatus non eſt vera caro Chriſti, neque Sacramentum, quomodo ab Eccleſia adoratur adoratione Latriæ, quæ ſoli Deo, & Sanctiſſimo Sacramento competit?

15 *Reſolutio.*

Reſpondetur, quod: Eccleſia non aliter exponit Sacramentum, ità immutatum adorandum, ſicut exponit lignum Sanctæ Crucis adorandum; Ità vt exterior omnis cultus, qui propriè eſt Latriæ tranſeat in Chriſtum, qui ibi ſaltem eſt; vt in ſigno: Quàpropter Sacramentum tale ità immutatum, ſi perſeueret illo modo, reuerenter colere ſolemus in memoriam miraculi eo modo: vt ſuprà explicatum eſt, quamuis ſciamus, ibi verè non eſſe Chriſti Corpus.

16 *Dubitatio. Quid faciendum ſit in caſu, ne ſacrificium remaneat imperfectum.*

Vltimò tandem quæritur: Quid debeat facere Sacerdos, ſi inter celebrandum ante ſumptionem contingeret Sacramentum ſub vna ſpecie, ſiuè ſub alterutra ſpecie ità immutari? An teneatur nouam materiam conſecrare, ne ſacrificium remaneat imperfectum?

17 *Reſolutio.*

Reſpondetur, quod: Si talis mutatio ſit temporalis, expectandum eſſet, dum Sacramentum recipiat propriam ſpeciem, & tunc eſſet ſumẽdum in propria ſpecie Sacramenti: Si verò talis mutatio perpetuò perſeueret: Tunc aliqui Theologi dicunt: Sacerdotem in tali caſu teneri aliam hoſtiam conſecrare, & perficere ſacrificium, ne remaneat imperfectum. *Aliquorum reſponſio.*

18 *2. Sententia Caietani, Soti, Syluest. D. Thom. Suar.*

Caietanus autem in 3. p. q. 82. A. 4. Soto in 4. diſt. 13. q. 1. A. 4. Sylu. Verb. Euchariſtia 3. in fine. D. Thom. & Suarez D. 55. ſect. 4. dicunt: In tali caſu non eſſe præceptum iterum conficiendi, ſed ſolum de conſilio, & hoc videtur probabilius; quia videtur in caſu per miraculum Dominus diſpenſaſſe ad præceptum: tum quia conſecrare nouam hoſtiam eſſet incipere nouum ſacrificium, non verò inceptum perficere. Hæc Suarez.

DE TRANSVBSTANTIATIONE panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti.

CAP. III.

1 Theologi omnes communiter conueniunt, dicentes: In Almo Euchariſtiæ Sacramento non eſſe aliquo modo panis, & vini ſubſtantiam, eò quia conſecratione peracta; virtute verborum tota panis, & vini ſubſtantia tranſit in Corpus, & Sanguinem Chriſti, quò ad omnes partes ſubſtantiales, quantum ad materiam, & formam: Itàque nihil ſubſtantiæ panis, aut vini in hoc Sacramento remanet, neque aliquis modus ſubſtantialis ipſius panis, aut vini, ſed totum conuertitur in totum.

2 *Tranſubſtantiatio, quid ſit.*

Quàpropter hæc conuerſio rationabiliter à Theologis appellatur: Tranſubſtantiatio, quæ aliud non eſt, niſi conuerſio, ſiuè tranſitus totius ſubſtantiæ in aliam: Tranſubſtantiatur enim in virtute verborum ſubſtantia panis, & vini in ſubſtantiam corporis Chriſti, & ſanguinis: Ità determinatum eſt per ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. capitul. 4. Vbi Sancta Synodus declarauit, & declarat: *Poſt conſecrationem panis, & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis Chriſti,* *Concil. Trid.*

quæ conuerſio, Tranſubſtantiatio eſt appellata.

3 Quomodò fiat iſta tranſubſtantiatio in Sacramento. Ambroſius.

Quæ quidem Tranſubſtantiatio fit virtute verborum Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ait D. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Quandò enim Sacerdos ad conficiendum in ſacrificio Miſſæ Corpus Domini peruenit, iam non ſuis ſermonibus vtitur, ſed ſermonibus Chriſti, dicentis; Hoc eſt corpus meum*, ergò in vltimo inſtanti prolationis verborum Chriſti fit tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, & vini in ſanguinem ipſius Chriſti,

4 Cõuerſio iſta dicitur ſubſtãtialis, quatenus terminus totalis. Terminus formalis præſentialitatis eſt accidentalis. Conuerſio adductiua ſecũdum Scotũ. A termino terminante dicitur ſubſtantialis. Scotus.

Quæ quidem conuerſio eſt ſubſtantialis, quatenus conuertitur totus panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſub Euchariſtia exiſtentem, ideòque dicitur; Subſtantialis, quia terminus, ad quem totalis, & adæquatus eſt ſubſtantia; Terminus autem formalis de nouo productus eſt præſentialitas, & iſta eſt accidentalis, quæ vocatur à Scoto: *Conuerſio adductiua*; adducit enim ibi præſentialiter Corpus Chriſti, illud idem, quod exiſtit in Cœlo, habens illa omnia, quæ in propria naturali exiſtentia retinet: Videlicet entia abſoluta, ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem; Non dicitur autem conuerſio ſubſtantialis, vt dixi, à termino formali de nouo producto, ſed à termino terminante ipſam actionem panis conuerſiuam, quæ eſt ſubſtantia Corporis Chriſti; Ità Scotus in quatto diſtinct. 10. quæſt. 3. & Quolibet 10.

5 Probatur Aſſertio Scotica. Concil. Trid. Coninch.

Probatur autem Aſſertio noſtra ità: Nam de Ratione tranſubſtantiationis eſt, vt tota ſubſtantia præcedens deſinat ad poſitionem alterius, ſed quandò Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus, ſubſtantia panis, & vini deſinit ad poſitionem Corporis Chriſti, ſiuè tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti, vt patet per Concil. Trid. ſuprà, ergò Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem; aliter enim falſa redderentur illa verba: *Hoc eſt corpus meum*: Falſum enim eſt, panem eſſe Corpus Chriſti: Nam vel ſermo eſſet de continente, vel de contento: Non primum: quia continens, vt ſic non eſt Corpus Chriſti: non ſecundũ, quia tunc contentum, non ſolùm eſſet Corpus Chriſti, ſed etiam ſubſtantia panis, & conſequenter dici non poteſt: *Hoc eſt corpus meum*. Ità Coninch. q. 75. A. 2. num. 54.

6 Tranſubſtantiatio fit in inſtanti.

Vndè ſequitur neceſſariò, quod; in vltimo inſtanti prolationis verborum Chriſti immediatè fiat tranſubſtantiatio Diuina virtute, quæ cùm ſit infinita à nullo tempore pendet; Quòd etiam triplici ratione poteſt declarari.

7 Aſſertio iſta trip. probatur, & declaratur. Primò. Secundò. Tertiò.

Triplici enim de cauſa conuerſio iſta, eſt inſtantanea, prima quidem, quia ſubſtantia Corporis Chriſti, ad quam terminatur iſta conuerſio non ſuſcipit magis, neque minus, cùm ſit ſubſtantialis forma, & indè eſt, quod ſtatim fit eius introductio, ſiuè tranſubſtantiatio: Secunda quia in iſta conuerſione non eſt aliquod ſubiectum, quod ſucceſſiuè præparetur, in quo fiat tranſubſtantiatio: & Tertia quia fit virtute Dei infinita: *Ipſe enim dixit, & factum eſt, ipſe mandauit, & tranſubſtantiatum eſt.*

8 Obiectio contra aſſertionem.

Sed contra ſic arguitur. Iſta conuerſio fit per illam verborum formam; *Hoc eſt corpus meum*; quæ eſt propoſitio, id efficiens, quod ſignificat, illius autem prolatio tempore durat, ergò toto illo tempore fit conuerſio, ergò non fit in inſtanti, ſed in tempore.

9 2. Obiectio.

Secundò: Conuerſio, & conſecratio idem ſunt, toto autem tempore, quo Sacerdos profert verba, verum eſt dicere: Iſte conſecrat, ergò pariter, verum eſt dicere: Iſte tranſubſtantiat panem in Corpus Chriſti; ergò conuerſio non fit in inſtanti, ſed in tempore, ergò &c.

10 Reſpondetur, quod: Conuerſio, & conſecratio ſecundum vſum, & modum loquendi, Dupliciter accipiuntur; Vno modo pro applicatione cauſæ, ſeù pro actione, & motu, tendenre ad conuerſionem; Et iſto modo non eſt negandum, quin toto tempore conſecrationis fiat conſecratio, ſicut toto tempore, quo durat forma Baptiſmi fit ſanctificatio: Alio modo accipitur pro termino illius actionis, qui eſt deſitio panis, & inceptio Corporis Chriſti, & iſta fit in inſtanti terminatiuo verborum, quo pacto in Baptiſmo infunditur gratia in vltimo inſtanti prolationis formæ: Ità & hic. Solutio prioris obiectionis.

Ad ſecundam inſtantiam, Reſpondetur, Negando conſequentiam: Conſecrationem, & conuerſionem idem eſſe: Rario huius eſt, quia per conſecrationem fit productio, ergò productio, ſiuè actio productiua, non eſt ipſa conſecratio, lcù prolatio verborum, cùm nulla res cauſet, & producat ſe ipſam: Vndè conuerſio, & conſecratio non ſunt idem (pro vt ſupponit argumentum.) 11 Solutio 2. obiectionis.

Sed iterum contra inſurgit alia dubitatio: Nam cùm ad deſitionem panis incipiat Corpus Chriſti, neceſſè eſt aſſignare, in quo inſtanti vnum deſinat per vltimum ſui eſſe, & aliud incipiat; ſi enim panis ſubſtantia deſinat per vltimum ſui eſſe, tunc vel in eodem inſtanti incipit corpus, & ſic in eodem inſtanti erunt ambo ſimul, quod eſt falſum; vel incipit in altero inſtanti, & tunc duo erunt inſtantia immediata, & tunc in eodem tempore erunt ſpecies ſine ſubiecto, & ſine Corpore Chriſti, quod eſt abſurdum. 12 Alia obiectio.

Reſpondetur: Panem non deſinere per vltimum ſui eſſe, ſed per primum non eſſe: Ratio huius eſt, quia licèt tranſubſtantiatio fiat virtute Diuina, quæ per ſe non dependet à motu, fit tamen, mediante verborum forma, quæ ſucceſſiuo motu profertur à celebrante, ideòque deſinit panis, quando deſinit prolatio: Motus autem non poteſt deſinere per vltimum ſui eſſe: Nam quandocumque eſt, reſtat aliqua eius pars futura, ſed per primum non eſſe; Quare non ſunt duo inſtantia, videlicet deſitionis panis, & inceptionis Corporis Chriſti: ſed vnum, in quo corpus incipit per primum ſui eſſe, & panis deſinit per primum non eſſe, quod dicitur, Vltimum inſtans prolationis verborum. 13 Solutio obiectionis. Panis ſubſtantia nõ deſinit per vltimum ſui eſſe, ſed per primum non eſſe. Motus non deſinit per vltimũ ſui eſſe.

Nam dicendo Sacerdos: *Hoc eſt corpus*, ſemper eſt panis: dicendo verò, & terminando, *meum*, in illo eodem inſtanti fit tranſubſtantiatio, & iam non eſt panis, ſed realiter Corpus Chriſti ſub illis accidentibus, quæ miraculosè remanent ſine ſubiecto: Hæc eſt tamen differentia inter ſubſtantiam panis, & Corpus Chriſti, quod ſubſtantia panis ſuſtentabat accidentia materialiter, & ab illis informabatur: Chriſtus verò ſubſtentat panis accidentia efficacitet, & ab illis non informatur: Ità docent Henriquez libr. 8. capitul. 23. & Coninch. quæſt. 75. Art. 4. diſput. 5. num. 152. Bonacin. tom. 1. Diſtinct. 4. quæſt. 3. par. 6. §. 2. num. 5. 14 Differentia inter ſubſtantiam panis, & Corpus Chriſti. Henriq. Coninch. Bonac.

Sed iterum tertiò obijci poteſt; Ità, dicendo: Quod non eſt; nullius eſt cauſa, ſed forma conſecrationis in illo inſtanti, quo eſt terminata, non eſt, ergò non poteſt eſſe cauſa exiſtentiæ Corporis Chriſti, ergò &c. 15 Obiectio 3.

Reſpondetur ad maiorem, quod: licèt quando forma eſt completa, tunc non ſit cauſa, quia non eſt: fuit nihilominus cauſa toto tempore terminato ad illud inſtans; Et ſic concluditur, quod: In vltimo inſtanti prolationis formæ fit tranſubſtantiatio, ſiuè conuerſio. 16 Solutio.

Nec valet dicere: Facta conſecratione remanent accidentia panis, & vini abſque vlla mutatione, vt patet, ergò remanet etiam ſubſtantia panis, & vini, & conſequenter Chriſtus non ponitur ſub ſpeciebus per 17 Alia obiectio tacita.

per tranſubſtãtiationem: Nam ex accidentibus deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ, *& deſtructa ſubſtantia, ſiuè ſubiecto impoſſibile eſt aliquid aliud remanere*, iuxta illud Ariſtot. axioma.

Ariſt.

18 Solutio. Quantitas ſolo ſtat miraculosè ſine ſubiecto.

Reſpondetur Negando conſequentiam: Nam accidentia panis, & vini remanent ſine ſubiecto ſubſtantiali, quod deſinit per conuerſionem, ſiuè tranſubſtantiationem, non tamen remanent accidentia, ſine ſubiecto accidentali, excepta quantitate; Nam reliqua accidentia omnia inhærent ipſi quantitati, ſicuti antea; Quantitas autem ſola ſtat, per ſe ſine ſubiecto miraculosè per virtutem Diuinam.

19 Actio naturalis ſupponit ſubiectũ.

Vndè poteſt dari actio naturalis contra huiuſmodi accidentia, poſſunt enim alterari, & corrumpi: Actio autem naturalis ſupponit ſubiectum, cùm agens naturale nõ poſſit agere niſi circa ſubiectum, quod in præſenti caſu non poteſt aliud eſſe, niſi quantitas, ergò quantitas eſt ſubiectum accidentale aliorum accidentium materialium: Ità D. Thom. 3. part. qu. 77. A. 2. Soto in 4. d. 10. q. 2. A. 1. Syluest. Verbo Euchariſtia 4. numer. 1, aliique communiter.

D. Thom. Soto. Syluest.

20 Senſus decipitur in Sacramento.

Neque obſtat ſecundò, quod; Accidentia dicantur ſigna infallibilia ſubſtantiæ, & quod ſenſus iudicat eſſe panem, vbi ſunt accidentia panis: Nam ſenſus in hac parte decipitur, niſi fide inſtruatur, & dirigatur; Fides ergò ſupplet defectum ſenſus, iuxta illud, quod canit Eccleſia ex D. Thom. dicente: *Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui*, ergò, &c.

D. Thom.

QVOMODO DESINAT ESSE PANIS, & vini ſubſtantia, & tranſubſtantietur in Corpus, & ſanguinem Chriſti.

CAP. IV.

1 Notandũ 1. Mutatio duplex, propria, & impropria.

PRo huius dubij declaratione, & intelligentia eſt, Primò Notandum: Mutationem in rebus phyſicis dupliciter poſſe fieri: Primò quandò fit mutatio in aliquo ſubiecto, & in tali ſubiecto, fit noua paſſio realiter, & propria, E.g. Manus mea modò eſt calida, & antea erat frigida: Iſta mutatio dicitur propria, quia in ea realiter, & propriè inuenitur iſta mutatio accidentalis ex frigiditate in caliditatem, ſiuè ex alba fit nigra.

2 Mutatio impropria, quæ.

Secundò poteſt fieri mutatio, quandò in ſubiecto nulla fit paſſio, ſed habet aliquam inceptionem, vel deſitionem, vel nouum modum eſſendi, ſiuè ſe habẽdi, & iſta dicitur: Mutatio impropria, ſiuè generalis: E. gr. Hæc mea manus eſt diſcooperta, pono illam in chyrotecam, tunc manus dicitur mutata: non quia recipit aliquam paſſionem, ſed quia habet nouum modum eſſendi: nam prius erat extra, & modo eſt in chyroteca.

3 Notandũ 2. Corpus Chriſti in Sacramento acquirit nouum modum eſſendi.

Secundò eſt ſciendum: Ex vi formæ huius Sacramenti fieri mutationem in Corpus Chriſti non propriam, ſed impropriam, quia corpus Chriſti, quod eſt in Cœlo ſecundùm propriam ſpeciem non mutatur, nec recipit aliquam paſſionem, quandò conſtituitur, & continetur ſub ſpeciebus panis, & vini, ſed tantùm acquirit nouum modum eſſendi, & ſe habendi ſub illis ſpeciebus conſecratis.

4 Conuerſio adductiua ſecundum Scotum, quæ ſit.

Ex quo ſequitur: Hanc mutationem impropriam factam in corpore Chriſti non eſſe mutationem localem, ſed acquiſitionem loci, ſiuè nouæ præſentię accidentalis, & appellatur à Scotò, *Conuerſio adductiua*, quatenus adducit præſentialitatem Chriſti abſque mutationẽ ſui. E.g. Seminatur in terra granum ſynapis, creſcit in herbam, & tandem fit arbor: Iſta arbor, quæ virtualiter erat in ſemine non mutat locum, ſed acquirit nouam præſentiam loci; Ità corpus Chriſti, quod eſt in Cœlo ſecundùm eſſe naturale, per conſecrationem ſpecierum, quæ tranſubſtantiantur in corpus Chriſti; Tunc conſtituitur Chriſtus ſub ſpeciebus conſecratis, non tamen mutatur de loco in locum, ſed acquirit nouam præſentiam loci, per tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti.

5 Notandũ 3. Scot. Mutatio triplex de non ſubiecto in ſubiectum. De ſubiecto in nõ ſubiec. De ſubiecto in ſubiect.

Tertiò notandum ex Scoto in 4. diſ. 11. quæſt. 3. quod etiam in rebus naturalibus tres mutationes inueniuntur: Vna dicitur: De non ſubiecto in ſubiectũ, & iſta dicitur *Generatio*, in qua per priuationem formæ præexiſtentis introducitur noua forma genita: ſecunda eſt de ſubiecto in non ſubiectum, & hæc dicitur; *Corruptio*: Tertia eſt de ſubiecto in ſubiectum, & talis eſt: *Motus ſiuè alteratio*.

6 Mutatio ſpiritualis triplex. Annihilatio. Creatio. Tranſubſtãtiatio. Tranſubſtãtiatio in Euchariſtia quomodò fiat.

Eodem modo aliqualiter tranſmutationes ſpirituales reſpondent: Quarum prima eſt de ſubiecto, in non ſubiectum, & hæc eſt *Annihilatio*; ſecunda eſt de non ſubiecto in ſubiectum, & talis dicitur, *Creatio*, quæ fit ex nihilo, & vtraque tantummodò fieri poteſt ab ipſo Deo per ſuam infinitam potentiam; Tertia eſt de ſubiecto in ſubiectum, & iſta eſt, *Tranſubſtantiatio*, quæ reducitur aliquo modo ad tertium gradum mutationis. (Dixi aliquo modo) nam iſta tranſubſtantiatio non habet aliquam aliam ſimilem in Philoſophia: Ratio huius eſt, quia omnis mutatio naturalis fit ex ſubiecto præſuppoſito: (Semper enim remanet materia prima) in hac autem conuerſione panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, nihil omninò remanet ſubſtantiale, quamuis panis, & vinum non annihilentur, ſed tantum tranſubſtantientur in corpus, & ſanguinem Chriſti eo modo, quo ſuprà explicatum eſt. His ergò poſitis, & adnotatis;

7 Concluſio: Panis, & vinum non annihilãtur, ſed tranſubſtantiantur.

Dico primò; *Subſtantiam panis, & vini per conſecrationem non annihilari in Euchariſtia, ſed tantùm tranſubſtantiari, & deſinere eſſe*; Ratio huius eſt, quia tũc aliquid annihilatur, quandò deſtruitur totum, & quò ad ſubſtantiam, & quò ad accidentia, adeò vt nihil remaneat de illo ſubiecto; ſed panis, & vinum per cõſecrationem tantum deſinit eſſe, quò ad ſubſtantiam, & non quò ad accidentia: Nam quantitas, & qualitates illarum ſpecierum non annihilantur, ſed remanent per ſe miraculosè abſque ſubiecto ſubſtantiali per Diuinam virtutem, vt Fides docet: Subſtantia .n. panis, & vini conuertuntur, & tranſubſtantiantur in corpus, & ſanguinem Chriſti, ergò non annihilantur, ſed potius tranſubſtantiantur, vt dixi.

Accidentia remanẽt miraculosè ſine ſubiecto.

8 Subſtantia panis non annihilatur.

Dico ſecundò; *Subſtantiam panis non annihilari* (quod dico de pane, dico etiam de vino conſecrato) nam veræ formæ id tantùm efficiunt, quòd ſignificant, non ſignificant autem annihilationem, ſed conuerſionem panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinẽ ipſius, cui annihilatio repugnat, quia terminus annihilationis eſt non eſſe ſimpliciter, terminus autem conuerſionis eſt aliud eſſe; Quà propter ipſa veritas dicit: *Hoc eſt corpus meum*, quaſi diceret: Hæc ſubſtantia panis tranſubſtantiatur, & conuertetur in corpus meum in vltimo inſtanti prolationis formæ: Quà propter cùm in hoc Sacramento ſit verum corpus Chriſti, nec incipiat ibi eſſe per motum localem, cùm etiam nec corpus Chriſti ſit ibi, ſicut in loco, (vt in cap. 1. huius tractatus diximus) neceſsè eſt dicere, quod incipiat ibi eſſe per conuerſionem ſubſtãtiæ panis in ipſum.

Terminus annihilationis eſt non eſſe, Conuerſionis eſt aliud eſſe.

9 Conuerſio tranſubſtantiationis eſt miraculoſa.

Hæc tamen conuerſio, cùm non ſit ſimilis conuerſionibus naturalibus, ſed ſit omninò ſupernaturalis, ſola Dei virtute effecta, non poteſt dici conuerſio naturalis, ſed tranſubſtantiatio miraculoſa. Nam cùm Deus ſit actus infinitus non ſolùm poteſt perficere conuerſionem formalem, vt videlicet diuerſæ formæ

ſibi

ſibi in eodem ſubiecto ſuccedant, ſed conuerſionem totius entis, vt ſcilicet tota ſubſtantia huius conuertatur in totam ſubſtantiam illius; Et fit Diuina virtute in hoc Sacramento, nam tota ſubſtantia panis conuertitur in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & tota vini ſubſtantia in totam ſubſtantiã ſanguinis Chriſti: Vndè hæc conuerſio non eſt formalis, ſed ſubſtãtialis, quæ proprio nomine tranſubſtantiatio dici poteſt: non igitur eſt annihilatio.

10 Subſtantia panis nõ annihilatur, ſed conuertitur in corpus Chriſti.

Quamuis autem ſubſtantia panis, vel vini, facta conſecratione, neque ſub ſpeciebus panis, neque alibi maneat, non tamen inde ſequitur, quod annulletur, vel annihiletur, cùm conuertatur in corpus, & ſanguinem Chriſti; ſicut non ſequitur ſi aer, ex quo generatus eſt ignis non ſit ibi, vel alicubi, quod ſit annihilatus, ſed deſinit eſſe aer, & conuertitur in ignem: Ita panis poſt conſecrationem deſinit eſſe panis, & conuertitur in corpus Chriſti.

11 Vgo de S. Victore.

Hinc Vgo lib. 2. de Sacramentis pag. 8. cap. 2. ait: *Chriſtus Dominus poſt cœnam, panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum Diuina potentia trãſmutans, Apoſtolis ſumendum tribuit, vt indè poſtea in ſui memoriam agerent*. Et infrà cap. 9. tamquam indubitatam, & Catholicam veritatem adſtruit: *Panem, & vinum non annihilari in Sacramento, ſed conuerti in corpus, & ſanguinem*: Vndè ſi quis annihilationem admitteret, conuerſionem, & tranſubſtantiationem negaret; Ità expreſsè etiam tenent omnes Theologi in 4. ſent. D. 11. vt D. Bona. Riccard. Scotus, Capreolus, Palud. D. Thomas 3. p. quæſt. 75. A. 5. Suarez D. 50. ſection, 6. alijque.

Si quis annihilatione admitteret trãſubſtãtiationẽ negaret. D. Bona. D. Thom. Riccard. Scotus. Capr. Paludan. Suar.

12 Non fit mutatio in corpore Chriſti.

Ex his ſequitur: corpus, & ſanguinem Chriſti non eſſe in Sacramento per aliquam mutationem, quæ fiat in corpore Chriſti, ſed per tranſubſtantiationem, vt dixi, ſicut quandò Deus per gratiam incipit eſſe in Anima iuſti, non conuertitur Deus, ſed homo mutatur per infuſionem gratiæ iuſtificantis; Quàpropter dixit Dominus ad Auguſtinum: *Non tu mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me*. Ità in Sacramento non mutatur corpus Chriſti in panem, & ſanguis in vinum, ſed panis, & vini ſubſtantia tranſubſtantiantur in corpus, & ſanguinem Chriſti eo modo, quo declaratũ eſt.

D. Auguſt.

QVONAM MODO CHRISTVS Dominus ſit ſub ſpeciebus conſecratis.

CAP. V.

1 Quæſt. ratio.

QVoniam in præcedentibus dictum eſt, ſecundùm veritatem fidei; Chriſtum Dominum verè, & realiter eſſe ſub ſpeciebus conſecratis per tranſubſtãtiationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem ipſius Chriſti, & quod ſpecies illæ conſecratæ, peracta conſecratione, non annihilentur, ſed miraculosè remaneant abſque ſubſtantiali ſubiecto, adeò vt in Euchariſtiæ Sacramento non ſit amplius panis, aut vini ſubſtantia, ſed tantum Chriſti corpus, manens ſub illis ſpeciebus conſecratis, Ideò videndum eſt modo.

2 Ratio dubitandi.

Quomodò Chriſtus Dominus cum ſpeciebus ſit vnitus: & Ratio dubitandi eſt: quia inter ſpecies conſecratas, & corpus Chriſti videtur eſſe quædam communicatio idiomatum, nam viſis, tactis, fractis, & motis accidentibus conſecratis, dicitur pariter: corpus Chriſti videri, tangi, frangi, aut moueri, ergò hoc prouenit ex aliqua vnione inter ipſas: Vndè, corruptis accidentibus, deſinit eſſe corpus Chriſti, & permanentibus accidentibus incorruptis, ſemper manet ſub illis Chriſti corpus, & ità ceſſante cauſa, ceſſat effectus. & alia huiuſmodi prædicata verificantur de corpore Chriſti: Videtur ergò quod ſpecies conſecratæ habeant aliquam vnionem cum Chriſti corpore.

Corruptis accidentibus deſinit eſſe corpus Chriſti.

Quærimus ergò: Quænam ſit iſta vnio: Nam Theologi circa modum explicandi diuerſificantur, & multi multa dicunt, & variè declarant, & explicant iſtam vnionem. 3

Varij modi explicandi.

Quàpropter D. Thom. in 4. diſt. 11. quæſt. 1. A. 1. tenet inter ſpecies conſecratas, & Chriſtum Dominum eſſe veram, & realem vnionem, quam ipſe vocat: Ineffabilem, & incomprehenſibilem, cùm non ſit alia ſimilis in rebus naturalibus, ideòque à nobis declarari non poteſt, cum ſit vnio Sacramentalis, & ſupernaturalis.

Expoſitio D. Thom. Eſt vnio ineffabilis.

Idem etiam tenent Thomiſtæ, vt Illuſtriſſimus Caietanus in 3. part. quæſt. 76. A. 6. qui dicit: *Inter ſpecies conſecratas, & corpus Chriſti intercedere nexum à ſolo Deo effectum per virtutem ſupernaturalem*, ergò ſecundùm ipſum eſt vnio realis, & formalis, licèt ſit ordinis ſupernaturalis; Ità D. Thom. cum ſuis aſſeclis aſſerunt. 4

Caietan. D. Thom.

Aliqui verò putauerunt: vnionem iſtam eſſe ſubſtãtialem, adeò vt ex accidentibus conſecratis, & Chriſti corpore fiat vnum per ſe, cuius opinionis videtur fuiſſe Capreol. in 4. d. 10. qu. 1. A. 5. & Ferrar. libro 4. contra Gent. c. 63. quatenus dicunt: *Accidentia comparari ad Chriſti corpus, ſicut continens, & contentum*. Quàpropter corpus Chriſti eſt vnitum accidentibus, tamquam id, quod ſubiecto accidentium ſuccedit, & inſeparabiliter illis coniungi, vera, & reali vnione (quã ipſi vocant) *ſubſtantialem*: Quæ quidem opinio non eſt admittenda, quia ſequeretur, quod Vnum ſe haberet, vt actus, & alterum, vt potentia, quod non eſt dicendum, imò ipſimet non admittunt.

Expoſitio Capreoli, & Ferrarienſis. Dicunt eſſe vnionem ſubſtantialem.

Alij dixerunt: *Eſſe vnionem hypoſtaticam*: (putant enim iſti:) Accidentia panis, & vini aſſumi à Deo, ſicut aſſumpta fuit humanitas, & ità verificari de illis, quod communiter dicitur, quod: *Panis ſit caro Chriſti*: Quæ opinio eſt abſurdiſſima, nam ſequeretur, quod accidentia non eſſent ſine ſubiecto, & ſic duæ naturæ eſſent in vno ſuppoſito, panis videlicet, & Chriſti corpus in Diuino verbo ſuppoſitata, quòd non eſt dicendum: Et iſta opinio tribuitur Ruperto Abbat. prout refert Bellar. tom. 3. de Euchariſtia ca. 11. & ipſe cum Coninch. q. 75. n. 58. varijs rationibus impugnat. 5

Alij dicunt eſſe vnionẽ hypoſtaticã. Reijcitur iſta expoſitio. Rupertus Abbat. Bellarm. Coninch.

Dominicus à Soto in 4. D. 10. qu. 1. A. 1. & 4. dicit: *Chriſtum Dominum vnitum eſſe accidentibus eo modo, ſicut vniebatur ſubſtantia panis, & vini illis accidentibus, ſecluſa tamen inhærentia*. Nam corpus Chriſti ſuccedit loco ſubſtantiæ panis per tranſubſtantiationem, & ſic videtur dicere: Iſtam vnionem eſſe accidentalem. 6

Expoſitio Soti exiſtimat eſſe vnionem accidentalem.

Sed hoc admitti non poteſt, quia in compoſito accidentali ipſa forma accidentalis neceſſariò informat ſubiectum, ſicut albedo parietem, & cùm accidens ſit materiale neceſſariò extenditur in ſubiecto, quod eſt impoſſibile in caſu: Non enim accidentia actuant, ſiuè albificant, nec quantificant corpus Chriſti: Idem etiam videtur ſentire Ledeſma lib. 1. p. 4. qu. 6. A. 4. & 5, prout refert Suarez tomo 3. de Sacramentis D. 43. ſect. 3. 7

Impugnatur. Ledeſma.

Scotus noſter ſubtilis Doct. in 4. lib. ſentent. diſtin. 10. qu. 6. cum omnibus ſuis, Negant in Euchariſtiam eſſe veram, & realem vnionem inter Chriſtum, & ſpecies conſecratas, quæcumque ſit illa; ſed dicunt: *Solummodò eſſe inſeparabiliter cum illis accidentibus conſecratis ex pacto Diuino facto cum Eccleſia*: Sequitur Gabriel. diſtin. 10. quæſt. 6. A. 2. concluſ. 2. & lect. 47. in Can. Miſſæ. Maior. D. 10. qu. 6. Thom. de Argent. qu. 2. A. vltimo, alijque Scotiſtæ communiter, vt explicabitur infrà. 8

Expoſit. Scot. Eſt vnio inſeparabilis ex pacto. Scotus. Gabriel. Maior. Argent.

Suarez

9 Suar. expoſitio. Dicit eſſe vnionem effectiuam.

Suarez autem, loco ſupra citato, non reijcit modũ dicendi Scoti, ſed ipſe quamdam aliam vnionem inuenit, quam ipſe vocat: (*Effectiuam*,) & declarat exemplo Magnetis ferrum trahentis: Vnitur enim ferrum magneti, non formaliter vnione per ſe, ſed effectiuè, ità accidentia conſecrata ad corpus Chriſti: dicit enim, quod ſit mutua vnio inter ipſa, nam corpus Chriſti agit in ſpecies Sacramentales effectiuè per virtutem ſupernaturalem; ipſis additam, ſubſtentificando.

10 Non admittitur.

At quoniam, cùm modus iſte à Suarez adinuentus ſit nouus, & non neceſſarius, & poſſint ex eò nonnullæ difficultates deduci, & ideò ipſum modum non admittimus: Modus autem dicendi Scoti nobis videtur clarior, & probabilior, ideò ipſum ſequimur. Vndè (pro deciſione) ponimus concluſionem reſponſiuam, abſolutè dicentes.

11 Concl. reſpõſiua pro Scoto.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia non vnitur Sacramentalibus accidentibus per aliquam veram, & realem vnionem, neque ſubſtantialem, neque accidentalem, neque effectiuam, intercedentem inter corpus Chriſti, & ipſas ſpecies conſecratas, ſed ſolùm ibi adeſt per intimam, & realem præſentiam inſeparabilem quidem ex pacto Diuino facto cum Eccleſia in nocte illa cœna: Et ita nulla eſt vnio neque phyſica, neque hypoſtatica, neque effectiua: prout vult Suarez.

12 Exemplificatur de Angelo in corpore aſſumpto.

Exemplificat Scotus; ſi Angelus voluntariè ex condenſatione aeris, acciperet corpus aereum, ſiuè lapideum, &c. nulla vnio phyſica, vel hypoſtatica, ſiuè effectiua eſſet inter Angelum, & corpus illud voluntariè aſſumptum, ſed ſolùm eſſet ibi præſentialiter per ſuam realem præſentiam ex pacto, & voluntate ipſius, ità determinante: Vndè in caſu ſi moueretur tale corpus aſſumptum moueretur pariter ipſe Angelus, non tractus, & ductus effectiuè ab illo corpore (vt dicit Suarez.) Sed voluntariè ex pacto.

13 Explicatur mens Scoti.

Vult enim Scotus: Chriſtum per ſuam determinationem voluntariè eſſe præſentem realiter vbicumque corpus ſit illud: Ità Chriſtus Dominus vnitur ipſis accidentibus conſecratis, non phyſicè, ſed per realem præſentiam ex pacto cum Eccleſia; Ità quod quandò mouentur accidentia mouetur pariter, & Chriſtus, non effectiuè tractus ab illis accidentibus (vt vult Suarez.) Sed voluntariè ex pacto, vt ſemper ſit præſens in tali ſigno exiſtente.

14 Prob. Concl. Scoti.

Hæc concluſio eſt clara, & probatur manifeſtè: Nã de fide eſt in Euchariſtia eſſe intimè præſens Corpus Chriſti ex pacto Diuino, quandò dixit: *Hoc eſt corpus meum: & Hæc quotieſcumque feceritis:* ſed nulla eſt neceſſitas ponendi vnionem effectiuam, quam ponit Suarez: Non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ergò non eſt ponenda talis vnio effectiua, cùm ſufficiat iſta ex pacto, ergò, &c.

15 Probatur 2. contra Suar.

Probatur, quia actio illa, qua ſubſtentantur accidentia eſt actio ipſius Dei, qui ſine effectione, vel cauſatione accidentium efficit Sacramentum, cum ſua præſentialitate: Ad quid ergò iſtam vnionem effectiuam, cuius nullus Theologorum, vel Patrum meminit ponere abſque neceſſitate? Nam iſta realis, & intima præſentia ſufficit abſque effectiua vnione ad verificanda omnia, quæ docet fides noſtra de Sacramento Euchariſtiæ: Vt exemplificatum eſt exemplo allato de Angelo, aſſumente corpus aereum voluntariè.

16 Prob. 3. contra Suar.

Confirmatur etiam: Nam Chriſtus Dominus in Sacramento Euchariſtiæ eſt tanquam in ſigno: Eſt enim Sacramentum: *Inuiſibilis gratia viſibilis forma, ſiuè viſibile ſignum infallibiliter ſignificans ex Diuina promiſſione ipſam gratiam, vel effectum eius gratuitum:* Sed de ratione ſigni non eſt, niſi ſignatum exprimere, & realem præſentiam ſignati oſtendere: non autem, vt ſignum effectiuè ſignatum ſubſtentet, ſiuè è contra, ergò nulla eſt neceſſitas ponendi talem vnionem; & ſic patet manifeſtè contrariorum fundamentum eſſe vanum.

Concludimus ergò: *Chriſtum in Euchariſtia eſſe realiter præſentem per realem præſentiam infallibiliter ex pacto, ſiuè Diuina voluntate, ita volente immutabiliter, & non per aliquam phyſicam vnionem, vel effectiuam:* Pro vt dicebat Suarez; Et iſta expoſitio Scoti videtur amplectenda, cùm ſit magis rationi conſentanea, quam ſententiam ſequuntur omnes Scotiſtæ, multique alii Theologi moderni. 17 Reſolutio.

DE CORRVPTIONE SPECIERVM conſecratarum, & quomodò ex illis generentur vermes, ſiuè alia ſubſtantia.

CAP. VI.

CErtiſſimum eſt ex omnium Theologorum conſenſu, quod quamdiu ſpecies conſecratę conſeruantur incorruptæ ſemper ibi præſentialiter maneat Corpus Chriſti: cùm enim per conſecrationem fiat tranſubſtantiatio illarum ſpecierum in corpus, & ſanguinem ipſius Chriſti, quamdiu conſeruaretur panis, aut vini ſubſtantia, ſi ſub illis ſpeciebus exiſteret, tandiù Chriſtus Dominus erit in Sacramento, in cuius locum ſuccedit, ideòque remanentibus incorruptis ſpeciebus conſecratis ſemper ibi eſt Chriſtus realiter præſens ex pacto Diuino, vt ſupra explicatum eſt, prout docent D. Thom. 3. p. q. 80. A. 3. Henriq. lib. 8. c. 29. nu. 1. Coninch. q. 76. A. 8. diſt. 2. nu. 171. Tolet. lib. 2. c. 29. in fine, aliique communiter. 1 1 Dictum. Remanentibus ſpeciebus incorruptis ſemper ibi eſt Chriſtus. D. Thom. Henriq. Coninch. Toletus.

Vndè ſequitur: Chriſtum non deſinere eſſe ſub ſpeciebus conſecratis per quamlibet ſpecierum alterationem, niſi quandò realiter tales ſpecies eſſent corruptæ: Nunquam enim recedit corpus Chriſti, donec ſit talis alteratio in ſpeciebus, quæ ſit ſufficiẽs ad corrumpendum panis, aut vini ſubſtantiam, ſi ibi eſſet talis ſubſtantia. 2 Quãdò Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus conſecratis.

Ex quo ſequitur: Non eſſe audiendos illos, aſſerentes Chriſtum deſinere eſſe ſub ſpeciebus, ſtatim ac in os recipientis recipitur Sacramentum, fundatos in loco illo Gloſſæ: in Can. Tribus gradibus de Conſ. D. 2. vbi docet Gloſſa illa, quod: *In ſumptione Sacramenti, vel poſtquam fuerit ſumptum, antequam ſpecies incipiant alterari, & corrumpi calore ſtomachi, Chriſtum recedere, ne ſubiaceat corruptioni*, & idẽ videtur dicere D. Bona. in 4. diſt. 13. A. 2. qu. 2. vbi dicit: *Probabile videtur, ſumptione, & manducatione completa, cum Sacramentum habuit finem ſuum, propter quem fuerat inſtitutum deſinere eſſe Chriſtum ſub illis ſpeciebus, ne corruptioni ſubiaceat.* 3 Opinio Gloſſæ, & D. Thom.

Quod etiam ſentit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacr. p. 8. cap. 13. quatenus dicit: *Quamdiu Chriſtus eſt ſub illis ſpeciebus eſt adorandus, ſed ſtultus eſſet, qui adoraret Chriſtum in ventre manducantis*, ideòque exiſtimat communiorem, & honeſtiorem eſſe opinionem illam, dicentium; Tunc Chriſtum recedere, quoniam videtur indecens corpus Chriſti manere ſub illis ſpeciebus, etiam ſi in eis non ſit facta alteratio, vt quandò Hoſtia conſecrata in ſterquilinium proijceretur, aut quandò à Mure, &c. corroderentur: Non enim Mus, ſiuè animal irrationale eſt capax Euchariſtiæ, nec decens eſt in ventre illius beſtiæ Chriſtum in Sacramento adorare. 4 Hugo de S. Vict. De Mure comedente hoſtiam conſecratam.

Hæc tamen opinio non admittitur ab aliis Theologis: Nam affirmare, quod ſtatim, ac ſumitur Hoſtia conſecrata deſinat eſſe Sacramentum; Videtur eſſe contra veritatem verborum Chriſti, dicentis: 5 Reijcitur iſta opinio.

Accipite,

Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum, & niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: Nam manducare, & bibere non ſignificat intra os ſumere, ſed intra corpus traijcere: Si ergò Chriſtus ſtatim recederet, nec comedi poſſet, nec bibi, ergò, &c.

6 Ad rationem D. Bona. & Hugonis.

Ad rationem autem D. Bona. & Hugonis, dicimus, quod: Licèt illorum opinio ſit pia; aliter tamen tenetur ab Eccleſia: Nam in Rituali Romano Miſſ. habetur, quod: Si Hoſtia conſecrata à ſuſcipiente è ſtomacho euomeatur, ſi ſpecies apparent debent reuerenter ſumi ideò, &c.

7 Ad rationem de ſterquilinio, & fœditatibus ſtomachi.

Et ad illud de ſterquilinio, & fœditatibus ſtomathi, dicimus Chriſtum in Sacramento fœdari non poſſe, cùm non ſit ibi modo quantitatiuo extenſiuè in ordine ad locum, & nullam poſſe ibi contrahere, & pati contumeliam, tùm ſit ibi impaſſibilis, vt ſuprà explicatum eſt.

8 Ad illud de Mure comedente. Manducat materialiter, & non formaliter.

Ad exemplum autem de Mure dicimus, quod, animal illud realiter manducaret ſpecies Sacramentales, ſed non reciperet effectum Sacramenti, cum illius non ſit capax, Vndè dicunt Theologi, quòd tantùm manducaret materialiter, non autem formaliter, & ità credo voluiſſe dicere D. Bonauenturam cum Hugone, locis ſuprà citatis.

9 2 Aſſertio. In corruptione ſpecierũ Chriſtus tantum amittit loci præſentiam.

Dico ſecundò, quod Quandò corrumpuntur ſpecies conſecratæ, non corrumpitur corpus Chriſti, ſed tantùm deſinit ibi eſſe, nec aliqua mutatio paſſiua fit in corpore Chriſti, ſed tantùm eſt mutatio priuatiua, quaſi loci, quatenus ſcilicet amittit præſentiam illam Sacramentalem; Nam ſicut in poſitione Sacramentali, ideſt quandò conſecratur hoſtia nulla mutatio fit in corpore Chriſti, ſed per tranſubſtantiationem tantùm acquirit præſentiam illam loci ſub illis ſpeciebus conſecratis, vt ſuprà in c. 3. huius tractatus diximus, Ità quandò corrumpuntur ſpecies conſecratæ nulla mutatio ſubſtantialis fit in corpore Chriſti, ſed tantùm deſinit ibi eſſe.

10 Exemplificatur de anima rationali.

Exemplum patet de Anima noſtra: Nam ſi ab aliquo corpore hominis viuentis abſcindatur manus, ſiuè brachium, &c. nulla mutatio eſſentialis fit in Anima, cùm ſit indiuiſibilis, & incorruptibilis, ſed tãtùm amittit illius loci præſentiam, Ità dicendum eſt de Chriſto in Sacramento: tantùm enim amittit præſentiam loci, & modum exiſtendi Sacramentalem, ſub illis accidentibus: Nam corpus Chriſti, prò vt eſt in Sacramento, non pendet à ſpeciebus conſecratis, niſi quantum ad præſentiam loci, &c. ergò quandò corrumpuntur ſpecies non amittit, niſi præſentiam illam ſpecierum. Ità Suarez in 3. p. to. 3. D. 54. ſect. 1. D. Th. q. 75. A. 6. Coninch. q. 77. A. 4. n. 50. alijque.

Suar. D. Thom. Coninch.

11 Difficultas. Quomodò corrumpantur ſpecies conſecratæ ab agente naturali.

Sed maxima difficultas eſt inter Theologos explicare: Quomodò ſpecies cõſecratæ corrumpantur ab agente naturali, quod agere non poteſt niſi in ſubiectam materiam; Sed accidentia in Sacramento ſtant per ſe miraculosè abſque ſubiecto ſubſtantiali: Quomodò ergò corrumpuntur ab agente naturali, & quomodò ex illis corruptis generantur vermes, ſiuè cineres, aut acetum, &cet. huiuſmodi: Circa quam difficultatem diuerſæ ſunt Theologorum opiniones; quarum

12 1. Opinio Guitmundi, Algeri, & Vualdenſis.

Prima opinio fuit aliquorum veterum Theologorum: vt Guitmundi lib. 2. de Euchariſtia. & Algeri de Sacr. lib. 2. & Vualdenſis tomo 2. de Sacra. c. 26. Qui dixerunt: Nunquam ex accidentibus conſecratis poſſe generari vermes, vel aliquid aliud de nouo genitũ. Non enim poſſunt generari ex Chriſti corpore, cùm ſit inalterabile, & incorruptibile, neque ex illis accidentibus, quæ ſunt abſque ſubiecto.

13 Et ad experientiam dicunt, quod: Quandò videtur generari vermes, vel quod ſimile, &c. dicunt, quod: Vel tales eſſe ſimpliciter apparitiones: videntur enim nobis, ſed realiter non ſunt tales, vel ſi realiter ſint vermes, ſiuè aliquid de nouo productũ, hoc fit per creationem à Deo immediatè ex nihilo productum, propter meritum noſtræ fidei.

Sed opinio iſta eſt omninò falſa: Quapropter meritò ab omnibus Theologis reijcitur: experientia .n. patet, quod corruptis accidentibus conſecratis generantur vermes, & ſpecies Sacramentales nutriũt realiter, eo modo, ac ſi non eſſent tranſubſtantiatæ, & hoc non eſt per nouum miraculum: Non enim ſunt multiplicanda miracula, & entia abſque neceſſitate: Vndè talis opinio multis, varijſque rationibus impugnatur, & reijcitur à Suarez tomo 3. de Sacram. D. 57. ſect. 1. 14

14 Reijcitur iſta opinio. Miracula nõ ſunt multiplicanda ſine neceſſitate. Suar.

Secunda opinio fuit etiam aliorum veterum Theologorum, dicentium: Tales vermes, ſiuè aliud, quod videtur ex accidentibus conſecratis productum generari ex aere ambiente, aut ex aliquo corpore circumſtante, quod alteratur, & corrumpitur ex odore, & qualitatibus alijs contrarijs prouenientibus ex accidentibus, tendentibus ad corruptionem. 15

15 2. Opinio. Ex aere ambiente.

Quæ etiam opinio eſt falſa, varijſque rationibus impugnatur à D. Thoma in 3. p. qu. 77 A. 5. tunc enim oporteret dicere: Deum immediatè corrumpere aerem circumſtantem, vt ex illo generarentur vermes, & in eodem inſtãti talem materiam aeris corruptam de loco, ad locum immediatè transferre, quod eſſet multiplicare miracula ſine neceſſitate: Deindè natura aeris non eſt talis, quod ex eo talis productio fieri poſſit per talem alterationem: Similiter etiam poſſet contingere: Magnam quantitatem hoſtiarum corrumpi, aut comburi, & non eſt poſſibile tantam ſubſtantiam Cinerum generari, & ex illo paruo aere ambiente produci. 16

16 Reijcitur iſta opinio. D. Thom. Ratio cõtra 2. opinionẽ.

Similiter etiam videtur, quod ſpecies conſecratæ nutriunt eas comedentem, & conuertuntur in ſubſtantiam ipſius comedentis, ideò non videtur iſta opinio probabilis, & per conſequens non eſt admittenda, cùm non ſit ad propoſitum: Quapropter ambæ prædictæ opiniones antiquorum Doctorum reijciuntur à recentioribus Theologis vtriuſque ſcholæ, vt patet ex D. Thoma, Scoto, & Suarez, cum omnibus aſſeclis, illas reijcientibus. 17

17 Alia ratio contra iſtam opinionem.

Tertia opinio fuit Innocentij 3. libro 4. de offic. Miſſ. can. 11. quam ſequutus eſt Alex. de Ales 4. p. q. 40. memb. 2. A. 4. D. Bona. in 4. ſent. d. 12. A. 1. qu. 2. alijque dicentes, quod: In vltimo inſtanti corruptionis ſpecierum conſecratarum deſinit eſſe ſub illis corpus Chriſti, & tunc in eodem inſtanti redit eadem ſubſtantia panis, & vini, quæ fuit tranſubſtantiata in corpus, vel ſanguinem Chriſti, & ex illa ſubſtantia reddita generantur vermes, ſiuè aliquid aliud de nouo productum. 18

18 3. Opinio, Innocentij, & Alenſis, & D. Bona.

Quorum fundamentum eſt, quia tamdiù Chriſtus eſt in Euchariſtia, vt nutrimentum ſpirituale fideliũ, quamdiù ſpecies illæ remanent incorruptæ: Quandò ergò ſpecies corrumpuntur, adeò vt non poſſint eſſe amplius nutrimentum ſpirituale fidelium, tunc deſinit ibi eſſe corpus Chriſti, ergò conueniens eſt, vt redeat ſubſtantia panis, ſiuè vini, ac ſe habeat, vt prius ſe habuiſſet, ſi non fuiſſet facta conſecratio: Neque hoc (inquiunt) eſt nouum miraculum, quia Deus ſic ordinauit, vt deſinente corpore Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, redeat de nouo ipſorum ſubſtantia: Voluit enim Deus, accidentia illa nunquam eſſe ſine ſubiecto ſubſtantiali, niſi in Euchariſtia. 19

19 Fundamentum iſtius ſententiæ.

Sed iſta opinio non admittitur à D. Thoma, & Scoto, 20

20 Reijcitur.

3. Opinio. 3 Ratio contra iſtam opinionem.

Scoto, alijſque ipſorum aſſeclis vtriuſque ſcholæ, locis infrà citandis in eorum opinionibus: Qui dicunt: Opinionem iſtam eſſe impoſſibilem; Nam ſubſtantia panis, vel vini in conſecratione ſpecierum tranſubſtantiata fuit in corpus, & ſanguinem Chriſti, non poteſt autem ſubſtantia illa conuerſa iterum redire, niſi corpus, aut ſanguis Chriſti iterum conuertatur in ſubſtantiam panis, & vini, Quod non eſt dicendum; eſſet enim inconueniens, hoc admittere. Tum etiam, quia ad talem productionem impertinens eſt, vt redeat forma panis, cùm potius illa corrumpi neceſsè ſit; Et ſic multa ſequerentur inconuenientia: vt aiunt D. Thom. Scotus cum Fabro in 4. d. 12. q. 6. c. 1. num. 5. alijque ipſorum aſſecli.

2 Ratio.

D. Thom. Scotus. Faber.

21 Reducitur ad bonum ſenſum.

Sed ego exiſtimo; prædictos Doctores voluiſſe dicere: quod, In illo vltimo inſtanti corruptionis ſpecierum conſecratarum redit noua ſubſtantia, non illa, quæ fuit tranſubſtantiata in corpus Chriſti, ſed potius de nouo creata ab ipſo Deo; & ſecundùm hoc, prædicta opinio poſſet aliquo modo ſubſtineri; vt videbitur in ſententia Scoti, infrà citanda; pro vt etiam aduertit Suarez D. 57. ſect. 3.

Suar.

22 4. Opinio. D. Thom. Vult quod generentur ex quantitate accidentiũ.

Quarta opinio eſt D. Thom. in 3. p. q. 77. A. 5. omniumque Thomiſtarum, dicentium: In ipſa conſecratione ſpecierum dari ipſi quantitati dimenſiuæ panis, & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum; Ideòque exiſtimat Doctor Angelicus, illam ſubſtantiam, quæ ex accidentibus conſecratis corruptis producitur generari ex quantitate, quæ in cõſecratione ſpecierum remanſit ſubiectum reliquorum accidentium, & virtute illius conſecrationis datum fuit miraculosè illi quantitati dimenſiuæ panis, & vini non ſolùm, vt per ſe ſubſiſtat abſque ſubiecto ſubſtantiali, verùm etiam vt ſit primum ſubiectum reliquarum formarum, non ſolùm accidentalium, quamdiù durat Sacramentum, verùm etiam ſubſtantialium, quandò corrumpuntur accidentia, & deſinit ſub illis eſſe Chriſtus.

23 Ratio. D. Thom.

Hoc autem dicit D. Thom. Proprium eſſe entium materialium, ideòque ex conſequenti datur prædictę quantitati dimenſiuæ omne illud, quod ad materiam panis, & vini pertineret, ideòque quicquid poſſet generari ex materia panis, & vini, ſi adhuc eſſet, poteſt etiam fieri ex illa quantitate, non quidem nouo miraculo, ſed ex vi prioris miraculi facti; Quapropter videmus, quod quantitas illarum ſpecierum conſecratarum nutrit, inebriat, eo modo, quo prius ergò, &cęt.

24 Reijcitur opinio D. Thom. à Scoto, & Suarez cum alijs.

Verùm tamen eſt, quod opinio iſta D. Thom. non admittitur à Scoto cum omnibus ſuis aſſeclis. Immò Suarez in eadem 3. p. D. 57. ſectio. 3. acriter eam impugnat, & dicit, quod ſibi videtur eſſe omninò falſa, & incredibilis: Nam ſola quantitas non eſt ſufficiens ad generandam, & producendam ſubſtantiam, ſed neceſſariam eſſe aliquam materiam, ex qua talis generatio fiat.

25 Rationes Suar. contra D. Thom.

Nec valet dicere virtute prioris miraculi quantitatem gerere vicem ſubſtantiæ, ideòque ſuppoſito illo miraculo, agens naturale poſſet naturaliter ex illa quantitate adducere formam ſubſtantialem: Non enim hoc eſt intelligibile, quia quantitati per conſecrationem nihil additum eſt, neque immutatum pręter exiſtendi modum, in entitate tamen ſua eadem omninò eſt: At verò capacitas paſſiua non eſt in quãtitate ratione modi eſſendi, ſed ratione ſuæ entitatis, ergò ſi anteà non habebat capacitatem naturalem, nec poſteà habebit: Et propterea durabit quantitas, per ſe exiſtens, & ſine ſubiecto non ſolùm, quamdiù durat hoc Sacramentum, verùm etiam in omnibus rebus, quæ ex illa generarentur.

Vndè daretur inconueniens, quod magna pars naturalium rerum, quæ ex illis generarentur, iam non conſtarent materia, & forma, ſed quantitate, & forma, quę nec ſubſtantialia entia erunt, neque accidentalia, ſed monſtra quædam naturæ: Vel daretur maius miraculum, Videlicet: quantitatem poſſe generare ſubſtantiam, & ità non vitaretur inconueniens illatum ſcilicet, quod maiora miracula multiplicarentur, Quare opinio iſta D. Thom. non admittitur à recentioribus (Thomiſtis tamen exceptis) vndè inſurgit 61 Aliæ rationes Suar. cõtra D. Thom.

Quinta opinio, quæ eſt Suarez d. tomo 3. D. 57. ſectio. 3. dicentis, quod: Vermes, ſiuè cineres, quæ producuntur in Euchariſtia ex accidentibus corruptis non poſſunt aliquo modo generari ex quantitate (prout dicebat D. Thom.) ſed generantur ex aliqua materia de nouo introducta immediatè ab ipſo Deo, quæ vel ſit eadem materia panis, ſiuè vini, quæ prius erat ante conſecrationem, vel quod Deus introducat materiam nudam, vbi præfuit quantitas illa toto tempore antecedente cum eadem ſigillatione, & habitudine, ac ſi quantitas illa toto tempore antecedẽte inhæſiſſet materiæ. 27 5. Opinio Suarez.

Vel certius, & probabilius, tunc creari de nouo immediatè ab ipſo Deo materiam nudam, non repugnantem, in qua proindè operatur agens naturale tota virtute, formam ſubſtantialem introducendo diuerſam: Nam reſpectu Dei æquè facile eſt eamdem materiam facere, ſicut diuerſam: Quapropter non eſt maius miraculum, nec propriè eſt nouum, quia congruente quadam neceſſitate connexum eſt cum ipſo myſterio; Deus enim decreuit, tamdiù corpus Chriſti manere ſub illis accidentibus conſecratis, quamdiù manent ibi qualitates incorruptæ, quæ poſſent perficere ſubſtantiam, ſi ibi adeſſet; ergò in eodem inſtanti, quo ſpecies ità ſunt corruptæ, vt non poſſet ſub ijs vlterius naturaliter conſeruari panis, aut vini ſubſtantia deſinit ibi eſſe corpus Chriſti, & Deus, vt auctor naturæ in eodem inſtanti creat, ibi materiam nudam abſque quantitate, eique vnit quantitatem panis, vel vini cum qualitatibus, quæ & in illo inſtanti inhærerent, per quam vltimo eſt diſpoſita ad ſuſceptionem alicuius formæ ſubſtantialis, quàm in eodem inſtanti illud agens producit eo modo, quo eam produxiſſet, ſi ibi prius fuiſſet ſubſtantia panis & vini. 28 Creatur de nouo ab ipſo Deo materia nuda. Ratio Suar. Deus creat, vt auctor, naturæ.

Vel quod Deus, vt auctor naturæ eſt, ſupplendo defectum agentis naturalis, producit formam illam ſubſtantialem, quæ eſſet introducenda ab agente naturali. Ità docet, & tenet P. Suarez d. tom. 3. D. 57. ſect. 3. cum quo concordant Coninch. q. 77. A. 5. num. 65. Filliuc. tom. 1. tract. 4. de Euchariſtia cap. 5. num. 149. Henriquez libro 8. cap. 30. num. 2. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 3. p. 6. num. 11. Philiarch. 2. p. lib. 1. cap. 19. alijque. 29 Alia ratio. Suar. Filliuc. Coninch. Henriq. Bonac. Philiarchus.

Vndè volunt iſti Doctores quod, poſita alteratione corrumpente panis, vel vini ſubſtantiam, ſi adeſſet, quod quantitas non corrumpatur, ſed ipſamet quantitas, præexiſtens eum ipſa re de nouo producta ſubiectiuè generat, vel per creationem reproducitur, & hoc ab ipſo Deo: Ità Suarez cum ſuis, &c. 30 Intẽtio Suar.

Scotus autem in 4. D. 12. q. 5. dicit, quod; Agens naturale naturaliter poteſt alterare, & corrumpere accidentia Euchariſtiæ, ea Videlicet, quæ ſunt in ſubiecto, quæ ſunt qualitates, quæ ſubiectiuantur in quantitate, quæ per ſe manet miraculosè abſque ſubiecto ſubſtantiali; agit autem agens naturale per qualitates contrarias actiuas, quæ ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas: quantitas autem, quæ non eſt in ſubiecto, cui nihil eſt contrarium nõ poteſt corrumpi ab agente naturali, ſed ſolum immediatè ab ipſo Deo 31 Sententia Scoti. Agens agit per qualitates cõtrarias. Quantitas corrumpitur immediatè ab ipſo Deo

per

Digitized by Google

per ſubtractionem influxus conſeruantis, vt dixi.

32 *Non eſt nouum miraculum.* Et hoc non eſt nouum miraculum cùm ſit neceſſariò connexum cum Diuina voluntate, ità ſtatuente, quod illa quantitas, non ſit ſine ſubiecto, niſi quamdiù remanet ibi corpus Chriſti, eo modo, vt explicatum eſt ſuprà in opinione Suarez.

33 *Deus ſupplet defectum agentis naturalis.* Vndè dicit Scotus in vltimo inſtanti corruptionis accidentium redire nouam ſubſtantiam creatam immediatè ab ipſo Deo, qui (vt auctor naturæ) ſupplet defectum agentis naturalis virtute primi miraculi.

34 *Introducitur noua ſubſtantia compoſita non nuda (vt dicebat Suar.)* Hæc autem ſubſtantia non eſt nuda (vt dicebat Suarez) ſed compoſita, quæ accidentibus illis de nouo inductis, & inducentibus corruptionem affici poteſt: Nam Deus (vt dixi) ſtatuit ſpecies illas eſſe ſine ſubiecto præciſe in Euchariſtia, & non alibi, ergò ſtatuit, quod ceſſante Euchariſtia, illæ ſpecies non ſint ſine ſubiecto: Vndè ex hoc ſequitur neceſſariò, quod decreuit in ipſo inſtanti corruptionis eſſe ſub illis accidentibus aliquam ſubſtãtiam, quæ cùm nulla ſit ibi, oportet neceſſariò, quod immediatè producatur ab ipſo Deo per creationem; *Nulla creatura poteſt creare.* Nulla enim creatura creare aliquid poteſt, ergò immediatè à ſolo Deo producitur, nam iſta noua ſubſtantia totaliter producitur ſecundùm materiam, & formam; non creatur autem à Deo niſi illa ſubſtantia, quæ poteſt illis nouis accidentibus introducendis affici; nam alia ſubſtantia accidentium illorum non eſt capax ergò, &c.

35 *Accidentia adhærent toti compoſito, non in materia nuda.* At quoniam accidentia ſecundùm Scotum non inhærent materiæ primæ nudæ, (vt vult Suarez) ſed in toto compoſito, vt probatum eſt in noſtris phyſicis D.3.q. 9. p. 1. phyſ. Ideò dicit Scotus. Deum immediatè corrumpere quantitatem illam, annihilando illam partem per ſubtractionem ioſluxus, & in eodem inſtanti introducere ſubſtantiam compoſitam, cum illa quantitate neceſſaria ad afficiendam illam ſubſtantiam, cum illis accidentibus introducendis: *Agens naturale non agit in materiam nudam. Faber.* Nam agens naturale, non poteſt per ſe agere in materiam nudam, ſed compoſitam, & quantitate informatam, quæ ſit in ſubiecto: Et iſta ſententia Scoti videtur probabilior, quam ſequitur Fauentinus in 4. ſent.d.12. q. 6.c.3. cum omnibus Scotiſtis communiter.

AN QVANDO SPECIES CONSECRATA miſcentur cum aliquo liquore non conſecrato deſinat eſſe Sacramentum.

CAP. VII.

1 *An vinum admixtum ſanguine conuertatur in Sacramentũ.* POſteà quam de corruptione ſpecierum Sacramentalium dictum eſt, dicendum ſupereſt, pro complemento huius tractatus de ſpeciebus ſanguinis, quæ per mixtionem alterius liquoris non conſecrati corrumpi poſſent: Quærimus ergò. An ille liquor admixtus conuertatur in ſanguinem Chriſti, aut tantùm deſinat eſſe ſanguis Chriſti? Quãpropter, vt veritatem indagemus, aliqua ſunt adnotanda.

2 *Notandum.* Notandum ergò Primò: Mixtionem liquorum dupliciter fieri poſſe: Vno modo perfectè, alio modo imperfectè. *Mixtio dup. perfecta, quæ ſecundum Ariſt.* Mixtio perfecta eſt quandò liquores diuerſi miſcentur adinuicem, & fit mutatio ſubſtantialis, vt quandò ſubſtantia vnius miſcibilis conuertitur in alteram, vt aqua parua conuertitur in vinum; vel quandò vterque liquor debita proportione miſcetur, tunc fit tranſmutatio vtriuſque in vnum tertium, vt quandò temperatur aqua cum vino in debita proportione: *Mixtio perfecta, quæ ſecundũ Ariſt.* & iſta dicitur: Mixtio perfecta, quæ ſecundùm Ariſtotelem dicitur: *Miſcibilium alteratorum*, & deindè corruptorum vnio, adeò quod in vera mixtione fit generatio formæ ſubſtantialis, quæ dicitur forma mixti.

3 *Mixtio imperfecta, quid.* Altera dicitur: Mixtio imperfecta, quæ propriè nõ eſt mixtio, ſed iuxta poſitio: vt cum aliqua miſcentur adinuicem, ſecundùm minutiſſimas partes, quæ tamen ſubſtantialiter non corrumpuntur, ſed manent in eſſe ſuo ſubſtantiali.

4 *Notãdum 2. Liquores eiuſdem ſpeciei nõ corrumpuntur ad inuicem.* Secundò Notandum: Inter liquores eiuſdem ſpeciei ſolùm poſſe fieri imperfectam mixtionem: Ratio huius eſt, quia vnus non poteſt ſubſtantialiter alium corrumpere, nec per diuiſionẽ per minutiſſimas partes, nec per minimam alterationem, vt cùm vnum vinum alteri infunditur; nam quomodocumque partes ſe diuidant, & interponant, nulla fit corruptio, quia eadem facilitate, qua diuiduntur vniuntur.

5 *Vinum albũ non corrumpit vinum alterius coloris.* Et quamuis duo vina, vnum album, & alterum nigrum miſceantur, & fiant diuerſa in accidentibus, id eſt in colore, tamen fit mixtio imperfecta, quia cùm tota diſſimilitudo tunc fiat in accidentibus, & non in ſubſtantijs, quia cùm ſubſtantiæ ſint omninò ſimiles, & homogeneæ, accidentia vnius ſufficiunt ad conſeruandam formam ſubſtantialem alterius. Vndè eſt, quod talis mixtio, ſiuè mutatio non dicatur perfecta, ſed imperfecta: Ità docent Snarez tom.3. D. 57. ſect. 4. *Suar. Coninch. Impugnant Bonac.* Coninch. q.77. A.8. Quicquid dicat Bonac.tom.1. D.4.q. 3.p.6.§ 3.n.7. putans: Vinum album mixtum rubeo, corrumpi ſpecificè, quòd non admittitur ab alijs Theologis. His prænotatis

6 *Concluſio 1. Vinum conſecratum nõ corrumpitur per admixtionem vini.* Dico primò: Species vini conſecrati, ſi admiſceantur cum aliquo vino non conſecrato, ſiuè eiuſdem, ſiuè alterius ſpeciei non corrumpitur Sacramentum, & per conſequens non deſinit ibi eſſe ſanguis Chriſti, quia talis mixtio non dicitur perfecta, ſed imperfecta, quamuis color vini conſecrati mutetur ex albo in rubeum.

7 *Probatur concluſio.* Probatur, quia; Idem poſſunt facere ſpecies vini conſecrati, quod poterant facere ante conſecrationem, ſed ante conſecrationem miſcebantur imperfectè, ergò & poſt conſecrationem miſcentur imperfectè, & ſic ſpecies nõ corrumpuntur, ſed remanet ſanguis Chriſti, quia non magis alterantur, quam ſi ibi eſſet ſubſtantia vini; ſed quamdiù mixtio eſt imperfecta, ibi manet ſanguis Chriſti (vt dictum eſt,) quia ibi etiam remaneret ſubſtantia vini, ergò quomodocumque fiat mixtio inter ſpecies conſecratas, & aliud vinum non amittitur conlecratio, etiam ſi minima quantitas maiori miſceatur, & longo tempore duret.

8 *Auctores huius ſententiæ Scotus. D. Bonau. Alex. de Ales. Innocentius. Suar. Coninch. Soto. Duran. Ledeſma. Palud. Victoria. Bonac. C. cum Marthæ de celebrat. Miſſ.* Hæc eſt communis ſententia, quam tenent præclari Theologi, vt Scotus in 4.d. 12.q.4. D.Bona. A.1.qu. 2. Alens.4.p.q. 40.memb.2. A.2.& Innocentius libr.4. de hoc myſterio, c.32. Riccard. A.4.q.1. Suarez D.57. ſect.4. Coninch. q.77. A.8. & idem in rei veritate ſentiunt Thomiſtæ; vt Soto D.10.qu.2. A.8. Ledeſm. Palud. q.5. Durand.d.12.q.3. Victoria in ſum, num.64. Quamuis D.Tho.3.p. q.77. & Bonacina loc.cit. aliud ſentire videantur: Et colligitur noſtra opinio ex cap. Cùm Marthæ de celebrat. M.ſſ. §. Quæſiuiſti vbi dicitur: *Si poſt Calicis conſecrationem aliud vinum miſceatur in Calicem, non tranſire in ſanguinem, ſed commixtum manere cum ſpeciebus conſecratis.*

9 *Obiectio. Solutio.* Sed dicet aliquis; Si ità eſt, ergò vel ſanguis Chriſti miſcetur alteri liquori, vel ſaltem ille liquor conuertitur in ſanguinem Chriſti.

Reſpondetur (propriè loquendo) Non miſceri: Nã mixtio non tantùm dicit mutationem localem, ſed etiam diuiſionem, interpoſitionem, & alterationem partium, quæ non fiunt in corpore, & ſanguine Chriſti, *Sãguis Chriſti conſecratus non miſcetur alijs liquoribus.* quia ſanguis ibi contentus nulli humori miſcetur pro eo, quod non eſt ibi diffuſus, ſed eſt ſanguis glorificatus intra venas Chriſti contentus, ideòque nullo liquori attingitur, & ſic nihil per mixtionem, vel

conta-

Digitized by Google

contactum poteſt in ipſum conuerti: vt ergò vinum in ſanguinem Chriſti conuertatur, hoc non poteſt fieri, niſi per tranſubſtantiationem, & nouam conſecrationem, quæ ibi non fit.

10 *Rr. ad mixtionem aquæ benedictæ, & Olei Sancti.*
Vndè vinum non conſecratum eodem modo remanet, quamuis per mixtionem, non poſſit ſeparari à cõſecrato. Ità docent omnes Theologi ſupra citati; Et non eſt par ratio de aqua benedicta, & Oleo Sancto, quia benedictio in aqua, & Sanctificatio in Oleo non ponunt, niſi accidens aliquod, & proprietatem quãdam ſanctificationis: At in Sacramento conſecratio ponit conuerſionem in veram ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, quæ abſque verborum forma, ſuper debitam materiam, à Miniſtro in perſona Chriſti prolata fieri non poteſt. ergò. &c.

11 *Difficultas.*
Sed dicet aliquis: Si in dolio vini non conſecrati apponeretur parua quantitas vini conſecrati, quid fiet de illo vino nõ conſecrato mixto, cùm illis paruis ſpeciebus conſecratis?

12 *Reſolutio. 1. ſententia. Henriq. Soti. Em. Sà. Candel. Aur. Bonac.*
Reſpondetur: In hac re duas eſſe opiniones: Vnam Henriquez lib. 8. c. 18. n. 4. Soto in 4. d. 10. q. 2. Em. Sà Verbo Euchariſtia n. 31. Caudel. Aur. de Euchariſtia c. 7. n. 29. & Bonac. tom. 1. D. 4. q. 3. p. 6. n. 8. aliorumq; exiſtimantium; Non poſſe cogi Dominum illius vini ad applicandum tantummodò ad ſacros vſus, ſed poſſe etiam bibi à Laicis, eo quod illa gutta vini conſecrati exiſtimanda eſſet, tamquam ſi non eſſet, cùm nõ poſſit cognoſci, in quo loco ſit: Quapropter dicit Hẽriquez: Tale vinum etiam à Laicis ſine aliquo ſcrupulo bibi poſſe, cùm non ſe exponant morali periculo bibendi guttam conſecratam in minora minimo diuiſam, cùm nulla iam ſit, aut omninò ignota ſit, neque abſque certa ratione priuandus eſt Dominus illius bibendi vinum ſuum; Ità Henriq. ſupra.

13 *2. Sententia. Suarez. Coninch. Nugnus. Baronius.*
Secundam opinionem eſſe Suar. D. 57. ſect. 4. in fin. Coninch. q. 77. A. 8. n. 37. Nugn. 3. p. qu. 73. A. 8. ad finem: & Card. Baron. tom. 12. in fine anni 1192. folio 842. Qui ex Ord. Rom. & quibuſdam miraculis in caſu habitis, dicit: Talem vinum nullo modo debere ad communem vſum applicari, ſed ſumendum eſſe cum magna reuerentia, quia ſecundùm communiorem, & probabiliorem ſententiam Theologorum eſt ibi admixta ſpecies vini conſecrati, quæ ibi conſeruatur, quamuis non poſſit à nobis aſſignari vbi ſit, ideòque reuerenter totum eſt aſſumendum.

14 *Sententia, & Suarez, & Riccard.*
Vel potius exiſtimo cum Suarez Dolium illud vini eſſe ab alijs ſeparandum, & ad ſacros vſus ſeruandum, quia (vt ait Riccard. ſupra) totum vinum manet quodammodò ſanctificatum ratione contactus, & quamuis non fiat contactus in omnibus, & ſingulis partibus, tamen propter periculum, & dubium prædicta diligentia eſt adhibenda, alioquin fieret contra reuerentiam ſpeciebus conſecratis debitam.

15 *2 Sententia approbatur.*
Et cum iſta opinio ſit magis pia, & fauorabilis reuerentiæ debitæ tanto Sacramento, conſequenter videtur in praxi eſſe obſeruanda, niſi aliter cogat neceſſitas, quod etiam exiſtimat Bonacina, vbi ſupra.

16 *Gutta ſanguinis conſecrati admixta cum aqua corrumpitur.*
Dico ſecundò: Si ſpecies vini conſecrati perfectè miſceantur cum liquore, ſpecie diſtincto, Videlicet cum aqua: tunc non remanet ibi ſanguis Chriſti; Ratio huius eſt, quia quandò vinum miſcetur cum tanta quantitate aquæ, quod amittat ſubſtantiam vini, tunc fiet mixtio perfecta, & fit mutatio ſubſtantialis, quia tranſit in tertium quid, vt ſupra diximus in primo notando, ergò eadem mixtio fieri poteſt in ſpeciebus conſecratis, & in hoc omnes Theologi conueniunt, & nulla eſt controuerſia.

17 *Dubitatio. Quare prima purificatio Calicis, non fiat cũ aqua.*
Sed dicet aliquis; Quare Eccleſia ad primam purificationem Calicis in celebratione Miſſæ imponit vinũ, & non aquam, per quam poſſet fieri mixtio perfecta, & per conſequens non eſſet amplius ſanguis, & ità in Calice non remaneret aliqua ſpecies conſecrata.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Reſpondetur: Non eſſe de præcepto, quod prima purificatio in Calice fiat cum vino, aut cum aqua: Sed rationabiliter ſecundùm vſum fit cum vino, & Ratio huius, eſt, quia: *In habentibus ſymbola, ſiuè in ſimilibus facilis eſt tranſitus*; At quia ſpecies vini conſecrati, quæ remanẽt in Calice cum vino non conſecrato ſunt ſymbola, ſequitur, quod melius abſtergitur, & purificatur Calix, & circumſtantia vaſi, quia faciliùs tranſeunt ſpecies vini conſecrati in vinum, quam in aquã, quamuis aqua deſtrueret ſpecies conſecratas, ideòque ſecunda purificatio fit cum aqua. 18 *In ſymbolis facilis eſt tranſitus.*

Secundò eſſet inconueniens, & præter reuerentiam Sacramenti, deſtruere ſpecies cõſecratas per aquam, cùm poſſent ſumi non corruptæ, ergò melius, & rationabiliter fit in vino prima purificatio. 19

TRACTATVS XI.

De Sacramentis.

Et de Miniſtro SS. Sacramenti Euchariſtiæ.

Tract. V.

PROOEMIVM.

EXplicatis explicandis, quæ de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dicenda erant, conſiderando ipſum Sacramentum ſecundum ſe, agendo de Quiditate, Inſtitutione, Neceſſitate, & Vnitate ipſius: Nec non de partibus intrinſecis, quæ ſunt materia, & forma, materia inquam remota, & proxima vtriuſque ſpeciei, ac de forma eiuſdem Sacramenti, ex quibus efficitur conſecratio. Inſuper de ipſis ſpeciebus conſecratis, vbi de Chriſti reali præſentia in Euchariſtia, & de Tranſubſtantiatione, & corruptione ſpecierum conſecratarum, quæ neceſſaria erant ad noſtram cognitionem moralem ipſius Sacramenti: Operæpretium eſt, vt conſequenter de cauſis, quæ dicuntur extrinſecæ, efficienti Videlicet, & finali, quæ neceſſaria ſunt dicamus: Quapropter in præſenti tractatu de miniſtro Sacramenti huius tractabimus, de quo tria venimus conſideranda: Primò quis ſit miniſter Euchariſtiæ reſpectu conſecrationis. 2. Quis poteſt licitè hoc Sacramentum alijs adminiſtrare: & 3. Quæ conditiones, & diſpoſitiones requiruntur in ipſo miniſtro, vt licitè Sacramentum hoc fidelibus adminiſtret. *Diuiſio tractatus.*

DE MINISTRO NECESSARIO AD Conficiendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

CAP. I.

QVantum ad miniſtrum Sacramenti Euchariſtiæ eſt ſciendum: Dupliciter eſſe poſſe, vel quantum ad conficiendum, & diſpenſandum ſimul: & talis tantummodò eſt Sacerdos legitimè ordinatus, & non mutus; Vel 2. ad diſpenſandum tantùm, & talis poteſt eſſe Sacerdos etiam mutus, & aliquandò Diaconus, qui propriè non eſt miniſter, ſed poteſt eſſe diſpenſator, vt dictum eſt in tractatu de Sacramentis in genere, de quo miniſtro diſpenſatore 1 *Miniſter Euchariſtiæ dupl. conſecrãs, & diſpenſans.*

Digitized by Google

Sacerdos eſt cauſa efficiẽs miniſterialis.

non eſt in hoc capitulo agendum, ſed ſolùm de miniſtro conficiente, qui eſt veluti cauſa efficiens huius Sacramenti: Et quamuis cauſa efficiens principalis omnium ſacramentorum ſit ſolus Deus, in quo eſt poteſtas excellentiæ: Sacerdos tamen eſt cauſa efficiens miniſterialis, de quo in præſenti tractamus, quapropter

2 *Miniſter cõſecrationis Euchariſtiæ eſt ſolus Sacerdos.*

Dico primò ex communi conſenſu omnium Theologorum: Miniſtrum Conſecrationis ſacramenti huius eſſe ſolùm ſacerdotem legitimè ordinatum: Vndè ſi aliquis non ſacerdos Euchariſtiam conſecrare tentauerit, non ſolùm maximum committeret ſacrilegium, verùm etiam nullum conficeret ſacramentum: Ratio huius eſt, quia ſolus ſacerdos noui Teſtamenti habet ordinem Sacerdotalem, & Chriſtus ſolis Sacerdotibus hanc poteſtatem tribuit, dicens illis; *Hoc facite in meam commemorationem*: Vndè canit Eccleſia; *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit, ſolis presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris*, & ità declaratum, & determinatum eſt per ſacrum Concilium Triden. ſeſ. 22. cap. 1. & in hoc nulla eſt controuerſia apud Catholicos, legite Suarez D. 61. ſect. 3. Bellarm. lib. 4. de Euchariſtia ca. 16. Coninch. q. 83. art. 1. nu. 3.

Aſſignatur ratio.

Eccleſia in hymno.

Conc. Trid. Suar. Bellarm. Coninch.

3 *Sufficit character Sacerdotalis ad validitatem.*

Ex quo ſequitur: Ad validitatem ſacramenti huius non requiri ſanctitatem, ſiuè iuſtitiam miniſtri conficientis, ſed poteſtatem ordinis Sacerdotalis, vt videlicet miniſter ſit legitimè ordinatus, & habeat characterem ſacerdotalem: Et non obſtat, quod ſit ſuſpenſus, ſiuè irregularis, aut etiam degradatus, aut peccator, ſiuè excommunicatus, ſiuè hæreticus, ſiuè ſchiſmaticus, dum tamen intendat facere, quod facit Eccleſia, & proferat verba formæ ſuper debitam materiam.

4 *Aſſignatur ratio.*

Ratio huius eſt, quia omnes ſupradictæ conditiones ſunt accidentales, & nullatenus delent characterem Sacerdotalem, qui eſt indelebilis, vt habetur per determinationem Concilij Trid. ſeſs. 7. can. 9. 12. & 23. & ſeſ. 7. can. 4. Character autem manens eſt ſufficiens poteſtas conficiendi validè ſacramentum.

Conc. Trid.

5 *Hæretici Sacerdotes validè conficiunt, ſed peccant.*

Vndè ſequitur Hæreticos, & ſchiſmaticos ſacerdotes poſſe validè conficere Euchariſtiam, non tamen licitè, quia tales ſic conficientes: Non ſolùm ſacrilegium committerent, verùm etiam nouam irregularitatem incurrerent, prout docent D. Thom. in 3. part. quæſt. 82. art. 7. & Soto in 4. d. 13. quæſt. 1. art. 8. aliique communiter.

D. Thom. Soto.

6 *Obiectio 1. D. Auguſt. Leo Pap.*

Sed contra obiiciet aliquis, quod D. Auguſt. in Can. extra Eccleſiam 1. quæſt. 1. dicit: *Extra Catholicam Eccleſiam non eſſe locum veri ſacrificij*: Sic etiam Leo Papa epiſt. 38. cap. 2. & habetur in Decretis, d. 1. qu. 1. vbi dicitur: *Aliter, quam in Eccleſia, quæ Corpus Chriſti eſt, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia*: Sed Hæretici, ſchiſmatici, ſiuè excommunicati ſunt ſeparati ab ipſa Eccleſia, ergò non poſſunt verum ſacrificium conficere.

7 *2. Obiectio.*

Item ſecundò; Nullus poteſt hoc ſacramentũ conficere, niſi per poteſtatem conſecrandi, quam habet: Sed degradatus non habet poteſtatem conſecrandi, cùm ſit degradatus, &c. ergò videtur huiuſmodi ſacerdotes non poſſe Euchariſtiam conficere.

8 *Confirmatur noſtra concluſio.*

His tamen non obſtantibus confirmatur noſtra concluſio, & ex communi conſenſu omnium Theologorum affirmamus, quod Si ſacerdos legitimè ordinatus quicumque ſit ille, velit ſacramentum conficere, ſemper faciet verùm ſacramentum, non obſtante, quod ſit degradatus, ſiuè hæreticus, &c. Nam per huiuſmodi impedimenta non amittit characterem, vt patet ex vſu Eccleſiæ, nam ſacerdotes, qui ex hæreſi ad Eccleſiam redeunt, nõ iterum ordinantur ſacerdotes, vt conſtat ex Can. Conuenientibus 1. qu. 1. & Can. Ordinationes 9 q. 1. ex quibus conſtat: Verum ſacerdotem propter hæreſim, aut degradationem, &c. characterem ſacerdotalem non amittere, ergò verè, & infallibiliter efficere ſacramentum.

Quapropter ad obiectiones: Reſpondetur ad primam: Auctoritates illas, & ſimiles intelligendas eſſe quantum ad hoc, quod Non rectè extra Eccleſiam ſacrificium offertur: Vndè extra Eccleſiam non poteſt eſſe ſpirituale ſacrificium, quod eſt verum virtute fructus, licèt ſit verum in ratione ſacramenti. 9 *Soluuntur obiectiones.*

Vel ſecundò. Reſpondetur: Quod quandò aliqui Canones dicere videntur: *Ordinationes Hæreticorum eſſe irritas*, intelligendi ſunt, vel quò ad debitum vſum, quia Eccleſia illos ſuſpendit, & prohibet, ne ad Sacerdotalia munera admittantur, quamquam ſacramentum, quod iuriſdictionem non requirit irritari non poſſit: Ità Valentia tom. 4. d. 6. q. 10. p. 1. Tolet. lib. 2. cap. 28. num. 1. Victoria in ſumm. nu. 92. aliique ſupra cit. 10 *2. Reſponſio.*

Valentia. Tolet. Victoria.

Ad ſecundam obiectionem: Reſpondetur, Negando minorem: non enim poteſtas Conſecrandi per degradationem amittitur, eo quod character eſt indelebilis: Nec probatio illa in contrarium aliquid valet; Nam Canon ille citatus, non loquitur aſſertiuè, ſed inquiſitiuè, & ſic non facit ad rem contra concluſionem noſtram. 11 *Soluitur. 2. Obiectio.*

Dico ſecundò quod: Si quis non eſt verè Sacerdos ordinatus, & ad celebrandum accedat nullum conficit Sacramentum, quia non habet poteſtatem illud conficiendi: Sed ſi quis credat ſe eſſe Sacerdotem, cùm tamen in ſe realiter non ſit, & celebret in veritate non conficit Sacramentum, quia verè non habet poteſtatem, quamuis quantum ad effectum reſpectu recipientium creditur in caſu ſupplere Summum Sacerdotem Chriſtum Dominum, quia videlicet recipiens panem de manu talis Sacerdotis, non ſolùm excuſaretur ab idolatria, verùm etiam reciperet effectum veri Sacramenti, & æquè ſpiritualiter conſortaretur, ac ſi verum Chriſti Corpus recepiſſet, & hoc propter fidem ſacramenti, non autem propter ſacramentum Fidei, ideſt, propter veritatem: prout docet Gloſſa in c. Apoſtolicam de Presbyt. non ordin. & nõ baptizatis: Sic etiam dicit D. Thom. 3. p. qu. 82. & eſt communis opinio. 12 *2. Aſſertio. Qui non eſt ſacerdos non poteſt verè ſacramẽtum efficere.*

Gloſſa in c. Apoſt. D. Thom.

Dico 3. duos Sacerdotes poſſe eamdem Hoſtiam conſecrare, ità vt vnus medietatem vnam, & alter alteram medietatem conſecraret, dum tamen vterq; partem ſuam determinatam conſecrare intendat: Hoc tamen facere non debent, quia eſt præter vſum Eccleſiæ, tamen ſi facerent eſſet validum ſacramentum: prout docent Petr. de Palatio in 4. d. 13. quæſtio. 4. art. 1. Syluestr. verb. Euchar. 2. §. 4. Armilla §. 16. Tabien. §. 3. 13 *3. Aſſertio. An duo ſacerdotes poſſint conſecrare eamdẽ Hoſtiam, & quomodò.*

Palatius. Syluestr. Armilla. Tabiena.

Sic etiam dicimus; Plures Sacerdotes poſſe ſimul verba proferre, & ſimul eamdem numero Hoſtiam Conſecrare, quemadmodum in ordinatione Sacerdotum fieri ſolet: Nam quandò Sacerdotes initiantur ſimul conſecrant eamdem Hoſtiam cum Epiſcopo, quia ſic eſt vſus Eccleſiæ in illo actu, vt patet ex Pont. Rom. & ratio huius eſt, quia vt ait D. Tho. 3. p. qu. 82. A. 2. *Sacerdos cum ordinatur conſtituitur in gradu eorum, qui à Domino in Cæna poteſtatem Conſecrandi acceperũt*: Vndè ſicut Apoſtoli à Chriſto tunc fuerunt ordinati Sacerdotes, & Chriſto concœnauerunt: Ità nouiter ſacerdotes initiati Epiſcopo cõcelebrant, & in caſu omnes debent habere intentionẽ faciendi, quod facit, & vult Eccleſia in tali miniſterio, & dirigere intentionem ſuã ad illud inſtans principalis agẽtis, ideſt. Epiſcopi principaliter celebrantis, ne Cõſecratio iteretur ſuper 14 *Aſſertio 4. An plures ſacerdotes hoc poſſint efficere.*

D. Thom. Quare ſacerdotes concelebrant Epiſcopo, quandò ordinantur. Quam intentionem habere debent in caſu.

eamdem

D. Thom. Coninch. Suar. Bonac.

camdem materiam; Ità docent D. Tho. tertia parte, quæſt. 82. art. 2. Coninch. 161. num. 10. Suarez D. 61. ſect. quarta, Bonacin. to. 1. D. 4. quæſt. quinta, num. 2. alijque.

15 Aſſertio 5. Sacerdos Conſecrare non debet extra ſacrificium.

Dico quintò Sacerdotem, qui eſt ſacramenti miniſter, non debere, nec poſſe licitè hoc ſacramentum efficere, niſi offerendo ſacrificium in Miſſa, non autem extra. Vndè ſi extra Miſſam conſecraret, validum eſſet Sacramentum; Tamen ſic conficiens peccaret mortaliter peccato ſacrilegij contra Chriſti inſtitutionem, & ordinationem Eccleſiæ: Quæ autem diſpoſitiones, & conditiones requiruntur in celebrante ad dignè, & licitè celebrandum dicentur poſtea, cùm de ſacrificio Miſſæ tractabimus.

16 Conſecrandum eſt ſub vtraque ſpecie, & ità ſumendum.

Vltimò tandem eſt dicendum quod Sacerdos, Cõſectans Euchariſtiam tenetur conficere ſacramentum ſub vtraque ſpecie, & integrè ſumere vtramque ſpeciem conſecratam: Ratio huius eſt, quia conſecrando ſacrificat, qui autem ſacrificat debet fieri particeps ſacrificij, quia hoc ſpectat ad perfectionem ſacrificij, & eſt obligatio conſequens, prout docet D. Thom. 3. p. q. 82. art. 4.

D. Thom.

17 Quid facere debet ſacerdos ſi loco ſanguinis conſecraſſet aquam.

Quàpropter ſi ſacerdos poſt ſumptionem Corporis loco ſanguinis ſumet aquam, tunc in caſu debet, & tenetur iterum Corpus, & ſanguinem conſecrare, & ſacramentum ſub vtraque ſpecie ſumere, ne ſacrificium remaneat imperfectum, quamuis non ſit ieiunus propter aquæ ſumptionem: Nam præceptum de perfectione ſacrificij eſt maioris obligationis, quàm vt à ieiuno ſumatur: Ità habetur expreſsè in Rubricis Miſſalis Romani, & eſt communis ſententia omnium Theologorum: Reliqua, quæ dicenda eſſent circa hãc præſentem materiam dicentur loco ſuo, cùm de Miſſæ ſacrificio agemus.

DE MINISTRO SANCTISSIMI Sacramenti Euchariſtiæ, quò ad adminiſtrationem.

CAP. II.

1 Miniſter ordinarius eſt ſolus ſacerdos.

MInister ordinarius, & Deputatus ad ſacramentum Euchariſtiæ adminiſtrandum eſt omnis, & ſolus ſacerdos, habens ordinariam, vel delegatam auctoritatem ad hoc ſacramentum adminiſtrandum: Nam ſicut in conficiendo, ità etiam in miniſtrando ſolus ſacerdos Chriſti perſonam ſuſtinet, qui in Cœna hoc confecit, & diſtribuit. Nam ſolius ſacerdotis eſt, per ſe ſacramenta fidelibus miniſtrare: Ità communiter omnes Theologi, nemine diſcrepante.

2 Aliquando poteſt eſſe Diaconus.

Dixi miniſter ordinarius, quia extraordinarius poterit aliquandò eſſe Diaconus diſpenſator huius ſacramenti, vt habetur ex Concil. Carthag. 4. Cano. 38. vbi dicitur: *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget.* & Cano. Præſente D. 93.

Can. Præſente d. 93.

3 Sine rationabili cauſa Diacono non eſt præmittendum. Coninch.

Hic tamen eſt aduertendum, hoc non debere Sacerdotem Diacono committere ſine rationabili cauſa, quandò videlicet adſint Sacerdotes, qui id commodè facere poſſint, vt patet per illa verba Concilij dicentis. (*Si neceſſitas cogat.*) Ità Coninch. q. 82. A. 3. n. 21. Dicimus etiam, quod Diaconus abſente Sacerdote, & vrgente neceſſitate, poteſt licitè Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus erogare ſine vlla expreſſa commiſſione, quia tunc Sacerdos cenſetur id ei in hoc caſu committere; quia ad hoc tenetur: Ità expreſsè docet Gelaſius primus Epiſt. 1. c. 10.

Gelaſi. Pap.

4 An aliquandò poſſit laicus Euchar. adminiſtr.

Sed hic mouetur quæſtio: An vrgente neceſſitate Sacerdos poſſit committere Subdiacono, vel Clerico inferiori Diacono, ſiuè etiam laico, vt poſſint Euchariſtiam conferre in articulo mortis conſtituto, quandò non adſit Sacerdos, aut Diaconus, qui hoc poſſit efficere; & Ratio dubitandi eſt, quia ſunt nonnulli Doctores, qui exiſtimant, & probabiliter tenent; In graui neceſſitate hoc fieri poſſe: vt ſi alicui mox morituro neceſſaria eſſet communio, nec eſſet alius Sacerdos, aut Diaconus, qui poſſet Sacramentum Euchariſtiæ deferre ad infirmum, tunc poſſe Parochum licitè committere clerico, ſiue etiam laico, vt Sacramentum ferat ad ſubueniendum infirmo in tali periculo, & neceſſitate conſtituto: Ità docet Valentia tomo 4. d. 6. quæſt. 10. p. 1. ad quam opinionem videtur inclinare Suarez D. 72. ſect. 7. & Coninch. quæſt. 82. A. 3. num. 23.

1. Opinio. Valentia. Suar. Coninch.

5 Ratio ipſorū Doctorum.

Ratio autem iſtorum eſt, quia iure ſolùm humano prohibitum eſt laico tangere Euchariſtiam: Ius autem humanum, non videtur in tali caſu neceſſitatis obligare, ſed potius videtur cedere grauiori præcepto Diuino, quo fideles tenentur in articulo mortis Euchariſtiam recipere: tum quia olim permiſſum erat fidelibus ſecum deferre Euchariſtiam ſequenti die ſumendam: Immò etiam permiſſum fuit laicis deferre Euchariſtiam ad infirmos tempore neceſſitatis, prout refert Euſebius libr. 6. Hiſtor. cap. 36. ergò, &c.

Euſebius.

6 2. ſent.

Contraria tamen opinio videtur probabilior, abſolutè dicens: Non licere aliquo modo committere hoc munus miniſtrandi Euchariſtiam alijs, niſi Sacerdotibus, aut in neceſſitate Diacono, non autem aliis clericis inferioribus, & multò minus laicis: Non enim eſt tanta neceſſitas ſumendi Euchariſtiam, vt etiam clericis, aut laicis liceat hoc munus ſacrum committere, non ſeruata ſolemnitate, & ritu Eccleſiæ conſueto: Vnde canit Eccleſia: *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit, ſolis presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.*

7 Non licet laicis, aut clericis Euchariſtiam tangere. Conc. Rem.

Non enim licet laico, aut clerico inferiori Diacono hoc ſanctiſſimum tangere Sacramentum: Quàpropter in Concil. Remenſi capit. 11. & refertur in Can. peruenit de Conſ. d. 2. acriter reprehenduntur Sacerdotes, qui per laicos infirmis viaticum mittebant, & præterea interdicit ſancta Synodus, ne talis temeraria præſumptio vlterius fiat, ſed omninò ſacerdotes per ſemetipſos Euchariſtiam adminiſtrare præcipit: Ità expreſsè tenent, & docent Sotus, in 4. diſtin. 13. qu. 2. A. 3. Henriquez lib 8. cap. 54. Syluest. Verbo Euchariſtia qu. 4. numer. 5. Em. Sà num. 4. Victoria nu. 89. Poſſeuinus de comm. c. 8. num. 4. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 5. num. 6. Chamerota cap. 9. de Euchariſtia d. 3. Cand. Aur. de Admin. Euchariſtiæ qu. 3. nu. 90. aliique multi communiter.

Soto. Henriq. Em. Sà. Victoria. Poſſeuinus. Bonac. Chamerot. Cand. Aur.

8 Suarez, & Coninch. reducuntur ad bonum ſenſum.

Nec Coninch. & Suarez, ſupracitati audent ſecundam iſtam ſententiam improbare, ſed tantùm dicũt: Illam opinionem non eſſe improbabilem: Non enim laici (ait Bonacina) *Habent manus ſacratas*, & quamuis laicus poſſit Euchariſtiæ Sacramentum inuentum in terra eleuare: & ponere ſuper altare propter Sacramenti reuerentiam, non tamen poteſt ſibi, ſiuè alijs adminiſtrare, quia ad hoc requiritur conſecratio ſpecialis, prout docet Syluester ſupra, allegans Diu. Thom. & Palatium, aliſque & iſta opinio videtur ſecurior, & probabilior, & in praxi eſt tenenda.

Syluester. D. Thom. Palatius.

9 An ſacerdos poſſet aliquandò ſibi Euch. adminiſt.

Secundò quæritur: Vtrum aliquis poſſet ſibi licitè Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare: Reſpondetur primò: loquendo de ſacerdote: Hoc ſibi ordinariè non licere, niſi quandò celebrat, vel Feria 6. in Paraſceue quandò facit officium ſolemne: vt patet ex

Laicus, ſiuè nō ſacerdos adminiſtrās, fit irregularis.

Diaconus non fit irregularis.

Coninch.

Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtraret irregularitatem incurreret, quia diſtributio communionis, quandò fit propria auctoritate, eſt actus Ordinis Sacerdotalis, & conſequenter, non Sacerdos eam ità diſtribuens exercet actum Ordinis, quem non habet: Diaconus autem non incurrit irregularitatem, quia ex vi ordinationis ſuæ hanc habet facultatem, vt patet ex Pontificali Rom. Ità Coninch. ſupra n. 29. alijq;

DE DISPOSITIONE REQVISITA in Sacerdote pro adminiſtratione SS. Sacramenti Euchariſtiæ.

CAP. III.

1 Sacramenta indignè tractātibus obſunt, non autem ſumentibus.

PRo complemento huius præſentis tractatus operæ pretium eſt dicere, & explicare, quæ & quales diſpoſitiones requirantur in Sacerdote ad hoc, vt Sacramentum Euchariſtiæ dignè, & fideliter adminiſtret, ne indignè adminiſtrando ſibi diſpendium præbeat, vndè alijs commodum exhibet: *Sacramenta .n. indignè miniſtrantibus obſunt, quamuis prodeant per eos dignè ſumentibus:* vt habetur in Can. Sciſcitantibus 15. q. 8. ex doctrina Nicolai Papæ. Quàpropter.

Can. ſciſcitantibus.

2 Quæ obſeruare debet miniſter Euchariſtiæ ex parte Sacramenti.

Dico Primò: Miniſtrum Sacramenti Euchariſtiæ obſeruare debere omnes leges, quæ neceſſariæ ſunt ad huius Sacramenti reuerentiam, tam ex parte Sacramenti, quàm ex parte recipientis, quam etiam ex modo, & circumſtantijs requiſitis in ipſa adminiſtratione, ac etiam ex parte ipſius miniſtri, diſtribuentis Sacramentum: Quàpropter circa primam.

3 Ex parte Sacramenti: neceſſe eſt, quod miniſter ſub ſpecie panis, ritè conſecrati fidelibus communionem diſtribuat, & huc ſpectat, vt neque ſub vtraque ſpecie, neque ſub vna ſolùm ſpecie vini diſpenſet, & contra faciens mortaliter peccaret, prout docent Filliuc. to. 1. tr. 4. cap. 9. n. 269. & Suar. d. t. 3. D. 72. ſect. 4.

Filliuc. Suar.

4 Quæ obſeruare debet ex parte ſumentium.

Secundò ex parte ſumentium obſeruare debet, ne detur indignè accedentibus, vel irreuerenter tractantibus hoc Sacramentum, quandò in foro Eccleſiæ cōſtat de indigna ſuſceptione, non ſolùm ratione peccati, ſed etiam ætatis infantiæ: (ſuppoſita Eccleſiæ conſuetudine) ſic etiam ratione amentiæ, aut phrænesis cum euidenti periculo expuitionis, aut ratione ægritudinis cum ſimili periculo vomitus, quæ omnia ſunt per ſe clara, vt notauit Caiet. in ſum. Verb. Communio. Poſſeuin. de Offic. Curat. de adminiſtrat. Sacramenti. c. 5. nu. 13.

Caietan. Poſſeuinus.

5 Miniſter Sacramenti tenetur obſeruare, ne indignis adminiſtretur.

In his enim omnibus interuenit Sacramenti irreuerentia, & iniuria, quam miniſter Sacramenti euitare tenetur, quantum poteſt, & nullo modo illi cooperari, & in omnibus interuenit peccatum mortale ex ſuo genere, niſi aliquandò excuſetur propter inaduertentiam, ſiuè ignorantiam facti, ſiuè futuri euentus; prout docent Theologi, vt Suar. Caiet. Filliuc. & Poſſeu. loc. ſup. cit.

Suar. Caietan. Filliuc. Poſſeuin.

6 Quæ cæremoniæ ſunt ſeruandæ in admin. Sacr. Quibus veſtibus debet eſſe indutus.

Tertiò ex modo, & circumſtantijs ſeruare debet debitas cæremonias, & circumſtantias, quæ ab Eccleſia ſunt ordinata, vt videlicet non miniſtretur Sacramentum tempore interdicti, non in priuata domo, ſine facultate, & permiſſione Epiſcopi: non ſine veſtibus ſacris, & decentibus, ſaltem ſuperpelliceo indutus, & ſtola è collo pendente: In quibus deficere ex ſuo genere peccatum eſſet mortale, quia faceret contra ordinationem Eccleſiæ in re graui, pro vt docent Graff. lib. 2. c. 40. Turrecrem. cap. Eccleſię d. 23. Filliuc. ſupra nu. 270.

Graff. Turrecrem. Filliuc.

7 Quæ cæremoniæ ſunt obſeruandæ.

Denique ex decentia ſeruandæ ſunt etiam aliæ circumſtantiæ, & cæremoniæ, ſecundum Eccleſiæ receptam conſuetudinem, vt videlicet adminiſtretur luminibus accenſis, præmiſſa confeſſione, & generali, ſiuè communi abſolutione, & cum ſolitis orationibus iuxta Rituale Romanum, quæ (ſecluſo ſcandalo, & contemptu) voluntariè omittere non eſſet peccatum mortale, ſed tantùm veniale, ratione alicuius carentiæ reuerentiæ debitæ Sacramento ſecundùm doctrinam Suarez, & Filliucij ſupra.

Suar. Filliuc.

8 Quæ ſunt obſeruanda ex parte ipſius miniſtri.

Quartò ex parte ipſius miniſtri præter poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis, eſt neceſſaria conueniens diſpoſitio, Ne videlicet ſit in ſtatu peccati mortalis: tenetur enim Sacramentorum miniſter de Iure Diuino, Sancta ſanctè pertractare, quapropter communiter dicunt Theologi, quod: Adminiſtrare Sacramenta extra gratiā ex ſuo genere peccatum mortale eſt, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

9 Quæſtio. An adminiſtrans Euchariſtiam teneatur eſſe in gratia.

Hic tamen eſt aliqua controuerſia inter Theologos: An Vid. Sacerdos, diſpenſans Euchariſtiam teneatur eſſe in gratia, & quot peccata committat Sacramentum Sanctiſſimum extra gratiam pluribus adminiſtrando.

10 1. Sententia. Soto Paludanus. Syluest. Suarez. Reginald. Filliuc. Coninch. Henriq. Valentia.

Reſpondetur, eſſe quaſi communem ſententiam inter Theologos in 4. ſent. d. 13. vt videre eſt apud Soto q. 1. A. 3. Palud. quæſt. 1. A. 4. Sylueſt. verbo Euchariſtia 3. nu. 4. Suarez D. 72. ſect. 4. Regin. lib. 29. nu. 56. Filliuc. to. 1. tract. 4. cap. 9. nu. 271. Coninch. quæſt. 64. A. 6. nu. 53. Henriq. lib 5. cap. 5. nu. 6. Valent. to. 4. D. 9. quæſt. 10. p. 1. alioſque infra citandos abſolutè dicentes: *Sacerdotem, habentem conſcientiam peccati mortalis teneri priuſquam Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtret præparare ſe ad gratiam, vel per Sacramentalem confeſſionem, vel ſaltem concipiendo actum contritionis*, Vndè ſi extra gratiam adminiſtret ſacrilegium committet; cùm indignè tractet Sacramentum omnium digniſſimum, ad quod ſanctè adminiſtrandum ſpecialiter eſt ordinatus.

11 Adminiſtratio Euchariſtiæ eſt actio grauiſſima.

Et quamuis diſpenſans ſic non conficiat Sacramētum: tamen ſola diſpenſatio eſt miniſterium grauiſſimum, ad quod iuſtè, & ſanctè perficiendum Sacerdos peculiariter eſt conſecratus: eò autem grauius eſſet peccatum, quò peior fuerit miniſtri ſtatus, vt ſi eſſet publicus peccator, ſiuè concubinarius: Et ſi eſſet excommunicatus irregularitatem incurreret: nam Euchariſtiæ adminiſtratio eſt actus ordinis Sacerdotalis, pro vt docent Nauar. in ſum. cap. 27. nu. 244. Filliuc. d. to. 1. tract. 4. c. 9. nu. 271. cum alijs plurimis, infra citandis pro ſecunda opinione.

Eſt actus ordinis ſacerdotalis. Nauarr. Filliuc.

12 2. Sententia nimis rigida.

Alij verò ex his Doctoribus, non ſolùm ità dicunt abſolutè, ſed addunt dicentes: *Talem Sacerdotem, extra gratiam adminiſtrando toties peccare, quot homines communicaret, & quot hoſtias diuerſas diſtribueret*, quia tunc tot eſſent verè diſtinctæ Sacramenti diſtributiones: etiam ſi ſtatim conſequenter fierent: ſecus tamen ſi plures hoſtias, ſiuè particulas vni daret, quia tunc eſſet vnica diſtributio. Ità tenent Coninch. d. q. 64. A. 6. d. 1. nu. 35. Bonacina d. 4. quæſt. 5. p. 2. num. 5. Poſſeuinus de Offic. cur. de Sacrament. adminiſtrat. cap. 5. num. 41. Qui dicunt eſſe opinionem Syluestri in Verbo clericus 2. n. 2. in fin. Azorij parte 1. Inſtitution. moral. lib. 4. cap. 4. quæſt. 6. Quæ quidem opinio nimis rigida, & dura eſſe videtur: Quà propter,

Coninch. Bonac. Poſſeu.

Syluest. Azor.

13 3. Sententia media. Rodriq.

Eſt tertia opinio Rodriquez in ſummn. cap. 249. de Miſſæ ſacrificio nu. 26. abſolutè dicentis: *Sacerdotem in peccato mortali celebrantem, & in ipſa Miſſa Euchariſtiam conſecratam alijs adminiſtrantem, duo tantùm peccata mortalia committere: Vnum quia indignè celebrauit, & Sacramentum ſumpſit, alterum quia Euchariſtia Sacramentum alijs diſtribuit:* Ratio huius eſt, quia adminiſtratio eſt actus diſtinctus à conſecratione: At ſi adminiſtret in illo ſtatu Euchariſtiam millibus perſonis non eſſet, niſi vnum peccatum mortale.

14 *Reſpondetur tacitæ obiectioni.* Nec obſtat, quod in his mille communionibus ſint mille actus diſtincti numero, ideoque videntur tot eſſe peccata, quia licèt ſint diſtincti, quò ad ſuam entitatem, moraliter tamen non reputantur, vt diſtincti, ſed in genere moris ſe habent tanquam vnus actus.

15 *Exemplum de audiente confeſſione multorum.* Sicut in ſimili habetur, ſi in eodem actu continuò audiret mille confeſſiones, & toties abſolutionem Sacramentalem impertiret, ſedendo continuè in loco ad id ſolito, aut per breue tempus ſubleuando, non eſſet niſi vnum peccatum mortale in genere moris, ità, &c.

Sequuntur, Fagundez, Henriq. Tannerus. Suarez, & Filliucius ex parte. Hæc Rodriquez vbi ſupra, concordant Fagundez de 2. præcept. Eccleſ. libro 3. cap. 5. num. 9. Henriqu. libr. 1. cap. 29. nu. 4. & lib. 5. cap. 5. num. 6. Tannerus in 2. 2. D. 4. q. 2. d. 4. n. 56. Suar. & Filliuc. nihil de hoc expreſsè dicunt, videntur tamen eſſe iſtius opinionis; quæ nobis videtur eſſe magis rationi conſentanea, eſt enim vnus actus moralis, ex vna voluntate, ideò, &c.

16 *4 Sententia nullum admittit peccatum in administratione Euchariſtiæ. Tangere Sacramentum extra gratiã non eſt mortale: Secundum ſe.* Verum eſt tamen, quod ſunt nonnulli Doctores recentiores, qui dicunt; Sacerdotem ſimpliciter Euchariſtiam adminiſtrantem alijs, non peccare mortaliter, ſecluſo ſcandalo, aut contemptu, quia in caſu non conficit Sacramentum, vt ſupponitur; ſed tantùm applicat, quaſi actiua paſſiuis, Sacramentum ante conſecratum alijs miniſtrando, & diſpenſando; Tangere autem Sacramentum in peccato mortali (per ſe loquendo) ſine ſcandalo, & contemptu (vt dixi) ex ſuo genere non eſt peccatum mortale, niſi tantùm veniale, vt etiam multi alij Theologi, ex illis concedunt.

17 *Differentia inter Euchariſtiam, & alia ſacramenta. Doctores huius ſententiæ. Vaſquez. Nugnus. Ledeſma, Syluius, Diana.* Et non eſt eadem ratio de alijs Sacramentis, quæ in vſu conſiſtunt; nam in alijs Sacramentis, Sacerdos ſimul conficit, & adminiſtrat; In hoc autem tantùm adminiſtrat; diſpenſando, & porrigendo formulas conſecratas: & non eſt idem conficere, & miniſtrare ſimpliciter: ergò, &cet. Nam Euchariſtię Sacramentum, cùm ſit Sacramentum permanens diſtinguitur ab alijs, quæ in vſu, & actione conſiſtunt; Ità docent Vaſquez in 3. p. tom. 2. D. 136. cap. 3. num. 38. Nugn. in 3. p. tom. 1. quæſt. 64. A. 3. difficult. 1. concl. 2. Ledeſma in ſumm. tomo 1. capit. 6. concl. 1. Syluius Cabrera in 3. p. qu. 64. A. 6. Quos ſequitur Anton. Diana de celebr. Miſſ. reſol. 23. & de circumſtantijs peccatorum reſol. 41.

18 *Concluſio Dianę.* Vndè concludit Diana; Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem, deferens Sacramentum Euchariſtiæ per Ciuitatem, etiam infirmis miniſtrando, (ſecluſo ſcandalo, & contemptu) non peccare mortaliter, ſed ſolùm venialiter: Itàque in tali caſu non eſt neceſsè, quod Sacerdos ſe accuſet de tali adminiſtratione in peccato mortali: Hæc Diana; Cuius ſententia ſatis probabilis eſſe viderur.

19 *Reſolutio auctoris in iſta quæſtione. Pro prima opinione.* Quid ergò ſentiam dicam breuiter, quod: Prima opinio, dicens: Sacerdotem debere eſſe in gratia, quandò Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrat, eſt communior, & valdè probabilis: nam adminiſtratio huius Sanctiſſimi Sacramenti eſt valdè ſacra, & quãuis ſimpliciter miniſtrando non conficiat, diſpenſat tamen realiter Chriſti corpus, exercendo actum, ad quem ſpecialiter inter alia eſt conſecratus, & conſequenter proximè Chriſti perſonam gerit, cuius proprium eſt: paſcere Oues ſuas hoc cibo cęleſti, ideò debet ſuo principali agenti ſe conformari.

20 *Quò ad ſecundam.* Opinio autem Coninch, & Bonacinæ nimis videtur rigida; non enim videtur probabile: Tot peccata mortalia committere, quot ſunt numero perſonæ, quæ in illa actione vnica communicantur: Non enim ſunt multiplicanda peccata ſine neceſſitate.

21 Opinio tamen Vaſquez, Nugni, & Dianæ, & aliorum probatione non caret, & poſſet ſecurè ſuſtineri; Vel ſi iſtam non vis tenere, dic quod ſufficit, vt Sacerdos ſe accuſet in peccato mortali Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtraſſe, ſine expreſſione numeri perſonarum, quas in eadem vnica actione, & voluntate communicauit, pro vt dixerunt Rodriq. & Fagund. *Pro 3 & 4 ſententijs vera reſolutio.*

Si quæras tandem: An in Sacerdote adminiſtrante alijs Euchariſtiam requiratur alia diſpoſitio præter gratiam. 22 *An debeat eſſe ieiunus?*

Reſpondetur Negatiuè, ex quo patet; non opus eſſe, quod ſit ieiunus, cũ hoc nullo Iure Diuino, ſiuè Eccleſiaſtico præceptum ſit: Ità Suar. D. 72. ſect. 4. alijq; *Suar.*

Dicimus tandem Euchariſtiæ Sacramẽtum eſſe adminiſtrandum manu Sacerdotis per indicem, & pollicem, & non alijs digitis, quamuis enim tota manus Sacerdotis ſit conſecrata; Conſuetudine tamen receptũ eſt, vt Sacramentum hoc, tantùm pollice, & indice manus miniſtretur, etiam ſi Sacerdos chiragra, vel alia infirmitate laboraret, quod aliter adminiſtrare non poſſet. Non .n. hoc Sacramentum eſt tantæ neceſſitatis, quod à communi vſu Eccleſiæ ſit recedendum: Sicut .n. non licèt ſine veſtibus ſacris celebrare, ad communicandum infirmum, ità nec alijs digitis contra Eccleſiæ conſuetudinem; Ità Bonac. D. 4. q. 5. p. 2. nu. 10. 23 *Adminiſtrãdum eſt manu Sacerdotis. Indice, & pollice, non alijs digitis.* *Bonac.*

Ex quo patet; quid dicendum ſit de tempore peſtis, tunc enim Sacerdotes debent infirmos propria manu, & nõ aliquo inſtrumento communicare, quia ità poſtulat reuerentia tanto Sacramento debita, & rationabilius eſt mortis periculum ſubire, adminiſtrando Sacramentum Sanctiſſimum, ſeruata reuerentia tanto Sacramento debita, quàm Euchariſtiam infectis peſte denegare, vel eam adminiſtrare, non ſeruata præſcripta forma, & recepta à tota Eccleſia, ſic enim videtur conueniens, & expediens, pro vt docent Suarez in 3. p. D. Tho. to. 4. D. 44. ſect. 3. Bonac. to. 1. D. 4. q. 5. p. 2. n. 10. Poſſeu. de offic. Curati c. 5. nu. 50. alijque ab ipſis citati. 24 *Quid faciendum ſit tempore peſtis.* *Suar. Bonac. Poſſeuinus.*

TRACTATVS XII.

De Sacramentis.

Et de ſubiecto SS. Sacramenti Euchariſtiæ.

Tract. VI.

PROOEMIVM.

Expeditis, explicatiſque cauſis intrinſecis, huius Sacramenti, antequam ad eius effectus explicandos accedamus, opere pretium eſt, vt de ſuſcipientibus hoc Sacramentum, quæ neceſſaria ſunt dicamus: Finis enim principalis, ad quem fuit à Chriſto Domino inſtitutum, vt fideles hoc ſpirituali cibo reficiarentur eſſe patet: Vndè cauſa finalis, videntur eſſe, qui ſunt Sacramenti huius capaces: Idèoque in hoc præſenti tractatu ſexto de Euchariſtia eſt primò dicendum: De varijs modis, quibus Sacramentum hoc recipi poteſt à fidelibus, deindè de Diſpoſitionibus, quæ requiruntur, tam ex parte Animæ, quam reſpectu corporis in ſuſcipientibus: & Poſtmodum de obligatione, & præcepto recipiendi Euchariſtiam. *Diuiſio totius Tractatus.*

DE

DE SVSCIPIENTIBVS SANCTISSIMVM Euchariſtia Sacramentum, & de modis, quibus recipi poteſt.

CAP. I.

1 Communio trip. fieri poteſt. Conc. Trid.

EST primò notandum communionem Sanctiſſimi Sacramenti tripliciter fieri poſſe: Videlic. Sacramentaliter tantùm, ſpiritualiter tantùm; & ſpiritualiter ſimul, & Sacramentaliter, pro vt docet Sacrum Tridentinum Concilium ſeſſione 13. cap.8.

2 1. Sacramentaliter tantū.

Primo modo eſt quandò recipitur Sacramentum Sanctiſſimum à peccatoribus, qui cum conſcientia peccati mortiferi indignè ad hoc Sacramentum recipiendum accedunt, & hi non ſolum fructum, & effectum Sacramenti non recipiunt, (ſed quod peius eſt) damnationem acquirunt, iuxta illud Apoſt. 1. Corinth. c. 11. dicentis: *Qui enim indignè manducat, & bibit indicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Iudicium ideſt condemnationem: nam (vt ait Gloſſa ibidem) *Ille indignè manducat, & bibit Euchariſtiam, qui extra gratiam irreuerenter tractat, & manducat, ipſe itaque reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, ideòque mortaliter peccat, & ſacrilegium committit, tamquam Sacramenti violator.

1. Corinth. c. 11. Iudicium ſibi manducat, & bibit indignè recipiens. Gloſſa.

3 Grauitas huius peccati quanta eſt. D. Thom.

Quàpropter peccatum hoc eſt multis alijs grauius ſecundum ſuam ſpeciem: non tamen omnium grauiſſimum, cùm peccata, quæ contra eius Diuinitatem committuntur grauiora ſint, pro vt docet D. Thom. in 3.p.q.80. A.5. in Corp. Idcircò dicimus: Peccatum hoc in quibuſdam poſſe eſſe grauius, ſicut in illo, qui actuali contemptu, & cum voluntate peccandi ad Sacramentum iſtud accedit: In aliquibus autem poſſe eſſe minus graue, qui licet cum conſcientia peccati mortalis abſque præuia confeſſione ad communionem accedant, non tamen habent affectum ad peccatum, ſed cum quadam diſplicentia, & timore; Iſti enim videntur excuſari aliqualiter, & non totaliter, ideſt à tanto, ſed non à toto peccato.

Quandò excuſantur aliqualiter, & nō totaliter.

4 Grauius peccat infidelis, quàm fidelis. D. Thom.

Quàpropter grauius peccat infidelis (moraliter loquendo,) accedens ad Euchariſtiam, quàm fidelis extra gratiam: Nam ille non ſolùm eſt extra gratiam, verum etiam eſt incapax Sacramenti: Vndè dicit D. Tho. 3.p.q.80. A.5. Infidelis peccat contra ipſum Sacramentum, & vſum eius, fidelis autem tantùm contra vſum ipſius.

5 Grauius peccatum eſt accedere cum grauioribus culpis, quàm cum minoribus. Suar. Henriq. Bonac.

Similiter etiam dicimus, grauius eſſe peccatum, accedere cum grauioribus culpis, puta Luxuriæ, Homicidij, Odij, &c. quàm cum alijs leuioribus: Ità Suarez D.66. ſect.2. in fin. Henriq lib.8. c.45. Bonac. D.4. q.6. n.9. & Ratio huius eſt, quia quò grauius eſt delictum, videtur habere maiorem repugnantiam cum auctore gratiæ, qui in hoc Sacramento continetur.

6 2. Modus cōmunicandi Spiritualiter tantùm.

Secundo modo recipitur ſpiritualiter tantùm: Et hoc modo recipitur ab hominibus iuſtis, qui propter aliquod impedimentum Euchariſtiam recipere aliquandò non poſſunt, vt propter cibi ſumptionem, vel propter infirmitatem, ſiuè carentiam miniſtri, ſiuè propter aliud accidens, & ex fide viua deſiderant ſe ipſos Deo Sacramentaliter coniungere, licèt in effectu ſpecies Sacramentales non manducent, recipiunt tamen fructum, & vtilitatem ipſius Sacramenti ſecundum illud D. Auguſt. *crede, & manducaſti*: de qua ſumptione ſpirituali dixit Apoſt. 1. Corinth. cap. 10. *Omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducauerunt, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus*.

D. Auguſt. Apoſt. 1. Corinth.

7 De eff. cōmunionis ſpiritualis.

Sed non eſt intelligendum de fructu ex opere operato, qui ſoli manducanti tribuitur, ſed de merito eius; quà propter, qui maiorem habet deuotionem, & fidem viuam, maiorem guſtum, & vtilitatem ſentiunt.

8 Spiritualis communio quomodò fiat. Conc. Trid.

Hæc autem ſpiritualis communio proprijſſimè dicta eſt illa, quæ fit per votum, & deſiderium huius Sacramenti, pro vt docet Conc. Trid. d. ſeſſ. 13. cap.8. Non enim omne deſiderium huius Sacramenti cenſeri debet ſpiritualis communio, ſed ſolum illud, quod ex fide, & charitate perficitur: Quàpropter, ſi aliquis in peccato mortali, exiſtens deſideret ſuſcipere Euchariſtiam in illo malo ſtatu, non ſolùm non ſpiritualiter reciperet effectum, ſed grauiter peccaret.

9 Communio ſpiritualis mortua, quæ ſit.

Si verò non ità componat obiectum, ſed deſideret ſumere in meliori ſtatu, talis actus non erit quidem ſacrilegus, & malus, tamen non perueniet ad rationem ſpiritualis ſumptionis; Sed diceretur communio ſpiritualis mortua, & ſine fructu, quæ dicitur: Communio ſecundum quid, pro vt docent Alex. de Ales. 4. part. q.43. memb.3. Suarez d. D. 62. ſect. 1. aliique.

Alex. de Ales. Suar.

10 3. Modus cōmunicādi vtroque modo.

Tertio modo recipitur Sacramentaliter, & ſpiritualiter ſimul, & hoc fit quandò ab hominibus iuſtis verè, & realiter recipitur ſacramentum Euchariſtiæ, qui ità ſe prius probant, & inſtruunt, & veſte nuptiali diuinæ gratiæ ſpiritualiter induti ad hanc menſam accedunt; & illi ſunt, qui recipiunt fructum, & ſentiunt dulcedinem, & effectus admirabiles huius Sanctiſſimi Sacramenti, de quibus Dominus dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo. Et qui manducat hunc panem viuet in æternum*: Ioann. cap.6. Et hæc eſt vera receptio Sacramenti Euchariſtiæ.

Ioan. c.6.

11 1. aſſertio. Qui ſunt capaces Sacramētū Euchariſtiæ.

His itàque prænotatis: Dico primò: *Omnes homines baptizatos eſſe Sacramenti huius capaces*; Quàpropter (per ſe loquendo, ſecluſis alijs impedimentis Animæ, & corporis) poſſe illud Sacramentaliter ſumere ſimul, & ſpiritualiter: Et in hoc nulla eſt controuerſia: Omnes enim in hoc conueniunt: Nam ipſe Dominus dixit; *Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*: Et præceptum dedit omnibus fidelibus, vt manducarēt, quandò dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, quod intelligitur de fidelibus baptizatis, vt communiter dicunt Theologi in 4. ſent. d.13.

Matt. 26. nu. 28. Ioan c.6.

12 Infideles nō ſunt huius Sacramenti capaces.

Ex quo ſequitur: Omnes Infideles, qui non habent characterem Baptiſmi nullo modo eſſe Sacramenti huius capaces: Ratio huius eſt, quia Baptiſmus eſt ianua Sacramentorum omnium, ergò, qui non ſunt baptizati non poſſunt eſſe Sacramenti huius capaces. Ex quo etiam ſequitur, quod Catechumeni, licèt propter fidem, & contritionem iuſtificati ſint, non tamen poſſunt Euchariſtiæ Sacramentum, Sacramentaliter manducare, quia cùm careant charactere Baptiſmi, per quem confertur potentia ad Sacramenta recipiēda, & eorum effectus, ſequitur, quod: Qui non habent hunc characterem non ſunt capaces alicuius Sacramentalis effectus, & conſequenter, neque ſumptionis Euchariſtiæ; (Quicquid dicant Marſil. in 4. d. 13. q. 6. A.2. & Innocent. in c. Venientes de Baptiſmo, putantes: Euchariſtiam recipi poſſe à Catechumenis) contrariam tamen ſententiam omnes Theologi, & Canoniſtæ docent, vt videre eſt apud Suarez d. tomo 3. de Sacra. D.62. ſect.3.

Neque Catechumeni. Marſilius. Innocentius. Suar.

13 An Amentes ſint capaces Euchariſtiæ. Reſolutio.

Sed difficultas eſt de Amentibus, & phræneticis: An ſint Sacramēti huius capaces, & poſſint licitè admitti ad Sacram communionem?

Reſpondetur, quod ſi amentes, ſeù phrænetici ſint perpe-

Digitized by Google

perpetui, non reputantur adulti, ſed tanquàm infantes; Quàpropter non expedit illis communionem dare, quia (vt ait D.Tho.4.p.q.80.A.9.) cùm ſic à natiuitate permanſerint, in eis non præſupponitur, nec intẽtio, nec deuotio, neque actualis, nec habitualis, idcòq; non expedit.

De perpetuis amentibus. D. Thom.

14 Si autem non ſemper vſu rationis caruerint, & tunc dico, quod: Si prius quando erant compotes ſuæ mentis apparuit in eis deuotio huius Sacramenti, ſi ſpes ſit reſipiſcentiæ, expectandum eſt, donec habeant lucida interualla.

De amẽtibus temporalib.

15 Si verò amentia ſit continua, poteſt illis in mortis articulo dari Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè timeatur periculum expuitionis, vt habetur in capit. Si quis in infirmitate 26. quæſt. 2. Tum quia hoc nullo iure prohibetur, tum quia intercedit neceſſitas amentis, qui per Euchariſtiam cum attritione præmiſſa, ante amentiam poteſt gratiam obtinere, & conſequenter ſaluari, vt habetur ex cap. Quod ad te de Pœnit. & remiſſ. S c etiam docent Caiet. in ſumm. Verb. communio, num. 25. Sylueſt. Ver. Euchariſtia 3. num. 7. Soto in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. A. t. Bonac, tom. 1. D. 4. q. 6. nu. 2. Suarez tom. 3. D. 69. ſect. 2. alijque ab ipſis citati, quamplurimi.

Amentes quando poſſunt Sacramẽtũ recipere.
c. quod ad te. Caiet. Syluest. Soto. Bonac. Suar.

16 Paruuli autem baptizati, quamuis ſint Sacramenti huius capaces, & in primitiua Eccleſia mos fuit eos communicare, modo tamen rationabili de cauſa propter decentiam, & reuerentiam Sacramenti illis non conceditur, niſi habeant vſum rationis. Quandò verò ad hunc vſum rationis peruenerint remittitur iudicio proprij confeſſarij, qui debet conſiderare, ſi puer habeat rationis vſum ſufficientem, vt poſſit cognoſcere, quid ſit recipere tantum, ac admirabile Sacramentũ. Verum eſt tamen, quod; Si poſt annos pubertatis habeant debilem rationis vſum, vt poſſit in eis eſſe aliqua deuotio, non debet illis communio denegari: pro vt docent Rodriq. in ſum. c. 64. nu. 2. Vigoet. de Euchariſtia c. 16. §. 3. verſ. 20.

An Paruuli ſint capaces.
Quandò eſtimatur habere vſum rationis.
Rodriq. Vigoet.

17 Dico Secundò: *Angelos non eſſe capaces, nec poſſe Euchariſtia Sacramentum recipere, eò quia non habent corpora, & in corporibus aſſumptis non poſſunt realiter manducare*, quia motus ille, pro vt eſt in corpore non eſt vitalis actio; Quàpropter illa non eſſet propria Sacramenti manducatio, ſed quædam alia localis mutatio: pro vt docent Suarez d. D. 62. ſect. 2. & Filliuc. tom. 1, tract. 4. c. 7. nu. 183.

Angeli non ſunt Sacramenti capaces.
Suar. Filliuc.

18 Dico Tertiò: *Bruta, & animalia irrationabilia non poſſe Euchariſtiam Sacramentaliter manducare*; (Dixi Sacramentaliter) quia realiter, & materialiter, poſſunt, cùm poſſint realiter manducare ſpecies illas conſecratas, ſicut poterant ante conſecrationem; Sed quia ſub illis accidentibus manet etiam Chriſtus, ideò dicuntur: Sacramentum manducare: Verum eſt tamen, quod manducatio illa non dicitur Sacramentalis, ſed materialis: Quod etiam contingere poteſt aliquandò hominibus etiam iuſtis, qui per accidens, inuenientes hoſtiam conſecratam illam comedunt tamquam panem, exiſtimantes illam non eſſe conſecratam: Quàpropter talis manducatio non dicitur Sacramentalis, ſed materialis; Ità Suarez d. D. 62. ſect. 2.

Bruta non ſunt capaces.
Manducant materialiter & non Sacramentaliter.
Suar.

19 Sed hic occurrit vna difficultas, ſtatim ſoluenda. An Videlicet Euchariſtia poſſit adminiſtrari illi, qui à Dæmone obſeſſus detinetur.

An obſeſſus à Dæmone poſſit communicari. Reſolutio.

Reſpondetur, quod ſi ille, qui à Dæmone vexatur habet adhuc lucida rationis interualla, poterit illi licitè Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrari, quoties prudens Sacerdos iudicauerit expedire. Ratio huius eſt, quia nullo iure prohibetur, huiuſmodi obſeſſum priuandum eſſe Sacramento, cuius ope, & auxilio fieri poſſet, vt à Dęmonis vexatione liberaretur, alioquin videretur, addi afflictionem afflicto. Ita D. Thom. 3. p. q. 80. A. 6.

D. Thom.

20 Si autem ità obſideretur à Dæmone, quod omninò careat vſu rationis, tunc credendum eſt, eſſe ſeruandum, quod diximus ſuprà de Amente, & phrænetico: Imò addo, quod etiam habentes imperfectum rationis vſum, vt ſunt ſemifatui communicari poſſunt licitè tempore præcepti, vt in Paſchate reſurrectionis, & articulo mortis, (ſecluſo tamen irreuerentiæ Sacramenti periculo) pro vt docent Henriquez in ſumm. lib. 8. cap. 42. & Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 6. num. 7. & Poſſeuin. de com. cap. 8. numer. 32. Et iſta de capacitate ſubiecti huius Sacramenti dicta ſufficiant: Supereſt, vt dicamus de diſpoſitionibus, quæ requiruntur in ſuſcipiente hoc Sacramentum, quæ in ſequenti capitulo dicentur.

Quando omninò caret vſu rationis.
Semifatui quando poſſunt recipere.
Henriq. Bonac. Poſſeuinus.

DE DISPOSITIONIBVS EX PARTE Animæ pro digna Sanctiſsimi Sacramenti Communione.

CAP. II.

1 EXplicatis explicandis, quæ pertinebant ad ſubiectum capax Sacramẽti Euchariſtiæ, & quot modis ſuſceptio Sacramenti fieri poteſt: Oportet modò videre, quæ conditiones, ſeù potius diſpoſitiones requiruntur in ipſo recipiente, ne indignè ad tantum Sacramentum accedat, ne fructus, & effectus tanti admirabilis, & digniſſimi Sacramenti ſit expers. Quàpropter: Dico.

2 Primò: Diſpoſitiones in ſubiecto ſuſcepturo Euchariſtiam; Dupliciter conſiderari poſſe: primò reſpectu Animæ: ſecundò reſpectu corporis: In Anima autem duæ diſpoſitiones requiruntur: Intentio Videlicet, & Puritas, ſiuè gratia habitualis, inhærens ipſi Animæ recipientis: Ideò primò dicendum eſt de intentione neceſſaria in ipſo recipiente, poſtmodum verò de gratia, & iuſtitia ipſius Animæ.

P. diſpoſitio. ad recipiendam Euchariſtiam. Diſpoſitio Animæ ſuſcipientis.

3 In ſuſcipiente igitur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum neceſſariò requiritur intentio actualis, ſiuè virtualis, vel ſaltem habitualis recipiendi Sacramentum; aliter enim nullum fructum illius recipiet: nam Sacramentalis ſumptio propriè, & realiter dicitur Realis manducatio Sacramenti Euchariſtiæ, & cum aliqua intentione ſumendi illud: Vndè ſi quis talem intentionem non habeat, quamuis ſpecies Sacramentales materialiter manducaret, rem tamen, & virtutem Sacramenti non reciperet: Intentio enim recipientis eſt neceſſaria, vt ſubiectum ſit capax proportionatum, & benè diſpoſitum ad effectus Sacramenti recipiendos, vt patet ex dictis ſupra in tractatu de Sacramentis in gen. c. 5. & hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum.

Requiritur intentio recipientis ad cõſequendos effectus.

4 Dixi (virtualis intentio) quia non ſemper eſt neceſſaria actualis, quamuis illa ſit vtiliſſima, cùm ſufficiat virtualis, vel ſaltem habitualis, qualis videtur eſſe in illo, cui confertur Euchariſtiæ Sacramentum tempore amentiæ, ſiuè phræneſis, cùm tamen antea Chriſtianè vixiſſet, vt in præcedenti capitulo dictum eſt: Ità Bonac. d. 4. q. 6. nu. 1.

Sufficit intentio virtualis, vel habitualis.
Bonac.

5 Secunda diſpoſitio Animę recipientis eſt gratia habitualis, quod Videlicet communicaturus, non habeat conſcientiam peccati mortiferi; Nam ſi extra gratiam ad hoc Sacramentum accedat, non modò effectus tãti Sacramenti non conſequetur, verum etiam peccatum ſacrilegij committet, quia indignè præſumpſit Sacramentum recipere, quod per ſe inſtitutum fuit ad augen-

2. Diſpoſitio Animæ eſt gratia. Accedens ſine gratia peccat mortaliter.

Digitized by Google

1. Corinth. c. 11.

Quantò grauiora ſunt delicta, tantò grauius peccat indignè manducans.

D. Thom. Suar. Henriq.

augendam gratiam, vel ad ſecundam gratiam conferendam, cuius obex eſt peccatum mortale, ideòque: *Iudicium ſibi manducat, & bibit*, pro vt dicit Apoſt. 1. Corinth. cap. 11. Imò adde, tantò grauius peccare, quantò grauius eſſet peccatum, cum quo Euchariſtiã ſumeret: Ratio huius eſt, quia quò grauius eſt delictũ, eò videtur habere repugnantiam maiorem cum Auctore gratiæ, qui in hoc Sacramento continetur. Ità D. Thom. 3. p. q. 80. A. 5. Suarez to. 3. D. 66. ſect. 1. Henriquez lib. 6. de Euchariſtia cap. 45. alijque communiter. Iſtis ergo poſitis;

6 An requiratur gratia per confeſſionem.

Quæritur Primò: An accedens ad recipiendam communionem teneatur eſſe in gratia per confeſſionẽ Sacramentalem: An verò ſufficiat per contritionem.

Reſolutio.

Reſpondetur, quod ille, qui habet conſcientiam alicuius peccati mortiferi, commiſſi, & non adhuc per Sacramentalem confeſſionem abſoluti, tenetur ex præcepto confeſſionem Sacramentalem præmittere, niſi eam prætermittat, neceſſitate adſtrictus recipiendi Sacramentum, non habens copiam confeſſarij, quia tunc in caſu ſufficeret vera contritio; *Nam facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat ſuam gratiam*, quando autem non eſt talis neceſſitas, & adeſt copia confeſſarij neceſsè eſt confeſſionem Sacramentalem præmittere: pro vt determinatum eſt per Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. vbi præcipitur quod: *Nullus ſibi conſcius alicuius peccati mortiferi, quantumcumque contritus abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam recipiendam accedere præſumat, ne incidat in tremendam illam ſententiam, qua nos terret Apoſtolus; dicens: Qui manducat, & bibit Sacramentum indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*: Quàpropter addidit Apoſtolus illa verba: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, 1. Corinth. cap. 11.

Præceptum Conc. Trid.

Apoſt. 1. Corinth.

7 Ratio Conc. Trid.

Ex quo loco deſumitur ratio: Talis accedens ad Euchariſtiæ Sacramentum, debet prius ſe ipſum probare: ſed iſta probatio debet fieri per confeſſionem Sacramentalem, pro vt declarat dictum Concil. Trid. loc. cit. vbi dicitur, quod: *Talis probatio debet fieri per confeſſionem*, vt habetur per Eccleſiæ receptam conſuetudinem ex traditione Apoſtolica, vbi refert Paulus hoc accepiſſe à Domino; dicens in eadem Epiſtola. *Ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus &c.* Vndè ſequitur hoc præceptũ eſſe Diuinum, & conſequenter eum, qui ad Euchariſtiæ Sacramentum accederet cum læthali culpa, per Sacramentalem confeſſionem non deleta, peccare mortaliter contra Diuinum præceptum; pro vt docent Soto in 4. d. 15. q. 1. A. 4. Regin. lib. 29. num. 103. Suarez tom. 3. D. 66. ſect. 3. concl. 3. Azor. part. 1. lib. 1. cap. 31. Coninch. quæſt. 80. A. 4. d. 6. quæſt. 8. par. 3. Nugn. 3. p. q. 80. A. 4. diffic. 2. concl. 2. alijque quam plurimi ab ipſis citati.

Eſt etiam præceptum Diuinum per traditionem.

Soto. Reginald. Suar. Azor. Coninch. Nugnus.

8 Eſt præceptũ Diuinum, explicatum per Triden.

Non tamen dicimus per hoc: contra facientem duo peccata mortalia committere, vnum contra præceptum Concilij, & alterum contra Diuinum præceptũ; Sed tantùm vnum eſt peccatum ſacrilegij contra præceptum Diuinum, explicatum per Concilium Tridentinum.

9 Peccatum dubium, etiã eſt confitẽdum.

Secundò infero non ſolùm, qui habet conſcientiam peccati mortiferi teneri confeſſionem Sacramentalem præmittere, antequam Euchariſtiam recipiat; Verum etiam, ſi probabiliter dubitet, ſe habere aliquod mortale peccatum, de quo adhuc non ſit legitimè cõfeſſus, & abſolutus, ne ſe exponat periculo recipiendi Euchariſtiam extra gratiam, quia tunc non diceretur, ſe probaſſe, iuxta præceptum Domini per Apoſtolum traditum. Ita Nauarr. in man. c. 10. nu. 7. Sanchez in ſum. lib. 1. c. 10. nu. 66. Bonac. ſupra n. 12. Azor. p. 1. lib. 11. c. 4. q. 3. Sayrus in clau. Reg. lib. 1. c. 3. nu. 4. Suar. to. 4. de Pœnit. D. 22. ſect. 9. Soto in 4. d. 18. quæſt. 2. A. 4. alijque.

Nauarrus. Sanchez. Bonac.

Azorius. Sayrus. Suar. Soto.

Niſi conſcientiam deponat, probabiliter credendo, vel ſe non conſenſiſſe tali peccato, vel non peccaſſe mortaliter, vel illius fuiſſe abſolutum, & confeſſionem factam fuiſſe validam, ſiuè circumſtantiam illam non eſſe neceſſariò confitendam. Nam licitum eſt cuique ſequi opinionem probabilem, quamuis contraria ſit probabilior, pro vt docent Suarez, Sanchez, & Bonac. locis ſupra citatis. 10

Niſi conſcientiã deponat.

Suar. Sanchez. Bonac.

11 An aliquando poſſit recipi, non præmiſſa confeſſione.

Secundò Quæritur; An aliquando liceat Sacramentum Euchariſtiæ recipere non præmiſſa confeſſione peccati mortalis, jam commiſſi, cum ſola contritione.

Reſolutio.

Reſpondetur, cùm præceptum præmittendi confeſſionem ante Euchariſtiæ ſumptionem ſit affirmatiuũ, non obligat quò ad ſemper: Quàpropter poſſunt dari caſus aliqui, in quibus non cadat talis obligatio: vt quandò adeſt neceſſitas celebrandi, aut per communionem Sacramentum recipere, nec adſit copia confeſſarij: tunc ſufficiet elicere actum contritionis; ne indignè ad Sacramentum accedat: nam contritionis actus (ſuppoſito Diuino auxilio efficaci) eſt in noſtra poteſtate, eò quod Deus numquam nos deſerit; pro vt docent Suarez tom. 3. Diſtinct. 66. ſect. 5. Chamerot. de Euchariſtia cap. 9. diſt. 7. & cap. 10. d. 13. Nugn. 3. p. quæſt. 80. A. 4. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 6. num. 13. alijque.

Primus caſus

Contritionis actus eſt in noſtra poteſtate.

Suar. Chamer. Nugn. Bonac.

12 1. Inferentia. Quid debeat facere celebrans ſi recordetur alicuius peccati non confeſſi.

Ex quibus ſequitur; Primò. Sacerdotem, qui inchoata Miſſa, meminit alicuius peccati mortalis, non debere inchoatam Miſſam relinquere, vt confiteatur: Non enim eſt dimittenda Miſſa inchoata, neque tenetur ad ſe vocare confeſſarium ad altare, ſi periculum ſit admirationis, pro vt docent Sylu. Verb. Euchariſtia nu. 9. q. 7. Nauar. c. 25. nu. 76. Suarez to. 3. D. 66. ſect. 4. Coninch. q. 80. A. 5. d. 1. alijque abſolutè dicentes, quod: *Si ſacerdos poſt conſecrationem recordetur alicuius peccati mortalis, non adhuc confeſſi, debet elicere actum contritionis, & Miſſam proſequi, deindè habita commoditate, confiteri.*

Sylueſt. Nauar. Suar. Coninch.

13 Limitatio aſſertionis.

Si verò ante conſecrationem, ſi commodè poteſt ſine ſcandalo, & infamia ipſius poſſit ſecreto modo confiteri, confiteatur. Vt v. g. in Miſſa ſolemni, quæ vulgò dicitur; *Cantata*, ſi inter Concionem Sacerdos poſſit confiteri, omninò obligandus erit ad hoc faciẽdum, ſi aliquod peccatum in mentem ipſius venerit. Quod benè aduertit Sylu. ſupra, & Barth. ab Angel. Dialog. 5. §. 660. Chamer. d. 4. tr. 4. c. 9. nu. 9. Diana p. 3. de Euchariſtia, reſol. 48.

Syluest. Bart. ab Angelo. Chamerot. Diana.

14 Bonac. An celebrans poſſit confiteri dum celebrat Miſſam.

Imò addit Bonac. tom. 1. D. 4. q. 6. nu. 15. confeſſionem faciendam eſſe, etiam ſi fortè ſacerdos committat aliquod peccatum mortale poſt conſecrationem, ſiuè recordetur alicuius peccati mortalis, ante commiſſi: Nam ex præcepto Diuino tenetur ante ſumptionem Euchariſtiæ confeſſionem præmittere, niſi eam ob neceſſitatem prætermittat ad euitandum ſcandalum: Quandò ſacerdos commodè poſſet, & ſine ſcandalo ad ſe confeſſarium accedere facere cum prudentia: Non enim interrumpitur Miſſæ ſacrificium, (vt aliqui putant) cùm illud fiat, & ordinetur ad ipſum Miſſæ ſacrificium, dignè perficiendum.

15 2. Inferentia. An quando recordetur, ſe eſſe excommunicatum.

Secundò infero: Sacerdotem, qui inchoata Miſſa, recordetur, ſe eſſe excommunicatum, aut non eſſe ieiunum, non poſſe Miſſam relinquere, ſi illam ſine ſcãdalo dimittere non poſſet, nec commodè habere confeſſarium, pro abſolutione excommunicationis; ſecus ſi poſſet Miſſam ſine ſcandalo dimittere, modò nondum facta ſit conſecratio, quia tunc adeſſet neceſſitas

ad

Em. Sà. Nauar. Soto. Azorius. Coninch.

ad Miſſam inchoatam perficiendam, ne imperfectum remaneat ſacrificium. Ità Em. Sà Verbo Miſſa numer. 31. Nauarr. cap. 15. num. 75. Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. A. 6. Azor. p. 1. lib. 10. c. 13. quæſt. 2. Coninch. quæſt 80. A. 8. num. 64.

16 3. Inferentia. Quid debeat facere ante communionem, quando recordetur alicuius peccati. Coninch. Nauar. Henriq.

Tertiò infero; Laicum, qui præmiſſa peccatorum confeſſione, percepturus Euchariſtiam cum alijs, ſed poſt quam ad linteum acceſſerit recordetur alicuius peccati obliti non teneri recedere, & ſtatim adire confeſſario, nam exponeret ſe periculo infamiæ, indicando alijs ſe habere conſcientiam alicuius peccati mortalis, cum peccatum veniale non impediat ſumptionem Sacramenti Euchariſtiæ: pro vt docent Coninch. quæſt. 80. Art. 4. num. 24 Nauarr. cap. 21. num. 49. Henriq. in ſumm. libr. 8, cap. 46. numer. 3. alijque ab ipſis citati.

17 Limitatio aſſertionis.

Hic tamen aduerte, quod ſi in tali caſu, quis poſſit ſine ſcandalo, propriè dicto, adire confeſſarium, & confiteri tenebitur facere: Nam Concil. Trid. non excuſat, niſi quando adeſt neceſſitas, & rationabilis cauſa, aliàs ſecus: Ità Suarez D. 63. ſect. 7. Regin. lib. 29. c. 6. nu. 105. Bonac. to. 1. D. 4. q. 6. nu. 18.

Suar. Reginald. Bonac.

18 4. Inferentia. Quid in articulo mortis.

Quartò infero: Sacerdotem morti proximum, non habentem copiam confeſſarij poſſe celebrare, vel etiam accedere ad Sacramentum, ſeque communicare, præmiſſa contritione, quamuis nondum confeſſus ſit: habet enim neceſſitatem communicandi, & non habet copiam confeſſarij, vt ſupponimus: Ità Tolet. libr. 6. capitul. 16. Bartol. ab Angelo Dialog. 5 § 194.

Tolet. Bart. ab Ang.

19 5. Inferentia. An aliquãdo liceat celebrare nõ præmiſſa confeſſione.

Quintò infero; Parochum non habentem copiam confeſſarij, poſſe, præmiſſa contritione, celebrare ad Communicandum infirmum in periculo mortis: Similiter etiam poſſe in die feſto celebrare, ne parochiani careant Miſſa: Tunc enim videtur neceſſitas celebrandi ratione neceſſitatis ſatisfaciendi populo, ratione officij proprij, quo tenetur curare, vt parochiani non careant Miſſa in die feſto: Ità Nugn. 3. p. quæſt. 80. Art. 4. verſic. Ad cognoſcendum: Henriq. capit. 67. num. 60. Reginald. ſupra num. 107. Suar. Diſt. 66. ſect. 4.

Nugn. Henriq. Reginal. Suar.

20 Concluſio.

Quàpropter breuiter concludendo dicimus, quod: *Quotieſcumque adeſt neceſſitas celebrandi, aut communicandi, & non ſit copia confeſſarij, nec poſſit ſine magno ſcandalo communio, aut Miſſa prætermitti, tunc permittitur celebrare, aut communionem accipere cum contritione, aliàs ſecus ſecundùm omnes præcitatos DD.*

21 3. Dubitatio. Quid ſi habeat caſus reſeruatos.

Tertiò quæritur: An Sacerdos celebraturus ex neceſſitate, ſi habeat peccata mortalia reſeruata, & alia non reſeruata, teneatur confiteri Sacramentaliter?

Reſolutio.

Reſpondetur affirmatiuè: Ratio huius eſt, quia cùm habeat copiam confeſſarij, habentis facultatem abſoluendi à non reſeruatis, non videtur habere iuſtam cauſam, quæ ipſum excuſet à confeſſione prætermittenda, quia in caſu poterit abſolui directè à peccatis non reſeruatis, & indirectè etiam à reſeruatis recipere gratiam, vt declarabitur in tract. de Pœnit. Ità Soto in 4. D. 17. quæſt. 5. A. 5. Suarez to. 3. D. 63. ſect. 4. Nug. 3. p. q. 80. A. 4.

Soto, Suarez. Nugn.

22 4. Dubitatio. An ſit eadem ſtatim celebrãtis, & communicantis. Reſolutio.

Quartò quæritur: An qui ſuſcipit Euchariſtiam, non præmiſſa confeſſione peccati mortalis, vrgente neceſſitate, teneatur poſtmodum, quam primum confiteri?

Reſpondetur: Sacerdotem, qui vrgente neceſſitate celebrauit, non præmiſſa confeſſione pecc. mortal. teneri de præcepto, quam primum confiteri: Ità enim determinatum eſt per Concil. Trident. ſeſſ. 13. capit. 7. Laicos verò in eodem caſu recipientes communionẽ non teneri ſtatim confiteri: Ratio eſt, quia præceptum Concilij ſolum impoſitum eſt Sacerdotibus celebrantibus, non autem alijs: Quàpropter ſi Sacerdos aliquando ſe communicet in neceſſitate, non præmiſſa confeſſione, non tenetur ſtatim confiteri, niſi tempore debito, & opportuno: Nam Trid. ſolummodò de Sacerdotibus celebrantibus, non autem de communicantibus ſimpliciter loquitur: Ità Suarez tom. 3. Diſt. 66. ſect. 7. Coninch. quæſt. 80. Art. 4. d. 2. num. 24. Nugn. 3. p. q. 80. A. 4. diffic. 4. Poſſeuin. c. 5. n. 4. de Communione.

Conc. Trid.

Suar. Coninch. Nugnus. Poſſeuin.

23 5. Dubitatio. Quæ præparatio requiritur in cõmuniante. Reſolutio.

Quintò quæritur: An requiratur alia diſpoſitio præter gratiam in anima ipſius ſuſcipientis Euchariſtiam, vt fructus tanti ſacramenti conſequantur?

Reſpondetur: Cùm Euchariſtiæ ſacramentum ſit tantæ ſanctitatis, in quo continetur ipſemet Chriſtus Dominus eo modo, quo eſt in Cœlo, ideò maxima cum puritate, humilitate, ac deuotione, & reuerentia eſt recipiendum; Induti veſte illa nuptiali Diuinæ gratiæ, & ornati ſplendore omnium virtutum: præcipuè fidei, ſpei, & charitatis, ſecundum illud Apoſtol. dicentis: *Induti lorica fidei, & charitatis, & galea ſpei.* Ideòque qui magis diſpoſitus ad hoc ſacramentum accedet, maiores fructus gratiæ recipiet, qui verò ſine deuotione, & reuerentia tanto ſacramento debita accedunt fructus illius admirabiles non conſequentur, ideò dicebat Apoſtol. *Inter vos multi ſunt infirmi, & dormiunt multi*: Verum eſt tamen, quod de præcepto ſolummodò requiritur gratia: vt ſupra explicatum eſt.

Apoſtolos ad Epheſ. cap. 6.

1. Corin. c. 11

DE DISPOSITIONE EX PARTE corporis pro ſacra Communione recipienda.

CAP. III.

1

Circa diſpoſitionem corporis in recipiente Euchariſtiæ Sacramentum eſt: Primò dicendum: Cùm iſte cibus ſit magis animæ, quàm corporis, ideò magis attendenda eſt in huiuſmodi ſumptione munditia, & diſpoſitio mentis, quàm corporis: Requiritur tamen aliqua corporalis munditia, & ideò diſtinguendum eſt de munditia corporali tantùm, cuius impedimentum multiplex eſſe poteſt.

Quæ diſpoſitio corporalis requiritur.

2 Diſtinctio impedimentorum.

Prima eſt lepra: Secunda eſt fluxus ſeminis, ſiue ſanguinis, ſiuè alterius humoris ex infirmitate, vel natura: Tertia eſt pollutio, quæ etiam multiplex eſſe poteſt: Quædam enim eſt voluntaria, quædam inuoluntaria: Voluntaria, vel poteſt eſſe cum peccato, vel ſine peccato, vt infra dicetur: Inuoluntaria autem contingere poteſt, vel naturaliter, vel ex negligentia, vel ex vagatione mentis, vel ex Dæmonis illuſione.

3 Lepra an impediat Euchariſtiæ ſumptionem. Nauar. c. Rectoribus. c. Tua nos.

His ergò poſitis: Dico primò lepram impedire tantùm, ne quis publicè celebret propter horrorem circũſtantium: Vndè leproſus videtur eſſe, quaſi irregularis ſecundum Nauar. in man. c. 27. nu. 202. & colligitur ex c. Rectoribus: & ex cap. Tua nos: De clerico ægrotante: Priuatim verò communionem recipere ob maculam non prohibetur: non enim propter corporis infirmitatem, & immunditiam deperdere debet fructus animæ, vt docet Filliuc. 1. to. de Sacr. tract. 4. de Euchariſt. c. 8. nu. 226.

Filliuc.

4 An impediant fluxus ſanguinis, vel ſeminis.

Dico ſecundò fluxum ſanguinis, ſiuè ſeminis, aut menſtrua, non impedire abſolutè ſacram Communionem, impediunt tamen aliqualiter ex decentia tantũ præcipuè, quando expectari poteſt tempus, in quo ceſſauerint: Idem dicendum eſt de fœminis, quæ paulò ante pepererunt, vt colligitur ex capitul. Ad

eius

Digitized by Google

eius verò, D. quinta. Hoc tamen non eſt de præcepto, ſed de conſilio propter reuerentiam tanti ſacramenti; Legite Suarez D. 68. ſect. 2. Conſuetudo autem non ingrediendi Eccleſiam per aliquos dies, introducta fuit propter ægritudinem, & imbecillitatem ipſius parturientis, non quia ſpeciali præcepto prohibeatur, vt patet ex Decreto Innocentij in c. Nolens de Purificatione poſt partum. Ità Filliuc. dict. tractat. 4. cap. 8. num. 227.

Suarez. Quid de parturientibus. c. Nolens. Filliuc.

5 Quid circa pollutionem.

Circa pollutionem dico; In qualibet pollutione per effuſionem ſeminis tria poſſe conſiderari: Primò culpam, ſiuè cauſam, ex qua proceſſit, quæ aliquandò poteſt eſſe mortalis; aliquandò venialis, & aliquando omninò inculpabilis; Secundò conſideratur macula ipſius, & fœditas corporis, derelicta ex pollutione: Tertiò cogitationes turpes, & euagationes mentis, indè ſequentes; His ergò poſitis.

6 Pollutio cū peccato impedit ante cōfeſſionem.

Dico primò, quod; Quandò in ipſa pollutione commiſſum eſt peccatum mortale, vel quia fuit ex concupiſcentia deſiderata ex præcedenti cogitatione, quæ fuit peccatum mortale, vel quia poſteà de ipſa voluntariè ſit delectatus, tunc clarum eſt, quod niſi prius tale peccatum mortale per pœnitentiam, & abſolutionem ſit remiſſum, non poteſt ille talis ad ſacram Communionem accedere.

7 An debeat abſtinere per aliquod tēpus, 1. Opinio.

Si verò de tali peccato ſit confeſſus, & abſolutus; ſunt aliqui Doctores, qui tenent eſſe peccatum mortale accedere ad recipiendam Euchariſtiam ante diē integrum, poſt peccatum carnis commiſſum, etiam ſi talis homo ſit de illo confeſſus, aut contritus; Ità Nauar. de Pœnitentia d. 6. capite 1. Marſil. in 4. quæſt. ſexta, A. 4.

Nauar. Marſil.

8 2. Opinio.

Alij verò dicunt; Pollutionem præcedentem ex peccato mortali, cuius non præceſſit confeſſio, impedire communionem, ſecus autem, ſi per confeſſionem ſacramentalem tale peccatum deletum ſit: Tunc enim debet per aliquod temporis ſpatium abſtinere à communione, ſaltem per diem, non autem ſub peccati mortalis pœnam, ſed venialis, & Ratio iſtorum eſt: quia, qui per aliquod temporis ſpatium non ſe abſtinet à communione poſt peccatum carnale, videtur aliquam irreuerentiam irrogare Chriſto caſtitatis, & puritatis auctori, qui maximè à peccatis carnalibus abhorret: Ità Villalobos in ſum. to. 1. tract. 7. diffic. 37. num. 11. Nugn. 3. par. tom. 1. quæſt. 80. A. 8. concl. 10. Ioann. de la Cruz in direct. conſ. par. 2. de Euchariſtia, quæſt. 5. d. 3. conc. 2. & Bonac. D. 4. quæſt. 6. par. 2. nu. 3. alijque.

Villalob. Nugn. Ioa. à Cruce Bonac.

9 3. Opinio. Petr. de Palatio. Sancius.

Petrus autem de Palatio dicit: Hoc eſſe intelligendum, quandò pollutio ſequuta eſt poſt mediam noctem ante Communionem faciendam, aliàs ſecus; Imò Sancius in ſelectis D. 23. num. 30. dicit, quod ſi talis de tali peccato fuerit legitimè confeſſus, & abſolutus poterit etiam licitè, & ſine peccato ad celebrandum, vel communicandum accedere, tamen ex decentia expectare debet per aliquod tempus, vt ſe diſponat, & natura reordinetur: Vndè contingere poteſt, quod cum tanta præparatione, contritione, & deuotione ſe diſponat, & quod citiùs natura reordinetur, maximè quando ex paſſione, & fragilitate peccauerit, & non ex habitu, & peruerſa voluntate.

10 Concluſio.

Quapropter reſolutoriè, concludendo dicimus; Nullum eſſe peccatum, neque veniale, ſi ante diem præteritum ad ſacramentum accedat, maximè quando cum timore, & reuerentia, & legitima præparatione hoc faciat; ſic etiam docent Pater Suarez d. to. 3. Diſp. 66. ſect. 8. Filliuc. tract. 4. de Euchariſtia c. 8. nu. 130. Gabr. in Can. Miſſ. lect. 10. Cordub. lib. 1. q. 7. Syluver. Euchariſtia tertio, q. 10. Qui ſpecialiter loquitur de illo, qui nocte proxima, vel fornicatus eſt, vel mortaliter pollutus.

Suarez. Filliuc. Gabriel. Cordub. Sylueſter.

11 Ratio concluſionis.

Et ratio iſtorum eſt, quia nulla eſt lex poſitiua, humana, vel Diuina, quæ talem obligationem importat, nec generatim de omni peccato, nec ſpecialiter de aliquo; nec ex ſola ratione naturali colligi poteſt talis obligatio, quia licèt tempus breue intercedat, poterit tamen talis eſſe huiuſmodi hominis conuerſio, vt non modò ſanctus ſit, ſed etiam deuotior, quam antea eſſet, ergò dilatio temporis per ſe non eſt neceſſaria.

12 Limitatur concluſio.

Dixi (per ſe loquendo) quia ex decentia debet abſtinere, & ex accidente poterit aliquandò eſſe peccatum graue: vt propter ſcandalum, ſiuè propter carentiam veræ contritionis, ſiuè ratione contemptus; prout aduertit Suarez loco cit. quem ſequitur Diana de ſacramento Euchar. reſol. 30. in to. 3.

Suar. Diana.

13 De macula pollutionis carnalis, an impediat?

Omiſſa igitur pollutione voluntaria, quæ ex culpa procedit, ſolùm ſupereſt difficultas de impedimento, quod ad ſacramenti receptionem poteſt afferre, ipſa exterior pollutio ratione maculæ corporalis, ſiuè ratione diſtractionis, & obfuſcationis mentis; Quapropter dicimus ſecundum mentem D. Thom. in tertia parte, quæſt. 80. art. ſeptimo ad quartum, & in 4. diſt. 9. quæſt. tertia articulo quarto ad ſecundum, vbi dicit: Conſulendum eſſe ei, qui peccauit mortaliter; vt non ſtatim accedat ad communionem recipiendā, ergò (per ſe loquendo) abſtinere non tenetur de præcepto, ſed tantum de conſilio, quia ex neceſſitate ſolùm impedit peccatum mortale, non adhuc abſolutum.

D. Thom.

14 Pollutio ſine peccato non impedit.

Secluſa igitur culpa mortali, vt quando pollutio euenerit naturaliter, vel ex ſuperfluitate, vel ex debilitate naturæ, ſiuè per illuſionem Diaboli, mouentis ſpecies phantaſmatum præter intentionem patientis non impedit; Non enim in ſomno peccare quis poterit, neque demereri, cùm in illo actu non habeat vſum liberi arbitrij: Non poteſt autem eſſe peccatum, niſi intercedat voluntas libera ſecundum vſum rationis.

In ſomno nō poteſt eſſe peccatum.

15 Conſilii de congruitate, & quandò.

Ex congruitate tamen, & decentia tanti ſacramenti conſulitur, abſtinendum eſſe aliquando, tum propter fœditatem corporis, tum propter diſtractionem mentis, quæ indè ſæpè ſæpius oriri ſolet; Quando autem nulla ſit mentis perturbatio, quia naturaliter omninò talis pollutio euenerit, vel ſine cauſa, tunc nulla eſt difficultas: poteſt enim liberè ſi vult ad ſacram Communionem accedere, ſecundum omnes communiter.

16 An actus coniugalis impediat receptionem ſacramēti.

Solùm ſupereſt difficultas: An actus coniugalis in ipſa nocte ante Communionem conſummatus impediat ſumptionem ſacramenti, quia talis actus, licèt in ſe malus non ſit, ſed licitus, tamen eſt voluntarius?

Reſolutio.

Reſpondetur quod; Cùm talis actus coniugalis ſecundum ſe, ſit licitus, & ſine peccato, certum eſt ex ſe non impedire communionem ex neceſſitate; tamen quia multum perturbare ſolet mentem, & impedire deuotionem, & afferre quamdam indecentiam, contra reuerentiam tanto ſacramento debitam. Ideò multi Doctores exiſtimant, non ſolum eſſe conſilium eo die abſtinere, ſaltem ea nocte, quæ communionem antecedit, ſed etiam eſſe peccatum veniale, maximè quandò copula fuit omninò voluntaria, & ex propria concupiſcentia carnis ipſe petijt. Ità tenent Alex. Alenſ. quarta par. q. 47. memb. 2. Maior. in 4. diſt. 9. q. 2. D. Thom. Nauarr. in ſum. cap. 21. num. 51. Alijque ſupra cit.

Alenſ. Maior. D. Thom. Nauarr.

Notandæ ſunt autem aliquæ regulæ, quæ traduntur à Filliuc. tom. primo, tract. 4. cap. octauo, num. 231. 17

pro

Aliquæ regulæ circa Cōmunionem. Filliuc. 1. Regula.

pro pleniori intelligentia huius materiæ: Quarum prima regula eſt: Pollutione recens habita ratione maculæ, & effectus indè orti, vt ſunt diſtractiones mentis, cogitationes turpes, recordatio illius delectationis; Quandò dicti effectus coniuncti ſunt cum peccato mortali præcedente, iam commiſſo: Conſultiſſimum eſt abſtinere; Quandò cum culpa tantùm veniali, conſilium bonum eſt: quandò cum nulla culpa, ferè liberum eſt, præcipuè ſi curet, quantum in ſe eſt deuotè, & reuerenter accedere.

18 *2. Regula.* Secunda regula: Quando pollutio oritur ex actu coniugali, ſi fuit ex nimia concupiſcentia carnis, & voluptate, conſultiſſimum eſt abſtinere, quia eſt ſignū animi parum diſpoſiti ad res Diuinas tractandas; Si ex mera, & pura intentione prolis, conſilium bonum eſt: Si cum bona intentione reddendi tantum debitum, non petendo, tunc liberum erit facere, quod quis velit; Tunc enim copula fuit ex obligatione iuſtitiæ ſecundùm Angelum, verb. Euchariſtia 3, nu. 30. & Sylu. num. 13.

19 *3. Regula.* Tertia regula; Quandò ſubeſt cauſa aliqua communicandi, pro grauitate eius dijudicandum erit: Nam propter maius bonum poterunt illa permitti; Maius autem bonum cenſetur neceſſitas aliqua ſpiritualis, vel corporalis, conſuetudo diei feſti, obligatio Regulæ, periculum leuis ſcandali, ſiuè admirationis, vtilitas ſpiritualis propria, ſiuè aliorum, aliaque huiuſmodi.

20 *4. Regula. Differentia facienda eſt circa qualitates perſonarum.* Qualitas etiam perſonæ conſideranda eſt: Nam ſacerdos præcipuè Regularis, vel Parochus, cuius ſacrum quotidiè à multis audiri ſolet. Item vir ſpiritualis, qui rerum ſpiritualium vſum habet, & nouit huiuſmodi mentis euagationes excutere: Facilius cum talibus poterit diſpenſari, quam cum alijs vulgaribus perſonis in rebus ſpiritualibus parum exercitatis: Quādò autem pollutio prouenit ex natura omninò inuoluntaria, vel ex illuſione Dæmonum: Nihil curandum eſt: Ità docent omnes præcitati Theologi, cum Filliucio.

21 *De qualitate corporis, quo ad veſtiméta.* Circa autem diſpoſitionem corporis, quo ad veſtimenta, vel ad aliam externam diſpoſitionem: Non video aliquod ius, neque Diuinum, neque Eccleſiaſticum, neque naturale, quod hoc præcipiat: Ideò abſolutè dicimus: (per ſe loquendo) non eſſe neceſſariam diſpoſitionem aliquam corporis externam, ſed in qualibet Regione quilibet curare debet, vt ad communionem accedat eo habitu, & corporis diſpoſitione, quā decreta, & conſuetudo locorum poſtulat, & quam tāti Sacramenti dignitas efflagitare videtur, vt cum debita animi humilitate, decentia, deuotione, & reuerentia recipiatur, Ità Suarez to. 3. D. 68. ſect. 1. Bonac. to. 1. D. 4. q. 6. p. 2. alijque.

Suar. Bonac.

22 *De Sacerdote communicāte extra ſacrificium. Conc. Brach.* Solùm eſt aliqua difficultas de Sacerdote, qui extra celebrationem communicat: An teneatur habere ſtolam ſacram è collo pendentem: Et ratio dubitandi eſt, quia in Concil. Brachar. 3. & habetur in cap. Eccleſiaſtica, D. 23. vbi dicitur, quod: *Sacerdotes, qui extra ſacrificium, more laicorum communicant, ſtolam ſuper vtrumque humerum impoſitam habeant, ſicut in ſua ordinatione receperunt*, & pœna excommunicationis ferendæ imponitur ijs, qui hoc non obſeruant, quæ lex videtur etiam nunc vſu recepta, & ſeruata.

23 *Stola è collo pendente. An ſit de præcepto.* Attamen quamuis iſta conſtitutio videatur obligare ſub mortali, cùm tranſgreſſor puniri præcipiatur pœna excommunicationis, ad quam incurrendam requiritur mortale peccatum: Nihilominus in rei veritate, non obligat ad mortale, non enim videtur vſu recepta cum tanto onere, quia non eſt res admodum grauis; Quàpropter ipſam non ſeruare, (ſecluſo ſcandalo, & contemptu) non eſt peccatum mortale: Cuius ſignum eſt, quia licèt interdum omittatur, numquam ob hanc cauſam Sacerdos ab Epiſcopo puniri ſolet, nec ſcandalum indè ſolet oriri.

Imò viri etiam timorati, facilè ſolent ſine ſtola ſacram communionem aliquando recipere, quando commodè haberi non poteſt: Ità docent Suarez dict. Diſtinct. 68. ſect. prima, Reginald. tom. ſecundo, libr. 29. numer. 112. Azor. tomo primo libro 10. capitul. 28. quæſt. 12. Pitigian. in quarto diſtinct. 13. quæſt. ſecunda articul. quinto, Graff. ſecunda parte libr. 2. capit. 41. num. 3. Naldus ver. Sacerdos, num. 6. alijque. 24

Aliquandò ſine ſtola licet. Suar. Reginald. Azor. Pitigian. Graff. Naldus.

Circa autem diſpoſitionem in corpore communicandi: adeſt præceptum Eccleſiaſticum præcipiens omnibus: Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recepturis, quod ſint ieiuni à media nocte ieiunio naturali, quod importat abſtinentiam à qualibet re etiam modica comeſtibili per modum cibi, aut potabili per modum potus, quantumcumque minima, vt habetur in can. Nihil, §. nullus 7. quæſtione prima, & ex Can. Liquido de conſ. Diſt. 2. & ex Can. Sacramenta de conſ. diſt. 1. & ex cap. Ex parte de Celebrat. Miſſ. & patet ex vſu Eccleſię recepto ab Apoſtolis ex communi conſenſu omnium Theologorū: Ità Suarez d. Diſp. 68. ſect. 2. alijque. 25

Cōmunicans debet eſſe ieiunus ieiunio naturæ. Ieiunium naturæ quid.

Decreta Canonum. C. Nihil. C. Liquido. C. Sacramenta. C. Ex parte. Suar.

Dixi (*Per modum cibi, aut potus:*) Nam ſi quis non per modum potus, ſed potius per modum ſaliuæ, aut caſu, & præter intentionem traijciat reliquias cibi ex gengiuis, vel ex capite, quæ externo die dentibus adhæſerunt, aut deglutiat ſanguinem ex gengiuis, vel ex capite in os deſcendentem, aut aliquas pluuiæ guttas inaduertenter recipiat in ſtomachum, ſiuè per modum reſpirationis attrahat parum pulueris, aut muſcham volantem in os apertum, aut iuſculum deguſtando aliquid contra voluntatem deglutiat, non dicitur frangere ieiunium naturale, quia nihil ſumitur per modum cibi, ſiuè potus. 26

Quæ non impediant communionem.

Tunc autem dicitur aliquod ſumi per modum cibi, ſiuè potus, quandò ore recipitur ab extrinſeco, & propria actione vitali tranſmittitur ad ſtomachum, edendo, aut bibendo: Ità Coninch. quæſt. 80. articul. octauo, numer. 46. Suarez Diſput. 68. ſect. quarta, Diu. Thom. tertia parte, quæſt. 80. Art. 8. Syluest. ver. Euchariſtia 3. num. octauo, Soto in quarta diſtinct. 12. quæſtione prima, artic. octauo, Nauarr. cap. 25. num. tertio, Bonacin. Diſp. quarta, quæſt. ſexta, num. 7. Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. octauo, nu. 236. Angles quæſt. ſecunda artic. ſexto, diffic. quarta concl. prima, Bart. ab Angelo, Dialog. 4. §. 125. Rodriq. in ſumm. cap. 66. num. 3. 27

Quid ſit, ſumere per modum cibi. Coninch. Suar. D. Thom. Sylueſter. Soto. Nauarr. Bonac. Filliuc. Angles. Bart. ab Angelo. Rodriq.

Hinc ſequitur primò: Eum, qui tranſacta media nocte deglutiat aliquid ſaccari, quòd veſpere præcedentis diei ore acceperat ieiunium frangere: Nam videtur illud ſumere per modum cibi, cum illud vitali actione tranſmittat ad ſtomachum, edendo, & conſequenter grauiter peccat, ſi ſequenti mane ad Euchariſtiam, vel ad celebrandum accedat: prout docent Suarez, & Rodriquez, cum alijs ſupra citatis. 28

1. Conſequētia: de Saccaro in ore ante mediam noctem. Suar. & Rodriq.

Secundò ſequitur, quod: Qui aliquid per modum medicinæ etiam in parua quantitate, poſt mediam noctem ore ſumit, & traijcit ad ſtomachum non poteſt illo die ad communicandum accedere: quia etiam per modum medicinæ frangitur naturale ieiunium: Ità Filliuc. tract. 4. de Euchar. c. 8. nu. 236. alijque ſup. cit. 29

Per modum medicinę frāgitur ieiuniū naturale. Filliuc.

Tertiò ſequitur: Eum non frangere ieiunium, qui aromata ori imponit, eaque dentibus tenet ante ſumptionem Euchariſtiæ ad vitandum noxium aerem, eaque etiam dentibus conterere, modò tamen 30

3. Conſequētia. Aromata in ore, an frangant ieiuniū.

nihil

nihil deglutiat: Secus autem dicendum eſt, ſi aliquid aromatum, aut ſaccari ſtatim, aut paulatim deglutiat, quia tunc frangeretur ieiunium naturale: Quia huiuſmodi traijcerentur ad ſtomachum per modum cibi per actionem vitalem ideò, &c. Ità Coninch. q. 80. art. 8. nu. 48. alijque ſupra citati.

Coninch.

31 Difficultas. An paruum ligni, ſiuè papyri, ſiuè vngues impediant communionem.

Sed hic occurrit vna difficultas: An ſacerdos, qui mane ſolet deglutire aliquod ex proprijs vnguibus, vel papyri, ſiuè fruſtulum ligni, aut quid ſimile non commeſtibile; poſſit eodem die ſacram Euchariſtiam ſumere, aut celebrare.

32 1 Sententia. Ioan. à Cruc. Ioan. Sancij. ſum. Corona.

Reſpondetur: In hac re duas eſſe opiniones, quarum: Prima eſt, Ioannis de la Cruz in Direct. conſ. p. 2. de Euchariſtia, quæſt. 5. diſt. 4. concl. 2. Sancij in ſelectis Diſt. 42. numer. 23. ſumm. Coronæ 4 part. capit. 4. num. 65. qui dicunt: Eum, qui comedit modicum papyri, aut aliquid ſimile non commeſtibile, vt ligni, &c. non frangere ieiunium naturæ; ideòque non impedire ſumptionem ſacramenti Euchariſtiæ, quia ſolus cibus, aut potus impedit communionem ſacramentalem, quam opinionem ſequitur Diana de celebrat. Miſſ. reſolut. 32. & de Sacramento Euchariſtiæ, tom. 3. reſol. 38. & Ledeſma in ſumm. tomo primo de ſacramento Euchariſtiæ, c. 23. concluſ. quarta, & probabilem, & ſecutam dictam opinionem eſſe exiſtimant.

Diana. Ledeſma.

33 2. Sententia. Henriq. Nugn. Bonac. Suar. Tabiena. Azorius. Reginal. Coninch.

Secunda opinio oppoſita eſt Henriquez in ſum. lib. 8. cap. 49. num. ſecundo, Nugni in tertia parte, tom. primo, quæſt. 50. artic. 8. Bonac. tom. primo D. 4. quæſt. 6. part. 2. num. 10. Suarez tom. 3. D. 66. ſect. 4. Tabien. ver. Miſſa, num. 44. Azor. tomo primo lib. 10. cap. 30. quæſt. 2. Reginald. lib. 29. num. 18. Coninch. q. 80. artic. 8. aliorumque dicentium: Eum frangere ieiunium naturale, qui traijcit papyrum, aut aliquid paruum, quantumuis non nutritiuum, quamuis illud poſtea euomat: Non enim ceſſat ratio cibi, & potus, quamuis euomatur.

34 Reſolutio cū diſtinctione.

Hoc tamen videtur intelligendum, ſi traijciat papyrum, aut aliud ſimile edendo, ſecus autem, ſi aliquid per modum ſaliuæ inuoluntariè deſcendat ad ſtomachum: (Quod benè aduertit Bonacin. ſupra.) Quæ opinio videtur probabilior ſecundum limitationem Bonacinæ, quod etiam videtur innuere Henriq. ſupra.

Bonac. Henriq.

35 2 Difficultas. An oporteat quod digeſſerit, vel dormierit.

Secundò quæritur: An neceſſè ſit, vt qui ſuſcepturus eſt Euchar. ſacram digeſſerit cibum, aut poſt cœnam dormierit?

Non oportet cibum eſſe digeſtum.

Reſpondetur negatiuè: Ratio huius eſt, quia nullo iure hoc præceptum eſt, tum quia aliquis poteſt dici ieiunus à media nocte, quamuis cibum non digeſſerit: Vndè ſacerdos, qui in Vigilia Natiuitatis Domini pranſus eſt, vel cœnauit, ſiuè ientaculum ſumpſit propè mediam noctem, poſſet licitè poſt mediam noctem celebrare, quamuis non dormierit, & cibum non digeſſerit: Nam dicitur: Ieiunus à media nocte: Ità Nauarr. in ſumm. capitul. 21. numer. 53. Rodriquez in ſumm. de Miſſ. capit. 249. numero vndecimo, Suarez tom. tertio Diſtinct. 68. ſect. quarta, Soto in 4. Diſtinct. 12. quæſt. 1. articulo octauo, Graſſ. parte prima deciſ. libr. ſecundo, capit. 44. numero primo alijque ab ipſis citat.

Nauarr. Rodriq. Suar. Soto. Graff.

36 3. Difficultas De reliquijs affixis in Calice. Reſolutio.

Tertiò quæritur: An ſacerdos poſt ſumptam purificationem ſi habeat reliquias Hoſtiæ conſecratæ, palato affixas, poſſit nouam ablutionem ſumere, vt huiuſmodi reliquias traijciat?

Reſpondetur affirmatiuè; quia magis conueniens eſt per nouas, & iteratas ablutiones reliquias ſumere, quam digitum in os apponere.

37 Idem dicendum eſt, quando particula aliqua adhæſit Calici poteſt iterum, atque iterum infundere nouū vinum, ſiuè aquam, & ſimul traijcere; Nec obſtat dicere: Sacerdotem per talem ablutionem, ſumptam non eſſe ieiunum: Nam illa reputatur vnica actio, quam ſacerdos ieiunus inchoauit: Ità Nauarr. cap. 25. num. 89. Angel. ver. Miſſ. 1. nu. 47. Henriquez lib. octauo cap. 49. Graff. parte prima, libro ſecundo, capite 44. num. 1. Chamerota de Euchariſtia, cap. 10. D. 9. Coninch. q. 80. capite octauo, num. 65. Reginald. lib. 29. num. 223.

Particula cū vino non conſecrato ſumi poteſt.

Nauarr. Angel. Henriq. Graff. Chamerot. Coninch. Reginald.

Hinc infero: Sacerdotem, qui poſt ſumptam ablutionem, ſiuè etiam poſt dictas orationes aliquam Hoſtiæ particulam reperit in patena, poſſe eam ſtatim ſumere; quia tota illa actio reputatur vnus actus, & vna perfecti ſacrificij conſumptio, & vnum conuiuium, & ità vſu receptum eſt, apud viros timoratæ conſcientiæ, & non ſolum ſi ſit paruum fragmentum, verùm etiam ſi ſit particula grandiuſcula, dum tamen ab eodem ſacerdote conſecrata ſit in eodem ſacrificio. 38

De particula inuenta poſt purificationem.

Quod etiam intelligitur, ſi dictus ſacerdos multo tempore in Altari commoraſſet in diſpēſanda Euchariſtia alijs communicando, poterit licitè vaſa purificare, & reliquias ſumere, dum tamen ab Altari non receſſit: Quia tunc non poſſet dictas reliquias licitè ſumere, cūm non amplius reputaretur ieiunus: Eò quod actio illa, iam fuerit completa, prout docent Suarez D. 68. ſect. 6. Rodriq. in ſumm. cap. 66. de Communione, num. 2. Henriquez lib. 9. cap. 30. numer. 3. alijque Theologi. 39

Etiam ſi diutius perſtitiſſet in Altari.

Suar. Rodriq. Henriq.

Quando verò particulæ conſecratæ non poſſent ſumi ab alio Sacerdore, neque poſſent conſeruari in pixyde, & eſſet irreuerentiæ periculum: Tunc in caſu licebit, etiam poſt peractam Miſſam ſumere reliquias illas conſecratas: Nam quod præſcriptum eſt in reuerentiam ſacramenti, non debet in ipſius irreuerentiam militare: Ità Suar. & Bonac. loco cit. 40

Quando particula nō poſſit ab alio ſumi, quid faciendum.

Suar. Bonac.

Quartò quæritur: An liceat aliquando ſumere Euchariſtiam, fracto ieiunio? 41

4. Difficultas. Quando liceat ſumi Euchariſtia fracto ieiunio.

Reſpondetur: Licere in tribus caſibus: Primò quando ſacramenti reuerentia ità poſtulat: Secundò, propter neceſſitatem animæ alicuius fidelis, & tertiò, propter adimplementum alicuius grauioris præcepti incompoſſibilis cum præcepto ieiunij.

1. Caſus. 2. Caſus. 3. Caſus.

Eſt ergò: Primus caſus, quando adeſt periculum, ne ſacramentum perueniat ad infidelium manus, qui illud iniurioſè tractabunt, vel periculum ſit, ne Eccleſia cōburatur, ſiuè alia ſimilis cauſa ſuperueniat: Nam in huiuſmodi caſibus maior reuerentia exhibetur ſacramento, ſi Sacerdos etiam non ieiunus ſacramentum ſumat ad euitanda prædicta inconuenientia: Ità Azor. p. 1. lib. 10. c. 33. quæſt. 7. & Suarez tomo tertio diſp. 68. ſect. 6. 42

De primo caſu.

Azor. Suar.

Secundus caſus, eſt neceſſitas ſuſcipientis, vt videlicet quando eſt in articulo mortis: Nam tunc obligat præceptum Diuinum recipiendi Euchariſtiam, quod præualet præcepto Eccleſiaſtico de ſeruando ieiunio: Vndè quando infirmus ſine magno incommodo non poſſet communicari ieiunus, poteſt in caſu communicari, etiam non ieiunus per modum Viatici, & non tantùm ſemel, ſed etiam bis, aut ter, etiam ſi ſit in eadem infirmitate, (hebdomada ſaltem debet interponi) prout docent Armilla, ver. Communio nu. 18. Tabien. communicare, numer. 48. Suarez D. 68. ſectione quinta, Henriq. lib. 8. cap. 50. nu. 1. Em. Sà ver. Euchariſtia, num. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. 8. numer. 238. alijque. 43

De communione per modum Viatici.

Armill. Tabiena. Suarez. Henriq. Em. Sà. Filliuc.

Quod etiam extenditur ad damnatos ad mortem eodem modo, & ad violenter obeuntes, nam & iſti etiam ſunt in articulo mortis: Tunc enim poſſunt cōmunicari non ieiuni, & quocumque diei tempore, 44

De damnatis ad mortem.

Limitatio.

ſi ſint ante ſequentem diem morituri; Verumtamen ſi aliquis afficiendus ſupplicio præſciuerit, ſe eo die moriturum tenetur ieiunare, donec communionem recipiat, quia commodè poteſt, vt ſupponitur.

45 Limitatio de ægrotante.

Similiter etiam dicendum eſt de ægroto, quando commodè poteſt debet operam dare, vt ieiunus communicet; Non tamen debet communionem differre vſque in ſequentem diem cum periculo, ne prius moriatur, aut itá morbo opprimatur, vt non poſſit poſtea integris ſenſibus ſacramentum recipere; Neque tenetur medicinam differre; Quàpropter in morbo periculoſo non eſt ſcrupuloſè differenda communio propter ieiunium: prout docent Filliuc. ſupra numer. 138. Coninch. quæſt. 80. artic. octauo num. 50. Bonacin. Diſt. quarta, quæſt. 6. num. 23. alijque communiter.

Non eſt medicamentū differendum.

Filliuc. Coninch. Bonac.

46 De 3. Caſu. De integritate ſacrificij, & perfectione.

Tertius caſus eſt integritas ſacrificij, vt quandò celebrans per errorem loco vini conſecrauit aquam in Calice, quam conſumpſit, tunc enim licèt non ieiunus propter aquæ ſumptionem, tenetur nihilominus iterū conſecrare, ſiuè vinum, ſiuè vtrumque & ſumere, licèt ieiunus non ſit, quia præceptum de integritate ſacrificij eſt de iure Diuino, quod præualet Eccleſiaſtico.

47 Quandò poſt conſecrationem cognoſcat ſe nō eſſe ieiunum.

Idem dicendum eſt, ſi poſt conſecrationem Sacerdos recordetur, ſe fregiſſe ieiunium ante Miſſam tenetur tamen ſacrificium perficere, quia arctius eſt vinculum, & maior obligatio perficiendi ſacrificij, iam inchoati, quàm ſumendi Sacramentum Euchariſtiæ cum ieiunio; Itá docent Azorius parte prima, libr. 10. capitul. 33. Henriquez libr. octauo, capitul. 50. in ſumm. Rodriquez in ſumm. capitul. 66. de Communione, numer. 1. Filliuc. tom. 1. tractat. 4. capit. 8. numer. 239.

Azor. Henriq. Rodriq. Filliuc.

48 Quando Sacerdos poſt conſecrationem pereat, quid faciendum.

Similiter ob eandem cauſam, ſi Sacerdos celebrans, & peracta conſecratione pereat, nec adſit alius præter Sacerdotem non ieiunum, tenetur talis Sacerdos etiam, quod non ſit ieiunus perficere ſacrificium ab illo inchoatum, incipiendo ab illo loco vbi primus Sacerdos deſijt: prout docent Nauar. in man. cap. 25. nu. 86. & Filliuc, Bonacin, Suarez, & Coninch. locis ſupracitatis.

Nauarr. Filliuc. Bonac. Suar. Coninch.

49 Quid ante Cōſecrationem.

Si verò Sacerdos pereat ante Conſecrationem, nullus tenebitur in caſu Miſſam perficere, quia ſacrificium non iam inchoatum erat: Idem dicendum eſt, ſi ſacerdos pereat poſt ſumptionem vtriuſque ſpeciei, quia tunc nihil per alium ſupplendum eſt, quia ſacrificium iam perfectum, & conſummatum fuit.

50 An poſſit comedi ſtatim poſt Communionem.

Vltimò tandem quæritur: An ſacerdos, ſiuè alius, qui ſacramentum Euchariſtiæ ſumpſit peccet, comedendo ſtatim, ſumpta ſacra communione?

Reſolutio.

Reſpondetur, (per ſe loquendo) non peccare: Nam Eccleſia ſolum præcipit ieiunium ante ſumptionem Euchariſtiæ, non verò poſt communionem; Aliquantum tamen abſtinere à communi cibo, & potu propter Sacramenti reuerentiam conueniens eſt, vſque quo probabiliter credatur ſpecies Sacramentales eſſe alteratas, & corruptas: non tamen hoc eſt de præcepto, ſed tantum de conſilio; Vndè Chryſoſt. Homil. 27. 1. Epiſt. 1. ad Corinth. dicit: *Quid igitur ieiunare oportet poſt communionem, non hoc dico, nec cogo, licet bonum ſit, non tamen compello, ſed admoneo*; Itá etiam Diu. Thom. 3. par. quæſt. 80. Art. 9. Suarez Diſtinct. 66. ſect. 4. in fin. Graff. 1. par. deciſ. lib. 2. cap. 44. num. 8. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 6. p. 2. nu. 25.

Conſilium bonum eſt, non præceptum. D. Chryſoſt.

D. Thom. Suar. Graff. Bonac.

(∴)

DE PRAECEPTO SVMENDI EVCHARIſtiam per Communionem.

CAP. IV.

PRo complemento præſentis Tractatus, in quo actum eſt de ſubiecto Sacramenti Euchariſtiæ, ac de diſpoſitionibus requiſitis, tam ex parte Animæ, quam ex parte corporis recipientis Sacramentum: Supereſt, vt dicamus pariter de obligatione fidelium ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum: Hæc autem obligatio; Dupliciter oriri poteſt, Primò ex præcepto Diuino, Secundò ex præcepto Eccleſiæ declarante, & determinante Diuinum præceptum ad certum tempus determinatum: Quàpropter pro intelligentia 1

Dico Primò: Diuinum eſſe præceptum, obligans Chriſti fideles huius Sacramenti capaces ad Euchariſtiam recipiendam (ſuppoſita eius inſtitutione) vt patet ex illis verbis Chriſti, dicentis: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, ſicut nos probauimus ſupra in tractatu primo de Euchariſtia c. 3. 2

Præceptum Diuinum ſumendi Euchariſtiam. Ioan. c. 6.

Vndè certum eſt: hoc præceptum Diuinum ſumendi Euchariſtiam (per ſe loquendo) obligare ſub mortali, ſaltem in mortis articulo, ſiuè naturalis, ſiuè violentæ: Et patet hoc ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine communicandi omnes fideles in tali articulo, etiam non ieiunos per modum Viatici, vt teſtatur Sacrum Trid. Conc. ſeſſ. 13. c. 6. cùm autem talis conſuetudinis, & moris initium ignoretur conijcere poſſumus, talem conſuetudinem ex tempore Apoſtolorum traxiſſe originem: Et cùm ſemper perſeuerauerit in tota Eccleſia exiſtimare poſſumus, fundatam eſſe in Diuino præcepto, obligante in articulo mortis ad ſacram communionem ſumendam: vt eſt communis ſententia omnium Theologorum; vt videre eſt apud Suar. tom. 3. D. 69. ſect. 3. Soto in 4. d. 12. q. 1. A. 11. Henriquez lib. 8. c. 4. de Euchariſtia; Coninch. q. 80. Art. 11. alioſque. 3

Quandò obligat hoc diuinum præceptum.

Concil. Trid.

Suar. Soto. Henriq. Coninch.

Verùm eſt tamen, quod ſi aliquis in Paſchate Euchariſtiam recepiſſet non teneretur poſtea ſub præcepto in mortis articulo conſtitutus, iterum Sacramentum recipere, quia iam Diuinum præceptum per communionem, ante factam fuit adimpletum: pro vt docent Sylu. Verbo Euchariſtia 3. nu. 3. Em. Sà nu. 1. Caiet. in ſum. Verbo Communio: Rodriq. in ſum. c. 64. nu. 3. de communione: Graff. p. 1. lib. 2. cap. 38. numer. 23. alijque. 4

Qui communicauit in Paſchate, nō tenetur iterum in mortis articulo cōmunicare.

Syluest. Em. Sà. Caiet. Rodriq. Graff.

Nihilominus tamē omninò conſulendum eſt, quod talis in mortis periculo exiſtens, quam citiùs poterit curare debet viaticum recipere, quod vberes fructus affert, & maximè prodeſt ad Diaboli tentationes ſuperandas in tali conflictu inſurgentes, & conſuetudo fidelium inualuit, vt in mortis articulo ſacram communionem recipiant per viaticum. Itá docet Bonacin. to. 1. D. 4. q. 7. nu. 1. 5

Conſilii eſt, vt Viaticum recipiat.

Bonac.

Verum eſt tamen, quod ſi paulò ante mortem, Vid. infra ſex, ſiuè octo dies ſacram communionem quis recepiſſet, non eſt neceſsè, vt iterum communicet in articulo mortis pro adimplemento Diuini præcepti, quia videtur iam adimpletum per communionē præcedentem. 9

Quæritur modò: Vtrùm ſi ſumpta communione in articulo mortis, poſtea ſi committat nouum peccatū mortale: teneatur ex Diuino præcepto, iterum Sacrā communionem recipere? 7

P. Quæſitum.

Reſpondetur: Non eſſe obligatum, quia nulla ſufficiens ratio, & auctoritas afferri poteſt ad huiuſmodi obligationem oſtendendam: Non enim Euchariſtia fuit

Reſolutio. Euchariſtia non eſt inſtituta ad primam gratiā cōferendam.

fuit inſtituta per ſe ad primam gratiam conferendam, ſufficit ergò, quod de peccato illo commiſſo Sacramentaliter confiteatur: Ità Coninch. quæſt. 80. Art. 11. num. 100. Tabiena verbo communio, num. 1. Armilla num. 11. Suar. D. 69. ſect. 3. concl. 4. §. ſecundum modum.

Coninch. Tabiena. Armilla. Suar.

8 Secundò Quæritur: An qui non communicauit in articulo mortis teneatur poſtea, tranſacto mortis periculo, ſacram communionem recipere?

2. Quæſitum.

Reſpondetur Negatiuè, quia ceſſante periculo, ceſſauit dicta obligatio, ſicut ille, qui non communicauit in Paſchate non tenebitur poſtea ſub nouo peccato mortali communionem ſuſcipere, vt infrà videbitur. Ità Henriquez lib. 8. c. 5. nu. 3. in ſumma.

Reſolutio. Henriq.

9 Tertiò Quæritur: Vtrum Iudex teneatur concedere Reo tempus communicandi, ante executionem pęnæ mortis?

3. Quæſitum.

Reſpondetur Affirmatiuè: quia præceptum communicandi obligat in articulo mortis ex iure Diuino, ergò debet Iudex concedere Reo tempus, quo valeat Diuinum præceptum adimplere, tum quia ſic decernitur in cap. Tanta diſtinct. 86. & cap. Quæſitum 14. quæſt. 1. & habetur motus proprius Pij Quinti, editus anno 1569. vt teſtatur Henriquez lib. 8. cap. 5. num. 4. & alibi.

Reſolutio. Iudex tenetur concedere tempus cõmunicandi ante executionem ſententiæ. C. Tanta. C. Quęſitum. Pius V. Henriq.

10 Sed maior difficultas eſt: An Iudex teneatur liberare à morte, vel potius poſſit adiudicare morti Reũ, cui conceſſit opportunam, & ſufficientem dilationem ad pœnitentiam, & communionem, ſed Reus noluit pœnitere, & Euchariſtiæ Sacramentum recipere?

Difficultas. De Reo in articulo mortis, qui noluit confiteri.

Reſpondetur: Poſſe adiudicare morti, nec iudicem teneri à morte eripere, quamuis credat fore, vt Reus in peccato mortali moriatur, quia ſi ſic daretur occaſio Reis non recipiendi Euchariſtiam, & Pœnitentiã, vt ſe à morte eriperent, & ſic iuſtitia eluderetur, & magna ſequerentur incommoda in Republica: Ità Soto in lib. de Iuſt. lib. 5. quæſt. 1. A. 1. Reginald. ſupra nu. 71. alijque.

Solutio. Soto. Reginald.

Verum eſt tamen, quod ſi adſit ſpes reducendi ad pœnitentiam poterit Iudex ex charitate dilatare, & differre executionem iuſtitiæ per duos, aut tres dies, & non adſit periculum ſcandali.

Limitatio.

11 Quartò quæritur: An hoc præceptum ſumendi Euchariſtiam de Iure Diuino non ſolùm obliget in mortis articulo, ſed etiam alijs temporibus?

4. Quæſitum An præceptũ Diuinũ hoc obliget alijs temporibus. Reſolutio affirmatiua.

Reſpondetur Affirmatiuè: Cibus enim non modò neceſſarius eſt in morte, ſed etiam in vita: Cùm ergò hoc Sacramentum ſit inſtitutum per modum cibi, ſequitur, quod neceſſe eſt, vt alijs temporibus recipiatur à fidelibus, vt nos probauimus in tractatu primo huius Sacramenti c. 3.

Quoties autem in vita recipienda ſit Euchariſtia, determinatum fuit ab Eccleſia in cap. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnitent. & remiſſ. in Concilio, quapropter

Tale tempus determinandum erat ab Eccleſia. C. omnis vtriuſq; ſexus.

12 Dico ſecundò: Præceptum eſſe Eccleſiæ, determinantis tempus Diuini præcepti recipiendi ſacram communionem, ſaltem ſemel in anno, & hoc in Paſchate Reſurrectionis in memoriam Paſſionis Chriſti, qui dixit: *Accipite, & comedite ex hoc omnes, & hoc facite in meam commemorationem:* Quàpropter præcepit Eccleſia, quod: *Omnes fideles vtriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint (niſi legitimè fuerint impediti) quolibet anno Sacramentum Euchariſtiæ recipiant:* vt patet ex d. cap. Omnis vtriuſque ſexus: de Pœnit. & remiſſ. & ex Concil. Triden. ſeſſ. 13. cap. 9.

Præceptũ Eccleſiaſticum ſumendi Euchariſtiã ſemel in anno. C. omnis vtriuſq; ſexus. Concil. Trid.

13 Dixi (*poſtquam ad vſum diſcretionis peruenerint*) quia non omnes, qui habent vſum rationis ſimpliciter ſunt Euchariſtiæ Sacramenti capaces, & præcepti huius, ſed illi dumtaxat, qui ſciunt diſcernere cibum à cibo, & ſe ipſos probare, & nouerint Chriſtum Dominum in Sacramento ſumendum eſſe puro corde, & præmiſſa peccatorum confeſſione, & cum ieiunio, alijſque ab Eccleſia præceptis, ne indignè Sacramentum recipiant, ideòque communiter non eſt expediens ante decimum annum completum pueros ad communionem admittere, nec differre debet vltra decimum quartum annum ætatis: Hoc tamen remittitur ad iudicium confeſſarij, qui prudenter iudicare debet, quando adoleſcens ſit capax communionis, vt præceptum adimpleat: Ità Caiet. in ſum. Verbo communio. Suarez tom. 3. D. 70. ſect. 1. Coninch. q. 80. A. 11. d. 4. num. 102. Azorius p. 1. lib. 7. c. 3. q. 10. Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. c. 38. nu. 15.

In qua ætate fideles ſunt capaces communionis. Coninch. Graff.

Dixi ſecundò (*niſi legitimè fuerit impeditus*) quia quando confeſſarius propter aliquod impedimentum Animæ, aut corporis illius iudicauerit in Domino, non eſſe expediens aliquem communionem recipere, & dilatauerit communionem ad aliquod tempus ex rationabili cauſa, tunc non violatur præceptum communicandi in Paſchate, vt patet ex d. c. Omnis vtriuſque ſexus. 14

Quando eſt impedimentum, legitimum excuſantur à præcepto.

Sed modò dubium eſt: Quid nomine Paſchatis Reſurrectionis in hoc loco intelligatur? 15

Difficultas. Quid nomine Paſchatis intelligatur.

Reſpondetur, quod: Nomine Paſchatis, non ſolùm intelligitur ipſe dies ſolemnitatis Reſurrectionis, verum etiam totum illud tempus, quod incipit à die Cęnæ Domini, vſq; ad Octauam Paſcharæ incluſiuè, prout docent Henriq. c. 18. nu. 5. & Summa Corona de Euchariſtia nu. 66.

Henriq. Summa Corona.

Alij intelligunt à Dominica Palmarum vſque ad Octauam Paſchæ: Ità Azor. p. 1. lib. 7. c. 41. quæſt. 2. Fagund. de præcept. Eccleſiæ c. 5. num. 4. Rodriquez in ſumm. cap. 64. de communione num. 1. alijque communiter.

Alia opinio Azorij. Fagund. Rodriq.

In quibuſdam autem Prouincijs Hiſpaniæ eſt conſuetudo adimplendi præceptum annuæ communionis à Prima Dominica Quadrageſimæ, vſque ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha: Quàpropter in hoc ſtandum eſt conſuetudini Prouinciarum: nam præcepta humana obligant quatenus recepta ſunt: Ità Nauarr. in ſum. c. 21. nu. 45. Suarez D. 70. ſect. 2. Azorius, Henriquez, & Fagundez, alijque ſupra citati. 16

Conſuetudo Hiſpaniarũ. Nauarr. Suar. Azorius. Henriq. Fagund.

Hic tamen eſt aduertendum: Præceptum communionis in Paſchate non adimpleri, niſi Euchariſtia ſumatur in propria Parochia è manibus proprij Paſtoris, ſiuè alterius Sacerdotis de eius facultate habita: Ratio huius eſt, quia ità ordinatum eſt ab Eccleſia, vt fideles ſaltem ſemel in anno ſacram communionem recipiãt à proprio Sacerdote: vt patet ex d. c. Omnis vtriuſque ſexus. 17

Adimplendũ eſt præceptũ in propria Parœcia.

Verum eſt tamen, quod Aduenæ, & peregrini poſſunt in quacumque Ciuitate, aut Parochia ſe inuenerint ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de communione. Ità Azorius p. 1. lib. 7. cap. 61. quæſt. 8. Soto in 4. d. 18. q. 4. A. 2. & ità docet vſus, & praxis, quod etiam declaratum fuit ab Eugenio III. vt refert Sorbo Verbo cõmunicare, & ą ibi, vbi etiam declarauit quod: Quando Parochus dat licentiam ſuo ſubdito, vt à quocumque poſſet pro libito recipere Euchariſtiam, in eo caſu poterit liberè recipere etiam à Regularibus, & præcepto ſatisfacere. 18

Aduenæ, & Peregrini quando ſatisfaciant. Azorius. Soto. Eugenius 3.

Secundò Quæritur: An qui præceptum communionis adimpleuit in hebdomada Sancta in propria Parochia, ſi velit in die Paſcharis Euchariſtiam ſumere, poſſit illam ſumere à quocumque Sacerdote in alia Eccleſia. 19

Alia dubitatio.

Reſpondetur: Affirmatiuè, dummodò Sacerdos, qui

Reſolutio.

Digitized by Google

Qui communicauit in propria Parochia poteſt in die Paſchatis alibi communicari.
Rodriq.
Bonac.

qui adminiſtrat communionem habeat facultatem adminiſtrandi, vt ſunt mendicantes Regulares: Ratio huius eſt, quia præceptum communionis, iam adimpletum fuit cognoſcendo ſuum Paſtorem in hebdomada Sancta (vt ſupponimus) ergò liberè poterit in quacumque Eccleſia in die Paſchatis communionem recipere: pro vt docent Rodriquez in ſum. cap. 64. de communione num. 1. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 7. part. 2. num. 9.

20
Alia dubitatio de Eccleſia Cathedrali.

Tertiò Quæritur: An quilibet fidelis, poſſit Euchariſtiam aliaque Sacramenta in ſua Cathedrali Eccleſia recipere, relinquendo Parochiam propriam?

Reſolutio. Eccleſia Cathedralis eſt propria Parochia totius Ciuitatis.
Canones.
Poſſeuinus.

Reſpondetur: Affirmatiuè: nam Cathedralis Eccleſia in qualibet Ciuitate eſt Parochia communis, & vniuerſalis totius Ciuitatis, & Archipresbyter poteſt appellari proprius Paſtor totius Ciuitatis, ſicut Epiſcopus totius Diœceſis, vt habetur in c. Quicumq. 10. quæſt. 1. & ex c. Præcipimus 12. q. 1. Ità Poſſeuin. cap. 7. numer. 57.

21
Alia dubitatio.

Quartò Quæritur. An qui tempore Paſchatis communicauit in peccato mortali ſatisfecerit præcepto Eccleſiæ: An vero debeat iterum dignè Sacramentum recipere, vt præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat?

Reſolutio. Qui indignè communicauit in Paſcha, adimpleuit præceptū.
Fagundez.
Azor.
Pitigian.
Soto.
Suar.
Diana.
Doctores cōtrariæ opinionis.
Syluius.
Nugnus.

Reſpondetur, ſecundum probabiliorem ſententiam, Non teneri, quia Eccleſia nihil aliud præcipit, quam vt in Paſchate Corpus Domini in Euchariſtia recipiatur, ergò quamuis communicans indignè ſacrilegium committat, tamen quò ad ſubſtantiam præcepti implet illud; pro vt docent Fagund. 3. p. lib. 1. cap. 6. num. 4. Azorius tom. 1. lib. 7. c. 41. quæſt. 12. Pitigianus in 4. tom. 1. D. 9. q. 3. A. 10. Soto de Iuſt. & Iure, lib. 2. q. 3. A. 10. Suarez tom. 3. D. 70. ſect. 2. Diana de Euchariſtia reſol. 43. alijque dicentes: quod: *Qui indignè in Paſchate Euchariſtiam ſumpſit ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, nec tenetur ſtatim agere pœnitentiam, & iterum communicare*: Quicquid dicant alij vt Syluius in 3. par. quæſt. 80. Art. 11. quæſt. 2. Nugn. ibi A. 1. diffic. 2. dub. vltimo; putantes Eccleſiam præcipere communionem talem, qualem Chriſtus præcepit, ideſt dignam, piam, & Religioſam; Contraria tamen ſententia eſt probabilior.

22
Alia dubitatio.
An qui præceptum cōmunionis non adimpleuit tenetur poſtea.
1. Sententia.
Suar.
Coninch.
Fagund.
Pitig.
Nauarr.
Sylu.
Nugn.

Quintò Quæritur: An qui in Paſchate non communicauit, teneatur poſtea quam primum communicare? vt præceptum communionis adimpleat.

Reſpondetur: In hac re duas eſſe opiniones Theologorum ambas probabiles, quarum prima eſt affirmatiua: Suar. d. D. 70. ſect. 2. Coninch. q. 80. A. 11. d. 4. Fagund. p. 3. lib. 1. c. 6. n. 2. concl. 2. Graff. p. 1. lib. 2. c. 38. nu. 25. Pitig. in 4. d. 9. q. 3. A. 9. Nauar. c. 21. nu. 45. Sylu. 3. p. q. 80. A. 11. q. 4. Nugni to. 1. in 3. p. q. 80. A. 11. diffic. 2. concl. 2, aliorumque dicentium; Illos, qui in Paſchate non adimpleuerunt præceptum ſumendi Euchariſtiā remanere obligatos, & teneri poſtea cum primum commodè poterunt communicare, & quantò diutius differunt tantò magis peccatum augetur.

23
Ratio iſtorū Doctorum.

Ratio huius eſt, quia ſumptio Euchariſtiæ abſolutè præcipitur ab Eccleſia, ſaltem ſemel in anno, & tempus Paſchatis non eſt poſitum ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandam, & non differendam vltrà id tempus Paſchatis: Quandò autem aliquid abſolutè præcipitur illique aſſignatur aliquod tempus, tanquam magis congruum adimpletioni præcepti, elapſo tempore, non ceſſat obligatio adimplendi, ſicut patet de contractibus, quando ſtatuitur tempus, vltrà quod non poteſt differri ſolutio, ſi tunc non fiat; obligatio non extinguitur, ſed perſeuerat: Ità etiam videtur conſuetudine, & vſu Eccleſiæ receptum, cùm Eccleſia ſoleat eos, qui non communicauerunt in Paſchate, poſt aliquod tempus excommunicare, ergò ſignum eſt, quod tenentur etiam elapſo tempore, adimplere præceptum communionis.

Altera opinio eſt etiam valdè probabilis, docens: Illum, qui tranſgreſſus eſt præceptum Eccleſiæ, & non communicauit in Paſchate, non peccare iterum mortaliter, ſi poſtea non communicet, quia ſemel tantùm hoc præceptum obligat, ſcilicet in Paſchate, cùm ſit præceptum affirmatiuum, ſicut præceptum ieiunij, & auditionis Miſſæ, quod elapſo tempore aſſignato, non amplius obligat: Ità etiam præceptum communionis ad differentiam præcepti annuæ confeſſionis, quod obligat pro toto anno: non ità præceptum communionis, in quo aſſignatum eſt tempus Paſchæ, quo elapſo, non videtur amplius obligare: Ità exiſtimant Soto in 4. d. 18. q. 1. A. 4. Sylu. Verb. Euchariſtia 3. q. 15. Tabiena Verbo communicare q. 7. D. Ant. p. 2. tit. 9. c. 4. §. 3. Henriq. lib. 8. c. 5. Em. Sà Verbo Euchariſtia n. 7. Medina lib. 1. c. 14. nu. 42. Tolet. lib. 6. c. 18. Victoria in ſum. q. 148. alijque. 24

2. Sententia.
Differentia inter præceptū confeſſionis: & communionis.
Soto.
Syluest.
Tabiena.
D. Ant.
Henriq.
Em. Sà.
Medina.
Tolet.
Victoria.

25

Hinc ſequitur ſecundum hanc opinionem: Eum, qui non communicauit in Paſchate non peccare mortaliter, ſi elapſo tempore Paſchali, data opportunitate non communicat, niſi fortè diſtulerit communionem ob conſilium confeſſarij, vel niſi promulgata ſit cenſura, ſiuè aliquod ſpeciale edictum, ſecus autem ſecundum alteram opinionem, quæ etiam videtur valdè probabilis, docens: Illos teneri.

26
Alia dubitatio.

Sextò Quæritur: An qui præuidet ſe fore ità impediendum in Paſchate, vt intra illos quindecim dies nō poſſit communionem recipere: An teneatur communionem anticipatè ſumere?

Reſolutio.
Suar.
Coninch.
Bonac.
Azorius.
Pitigianus.

Reſpondetur: Non obligari, quia ante prædictum tempus præceptum communionis non obligat, tum quia ſi quis Euchariſtiam ſumpſerit antecedente tempore, & poſtea tempore Paſchatis poteſt communicare, tenebitur adhuc communionem facere, ergò ſequitur non ſatisfacere, nec ſatisfeciſſe anticipando, & conſequenter nō teneri anticipatè communionem ſumere: Ità Suarez D. 70. ſect. 2. d. 3. Coninch. quæſt. 8. art. 4. num. 108. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 7. par. 2. num. 13. Azorius tom. 1. lib. 17. cap. 41. quæſt. 13. Pitigianus in 4. D. 9. quæſt. 3. A. 9 Secus autem dicendum eſt de illo, qui in hebdomada Sancta præuidet, non poſſe poſt Paſcha communicare, quia tunc eſt in tempore obligationis.

27
Alia dubitatio de frequētatione communionis.
Reſolutio.
Facienda eſt differentia perſonarum.
Suar.
Bonac.

Vltimò tandem Quæritur: An melius ſit frequentius communicari, quàm rarius?

Reſpondetur (per ſe loquendo) Melius eſſe frequentius, quia quò frequentius Chriſto per hanc Sacramenti ſumptionem vnimur, eò maiores fructus, & effectus ipſius recipimus; Verùm tamen eſt, quod non eſt eadem regula pro omnibus obſeruanda circa frequentiam communionis, ſed pro diuerſitate ſtatuum, & perſonarum præſcribenda eſt: Nam Religioſo expedit frequentius communicare, quam ſæculari; Sacerdoti, quam Clerico; ſoluto, quam coniugato: Quapropter conſulendum eſt ſæcularibus, ne frequentius communicent, quam octauo quoque die, vt maiori cum reuerentia, & iudicij maturitate diſcernat cibum à cibo. Ità Suarez d. 70. ſectione 3. concl. 3. Bonacina D. 4. quæſt. 7. p. 2. num. 16. & alij.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS XIII. De Sacramentis.

Et de effectibus SS. Euchariſtiæ. Tract. VII.

PROOEMIVM.

Effectus Sanctiſſimi Sacramenti ſunt innumerabiles & admirabiles.

PRo complemento huius doctrinæ ſupereſt dicendum de effectibus admirabilibus Sanctiſſimi huius Sacramenti, qui adeò ſunt magni, & admirabiles, qui niſi ad aliquam ſummam redigentur difficilè erit explicari: Continetur enim in hoc Almo Sacramento fons, & auctor totius gratiæ Chriſtus Dominus: Vndè præcipuus eius effectus eſt gratia, gratum faciens, cuius augumentum, quod in alijs Sacramentis viuorum commune eſt præbet uberius: Quàpropter de hoc praeexcellentiſſimo Sacroſancto Sacramento canit Eccleſia dicens: O Sacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur: *Quàpropter in hoc præſenti tractatu agemus primò de effectibus huius Sacramenti, quatenus Sacramentum eſt: Nam in ratione ſacrificij dicetur poſteà in proprio loco: Secundò agemus de diſpoſitionibus Animæ, quæ requiruntur in ſuſcipiente ad effectus ipſos conſequendos, & de tempore, quo Euchariſtia ſuos effectus conferat.*

Diuiſio tractatus.

DE EFFECTIBVS PRINCIPALIBVS Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ.

CAP. I.

1 Reducuntur ad duo genera.

EFfectus Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, quamuis ſint innumerabiles, breuitatis tamen gratia ad duo genera reduci poſſunt: Primò quatenus prouocant nos ad bonum: Secundò quatenus eripiunt nos à malo: Vndè quantum ad primum quinque principales effectus efficiuntur in Anima ſuſcipientis, pro vt docet Diu. Thom. 4. part. quæſt. 79. Art. 1. & 2. Qui ſunt: *Collatio gratiæ, gratum facientis, eiuſdem gratiæ augmentatio: Guſtatio diuinæ dulcedinis, Perſeuerentia in bono, & Adeptio fœlicitatis, ſiuè futura gloria.*

Quo ad primum reducitur ad quinque quæ nos prouocent ad bonum. D. Thom.

2 Primus effectus eſt cōferre gratiam, & augmentum eius. Quare datur per modum cibi.

Primus ergò effectus eſt: *Conferre gratiam, gratum facientem*, & magnam copiam gratiæ cùm recipiatur in ipſa Euchariſtia auctor, & fons totius gratiæ Chriſtus Dominus, qui dat omnibus gratiam ſuam affluenter: Huius primi effectus officium eſt: Vnire nos cum Chriſto, ità vt Anima noſtra per iſtius Sacramenti virtutem trāſeat in Chriſtum per vnionem amoris, ideòque datur nobis per modum cibi, quia ſicut cibus mutatur in ſubſtantiam aliti viuentis: Ità iſte diuinus cibus, cùm ſit cibus viuens per Diuinam virtutem tranſmutat recipientem in ipſum: Quemadmodum dixit Dominus ad Auguſtinum lib. 7. de confeſſione cap. 10. *Ego ſum cibus grandium, creſce, & manducabis me: Non enim me in te mutabis, ſicut cibus carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

Manducans conuertitur ſpiritualiter in Chriſtum. D. Auguſt.

3 Et ex hac vnione recipimus influxum omnium bonorum Diuinorum, eo modo, quo cera per impreſſionem ſigilli recipit totam formam ſigilli, pro vt ait Damaſcenus lib. 4. c. 14. & *ſic efficimur Chriſtiferi*, teſtante Cyrillo Epiſc. Ieroſol. *hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes*, cùm corpus eius, & ſanguinem in membra noſtra recipiamus: Vndè ſecundum D. Petrum Apoſt. Epiſt. 2. c. 4. *Diuinæ naturæ conſortes reddimur*, teſtante ipſo Domino apud Ioannem capit. 6. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me: Nam qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo.* Quæ quidem vnio fit in ſpiritu per charitatem, & vnionem amoris, nam: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

Damaſcen. Cyrillus. Pet. Apoſt. Fit vnio per amorem.

4 Secundus effectus conſiſtit in multis, qui eſt: *Eiuſdem gratiæ augmentatio;* ideòque datur nobis per modum cibi, nam ſicut cibus nutrit, auget, conſeruat, reparat, & delectat corpus: Ità Euchariſtia hos effectus ſpiritualiter producit in Anima noſtra: Vndè ait Tertullianus: lib. de Reſur. carnis: *Caro noſtra ſaginatur carne Chriſti, quia charitas augetur, roboratur, & perficitur*, ideòque ipſe Dominus dixit: *Caro mea verò eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ioan. c. 6. ideòque nutrit, & creſcere facit manducantem, conferendo abundanter maximum gratiæ augmentum.

2. Effectus eſt gratiæ augmentatio. Tertull. Ioan. c. 6.

5 Inſuper conſeruat vitam ſpiritualem, quàpropter ipſe Dominus dixit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, ideſt non ſeruabitis vitam in vobis, quod intelligitur de vita Animæ ſpirituali, ideò ſubdidit: *Verba, quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*, ideòque roborat vires ad pugnam, reparat deperditam ex concupiſcentia, auget calorem, ideſt feruorem, ſpiritus, oblectat, & guſtat: Vndè canit Eccleſia: *O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam fidelibus demonſtrares, pane ſuauiſſimo de Cœlo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes.*

Ioannes. Effectus cibi ſpiritualis. Eccleſia.

6 Tertius effectus eſt Guſtatio Diuinæ dulcedinis, quàpropter dicitur Manna, Panis Cœleſtis, Panis Angelorum, Pinguis, Adeps frumenti, Petra mellis. Vndè hoc Dauid in ſpiritu præuidens dicebat in Pſal. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus, quia cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos*, ideòque dicebat Apoſt. 1. Corinth. c. 10. *Bibebant enim de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Ità dicit Cyprian. lib. 2. c. 3.

3. Effectus eſt guſtatio diuinæ dulcedinis. Pſal. 67. Apoſt. 1. Corinth. Cyprian.

7 Sed quare homines non ſentiunt hanc dulcedinem, quando communicant?

Quare communicantes non ſentiunt hanc dulcedinem.

Reſpondet Gulielmus Pariſ. in tractatu 1. de Euchariſtia, *Propter imperfectionem palatus, & propter defectum maſticationis:* Ideò dicebat Dauid Pſalm. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*, ideſt maſticate meditando, & contemplando: cuius menſæ participes facti ſumus digni, quoniam Panem Angelorum manducauit homo: Nam panem de Cœlo præſtitit nobis Deus, omne delectamentum in ſe habentē, ſed neceſſè eſt, palatum eſſe diſpoſitum, ideſt ſine macula criminis, ideòque dicebat Apoſt. 1. Corint. c. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat.*

Reſponſio Gulielmi Pariſ. Pſalm. 33. Apoſt. 1. Corinth.

8 Quartus effectus eſt Perſeuerantia in bono, quæ naſcitur ex tribus effectibus prædictis: Nam ad perſeuerantiam conducunt gratia, charitas, & Dulcedo ſpiritus: nam ſicut cibus corporalis confert robur, & vires ad operandum, & conſeruat vitam corporalem: Ità cibus iſte ſpiritualis Euchariſtiæ dat donum perſeuerantiæ, vt experientia docet: Videmus enim, quod: Qui frequenter communicant cum debita diſpoſitione perſeuerant in bono, & conſeruantur in gratia: Vndè dicebat Dominus Ioan. c. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Et qui manducat hunc panem viuet in æternum, ideſt non peccabit.*

4. Effectus eſt perſeuerantia in bono. Dat donum perſeuerantiæ. Ioan. c. 15.

Digitized by Google

Quintus effectus eſt Adeptio fœlicitatis æternæ.

9 Quintus effectus Euchariſtiæ eſt: *Adeptio fœlicitatis æternæ*, mediante primo effectu: nam per gratiam datur nobis virtus perueniendi ad gloriam, ideòque hoc Sacramentum appellatur *Viaticum*: pro vt docet Angelicus Doctor in 3.p.q.79.A.2. Vndè canit Eccleſia (*Et futura gloriæ, nobis pignus datur*) & ipſemet Dominus dicit: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Ioan.c.6.

Reſurrectio corporũ eſt effectus Euchariſtiæ. — *Soto & Suar.*

10 Datur etiam per virtutem huius Sacramenti reſurrectio corporum glorioſa, teſtante ipſo Domino: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die:* Euchariſtia enim eſt cibus vitæ, & diſponit nos ad vitam, conferendo virtutes ad eamdem vitam, & eam ſubſtentat, nutrit, & auget, & virtute ſua facit, vt detur nobis reſurrectio glorioſa, pro vt docet Dominicus à Soto in 4.d.11.q.2.A.2. omneſque Theologi communiter, citati à Suar. tom. 3.D.64.ſect.2.

Quo ad ſecũdum genus ſequuntur alij quinque. — *D. Thom.*

11 Quantum verò ſpectat ad ſecundum genus effectuũ quod erat, Remouere nos à malo, facit, vt Euchariſtiæ Sacramento tribuantur alij quinque effectus, quos ponit D. Thom. in 3.p.q.79. Art.3. quorum, Primus eſt *Remiſſio peccati mortalis*: Secundus *peccati venialis*, Tertius *remiſſio pœnarum*. Quartus *Præſeruatio*, & Quintus *fomitis diminutio*, de quibus omnibus dicemus breuiter. Vndè;

1. Effectus nõ eſt Sacramentum mortuorum, ſed viuentium. — *D. Auguſt.* — *Apoſt. 1. Corint. 11.*

12 Circa primum effectum eſt notandum: Hoc Sacramentum non eſſe primò, & per ſe inſtitutum ad conferendam primam gratiam: non enim eſt Sacramentum mortuorum, ſed viuentium, ideòque datur per modum cibi, quia cibus præſupponit vitam: quàpropter, ſi quis accederet in peccato mortali grauaretur potiùs, quam purificaretur, pro vt docet Diu. Auguſt. de Eccleſ. Dogmat. cap.53. & refertur in Can. Quotidiè de Conſ. d.2. Imò teſtante Apoſtol. 1. Corint. 11. *Qui indignè manducat panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit: ergò &c.*

Remittit aliquando peccata mortalia per accidens. — *Concil. Trid.*

13 Verum eſt tamen, quod remittit aliquando peccatum mortale per accidens, & hoc duobus modis, (vt communiter docent Theologi:) Primò quando quis accedit attritus, putans ſe eſſe contritum, vel legitimè confeſſum: Secundò quando quis adhibito diligente examine, non recordatur de aliquo peccato mortali, & virtute Sacramenti recipit gratiam de omnibus, & efficitur de attrito contritus, & ſic recipit etiam primam gratiam, quam antea non habebat: *Omnia enim Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, non ponentibus obicem*, vt habetur ex doctrina Concil. Trident.

2. Effectus remittit peccata venialia. — *Paſchaſius.* — *D. Auguſt.* — *D. Ambr.* — *D. Thom.*

14 Circa ſecundum effectum, qui eſt: *Remiſſio peccati venialis*: habetur ex doctrina Paſchaſij lib. de corp. & ſang. Chriſti c.9. & refertur in c. Iteratur de Conſ. d.2. & ex doctrina Diu. Auguſt. in c. Vtrum, eadem diſtin. & idem docet Diu. Ambr. lib. de Sacr. cap.4. & D. Tho. 3.p.q.79. Art.4. alijque. Proprium enim eſt Sacramenti huius influere animam ſumentis erga Chriſti amorem. & quia peccata venialia, vt plurimum remittuntur per actus amoris, ideò virtute huius Sacramenti remittuntur peccata venialia, non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato, ſecundum omnes Theologos, & Canoniſtas.

3. Effectus. Remittit pœnas peccati debitas. In ratione ſacrificij. — *D. Thom.* — *Soto.* — *Quatenus Sacramentũ ſe mittit ex opere operantis.* — *Remittit pœnas concomitanter.* — *Bonac.* — *Suar.* — *Nugn.* — *Soto.*

15 Circa tertium effectum, qui eſt: *Remittere pœnas peccati debitas:* Eſt ſciendum: Euchariſtiæ Sacramentum dupliciter poſſe conſiderari, vel in ratione Sacramenti: vel in ratione ſacrificij: In ratione ſacrificij habet in ſe vim ſanctificatiuam pro pœna peccati, pro vt docet D. Thom. 3.p.q.79. A.5. Soto in 4.d.11.q.2. A.5. Vnus enim ex effectibus ſacrificij eſt remittere peccatorum pœnalitates, vt infra in tractatu de Miſſa dicetur: quatenus verò Sacramentum eſt, non aufert primariò ex opere operato, ſed iuxta valorem actus, & diſpoſitionem ſumentis: Sacramentum enim hoc per ſe primò datur per modum nutritionis: Nutritio autem per ſe primò tendit ad vnionem nutriti cum nutriente, ergò per ſe non remittit pœnam, ſed concomitanter, quia cùm iſta manducatio, & feruor charitatis ex manducatione ſit actus amici, meretur remiſſionem aliquarum pœnarum ex opere operantis; Ità Bonac. to. 1. Diſt.4. quæſt.6. punct.1. nu.9. Suarez Diſt.63. ſect.3. & D.64. ſect.1. Nugn. 3. par. quæſt.79. num.5. Soto diſt.11. quæſt.2. art.1.

4. Effectus eſt Præſeruatio à peccatis. — *Euchariſtia eſt clypeum contra tentationes.* — *Pſal. 22.* — *Io. Chryſoſt.* — *D. Bernard.* — *D. Thom.* — *Concil. Trid.* — *Filliuc.* — *Chamerot.*

16 Circa quartum effectum, qui eſt: *Præſeruatio à peccatis*, Patet experientia: Videmus enim frequenter communicantes, qui rarò labuntur in mortalia, & minus frequenter in venialia: Quàpropter dicit Dominus. *Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet non moriatur.* Eſt enim Euchariſtia clypeum, & armatura contra tentationes Diaboli: Vndè dicebat Dauid Pſalm. 22. *Paraſti Domine in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me*, & Diu. Chryſoſt. Hom. 45. in Ioann. cap. 6. dicit. *Vt Leones flamma ſpirantes ſic ab illa menſa deſcendamus terribiles effecti Diabolo: roboratis enim nobis per gratiam, & ſpiritualem vitam in illa menſa, Dæmones victi diſcedunt.* Idem dicit Bernardus in ſermone de Cœna Domini: *Hoc Sacramentum minuit ſenſum in minimis, & in grauioribus tollit omninò conſenſum*: Id autem fit per auxilia ſpecialia, quæ Dominus confert mediante Euchariſtia ad peccata vitanda, prout docet Diu. Thom. 3. par. quæſt.79. Art.6. & Concil. Tridentin. ſeſſ.13. cap.2. expreſsè docet, *Hoc Sacramentum eſſe inſtitutum, vt antidotum, quo à mortalibus præſeruamur*: legite Filliucium tom.1. tractatu 4. capit.6. num.155. Chamerotam tractatu 4. de Euchariſtia capit.8.d.6.

5. Effectus. Diminuit fomitẽ peccati conſecutiuè. — *D. Thom.* — *Soto.* — *Suar.* — *Reginald.* — *Henriq.* — *Coninch.* — *Nugn.* — *Tolet.*

17 Quintus effectus eſt: *Diminutio fomitis*, non directè, ſed conſecutiuè: cùm enim Euchariſtia augeat charitatem, & confirmet cor ſumentis in bonum: *Panis enim iſte* (dicebat Dauid) *Cor hominis confirmat*, ideo conſecutiuè minuit fomitem, pro vt docent Diu. Thomas d.q.79. A.6. ad ſeptimum. Soto D.11. quæſt. 1. A. 6. alijque: Cùm enim hoc auguſtiſſimum Sacramentum det auxilium ad rectè operandum, & temperandum fomitem peccati, & ad delendas tentationes, ideò &c. Nam Dæmones effugiunt Chriſtum præſentem, & cætum Angelorum Chriſtum comitantium: Tum quia ſicut cibus corporalis confert robur, & vires ad operandum, ità etiam cibus ſpiritualis in Euchariſtia minuit peccati fomitem: Ità Suarez D.63. ſect.10. & D.64. ſect.1. Reginald. lib.29. nu.137. Henriquez lib. 8. capite 37. Coninchus q.79. A.8. Nugnus in 3.p.q.79. A.3. Toletus lib.2. cap.39. nu.4. Bonac. tom.1. D.4. q. 5. cap.7.

1. Quæſitum.

18 His ergò poſitis: Quæritur primò: An Euchariſtia conferat primam gratiam, qua impius iuſtificatur per infuſionem gratiæ.

Reſolutio.

Reſpondetur: Hoc Sacramentum per ſe non eſſe inſtitutum ad primam gratiam, ſed ad ipſam augendam cùm ſit inſtitutum per modum cibi: Cibus enim non datur mortuis, ſed viuentibus ad nutritionem, & augmentationem, ideò &c. Non eſt enim Euchariſtiæ Sacramentum cibus mortuorum, ſed viuentium: Quàpropter ſi quis ſine gratia ad hoc Sacramentum accedat grauiſſimè peccat, quoniam: *Iudicium ſibi manducat, & bibit.*

Confirmatur ratio. — *Filliuc.*

19 Et confirmatur, quia nullum Sacramentum dat illum effectum, quem ſupponit: Euchariſtia autem ſupponit gratiam, ſicut cibus hominem viuum, ergò per ſe primò non confert primam gratiam. Ità Filliuc. to. 1. tr.4. c.6. nu.161.

Verùm

20 Confert aliquandò primam gratiã per accidens.

Verum eſt tamen, quod aliquandò Euchariſtia (vt ſupra iam dictum eſt) poteſt conferre primam gratiã, & peccatum mortale delere; Vt ſi quis accedat ad hoc Sacramentum ſine affectu ad peccatum, putans ſe eſſe in gratia, cùm tamen in re non ſit, propter aliquod peccatum mortale oblitum, vel putans ſe eſſe ſufficienter contritum, cùm in re non ſit talis, ſed extra gratiam: tunc Sacramentum confert primam gratiã, faciendo ex attrito contritum propter excellentiam rei, quam in ſe continet: continetur enim in hoc Sacramento Sanctiſſimo Chriſtus Dominus, qui eſt fons vitæ, & gratiæ, qui tactu ſuo ſanctiſſimo viuificat mortuos, eo modo quo diximus ſupra, ſcil. per accidens, & concomitanter, non autem per ſe primò. Ità Suar. D.63. ſect. 1. concl. 3. Alex. Alenſis 4. p. q. 64. nu. 3. A. 2. Scotus in 4. d. 9. qu. Vnica Sylu. Verbo Euchariſtia. Victoria in ſum. nu. 76. Filliuc. to. 1. tract. 4. c. 6. n. 162. Primariè tamen ad augendam gratiam inſtitutum eſt, vt explicatum eſt ſupra.

Suar. Alenſis. Scot. Syluest. Victoria. Filliuc.

21 Quæ cõditio requiritur in ſuſcipiẽte ad recipiendam gratiam per accidens.

Hic tamen aduerte, quod: Vt iſte talis recipiat primam gratiam illius peccati mortalis requiritur, quod ſaltem habeat veram, & ſupernaturalem attritionem, quæ ſit ſufficiens virtute Sacramenti ad efficiendum ex attrito contritum, & quod exiſtimet probabiliter, ſe in gratiam accedere; aliter non conſequeretur primam gratiam.

22 Poteſt dari ſtatus medius in ſuſcipiente.

Ex quo ſequitur poſſe dari ſtatum medium in ſuſcipiente, quod quis non peccet mortaliter, nec recipiat gratiam: ſi enim exiſtens in peccato mortali accedat ſine attritione ſupernaturali modo dicto & ſine noua culpa, quia, vel putat ſe habere illam attritionem neceſſariam, cùm in re, non ſit talis, non peccat mortaliter ex ſuppoſitione, nec etiam conſequitur fructum, quia non adeſt attritio neceſſaria ad remiſſionẽ mortalis; quod ſi mortale non remittitur nullum alium effectum Sacramenti conſequetur, qui conferri non poteſt niſi iuſto, & amico. Ità Filliuc. d. tr. 4. c. 8. nu. 170. Suarez D.63. ſect. 2. D. Bonau. in 4. d. 12. A. 4. q. 2. Gabr. D. 9. q. 2. A. 2. Alex. Alenſis 4. p. q. 41. nu. 3. A. 2.

Filliuc. Suar. D. Bonau. Gabriel. Alenſis.

23 2. Quæſitum.

Secundò quæritur: An recipiens Euchariſtiam cum peccato veniali actuali, ſeù cum affectu ad peccata venialia recipiat augmentum gratiæ habitualis?

Reſolutio. Venialia nõ impediunt gratiam. Soto. Bart. ab Ang. Victoria. Henriq.

Reſpondetur affirmatiuè: nam peccata venialia non ſunt incompatibilia cum gratia, & charitate, & conſequenter non impediunt gratiæ augmentum, quamuis in ſuſceptione Sacramenti nõ obtineatur illorum remiſſio, quæ actu committuntur: Ità Soto in 4. d. 11. qu. 2. A. 9. Bart. ab Angelo §. 412. Victoria in ſum. de Euchariſtia n. 76. Henriq. lib. 8. c. 45. aliique.

24 3. Quæſitum.

Tertiò quæritur: An Euchariſtia remittat peccata venialia ex opere operato?

Reſolutio. Quomodò remittit venialia peccata.

Reſpondetur etiam affirmatiuè, & hoc dupliciter, vel immediatè ex opere operato, nam in hoc Sacramento duo poſſunt conſiderari, Videl. Sacramentum tantùm, & Res Sacramenti, & ex vtroque capite apparet, quod ſcil. Euchariſtia habeat virtutẽ ad remiſſionem peccatorum venialium, nam hoc Sacramentum ſumitur ſub ſpeciebus nutrientibus: Nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id, quod quotidiè deperditur per actionem caloris naturalis: ſpiritualiter autem quotidiè aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuũt feruorem charitatis, ideòque competit huic Sacramento, vt dimittat peccata venialia: Ità D. Tho. 3. p. q. 79. A. 4. Nugn. ibi, Suarez ibi, & D.63. ſect. 10. D. Bonau. in 4. d. 12. p. 2. A. 5. q. 2. Innoc. lib. 4. de Euchariſtia c. 44. Bonac. D. 4. q. 6. n. 6. Filliuc. ſupra n. 157. patet etiam ex Concil. Triden. ſeſſ. 13. c. 1. vbi dicitur. *Hoc Sacramentum liberare nos à venialibus, & præſeruare à mortalibus*, ideò, &c.

D. Thom. Nugn. Suar. D. Bonau. Innoc. Bonac. Filliuc. Concil. Trid.

25 Remittit venialia mediatè.

Secundò remittit venialia mediatè, quia res Sacramenti huius eſt charitas, non ſolùm quantum ad habitum, ſed etiam quãtum ad actum, qui excitatur per hoc Sacramentum, per quem peccata venialia ſoluũtur: Vndè manifeſtum eſt, quod virtute huius Sacramenti peccata venialia dimittuntur.

DE DISPOSITIONIBVS ANIMAE ad effectus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ conſequendos, & quandò conſequuntur in Anima ſuſcipientis.

CAP. II.

1

Dictum eſt de principalibus effectibus, qui per Euchariſtiæ ſumptionem conferuntur in Anima recipientis: ſupereſt, vt videantur primò; Quæ diſpoſitiones requiruntur in ipſa Anima recipientis ad prædictos effectus conſequendos? Secundò quandò nam Sacramentum Euchariſtiæ conferat effectus ſuos? Quapropter dicimus breuiter, quod

2 1. Aſſertio.

Ad conſequendos effectus prædictos iſtius ſanctiſſimi Sacramenti, & præcipuè ſecundum, qui eſt Gratiæ augmentum, requiritur neceſſariò gratia habitualis in Anima quæcumque, & quantumuis minima; aliter enim effectus talis conſequi non poteſt; Ratio huius eſt, quia augmentum ſupponit exiſtentiam; ergò, ſi gratia augenda ſit, erit neceſſè, vt ſit; Et hæc eſt communis Theologorum ſententia, vt videre eſt apud Suarez D.63. ſect. 3. Nihil autem obſtat, quod huiuſmodi gratia ſit cum vitiorum habitibus, aut cum venialibus culpis habitualibus, aut cum quocumque temporalis pœnæ reatu, quia iſta non impediunt gratiam in ſubiecto, quominus homo viuat vita ſpirituali, & in ea nutriri, & augeri poſſit: & in hoc nulla eſt controuerſia.

Requiritur gratia ad cõſequendum ſecundum effectum.

Suarez.

3 Diſpoſitio actualis duplex Poſitiua, & Negatiua.

Sed difficultas eſt de Diſpoſitione actuali: Quæ duplex eſſe poteſt, quarum vna dicitur; Poſitiua, altera verò Negatiua: Ideò

4 An requiratur diſpoſitio poſitiua. 1. Sententia.

Primò Quæritur: An requiratur aliqua diſpoſitio poſitiua in ſuſcipiente ad augmentum gratiæ conſequendum: & Ratio difficultatis eſt, quia ſunt aliqui Doctores, dicentes, quod: Vt Euchariſtia ſuum proprium effectum conferat, neceſſè eſt, vt ſit aliqua diſpoſitio poſitiua actualis deuotionis, quæ ſimul adſit in ipſa ſuſceptione Sacramenti; Ità docent Alenſis 4. p. q. 41. n. 3. A. 2. D. Bonau. in 4. d. 12. A. 2. q. 2. D. Ant. 3. p. tit. 13. c. 6. § 8. Sylu. Verbo Euchariſtia in fine.

Alenſis. D. Bonau. D. Anton. Syluest.

5 2. Sententia. ad conſequẽdam gratiam eſt neceſſaria deuotio actualis.

Reſpondetur tamen, ſecundum communiorem Theologorum ſententiam; Nullam diſpoſitionem actualem deuotionis actualis (per ſe loquendo) neceſſariam eſſe, vt Euchariſtia hoc gratiæ augmentum conferat, tum quia infantes, & amentes, & phrænetici non communicarent cum fructu, quod quidem falſum eſt, vt ex ſupradictis patet in præcedenti tractatu de ſubiecto Euchariſtiæ, tum etiam, quia inuoluntariè diſtractus eo pacto careret fructu, quod etiam falſum eſt: nam Sacramenta conferunt gratiam, & infallibiliter conferunt effectum ſuum non ponentibus obicem, vt patet ex doctrina Conc. Trid. ſupra citati.

Conc. Trid.

6

Ex quo etiam colligitur etiam voluntariè diſtractum (excluſo contemptu) quia culpa non eſt mortalis, non ponere obicem: eo quod tantummodò culpa mortalis ſit obex ad gratiam conſequendam.

7 Concil. Trid.

Quàpropter Concil. Trident. d. ſeſſ. 13. Nullam aliã diſpoſitionem neceſſariam requirit in Anima ſuſcipientis, niſi probationem, quæ in eo conſiſtit, vt nullus ſibi conſcius peccati mortiferi abſque confeſſione ad Euchariſtiam accedat, Ità Suarez D.63. ſect. 3. concl.

Suar.

Soto. Victoria, Filliuc.

concl. 2. Soto in 4. d. 12. q. 2. A. 8. Victoria in ſum. nu. 65. Filliuc, to. 1. tr. 4. c. 6. nu. 165. alijque.

8 2. Quæſtio.

Secundo quæritur: An requiratur aliqua diſpoſitio priuatiua, ſiuè negatiua, ideſt carentia peccati venialis actualis? nam de habituali, iam dictum eſt ſupra, quod non eſt neceſſaria.

Peccatum veniale non impedit augmentum gratiæ.

Reſpondetur, peccatum veniale, etiam actu comitans ipſam ſuſceptionem Euchariſtiæ (per ſe loquendo) non impedire gratiæ, & charitatis augmentum, quia tale peccatum veniale non facit ſumentem indignum; nam aliàs ſic ſuſcipiens mortaliter peccaret, quod non eſt dicendum: Non enim per ſolum peccatum veniale, reputatur quis indignus Sacramento, ergò conſequenter recipit Sacramenti effectum: Tum quia; peccatum veniale non pugnat cum gratia habituali, neque cum augmento illius in facto eſſe, neque in fieri, modò aliundè applicetur cauſa ſufficiens ad augendam gratiam, qualis eſt Euchariſtia ſumpta ſine peccato mortali. Ita D. Tho. 3. p. q. 79. A. 8. Alenſis 4. p. q. 41. nu. 1. A. 1. vbi dicit: *Hoc Sacramentũ, licèt non remittat peccatum illud veniale, cuius actualem effectum habet, dum communicat remittit tamen cætera venialia peccata non obſtante illo affectu*: Eadem enim eſt ratio de augmento gratiæ, quæ de remiſſione aliorum venialium: Ità Suarez D. 63. ſect. 3. concl. 1. Gabriel. lect. 45. in Can. Miſſ. Adrian, q. 1. de Euchariſtia. Soto in 4. diſt. 14. q. 2. A. 8. Ledeſm. q. 20. A. 1. d. 4. & A. 8. Victoria in ſum. n. 75. Filliuc. to. 1. tr. 4. c. 6. num. 165. Patet etiam ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 9 vbi ad effectũ huius Sacramenti conſequendum ſolùm requirit pœnitentiam, & confeſſionem Sacramentalem peccati mortalis, & ità explicat verba illa Diu. Pauli ad Corinth. *Probet autem ſe ipſum homo.*

Peccatum veniale non pugnat cum gratia.

D. Thom. Alenſ.

Suarez. Gabriel. Adrianus. Soto. Ledeſma. Victoria. Filliuc. Conc. Trid.

1. Corinth.

9 Ad conſequendã dulcedinem ſpiritualem requiritur deuotio.

Verum eſt tamen, quod ad conſequendum tertium effectum, qui eſt: *Guſtatio ſpiritualis dulcedinis*: requiritur deuotio, quia actualis dulcedo eſſe non poteſt ſiue actuali deuotione, & affectu.

10

Ad auxilia autem conſequenda ad mala vitanda, requiritur tantum gratia actualis: Animi verò attentio non eſt neceſſaria, cùm etiam nobis non attendẽtibus, poſſit Deus auxilia gratiæ communicare, ſicut efficit in alijs Sacramentis: Ità Suarez, & Filliuc. locis ſupra citatis.

Suar. Filliuc.

11 Ad conſequendam remiſſionem pœnæ requiritur deuotio.

Ad conſequendam verò remiſſionem pœnæ temporalis requiritur actualis deuotio, quia hæc non remittitur ex opere operato, ſed ex opere operantis, ideòque quò maior eſt deuotio, & feruor charitatis eò magis, pœna peccati debita remittitur, vt eſt communis opinio: Ita Filliuc. d. to. 1. tr. 4. c. 6. n. 168.

Filliuc.

12 Quæſtio 3. Quo tempore Sacramentum conferat effectum.

Tertiò quæritur, quo tempore conſequantur huiuſmodi effectus? Vndè pro reſponſione eſt notandum breuiter: Tria eſſe tempora præcipua, quæ conſiderari poſſunt in communicante: Primum eſt tempus ipſius ſumptionis: ſecundùm tempus durationis ſpecierum in ſtomacho, & tertium poſt conſumptionem ſpecierum conſecratarum, nam ante ſumptionem, certum eſt nihil conferre poſſe Sacramentum ex opere operato; Quapropter circa primum modum.

13 Quandò deglutiuntur ſpecies ſacramentales cõſequuntur effectus.

Reſpondetur primò, quod: Euchariſtia ſuos producit effectus gratiæ quandò aliqua pars ſacramenti deglutita eſt, & proijcitur ad ventriculum: Nam vt Euchariſtia ſuum producat effectum requiritur, vt applicetur ſuſcipienti: tunc autem dicitur applicata, quandò aliqua pars illius deglutita eſt, ergò, &cet. quapropter ipſe Dominus dixit Ioan. c. 6. *Qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem*, tum etiam quia Sacramentum hoc confert gratiam per modum nutrimenti, ſed cibus nutrit, quandò tranſmittitur ad ſtomachum: ergò Sacramentum Euchariſtiæ cõfert gratiam in eo inſtanti, quandò verùm eſt dicere; Nunc deglutitum eſt Sacramentum: Ità Scotus in 4. d. 11. q. 2. A. 1. Valentia to. 4. D. 6. q. 7. p. 1. Suarez D. 93. ſect. 3. Regin. lib. 29. n. 140. Bonac. D. 4. q. 6. p. 2. n. 1. to. 1.

Ioan. c. 6.

Scotus. Valentia. Suarez. Reginald. Bonac.

14 1. Conſequẽt. Qui detinet ſacramẽtum in ore, nõ recipit effectus, niſi manducet.

Hinc ſequitur primò: Illos, qui diù retinet hoſtiam conſecratam in ore, adeò, vt ſpecies corrumpantur antequam deglutiantur, non recipere fructum Euchariſtiæ, quia tales non dicuntur Sacramentum manducaſſe: tunc enim Sacramentum operatur, quandò applicatum eſt recipienti: ſed Euchariſtia applicatur, per modum manducationis, ergò non producit effectum, niſi manducetur, ergò qui diù retinent hoſtiam in ore, adeò vt ſpecies corrumpãtur antequam deglutiantur, non recipiunt fructum Euchariſtiæ ex opere operato. Ità docet Filliucius to. 1. tr. 4. c. 6. nu. 17. alijque communiter.

Filliuc.

15 2. Conſequẽtia: deglutita vna parte ſacramenti cõſequitur effectus.

Secundò ſequitur Sacerdotem, qui deglutita parte hoſtiæ euomit reliquas partes, aut moriatur: ante plenam aliarum partium deglutitionem recepiſſe gratiã, & totum effectum Sacramenti, quamuis non receperit totam hoſtiam, aut ſanguinem: nam Sacramentum producit totum ſuum effectum, quandò prima pars hoſtiæ, ſiuè ſanguinis deglutita eſt, nam in ea eſt totus Chriſtus, cùm ſit totus in tota, & totus in qualibet parte, etiam minima: Tum quia, ſi non produceretur totus effectus in prima parte deglutita, ſed ſucceſſiuè augeretur per partes, expediret grandiores hoſtias recipere, eaſque non ſtatim, ſed interpoſita mora deglutire, Quod non eſt in vſu, nec dicendum.

16 Concluſio quãdò ſacramentũ producit effectum.

Concludimus ergò breuiter: Effectum Sacramenti Euchariſtiæ produci deglutita prima parte per ordinem ad reliquas partes: nam hoc ſacramentum ſumitur per modum conuiuij: & eſt vnum indiuiduum ſacramentum, quod integratur non ſolùm ex parte deglutita, verùm etiam ex parte deglutienda: Ità Bonac. tom. 1. D. 4. q. 4. p. 2. n. 3. alijque.

Bonac.

17 Difficultas An recipiens vnam partẽ ſacramẽti in peccato, & aliã in gratia recipiat effectum.

Sed hic occurrit vna difficultas: An ſi detur caſus, vt recipiens Euchariſtiam ſit in peccato mortali: tunc temporis quandò manducauit aliquam partem Sacramenti, ſed deglutita aliqua parte Sacramenti, ſtatim eliciat actum cõtritionis antequam reliquas partes manducet, tunc recipiat gratiam, & effectum Sacramenti, recipiendo reliquam partem Euchariſtiæ.

18 Duplex opinio. Prima eſt negatiua Bonacinæ. Henriq. Nugn.

Reſpondet Bonac. ſupra, ſequens Henriq. in ſum. lib. 8. c. 43. nu. 3. negatiuè, quorum ratio eſt, quia totus effectus Sacramenti producitur per ſumptionem primæ partis, ſed communicans in ſumptione primæ partis non erat ſufficienter diſpoſitus ad recipiendum Sacramenti effectum, ergò nõ recipit poſteà effectum illius, quamuis ſe diſponat antequam reliquas partes deglutiat: Non enim decens eſt, quod quis per eamdem refectionem, & cibum pariat ſibi iudicium, & gloriam per gratiam iuſtificantem.

19 2. Opinio affirmatiua.

Contraria tamen opinio videtur communior, & probabilior: cùm enim ille talis per actum contritionis perfectæ, (vt ſupponitur) poſſet partem Sacramenti, in qua etiam totus Chriſtus continetur dignè recipere, & ſe diſponere ad recipiendam gratiam, recipiendo reliquam partem; Quid enim impedit, quod Sacramentum non producat ſuum effectum? Et quãuis quandò recipit primam partem Sacramenti mortaliter peccauerit propter indignitatem ſuam, poterit tamen conteri de illo peccato, & de alijs per actum ſupernaturalem doloris, & amoris, & tunc recipiendo reliquam Sacramenti partem eſſe diſpoſitus ad recipiendam gratiam iuſtificantem: Ità docent Suarez D. 63. ſect. 5. Caietanus in 3. p. qu. 79. A. 1. Coninch. q. 99. A. 1. d. 2. num. 25. Regin. lib. 29. num. 140. Nugn. q. 79. A. 1. Soto in 4. d. 12. qu. 2. A. 1. Barthol. ab Angelo §. 404. alijque.

Reſpõdetur rationi contrariorum.

Suarez. Caietanus. Coninch. Reginald. Nugn. Soto. Bart. ab Ang.

20 Quæſtio quarta.

Quartò quæritur circa ſecundum tempus: An quam-

quamdiù durant, ſpecies Sacramentales in ſtomacho conferant aliquam maiorem gratiam?

Reſolutio. Non confertur maior gratia, niſi in ſumptione.

Reſpondetur quod ex opere operato nulla confertur major gratia, quam in ipſa ſumptione, nam ſoli manducanti facta eſt promiſſio: quandò autem durāt ſpecies in ſtomacho non manducantur, ſed digeruntur, quæ nō eſt actio humana meritoria, ſed naturalis, ergò, &c. Tum etiam quia indè ſequerentur multa abſurda, vt indignè manducantem poſteà contritum, dum ſpecies durant creſcere in gratiā ex opere operato: Item dignè comedentem per longum tempus creſcere in gratiam maiorem. Quod non eſt dicendum: denique vtilius eſſet recipere maiorem hoſtiam, & vinum largius conſecratum, & ſtomacho debiliori, quæ omnia ſunt abſurda, vt benè probant Suarez d. D.63. ſect. 7. & 8. Soto in 4. d. 11. qu. 2. A. 1. Victoria in ſum. num. 79. Filliuc. tract. 4. c. 6. num. 174. & Diu. Thom. q. 79. A. 8.

Suar. Soto. Victoria. Filliuc. D. Thom.

21 Quæſtio 5.

Quintò quæritur circa tertium tempus: An poſt ſumptionem, & præſentiam, Sacramentum habeat aliquem effectum in eo, qui fictè recipit Euchariſtiam?

Reſolutio. D. Thom. Alenſis. Soto. Medina. Suar. Filliuc.

Reſpondetur negatiuè, ex communi ſententia omnium Theologorum vt eſt D. Tho. in 4. d. 4. q. 3. A. 3. qu. 3. ad 3. Alenſ. 4. p. quæſt. 10. n. 7. A. 3. §. 11. Soto d. 11. q. 2. A. 1. Medina c. de Pœnit. tra. 2. qu. 46. Suarez D. 63. ſect. 8. Filliuc. d. tra. 4. c. 6. nu. 176. & aliorum. Quorum ratio eſt, quia ille, qui indignè manducauit iudicium ſibi adeptus eſt, ergo non poteſt amplius gratiam recipere ex illa manducatione iam completa ex opere operato, cùm nulla Sanctorum Patrum auctoritate, neque rationabili coniectura hoc habeatur. Imò reuerentia maxima, quæ huic Almo Sacramento debetur, ità poſtulat, vt homines intelligant, ſi fictè, aut non benè diſpoſiti ad illud recipiendum accedant, non ſolùm fructum non recipere, ſed etiam ſpe, fructus ex tali indigna receptione priuari: ideò, &cet. (Quicquid dicat Caietan. contrariam ſequens opinionem.)

Caiet. Opinio.

22 Quæſtio vlt. Species ſacramentales etiam nutriunt.

Vltimò tandem: Quæritur: An ſpecies Sacramentales proſint etiam ad corpora illorum, qui dignè communicantur?

Reſpondetur: Affirmatiuè: primò, quia nutriunt ipſum corpus ſumentis, vt experientia patet; non ſolum quatenus ſpecies Euchariſtiæ in ſtomachum receptæ, ità alterantur, & corrumpuntur, vt noua producatur ſubſtantia, quæ ſufficiens eſt ad nutriendum: Nam, corruptis ſpeciebus, aliquod de nouo generatur ad exigentiam diſpoſitionis, ſicut diſpoſito embryone Deus creat Animam in corpore organizato, vt ſupra in tractatu de ſpeciebus conſecratis, c. 6. ſecundum ſubtilis Doctoris doctrinam probatum, & explicatum eſt.

Secundò, quia ſumptio Euchariſtiæ minuit fomitem peccati: Nam ſacramentum hoc eſt antidotum ad præſeruandum hominem à malis, fomes autem eſt prima origo peccatorum, ergò hunc maximè moderare debet, & alios bonos modos in appetitu excitando, & minuendo ardorem, ex quo libidinis ardor inſurgit, vt benè docent, & probant Suar. d. tom. 3. D. 64. ſect. 1. & Filliuc. d. tract. 4. de Euchariſtia, c. 6. num. 117. aliique quam plurimi ab ipſis citati. 23

Minuit fomitem, quæ eſt prima origo pecc.

Suar. Filliuc.

Vltimò tandem dicimus: Euchariſtiæ Sacramentum multum prodeſſe ad glorioſam, & immortalem reſurrectionem corporum in die iudicij, teſtante ipſo Domino, in Euangelio Ioann. cap. 6. dicente: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*: Hinc in Niceno Concilio ſacramentum hoc appellatur, *Symbolum reſurrectionis*: ab Ignatio, *Pharmacum immortalitatis*; à Cyrillo cap 4. in Ioannem, cap. 6. *Cibus nutriens ad immortalitatem*: Et ità hoc præexcellentiſſimum Sacramentum, in quo continetur veraciter caro, & ſanguis ipſius Domini IESV, iſtos, & multos alios innumerabiles effectus producit in animabus, & corporibus fidelium dignè ſumentium; prout docent Suar. in 3. p. D. Tho. to. 3. D. 64. ſect. 2. aliique ſupra citati Theologi in materia de Euchariſtia in tractatu de effectibus iſtius Sacramenti, concordant omnes etiam Summiſtæ, & Canoniſtæ communiter, & Patres. 24

Euchariſtia prodeſt ad reſurrectionem corporum.

Ioan. c. 6. Conc. Nic. S. Ignatius. Cyrill.

Suar. D. Thom.

Et hæc de præſtantiſſimo, & Almo Sacramento Sanctiſſimo, ac de eius effectibus, pro nunc dicta, ſufficiant: Reſtat modò videre de ipſo Sacramento in ratione ſacrificij; de quo in ſequentibus tractatibus de ſacrificio Miſſæ, eiuſque partibus, quæ neceſſaria ſunt, ipſo Domino adiuuante, & protegente Dicemus. 25



TRA-

TRACTATVS XIV.

DE SACRAMENTIS.

ET DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO, TRACTATVS PRIMVS.

PROOEMIVM.

Diuiſio totius tractatus.

HActenus de Sacro Sancto Euchariſtiæ Sacramento, ſecundum ſe, quatenus Sacramentum eſt, dictum ſit: Nunc de ipſomet Sacramento, quatenus ſacrificium eſt dicendum venit: Non enim hoc Almum, & præexcellentiſſimum Sacramentum licitè confici poteſt, niſi in Miſſæ ſacrificio, ideò primo loco tractabimus: de Quiditate, & Eſſentia ipſius Miſſæ ſacrificij, ac de partibus eſſentialibus, in quibus conſiſtit ratio ipſius ſacrificij: Deindè, de perſonis offerentibus, & de ijs, pro quibus offerri poteſt: & poſtremò, de valore, & effectibus Miſſæ in ratione ſacrificij. In ſecundo tractatu dicetur de Nonnullis ad ipſam Miſſam licitè celebrandam requiſitis, vt de loco, tempore, & hora celebrandi: ac de Præparatorijs, & ritu ſeruando, tum in verbis, tum in actionibus Miſſæ. In tractatu tertio dicetur de Myſterijs, quæ continentur in ipſa Miſſa, & de partibus, & expoſitione Canonis.

Diuiſio ſecundi tractatus. Diuiſio tertij tractatus. Diuiſio quarti tractatus.

Vltimò tandem de Miniſtro celebrante, & de præcepto Eccleſiæ audiendi Miſſam in diebus feſtiuis, & quomodò ſit audienda explicabimus.

DE RATIONE, ET ESSENTIA ſacrificij Miſſæ.

CAP. I.

1 Miſſa dupl. cõſideratur, vel ſecundũ ſignificationem, vel ſecundum rẽ.

MIſſæ ſacrificium dupliciter poteſt conſiderari, vel ſecundùm ſignificationem, vel ſecundùm rem. At quoniam iuxta ſapientum doctrinam triplici via ad rerum cognitionem perueniri poteſt, Etymologia videlicet, Deſcriptione, ac Definitione: Ideò nos ipſorum ſapientum documenta ſectantes, hac triplici via quiditatem, & rationem huius Sacroſancti myſterij Miſſæ indagabimus.

2 Etymologia nominis Miſſæ.

Quàpropter circa primum de Etymologia nominis eſt primò ſciendum: vſum huius vocis Miſſæ in Eccleſia Latina eſſe antiquiſſimum, & ſecundùm aliquos Doctores iſta vox Miſſa deducta fuit à verbo Hebręo: Miſſach, quod ſignificat offerre in ſacrificium, cuius fit mentio in lib. Deuter. cap. 16. Nam oblatio ſpontanea apud Hebræos dicitur Miſſael, quod etiam habetur in Pſal. 49. vbi dicitur: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*, quod in Hebræo legitur Miza: Latinus interpres mutauit hameſt in duplex ſigma, vndè dicitur Miſſa, quaſi tranſmiſſa: Ità Tolet. lib. 2. capite quarto de Miſſa, num. 10. Chamer. tract. quarto de Euchariſtia, capit. 9. num. primo, Rodriquez in ſum. de Miſſa cap. 249. num. primo, & hoc colligitur ex doctrina Cõcilij Senonnenſis in Decretis Fidei capite vndecimo. Quam deductionem ex Hebreo probabilem exſtimat Suarez in tom. tertio de Sacram. D. 74. ſect. 3. alijque.

Lib. Deut. Pſalm. 49. Toletus. Chamerot. Henriq. Conc. Senonenſ. Suar.

3 à Græcis appellatur λειτουργεια. Ite Miſſa eſt quid ſignificet.

Græci autem non vtuntur hoc vocabulo, cuius loco dicũt λειτουργεια, quod idem eſt, quod apud nos Miſſa. dicitur autem Miſſa à Latinis à verbo mitto, quia per manus Sacerdotis tranſmittitur Hoſtia, & ſacrificium, qui eſt Chriſtus Dominus ad Deum Patrem: Quàpropter in fine huius ſacrificij dicitur alta voce ab ipſo Sacerdote, ſiuè à Diacono in Miſſa ſolemni: *Ite Miſſa eſt*: Quaſi dicant: Iam Hoſtia, & ſacrificium Miſſum eſt ad Deum, ite in pace, & ità dimittitur populus: prout docent Doctiſſimus Demochares de ſacrificio Miſſæ capite primo, & Suarez dict. D. 74. ſect. prima, Filliuc. tomo primo tract. 5. de Euchariſtia capite primo, nu. 14. Coninch. quæſt. 83. A. primo d. tertio, num. 47. D. Thom. in tertia parte, quæſt. 83. A. 4. ad nonum; Sylu. Angel. Tabien. Armilla in ver. Miſſa, Bonac. tomo primo, D. 5. qu. 8. puncto primo, numero primo Bart. ab Angel. Dialog. 5. de Miſſa §. 17. & 20. alijque. Et hoc quantum ſpectat ad Etymologiam vocis.

Demochares. Suar. Filliuc. Coninch. D. Thom. Syluius. Angelus. Tabiens. Armill. Bonac. Bart. ab Ang.

4 Deſcriptio Miſſæ, quæ.

Vndè nomine Miſſæ intelligitur actio illa ſacra, qua conficitur Corpus Chriſti, quod Deo in Miſſa offertur, & à Sacerdote ſumitur per communionem, & hæc eſt ipſius Miſſæ deſcriptio, & interpretatio.

5 Definitio Miſſæ.

Definitur autem Miſſa à Nauarro, in man. cap. 25. nu. 111. ità: *Miſſa eſt actio, qua ex inſtitutione Chriſti in memoriam illius Paſſionis panis, & vinum in eiuſdem Corpus, & Sanguinem tranſubſtantiatur, & illa ſub earumdem ſpecie Patri Deo offertur in ſacrificium.* Ex quo patet, quod ſecundum propriam definitionem Miſſa eſt ſacrificium, ſeu ceremonia illa ſacra, qua res aliqua Sacratur, aliquo modo conſumitur, & ſoli Deo offertur in ipſius cultum, & recognitionem ſupremæ maieſtatis, & excellentiæ: Ità Bonac. loco ſupra cit.

Bonac.

6 Miſſa ſecundum rationẽ formalem eſt ſacrificiũ. Conc. Trid. Tria requiruntur ad ſacrificium.

Cùm ergò ſecundùm propriam rationem formalem Miſſa ſit ſacrificium, vt habetur ex doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. Tum quia in Miſſa continentur illa tria, quæ pertinent ad eſſentiam ſacrificij: Videlicet conſecratio, oblatio, & conſumptio: Tum quia lex naturalis dictat, dandum eſſe aliquod ſacrificium in Eccleſia, in quo Chriſtiani conueniant ad colendum, & placandum Deum.

7 Miſſa eſt ſacrificium.

Non poteſt autem aliud aſſignari in ipſa Eccleſia præter Miſſam, in qua repræſentatur ſacrificium illud cruentũ, quo Chriſtus ſe ipſum in ara Crucis Deo Patri obtulit, moriendo pro nobis: & hæc eſt oblatio munda, quæ in omni loco ſacrificatur, & offertur ipſi Deo, ſecundum teſtimonium Malachiæ cap. 1. Ità docent Suarez d. tom. 3. D. 74. ſect. 3. Regin. tom. 1. libr. 29. num. 45. Filliuc. tom. 1. tract. 5. c. 1. num. 13. Bonac. d. tom. 1. D. 4. de Euchariſtia c. 8. alijque: Ideòque oportet videre; Quid ſit ſacrificium, & in quo ratio ipſius conſi-

Malachia. Suar. Reginald. Filliuc. Bonac.

Digitized by Google

conſiſtat, & quotupliciter diſtinguat. Quàpropter

1. diuiſio ſacrificij à cauſa efficienti. Sacrificia legis naturæ, ſcriptæ, & gratiæ, à quo fuerunt inſtituta.

8 Notandum eſt primò: Sacrificium in prima ſui diuiſione, Triplex eſſe, ſiuè tripliciter diuidi poſſe, Videlicet. In ſacrificium legis naturæ, legis ſcriptæ, & legis Euangelicæ: Priora inſtituta fuerunt ab homine, Deo inſpirante, ſiuè per Angelum, vt patet de ſacrificio Abel iuſti, Noe, & Abrahæ Patriarchæ, &c. Quæ oblata fuerunt in lege naturæ: Poſtea tempore legis ſcriptæ fuerunt etiam inſtituta ab ipſo Deo, mediante Moyſe, vt patet in libr. Deut. & Leuit.

9 Sacrificium autem in lege gratiæ ſolummodò inſtitutum fuit immediatè à Chriſto Domino, in nocte illa vltimæ Cœnæ pridiè, quam pro noſtra ſalute pateretur, quando tranſubſtantiauit panem, & vinum in ſuum corpus, & ſanguinem, quod ſacrificauit Deo æterno Patri in memoriam ſacrificij cruenti, quod ſacrificaturus erat in cruce, quam poteſtatem ſacrificandi in Miſſa dedit Apoſtolis, & Sacerdotibus ab ipſis ordinandis, dicens: *Hæc quotieſcumque feceritis, & ceter.*

Differentia inter ſacrificia legis naturæ, ſcriptæ, & gratiæ.

10 Vndè priora duo ſacrificia legis Videl. naturæ, & ſcriptæ habuerunt tantum effectum ex opere operantis in figura Chriſti venturi; Tertium verò ſacrificium legis Euangelicæ habet etiam virtutem ex opere operato, virtute paſſionis Chriſti in cruce exhibitæ: Et hæc eſt prima differentia, quæ deſumitur ex cauſa efficienti, & ab effectu.

2. Diuiſio à cauſa finali. Holocauſtũ, quid ſit.

11 Secundò diuidebantur ſacrificia legis à cauſa finali, vel enim ſacrificium offerebatur pro Deo venerãdo, eiuſque excellentia præſtanda, & tunc offerebatur Holocauſtum ſacrificium perfectiſſimum, in quo tota hoſtia igne conſumabatur in Dei honorem: Vndè, dicebat Dauid Pſal. 65. *Introibo in domum tuam in holocauſtis: Holocauſta medullata offeram tibi.*

Sacrificium Propitiatorium.

12 Si autem offerebatur ſacrificium pro peccato, tunc dicebatur: *Sacrificium Propitiatorium, ſiuè Expiatoriũ*, in quo offerabantur animalia, quæ immolabantur in templo, & tunc pars illorum carnium igne conſumabatur, & pars in vſu Sacerdotum reſeruabatur, & orabat Sacerdos pro offerentibus, & ſic mundabantur à peccato.

Sacrificium Impetratorium. Hoſtia, Immolationes, & libamina.

13 Vel tertiò fiebat ſacrificium Impetratorium ob aliquam gratiam obtinendam à Domino, & tunc offerebantur hoſtiæ, ſiuè victimæ, immolationes, & libamina: Si contra hoſtes appellabantur: *Hoſtia*, ſi ad conſequendam victoriam, appellabantur: *Victima*, ex quibus tres partes fieri ſolebant, vna pro ſacrificio ipſo, alia pro Sacerdote offerente: præcipuè quandò erat victima pacifica, & tertia pro ipſo offerente.

Immolationes, quæ.

14 *Immolationes*, dicebantur oblationes frugum terræ, vt frumenti, hordei, vel leguminum, &c. *Libamina*, dicebantur, quandò offerebantur liquores, oleum, Vinum, vel lac, quæ omnia remanebant ad vſum templi, & Sacerdotum.

Sacrificium Euchariſticum. Lib. Leuit. Lib. Numer. Lib. Deuter. D. Thom. Filliuc.

15 Quartò offerebatur: *Sacrificium Euchariſticum*, in gratiarum actiones, & hæc propriè appellabatur; *Hoſtia pacifica, ſiuè laudis*, ex qua etiam fiebant tres partes, vt ſupra; pro vt colligitur ex lib. Leuit. Numeri, & Deuteron. pro vt docent D. Thom. 1. 2. quæſt. 102. Filliuc. ſupra cap. 1. num. 9. Et ità diuidebantur ſacrificia in lege Moyſi, ſecundum rationem quatuor cauſarum, efficientis, materialis, finalis, & formalis.

Sacrificium Miſſæ continet omnia ſacrificia eminentialiter.

16 Ex quibus patet: Vnum ſacrificium Euangelicum legis gratiæ continere omnes prædictas rationes; eſt enim primò Holocauſtum, quod fit in recognitionem Diuinæ excellentiæ pro Deo colendo adoratione latriæ, quæ ſoli Deo competit: Secundò eſt ſacrificium Propitiatorium, ſiuè Expiatorium in remiſſionem peccatorum, Vndè habet effectum infallibilem in nõ ponentibus obicem ex opere operato per virtutem illius ſacrificij cruenti ipſius Chriſti Ieſu in cruce oblati. 3. eſt ſacrificium Impetratorium, quia in eo offertur Chriſtus Dominus, per quem omnia Diuina beneficia ſperanda ſunt; & tandem 4. eſt ſacrificium Euchariſticum, quia fit in recognitionẽ Paſſionis Chriſti, quod fuit maximum beneficium omnium beneficiorum ab ipſo Domino ſua benignitate collatorum: Vndè Dauid in Pſal. 115. dicebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi; Calicem ſalutaris accipiam, & ſacrificabo hoſtiam laudis.*

Sacrificij definitio. Explicantur verba definitionis.

17 Sacrificium autem in communi, ità poteſt definiri, ſiuè deſcribi: *Sacrificium eſt oblatio, facta Deo per immutationem alicuius rei oblatæ in ſignum diuinæ excellentiæ legitimè inſtitutum*: Dicitur (oblatio) pro genere; Omne enim ſacrificium eſt in genere oblationis; Dicitur (per immutationem alicuius) nam in veteri teſtamento ſacrificij nomine ea propriè intelligebantur, in quibus res aliquæ immolabantur, & in Dei honorem immutabantur, ideò (propriè loquendo) ſacrificium intelligitur externa, & ſenſibilis actio, qua res aliqua ità Deo offertur, & legitimo, & ſolemni Ritu à publico miniſtro in honorem ipſius Dei aliquo modo immutatur.

Deſcriptio ſacrificij.

Ad rationem ſacrificij pertinet, vt res oblata immutetur. D. Thom. Suar. Filliuc.

18 Ex quo patet, quod de ratione ſacrificij eſt, quod res oblata aliquo modo immutetur, vel per conſumptionem, vel mactationem. Vndè actio ipſa debet eſſe immutatiua, vel conſecratiua rei, quæ ſacrificatur, vt patet diſcurrendo in omnibus ſacrificijs legis, ac etiam in noſtro Miſſæ, prout docent D. Thom. 3. part. q. 88. art. 3. ad tertium, Suar. D. 74. ſect. 5. Filliuc. to. 1. tra. 5. de Euchariſtia c. 1. n. 7.

19 Dicitur tandem (in ſignum diuinæ excellentiæ,) quia hæc eſt formalis ratio ſacrificij, vt ſupra explicatũ eſt. Quæ quidem definitio aſſignata eſt modo quodam phyſico per cauſam materialem, & formalem.

Definitio ſacrificij modo metaphyſico. Suarez. Filliuc.

20 Si verò velimus ipſum ſacrificium definire modo Metaphyſico, taliter definiri poſſet; *Sacrificium eſt externus actus religionis, continens ſupremum latriæ cultũ, ſoli Deo debitum*: Lege plura de hoc apud Suar. D. 74. ſect. 6. Filliuc. alioſque locis ſupra cit.

DE PARTIBVS ESSENTIALIBVS ſacrificij Miſſæ.

CAP. II.

Miſſa conſideratur dupl. ſecundum ſe. & ſecundum ritum. Significatio moralis quę. Significatio myſtica quę.

1 Diximus iam in præcedenti capitulo de Eſſentia, & quiditate ſacrificij Miſſæ, quod dupliciter poterat conſiderari, vel ſecundùm ſignificationem, vel ſecundùm Ritum: At quoniam ſignificatio iſta duplex eſt, vna moralis, altera miſtica: Moralis eſt internus cultus latriæ in ſupremæ excellentiæ, & laudis Deo debitæ recognitionem: Myſtica autem: Eſt cõmemoratio Chriſti paſſionis: Quàpropter dixit Dominus: *Hæc quotieſcumq; feceritis in mei memoriam facietis*, Et D. Paulus 1. Corinth. cap. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis mortem Domini annunciabitis.*

1. Corin cap. 11.

2 Ritus autem externus, tria concernit videlicet. Rem, quæ offertur, perſonam, cui offertur, & actiones, quibus offertur; perſona cui offertur in omnibus ſacrificijs eſt Deus ipſe Trinus, & vnus, & expreſſius in hoc, in quo offertur Chriſtus Dominus Filius Patris, quatenus Deus, & homo, ex virtute ſpiritus Sancti Incarnatus: Vndè perſona, cui offertur hoc ſacrificium eſt vltimus terminus, in quem rendit actio ſacrificij, & appellatur à Theologis: *Obiectum Cui*, i. Cui offertur

Obiectũ cui.

Digitized by Google

Obiectum quod.

offertur ſacrificium: Res autem, quæ offertur appellatur: *Obiectum quod*, & talis eſt Chriſtus Dominus, quatenus exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis; Panis autem, & vinum fuit materia tranſiens, ex qua conficiendum erat ſacramentum.

3 Species conſecratæ ſunt materia proxima.

Vndè materia proxima, quæ offertur in ſacrificium ſunt ſpecies ipſæ conſecratæ, tranſubſtantiatæ ex vi verborum in Corpus, & ſanguinem Chriſti: Ex quo ſequitur, quod ſpecies conſecratæ intrinſecè pertinẽt ad rem oblatam in hoc ſacrificio, itá vt huiuſmodi res oblatæ per modum termini, non ſit tantùm Chriſtus nudè ſumptus in propria ſpecie, quia taliter non immutatur, ſed quatenus exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis, prout cum ipſis vnum compoſitum Sacramentum conſtituit. Itá docent Suarez in 3.p. D.Tho.3.de Sacramentis D.75.ſect.1.

Suar. D. Thom.

4 Concil. Trid.

Et habetur expreſſè ex doctrina ſacri Concilij Trident. ſeſſ.22.c.1. vbi dicitur: *Chriſtus Dominus noſter in noƈte Cœna, vt dileƈta Eccleſia ſponſa ſua viſibile (ſicut hominum natura exigebat) relinqueret ſacrificium, Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, Se in æternum conſtitutum declarans, Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & Sacerdotibus, vt offerrent præcepit ſub ſignis viſibilibus immolandum*. Et itá communiter ſentiũt omnes Theologi.

5 Probatur prima pars 1. Aſſertionis.

Et probatur etiam ratione prima pars huius noſtræ aſſertionis: Nam illud, quod offertur in Miſſa in ſacrificium eſt idem Corpus, quod fuit in Cruce oblatum, ergò quod immolatur in Miſſa eſt Chriſtus Dominus; Sic enim congruebat perfectioni Eccleſiæ, vt offerret Deo, quod in ea eſt excellentius, hoc autem eſt Corpus, & Sanguis Chriſti, ergò, &c.

6 Secunda pars 1. Aſſertionis.

Probatur modò ſecunda pars aſſertionis: Nam quatenus Chriſtus eſt ſub propria ſpecie non immutatur, neque actio offerentis circa illum verſatur, non ergò offertur in ſacrificium, vt ſic, ſed quatenus eſt ſub ſpeciebus conſecratis: Ratio huius eſt, quia materia, quæ ſacrificatur, debet eſſe ſenſibilis, qualis non eſt Chriſtus, prout eſt in Sacramento, cùm nõ ſit ibi modo quantitatiuo, & ſenſitiuo, vt in tract. 4. de Euchariſtia explicatum eſt ſupra, ergò offertur, & ſacrificatur ſub ſpeciebus conſecratis: Ideòque clara eſt noſtra aſſertio, quod: Res, quæ offertur, & ſacrificatur eſt Chriſtus Dominus, quatenus exiſtit ſub ſpeciebus conſecratis.

Immolatur Chriſtus ſub ſpeciebus conſecratis.

7 Sex actiones in Miſſa cõſiderantur.

Actiones autem, quæ interueniunt in Miſſæ ſacrificio præcipuè ſex poſſunt conſiderari; Videlicet: Oblatio panis, & vini cum ſuis cæremoniis ante conſecrationem: Secundò conſecratio ipſa ſpecierum, in qua tranſubſtantiatur panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti: Tertiò oblatio Sacramenti, quæ fit poſt conſecrationem illis verbis: *Vndè, & memores Domine nos ſerui tui, offerimus, &c.* Quartò fractio ipſa ſpecierum conſecratarum cum miſtione particulæ in ſanguine: Quintò conſumptio ipſa quandò ſumitur Sacramentum per communionem ab ipſo ſacrificante, & ſextò Diſtributio Sacramenti, quæ in Cœna Chriſti facta fuit poſt conſecrationem, quæ in Miſſa fieri ſolet vltimo loco, quandò aliqui fideles ſunt communicandi.

8 An omnes iſtæ partes ſint de eſſentia.

Quærimus ergò, In quibus actionibus conſiſtat ratio, & eſſentia ſacrificij Miſſæ; Vel: An omnes iſtæ neceſſariæ ſint, An non?

Partes eſſentiales Miſſæ ſunt tantum tres; conſecratio, oblatio, & conſumptio.

Reſpondetur ergò, quod: Partes eſſentiales ſacrificij ſunt tantùm tres: Videlicet Conſecratio, oblatio, & conſumptio: hæc enim tria tantùm pertinent ad eſſentiam huius ſacrificij, reliqua verò tria non ſunt eſſentialia, quia vel ſunt præparatoria, vel conſecutiua, vel ſunt partes integrantes, non autem eſſentiales, vt videbitur.

Quod autem Conſecratio ſit pars eſſentialis ſacrificij Miſſæ, patet, quia: Res, quæ offertur ſunt ſpecies conſecratæ, quatenus ſub illis manet Chriſtus per trãſubſtantiationem ſpecierum in corpus, & ſanguinem ipſius, quæ fit virtute conſecrationis, ergò conſecratio eſt de eſſentia ſacrificij Miſſæ: Tum quia ſi conſecratio non eſſet de eſſentia, ſequeretur, quemlibet etiam non Sacerdotem poſſe Miſſam celebrare, & ſacrificare (quod quidem falſum eſt) nam ſacrificium Miſſæ offertur in perſona Chriſti, & fit in ipſius commemorationem. Nihil autem magis facit Sacerdos in perſona Chriſti, quam conſecrationem, cùm dicat: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus;* & in hoc omnes Theologi communiter conueniunt, nemine diſcrepante. 9

Probatur, Cõſecrationem eſſe de eſſentia Sacrificij Miſſæ.

Ex quo ſequitur primò: Non fieri ſacrificiũ, quandò Sacerdos, oſtendit populo hoſtiam pridiè conſecratam, nec ipſe aliam conſecrat, quamuis eam frangat, & ſumat, deficit enim conſecratio, quæ eſt pars eſſentialis: Itá docet Henriquez lib.9.cap.19.n.2.alijque: Quápropter feria ſexta Paraſceues non fit propriè ſacrificium, cùm non adſit nouæ hoſtiæ conſecratio. 10

Feria 6. Paraſceues non fit ſacrificiũ, quia deficit conſecratio. Henriq.

Quandò verò Sacerdos perficit Miſſam, inchoatam ab altero, qui perijt poſt conſecrationem, facit verum ſacrificium, quia adeſt conſecratio, & actio præcedentis coniungitur cum actione alterius, & integratur, & perficitur vnum integrum ſacrificium: Itá Henriquez loc.cit. Bonac.to.1.D.4.qu.8.puncto 2.nu. 4. aliique. 11

Sacerdos perficiens Miſſam alterius facit ſacrificium. Henriq. Bonac.

Si verò Sacerdos hoſtiam, quam in Miſſa conſecrauit reponat in ſacrario, & ipſe ſumat Hoſtiam conſecratam ab altero, quæ erat in ſacrario, facit verum ſacrificium, quia adeſt conſecratio, (vt ſupponitur) & reliqua, quæ pertinent ad eſſentiam, & rationem ſacrificij. Itá Henriquez, & Bonac. ſuprà. 12

Dico ſecundò, Oblationem eſſe de eſſentia ſacrificij, non enim cenſetur ſacrificium, donec res offeratur: nam oblatio eſt genus ſacrificij, ergò eſt de illius eſſentia: nam ſacrificium ex ſua ratione eſt oblatio, qua Deo offertur res ſacra; ergò oblatio eſt eſſentialis in ſacrificio Miſſæ, tùm quia ſi Sacerdos, facta conſecratione pereat, tenetur alius Sacerdos etiam non ieiunus offerre, & ſumere, ne ſacrificiũ remaneat imperfectum, ergò ſignum eſt: Oblationẽ eſſe de eſſentia ſacrificij, alioquin alius Sacerdos non teneretur offerre: Itá docent Scotus in 4.d.13.q.2.Gabr. quæſt. 2.A.5.Canon. lib.12. de locis cap.13. Bonac. tomo 1. lib.10. cap.19. lit. D.Henriquez in ſum. lib.9.cap.9.n. 2.Chamerota tract.4. de Euchariſtia cap.9. quæſt. 4. alijque. 13

De 2. parte oblationis ſacrificij.

Probatur ratione.

Scot. Gabriel. Canon. Bonac. Henriq. Chamerota.

Quicquid dicat Suarez D.75. ſect.3. & Coninch.q. 83. A.1.d.5.concl.2. & Vaſquez 1.p.D.222.c.8.nu.7. putantes: Solam conſecrationem eſſe de eſſentia ſacrificij: ſed falluntur (inquam) quia præter conſecrationem requiritur etiam oblatio, & conſumptio ad eſſentiam ſacrificij, vt probabitur. 14

Improbatur ſententia Suarez. Coninch. & Vaſq.

Aduertendum tamen eſt: Duplicem eſſe oblationem in Miſſa, Vnam quandò offertur panis, & vinum ante conſecrationem. Alteram quandò poſt conſecrationem offertur corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis latentis. Prima ergò oblatio non eſt de eſſentia ſacrificij: non enim ſemper fuit ab Eccleſia obſeruata, tùm quia per eam nihil fit niſi merè extrinſecè circa rem oblatam, ad quam ordinatur: Vndè etiam ſi omittatur, ſacrificium cenſebitur perfectum eſſentialiter, Vndè Chriſtus ipſam expreſſè nõ fecit in Cœna, quamuis ipſam obumbrauerit, quandò ante conſecrationem adhibuit ſigna reuerentiæ, eleuando oculos in Cœlum, & gratias agens benedixit; 15

Dup. oblatio in Miſſa.

1. non eſt de eſſentia, ſed de præcepto.

dixit;

Digitized by Google

1. Oblatio ſacrificij eſt de eſſentia.

dixit, &c. pro vt dicitur in Euangelio; Non tamen, vt dixi, talis oblatio eſt pars eſſentialis, ſed ſecunda oblatio, in qua offertur corpus, & ſanguis Chriſti, ad quã ſecundam oblationem, prima oblatio ordinatur, tanquam præparatoria ad illam, pro vt benè probant Azot. & Henriq. locis ſupra cit.

Azot. Henriq.

16 Particulæ conſecrandæ ſunt offerendæ, ſicut hoſtia grãdior.

Ex quo ſequitur particulas, quæ ad Altare deferuntur pro communione laicorum debere in altari adeſſe ante primum offertorium, videntur enim ad eamdem conſecrationem pertinere, ad quam pertinet Hoſtia grandior; ſicut autem Hoſtia grandior, debet eſſe ante primum offertorium: Ità etiam adeſſe debent particulæ pro communione laicorum, pro vt dicitur in Rubrica Miſſalis Clementis VIII. de Defectibus in celebratione occurrentibus.

17 Conſumptio ſpecierum, eſt de ratione ſacrificij.

Dico 3. conſumptionem ſpecierum conſecratarum in ſacrificio Miſſæ ab ipſo Sacerdote celebrante eſſe de ratione ſacrificij: Ad ſacrificium enim ſpectat immutatio rei oblatæ, quæ in ſacrificio Miſſæ fit per cõmunionem à Sacerdote conſecrante, vel per alium deficiente primo; Tum quia de ratione huius ſacrificij eſt, vt ſit repræſentatio paſſionis Chriſti; non repræſentatur autem paſſio, & mors Chriſti, niſi adſit conſumptio ſpecierum conſecratarum.

18 Quomodò Chriſtus immutetur mediantè conſumptione ſpecierũ conſecratarum. Sacrificium quomodò appellatur à Græcis. Effectus ſacrificij non conſequuntur niſi facta conſumptione.

Et quamuis corpus Chriſti per conſumptionem ſpecierum non immutetur ſecundùm ſuum eſſe naturale, mutatur tamen ſecundùm eſſe Sacramentale, cùm deſinat eſſe ſub ſpeciebus per ipſarum conſumptionem, quæ eſt ſufficiens ad rationem conſumptionis ſacrificij; Hinc ſacrificium à Græcis appellatur *θυσία, καὶ τελείωσις*. ideſt mactatio, & conſummatio: nec enim datur fructus, & effectus ſacrificij, niſi facta conſumptione, quæ eſt ſignum Diuinæ acceptionis, in qua fit realis applicatio ſacrificij ex Chriſti inſtitutione. Ità Henriq. in ſum. lib. 9. c. 19. nu. 4. Azorius to. 1. lib. 10. c. 19. lit. D. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 8. p. 2. n. 8. D. Bona. in 4. D. 11. Bellar. lib. 1. de Miſſa c. 27. Soto in 4. D. 13. q. 2. A. 5. Chamer. tr. 4. de Euchariſtia c. 9. qu. 4. alijque quam plurimi ab ipſis citati.

Henriq. Azor. Bonac. Bellarm. Soto. Chamerota.

19 Prob. aſſertio ratione. Conc. Tolet.

Probatur etiam, quia Sacerdos ſacrificans debet participare de ipſo ſacrificio: Vndè ipſemet Chriſtus in nocte Cœnæ, ſacrificium offerens non ſolùm conſecrauit, verùm etiam ſumpſit, ſecundùm communem opinionem Theologorum: Quapropter in Concil. Tolet. 11. cap. 5. & refertur in cap. Relatum de Conſ. d. 2. contra quoſdam Sacerdotes, qui conſecrabant, & non ſe communicabant, dicitur: *Quale erit ſacrificium, cum neque ipſe ſacrificans particeps efficitur*, ergò clarè patet; Sumptionem eſſe eſſentialem partem ſacrificij Miſſæ.

20 Confirmatur ratio.

Vndè currit eadem ratio, ſuperius facta: nam ſi contingat Sacerdotem poſt conſecrationem non eſſe ieiunum propter ſumptionem aquæ, ſiuè materiæ non conſecratæ tenetur iterum conſecrare, & ſumere, ne ſacrificium remaneat incompletum, & ipſo deficiente, debet per alium Sacerdotem, quamuis ieiunus non ſit, perfici ſacrificium per ſumptionem Sacramẽti; ergò ſignum eſt: Conſumptionem ſpecierum per communionem celebrantis eſſe de eſſentia ſacrificij, ergò, &c. (Quicquid Suarez cum ſuis aſſeclis, contrarium exiſtimet.)

Reiicitur. Suar. opinio.

21 Quandò cõſequitur effectus Miſſæ. Henriq. Bonac.

Ex quo ſequitur: nõ conſequi fructum, & effectum ſacrificij, quod dicitur: Ex opere operato, niſi facta conſumptione, cùm ad eſſentiam ſacrificij pertineat ſumptio Sacramenti: Ità Henriq. & Bonac. loc. cit.

22 Oblatio panis, & vini non eſt de eſſentia.

Secundò ſequitur, quod: Tres aliæ actiones prædictæ: Videlicet oblatio panis, & vini ante conſecrationem non ſunt de eſſentia ſacrificij, cùm oblatio illa ſit quaſi præparatio, & quoddam præuium ad ipſam conſecrationem; Vndè prima oblatio non eſt de eſſentia ſacrificij, ſed tantùm de præcepto poſitiuo, vt ſupra declaratum eſt; nec fractio, neque diſtributio pertinent ad rationem ſacrificij Miſſæ: Quapropter ſi fractio omitteretur, vel ex naturali obliuione, vel ex negligentia, vel ignorantia ſiuè caſu Hoſtiæ in Calice lapſæ, eſſet tamen perfectum ſacrificium, ideò quæ fractio, non eſt de eſſentia, ſed eſt quædam cæremonia ſacra, & miſticè ſignificat paſſionem Chriſti per ſeparationem Animæ è corpore.

Fractio, & diſtributio non ſunt partes eſſentiales.

23 Mixtio particulæ in ſanguine, quid ſignificat. Suar. Filliuc. D. Thom.

Mixtio autem particulæ in Calice ſignificat reſurrectionem, (vt dicetur in explicatione Miſſæ) vt patet ex Conc. Epheſino: pro vt docent Suarez D. 75. ſectio. 3. & Filliuc. d. tract. 5. cap. 1. num. 22. & D. Th. in 3. p. q. 83. A. 6. ad ſextum: Nec etiam diſtributio eſt de eſſentia, quia eſt quid conſequens, & extrinſecum, vt patet ex vſu Eccleſiæ quotidiano, perficientis Miſſæ ſacrificium, ſine diſtributione, & in hoc omnes conueniunt.

24

Vltimò tandem dubitatur: An ad eſſentiam ſacrificij requiratur conſecratio vtriuſque ſpeciei corporis videl. & ſanguinis Chriſti?

Conſecratio vtriuſq; ſpeciei pertinet ad rationem ſacrificij. Ratio aſſertionis.

Reſpondetur ad rationem ſacrificij à Chriſto Domino inſtituti, conſecrationem vtriuſque ſpeciei eſſe neceſſariam: Ratio huius eſt, quia cõſecratio eſt pars eſſentialis ſacrificij ſub ratione myſterij mactationis, quatenus ex vi verborum corpus, & ſanguis Sacramẽtaliter ſeparantur, ſed hoc non fit, niſi per conſecrationem vtriuſque ſpeciei, quæ expreſsè repręſentat ſeparationem corporis, & ſanguinis, & ipſum ſacrificium cruentum, nam ſacrificium Miſſæ eſt expreſſa repreſentatio mortis, & paſſionis Chriſti, in qua ſanguis fuit è corpore ſeparatus per effuſionem, ergò ad repræſentandum tale myſterium requiritur vtriuſque ſpeciei conſecratio; Ità D. Thom. 3. p. quæſt. 80. A. 12. ad quintum Bellar. lib. 4. de Euchariſtia ca. 22. Filliuc. ſupra num. 25. Suarez D. 75. ſectione 6. concluſ. prima, & 2. patet etiam ex Chriſti facto in Cœna, in qua vtramque ſpeciem ſeparatim conſecrauit, obtulit, & ſumpſit.

Sacrificium Miſſæ eſt expreſſa repręſentatio mortis Chriſti. D. Thom. Bellarmin. Filliuc. Suar.

DE PERSONIS OFFERENTIBVS, & de illis, pro quibus offerri poteſt Miſſæ ſacrificium.

CAP. III.

QVoniam in quolibet ſacrificio quatuor ſunt, quæ poſſunt præcipuè conſiderari, Res Vid. quæ offertur, quæ à Theologis appellatur: *Obiectum quod*: Perſona cui offertur, quæ dicitur: *Obiectum cui*: Perſona offerens, & pro qua offertur: De duobus primis iam dictum eſt in præcedenti capitulo, ſupereſt, vt in præſenti dicamus de tertio, & quarto. Quapropter 1

In ſacrificio quatuor cõſiderantur.

Circa primum de perſona offerente eſt ſciendum: Quatuor poſſe eſſe perſonas offerentes hoc ſacrificium; Chriſtus videlicet Dominus, 2. poteſt eſſe Sacerdos, ſacrificans; 3. Fideles ſimul offerentes, & 4. Eccleſia militans, ſecũdùm inſtitutionem Pontificum inſtituentium. 2

Quatuor poſſunt eſſe perſonæ offerẽtes.

Circa Primum dicimus: Chriſtum Dominum eſſe principaliter perſonam offerentem hoc ſacrificium, & hoc non ſolùm remotè propter inſtitutionem, & virtutem in eius merito fundatam, verùm etiam proximè: nam Chriſtus Dominus actualiter concurrit, & ordinat huiuſmodi oblationem ad cultum Dei, eamque Patri ſuo repræſentat in memoriam ſuæ Paſſionis, cogitando de illa, & volendo illã: Vndè Sacerdos in ipſius Chriſti perſona offert, conſecrat, & repræſentat dicendo: *Hoc eſt corpus meum*, 3

Perſona principaliter offerens eſt Chriſtus Dominus.

Sacerdos in Chriſti nomine offert.

D. Thom. Suar. Bellarm. Filliuc. Conc. Lat. Concil. Trid.

Ideòque Chriſtus Dominus proximè offert hoc ſacrificium, pro vt docent D.Tho.3.p.q,83.A.1.ad 3.& q.82.A.7. ad 3.Suar.D.77. ſect.1. Bellar. lib.1.de Miſſa c.4. Filliuc.to.1.tract.5. de Eucharistia c.2.n.32.paret etiam ex Concil. Lateran. in c, Firmiter de ſumm. Trinitate Conc.Trid.ſeſſ.22.c.1.& 2. cuius ratio eſt; Quia Chriſtus Dominus etiam nunc eſt verè Sacerdos; & intercedit pro nobis, ergò etiam offert; Non enim eſſet conueniens,vt digniſſimus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, qualis eſt Chriſtus Dominus perpetuò vacet munere offerendi: Id.n. pertinet ad maiorem gloriam Dei, & conducit ad dignitatem, & valorem huius ſacrificij,ergò, &c.

4 Sacerdos immediatè offert in perſona Chriſti.

Conc. Trid.

Dico ſecundò; Sacerdotem legitimè ordinatum eſſe miniſtrum, qui immediatè in perſona ipſius Chriſti offert Miſſæ ſacrificium in Eccleſia militante; Nã ſolus Sacerdos eſt ille, qui miniſtrat, offert, & conſecrat, habetque poteſtatem conſecrandi, & tranſubſtantiandi panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti, vt patet ex Concil. Trident. ſeſſ.22. cap.1, dicente: *Chriſtum Apoſtolis, & Sacerdotibus, eorumque ſucceſſoribus præcepiſſe, vt offerrent ſacrificium Miſſæ, quod ſemper Eccleſia docuit, & intellexit*: & in Can. 2. ideſt de fide determinauit; ſed ſolùm ille offert immediatè, qui conſecrat, ergò tantùm ille eſt, qui habet poteſtatem offerendi, & de facto offert in perſonam Chriſti, pro vt dicit Apoſtol. ad Hebræos cap. 5. *Verum ſacrificium non poſſe offerri, niſi à vero Sacerdote*: Vndè in Concil. Nicæno cap. 14. negatur Diaconos habere poteſtatem offerendi ſacrificium Miſſæ, neque alios non Sacerdotes.

Ad Hebr.

Conc. Nicænum.

5 Sacerdos hæreticus, ſiuè degradatus validè celebrat.

Ex quo ſequitur quod Sacerdos legitimè ordinatus, quamuis de facto ſit hæreticus, ſiuè Schiſmaticus, excommunicatus, ſuſpenſus, ſiuè degradatus poteſt validè ſacrificium Miſſæ offerre, quia ſimpliciter habet poteſtatem per characterem indelebilẽ, quamuis hoc licitè per cenſuram facere non poſſit.

6 Fideles omnes poſſunt mediante Sacerdote offerre ſacrificium.

Dico tertiò: Omnes Chriſti fideles aliquo pacto cooperantes in ſacrificio poſſe etiam eſſe offerentes per Sacerdotem, & Ratio huius eſt, quia ſacrificium Miſſæ debet eſſe commune omnibus, cùm ſit publicus cultus, & ſolẽnis ritus populi, & ſit quodammodò quoddam Ius naturale, ergò ad omnes pertinebit, illud offerre poſſe; Dixi (per Sacerdotem) quia iſto tantùm modo poſſunt offerre; Nam ſolis Sacerdotibus ſpecialiter commiſſa eſt poteſtas offerendi, & cõſecrandi, vt dixi, & patet ex ordinatione ipſorum Sacerdotum in Pontificali Roman. Vndè in Canone Miſſæ dicitur: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, & cet.* Et ſupra dicitur: *Et omnium circumſtantium, pro quibus offerimus, vel qui tibi offerunt*: non ſolùm Sacerdotes, ſed etiam omnes Chriſti fideles cooperantes aliquo modo in Miſſæ ſacrificio.

7 Debent habere aliquã partem in actione ſacrificii.

Inſeruiens Miſſæ duplicem reportat effectum.

Suar. Filliuc.

Ex quo colligitur, quod vt fideles dicantur offerentes oportet, quod moraliter cooperentur ſacrificio petendo, & procurando ſacrificium, vt pro ipſis offeratur, dando eleemoſynam, ſiuè ſtipendium Sacerdoti offerenti, ſiuè illi inſeruire, & aſſiſtere, & eò magis cenſebitur offerre; & participare fructũ ſacrificij ille, qui magis cooperabitur, & pluribus modis; Vndè ſi quis inſeruiat magis offert, & participat eo, qui tantùm aſſiſtit, & ita de alijs, pro vt docent Suarez D.77.ſectio.3. & Filliuc.d. tractat.5.cap. 2.num.36.

8 Eccleſia militans offert trip. ſacrificium.

1. vt inſtituens.

Dico quartò: Eccleſiam militantem etiam dici poſſe offerre ſacrificium Miſſæ, idque tribus modis: Primò, vt inſtituens, quia inſtituit multas orationes, & alios pios ritus in ordine Miſſæ: 2. quia huiuſmodi orationes retinent vim maiorem ſatisfaciendi, etiam ſi ab iniquo miniſtro dicantur, quia Eccleſia offerens ſemper eſt Deo grata; & 3. quia de ipſa ſit ſpecialis mentio in Canone, dicendo: *In primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica*, vbi ſit ſpecialis mentio Papæ Antiſtitis, omniumque fidelium Chriſti cultorum; Ità Henriq. lib.9.c.17. Suarez d.D.77. ſect. 3. Filliuc. d.tr.5. c.2. nu.37. alijque.

2. Ratione orationum.

3. Quia de ipſa ſit ſpecialis mentio.

9 De perſonis, pro quibus offertur.

Circa autem ſecundam partẽ Capituli, in qua agitur de ijs, pro quibus poteſt offerri hoc ſacrificium; primo loco eſt quærendum: An Sacerdos celebrans poſſit offerre ſacrificium pro ſe ipſo ſacrificante?

An poſſit offerre pro ſe ipſo celebrãte?

Ad Hebr.c.5.

Reſpondetur Affirmatiuè: Nulla enim eſt difficultas, quin Sacerdos celebrans poſſit offerre ſacrificiũ Miſſæ pro ſe ipſo; Nam cùm quilibet Sacerdos egeat impetratione, & propitiatione, poteſt, & debet pro ſe ipſo offerre ſacrificium, itàque duplicem habebit effectum ſacrificij: Vnum, vt agens, quia vt ſic proximè, & immediatè participat effectum ſacrificij, Alterum, vt recipiens fructum oblationis, vndè dicebat Apoſtol. Hebr. 5. *Propterea quemadmodum pro populo, ità & pro ſe ipſo offerre debet ſacrificium pro peccatis, quia & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & cet.* ideò, & cetet.

10 Chriſtus non offert pro ſe ipſo.

Principalis autem offerens, qualis eſt Chriſtus non poteſt pro ſe ipſo offerre ſacrificium, mediante Sacerdote offerente, teſte eodem D. Paulo; *Quia non habet vllam neceſſitatem, quemadmodum Sacerdotes.* Alij autem fideles, qui ſunt cooperatores ſacrificij Miſſæ poſſunt etiam modo ſuo pro ſe ipſis offerre ſacrificiũ, mediante Sacerdote offerente, quia etiam ipſi poſſunt egere impetratione, & propitiatione.

11 Sacerdos poteſt pro alijs ſacrificium offerre.

Secundò quæritur; An etiam poſſit Sacerdos offerre ſacrificium pro alijs?

Reſpondetur: Affirmatiuè; Sacerdos enim non ſolùm poteſt, verùm debet etiam orare pro alijs, & ad hunc finem poteſt offerre ſacrificium, vt pro eis impetret aliquid ab ipſo Deo, ſic etiam poteſt ſatisfactionis effectus alteri applicare: Secundùm illud euſdem Apoſt. ad Hebr. dicentis: *Debet quemadmodum pro ſemetipſo, ità etiam pro populo ſacrificium offerre pro peccatis*; ergò, &c.

12 Hinc patet: Eum, qui ſimul aliqua ratione eſt offerens, & is, pro quo offertur duplicem fructum referre ſecundum duplicem titulum, quem habet: Vnum quia debitò modo aſſiſtit Miſſæ, alterum, quia pro eo Sacerdos offert, & applicat effectum ſacrificij.

13 Circumſtantes etiam pro alijs poſſunt offerre.

Similiter etiam dicimus, quod etiam circumſtantes, & inſeruientes poſſunt etiam ſacrificium Miſſę pro alijs applicare eo modo, quo ad ipſos ſpectat: poteſt enim quilibet generaliter quæcumque opera pietatis alteri applicare, ſicut orare, & impetrare pro ipſis: Sed hoc intelligendum eſt de fructu operis operantis, nõ autem de opere operato, vt dicetur in ſequenti capitulo, loquendo de effectibus Miſſæ.

14 Tertiò quæritur: An Sacerdos poſſit offerre Miſsã pro Eccleſia militante, quæ conſtat ex participatione fidelium?

Sacerdos debet offerre effectum cõmunem pro Eccleſia.

C. Viſum.

Conc. Trid.

Reſpondetur etiam Affirmatiuè; Immò debent Sacerdotes hoc quotidiè efficere, vt patet ex cap. Viſum de conſ.d.2. vbi habetur: *Nulla dies excipitur, in qua non pro viuentibus Dominum deprecetur.* Idem etiã ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. Patet etiam ex Canone ipſius Miſſæ vbi dicitur: *In primis pro Eccleſia tua Sancta, & cet.* Vndè Sacerdos debet ſe canoni Miſſæ conformare non quidem applicando fructum ſatisfactionis ſpecialem, ſed vniuerſaliter deprecando pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ fidei cultoribus, applicando ipſæ Eccleſiæ effectum communem, ſiuè vniuerſalem, eo modo, vt in ſequenti Capitulo explicabitur.

Quartò

Digitized by Google

15 *An pro Cathechumenis liceat offerre?*

Quartò quæritur: An, poſſit offerre pro Cathecuminis fidelibus?

Reſpondetur: Etiam poſſe, quia, Catechumeni ſubſtantialiter per fidem ſunt vniti, quamuis non ſint adhuc per Bap. regenerati: Vndè Eccleſia etiam orat pro ipſis publicè in Feria ſexta Paraſceues: Verùm eſt tamen, quod Sacerdos quandò celebrat habere debet intentionem vniuerſalem offerendi pro omnibus fidelibus, iuxta Eccleſiæ intentionem.

16 *Quomodò pro illis valeat.*

Hic tamen aduerte, quod huiuſmodi oblatio non prodeſt illis, quò ad fructum ſatisfactionis ex opere operato, cùm tali fructu ſint incapaces, ſed rantū illis prodeſt, quo ad fructum impetrationis, vt ſcil. Deus illis inſpiret deſiderium regenerationis, & conuerſionis: Ità Suarez. D.78. ſect. 2. concluſ. 2. *Suar.*

17 *An pro infidelibus? Reſolutio.*

Quintò quæritur: An poſſit offerri Miſſa pro infidelibus?

Reſpondetur: Quod poteſt pro illis offerri ſacrificiū quatenus eſt impetratorium, non autem quatenus eſt ſatisfactorium: Verùm eſt tamen, quod non licet perſonam infidelem expreſsè nominare, vt ab alijs audiatur ad euitandum ſcandalum, & admirationem: Vndè in lib. Machabęorum cap. duodecimo legitur, quod Sacerdotes offerebant ſactificia pro Spartiatis, qui erant infideles: Ità Suarez d. D.78. ſect. 2. concl. 3. *Lib. Machab. Suar.*

18 *Pro excommunicatis priuatim poteſt orari, nō publicè.*

Verum eſt tamen, quod: Pro excommunicatis maiori excommunicatione offerre non licèt, publicam perſonam agendo, cùm ſit in iure prohibitum in cap. à nobis, & cap. Sacris de ſentent. excommu. Verùm tamen eſt, quod poteſt Sacerdos pro illis orare priuata oratione, vt in memento & cætera, vt conuertantur, quia de hoc nulla adeſt prohibitio. Ità Filliuc. ſupra, num. 47. *Filliuc.*

19 *An pro defunctis?*

Sextò quæritur: An Miſſa offerri poteſt pro defunctis in Purgatorio?

Reſpondetur: Affirmatiuè, & patet hoc ex vſu Eccleſiæ, quæ pro defunctis offerre conſueuit Miſſæ ſacrificium, & ipſorum memoriam quotidiè facere in Memento defunctorum: Tum quia ſic habetur in Triden. ſeſſ. 22. ca. 2. Can. 3. Tum etiam patet ex Pontif. Roman. quandò initiantur Sacerdotes, dicitur eis: *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis*: Ergò ſacrificium Miſſæ prodeſt defunctis, alioquin fruſtra conferretur, hæc poteſtas: Ità Suarez D.78. ſect. 3. Azor. parte 1. lib. 10. cap. 22. qu. 8. Bellarmin. tomo tertio de Miſſa libr. 2. cap. 7. alijque. Poteſt autem offerri pro defunctis Miſſæ ſacrificium quatenus eſt impetratorium, & ſatisfactorium ex opere operato pro pœnis, quas patiuntur, vt per modum ſuffragij, & ſatisfactionis liberentur. *Concil. Trid. Suar. Azor. Bellarm.*

20 *An pro Beatis?*

Septimò quæritur: An offerri poſſit pro Beatis, & ſanctis, & quomodo?

Reſpondetur: Sacrificium Miſſę, quatrupliciter poſſe conſiderari. Primò quatenus eſt ſacrificium propitiatorium. Secundò quatenus eſt ſatisfactorium. Tertiò quatenus eſt Impetratorium, Et quartò quatenus eſt Euchariſticum, ſiuè Honorarorium laudis, in gratiarum actionem.

21 *Quatenus propitiatorium, & ſatisfactorium pro Beatis non offertur.*

Dico primò: Sacrificium Miſſæ applicari non poſſe pro Beatis duobus primis modis: Cùm enim Beati in gratia exiſtant, & ſint in termino, ſacrificium Miſſæ non poteſt illis prodeſſe, vt propitiatorium, neque, vt ſatisfactorium, quia nullam pœnam luendam habent, ergò his duobus modis pro ipſis Beatis non offertur, prout docent Reginald. tom. 1. lib. 29. num. 153. Suarez to. 3. de Sacram. D.78. ſect. 3. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 5. n. 7. alijque. *Reginald. Suar. Bonac.*

22 *Vt Euchariſticum offertur pro Beatis.*

Dico ſecundò: Sacrificium Miſsæ offerri poſſe pro Beatis, & ſanctis, quatenus eſt Euchariſticum, & honoratorium laudis diuinæ, & gratiarum actionis: Offertur namque Deo pro Beatis, pro beneficijs in ipſos collatis: Hæc enim oblatio eſt Deo gratiſſima, & ipſis Sanctis grata: Optant enim Deo gratias agi nō tantùm ab ipſis, ſed etiam ab alijs pro ipſis: Vndè quandò offertur ſacrificium pro ſanctis, offertur immediatè ipſi Deo in honorem Sanctorum, vt pro nobis ipſi intercedant, quàpropter in Canone Miſſæ dicitur: (*Vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, & illi pro nobis intercedere dignētur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris*:) Coniunguntur autem orationes Sanctorum cum ſacrificio, vt indè habeant maiorem vim impetrandi: Prout docent Suar. & Filliuc. loc. cit. *Quomodò pro Beatis offertur. Suar. Filliuc.*

23 *Etiam quatenus eſt impetratoriū, & quomodo.*

Dico tertiò: poſſe etiam offerri ſacrificium pro ſanctis, quatenus eſt Impetratorium ad ipſorum gloriam accidentalem augendam, quatenus ſancti gaudent in cœlo, Laude, & honore, quæ in ipſorum memoriam Deo exhibetur: Ità Henriquez lib. 9. cap. 14. num. 2. Coninch. quæſt. 83. A. 1. d. 9. num. 158. Suarez, & Filliucius, locis ſupra citat. *Henriq. Coninch. Suar.*

24 *Gloria accidentalis duplex, intrinſeca, & extrinſeca. Gloria intrinſeca accidentalis, in quo cōſiſtat.*

Hic tamen eſt aduertendum, quod: Gloria iſta accidentalis ſanctorum conſideratur dupliciter: Intrinſecè Videlic. & extrinſecè: Gloria accidentalis intrinſeca conſiſtit in illuminationibus quibuſdam, & gaudijs accidentalibus, & vt ſic non poteſt eſſe impetratorium pro illis directè, quia talis gloria habet in ſingulis Beatis determinatam legem, quæ non pendet ex orationibus noſtris directè, ſed indirectè, quatenus ex noſtris actionibus redundare poteſt honor aliquis accidentalis in ipſos ſanctos indirectè, vt dixi non autem directè.

25 *Gloria accidentalis extrinſeca, quæ.*

Secundò: Conſideratur gloria accidentalis Beatorum extrinſeca ipſis Sanctis, & nobis intrinſeca, quæ nihil aliud eſt, quam offerre ſacrificium pro noſtra vtilitate, & commodo, vt ſcilicet glorificemus Sanctos, & vt ſic poteſt eſſe impetratorium directè: Quo pacto etiam in oratione Dominica petimus, vt Deus magis glorificetur in terris, quæ noſtra vtilitas eſt directè, indirectè tamen honor Dei extrinſecus. Ità Suarez D. 78. ſectio. 3. Filliuc. ſupra numer. 53. & Innocent. III. in capit. Cùm Martha de Celebratione Miſſ. *Suar. Filliuc. Innoc. III.*

26 *An pro defunctis.*

Octauò quæritur: An Miſſa licitè offerri poſſit pro damnatis?

Reſpondetur: Negatiuè, quia in Inferno nulla eſt redemptio: *Vbi enim ceciderit lignum ibi erit*: Patet hoc ex communi conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ, quia non eſt pro damnatis orandum, cùm eorum deſperata ſit correctio, nec poteſt ijs prodeſſe paſſio Chriſti, nec ex iuſtitia, neque ex miſericordia, vt patet ex capite Placuit 23. quæſt. quinta, & cap. Pro obeuntibus 13. quæſt. 2. Ità Bellarm. lib. ſecundo de Miſſa cap. 6. Reginald. lib. 29 num. 154. Suarez D.78. ſect. 3. Henriquez lib. 9. c. 16. nu. 2. *C. Placuit. C. Pro obeuntibus. Bellarm. Reginald. Henriq.*

27

Ex quo ſequitur: Miſſæ ſacrificium non eſſe offerendum pro eo, quem conſtat mortuum eſſe in peccato mortali, nec pro paruulis ex hac vita cum ſolo originali decedentibus: Nec debet offerri pro paruulis baptizatis, decedentibus ante vſum rationis, quia non indigent effectu huius ſacrificij, cùm ſtatim poſt mortem euolent in cęlum per Chriſti Domini merita.

28 *Quomodò pro paruulis offertur.*

Non nego tamen, quin Miſſæ poſſint celebrari, quandò paruuli ſepeliuntur, non enim tunc pro paruulis offertur, ſed pro alijs animabus Purgatorij ad ipſorum Gloriam accidentalem augendam, & in gratiarum actiones, vt ſupra explicatum eſt de Beatis.

29 *Quando ſubiectum eſt incapax, cui confertur effectus.*

Vltimò tandem quæritur: Cui proſit fructus ſacrificij, quandò applicatur ſubiecto incapaci illius effectus?

Reſpondetur: Conferri ipſimet Sacerdoti offerenti, ſi indigeat, & intentionem habeat applicandi ſibi huiuſmodi fructum in defectum alterius: Ipſe enim eſt capax fructus (vt ſupponimus) & poteſt illum ſibi applicare, iuxta Dauidicum illud, Pſal. 34. *Oratio mea in ſinum meum conuertetur*; Si verò non indigeat, aut non intendat ſibi applicare reponitur in theſauro Eccleſiæ, quia non eſt maior ratio, cur vni potius applicetur, quàm alteri. Ità Henriq. c. 18. n. 7. Filliuc. to. 1. tr. 5. de Euchariſtia c. 3. n. 38. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 5. n. 12.

Pſal. 34.
Henriq. Filliuc. Bonac.

DE EFFECTIBVS, ET VALORE ſacrificij Miſſæ.

CAP. IV.

1 Effectus ſacrificij Miſſæ, qui ſunt.

ADmirabiles effectus ſacrificij Miſſæ ex triplici denominatione huius ſacrificij breuiter cognoſci poſſunt: Dicitur n. à Theologis ſacrificium hoc; Propitiatorium, Impetratorium, & Satisfactorium; Quatenus primo modo denominatur cōfert primam gratiam, gratum facientem per remiſſionem peccatorum illius, pro quo offertur. Secundò quatenus ipſam auget gratiam; Et tertiò quatenus remittit culpas veniales per augmentum eiuſdem gratiæ iuſtificantis.

2 Non confert Primam gratiam immediatè, ſed mediatè.
Ratio aſſertionis.

Vndè circa primum effectum de collatione gratiæ gratum facientis, eſt primò notandum, quod: Licèt ſacrificium Miſſæ ſit propitiatorium; Non tamen primò, & per ſe immediatè confert primam gratiam, & remiſſionem culparum mortalium ex opere operato, quia tunc ſequeretur: Confeſſionem ſacramentalem: & contritionem non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad tollendum peccatum mortale, commiſſum poſt Baptiſmum, nec ſacramentum Pęnitentiæ diceretur, ſecunda tabula poſt naufragium, neque talis promiſſio facta eſt à Chriſto ex vi inſtitutionis huius ſacrificij, ergò primò. & per ſe non remittit peccatum mortale, quod abſque pęnitentia expiari non poteſt, vt eſt communis Theologorum ſententia; prout docent Henriq. in ſumm. lib. 9. cap. 14. num. 3. Suar. D. 79. ſect. 3. Filliuc. to. 1. tr. 5. c. 3. nu. 59. Miranda in Man. Prælat. 1. p. qu. 41. A. 8. concluſ. 2. & 4. alijque.

Henriq. Suar. Filliuc. Miranda.

3 Confert mediatè per modum impetrationis.
Concil. Trid.

Verum eſt tamen, quod ſæpè ſæpius ſacrificium Miſſæ, quatenus eſt propitiatorium poteſt conferre etiam primam gratiam per remiſſionem mortaliū per modum impetrationis, & mediatè, quatenus Deus intuitu huius ſacrificij tribuit auxilium ad cōtritionem, mediante qua peccatum mortale remittitur, vt patet ex vſu Eccleſiæ offerentis hoc ſacrificium pro peccatis. Quàpropter Sacrum Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. vbi de effectibus huius ſacrificij loquitur, ità dicit: *Huius quippè ſacrificij oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit, mediatè bonum motum in nobis excitando, per quem gratiam inueniamus in auxilio opportuno*: Sic etiam docent Theologi cōmuniter Suar. D. 79. ſect. 5. concl. 4. Bellar. lib. 2. de Miſſa, c. 2. Vaſqu. 3. p. D. 228. c. 2. n. 10. Azor. p. 1. lib. 10. q. 2. Mirand. in Man. Prælat. p. 1. q. 41. A. 8. concl. 3. alijque.

Suar. Bellarm. Vaſquez. Miranda.

4 An auxiliū impetratum ſit efficax, vel ſufficiens. Eſt ſufficiēs.

Sed hic dubitatur primò: An auxilium iſtud, quod mediante ſacrificio Miſſæ confertur ad eliciendum actum contritionis ſit efficax, vel tantùm ſufficiens?

Reſpondetur quod: Licèt aliqui DD. videantur dicere, quod: Sit auxilium efficax ex opere operato: Tamen probabilius exiſtimamus, ſecundùm communiorem, & probabiliorem ſentētiam Theologorum; Tale auxilium eſſe tantùm ſufficiens ad conuerſionem, non autem efficax; Nam experientia docet, peccatorem, pro quo ſacrificium offertur, non ſemper cōuerti, neque ſpecialiter moueri ad conuerſionem, quia ſi ſic omnes peccatores conuerterentur, quod experientia contrarium docet, ergò ſequitur huiuſmodi auxilia eſſe ſufficientia: Non nego tamen eſſe efficacia reſpectu eorum, qui actualiter conuertuntur, & conuerſionis actum eliciunt: prout docet Nugnus 3. p. qu. 83. A. 1. d. 4. §. Pro cuius explicatione, Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. punct. 3. nu. 4. Cordub. lib. 2. qu. 3. not. 4. alijque multi.

Quomodò poſſet dici efficax. Nugn. Bonac. Cordub.

5 Conc. Trid.

Ex quo ſequitur: Peccatorem, pro quo Miſſæ ſacrificium applicatur non iuſtificari, niſi contritionis actum eliciat, ad quod eliciendum ſpeciale auxilium per ſacrificium Miſſæ confertur; prout docet Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. dicens hæc verba: *Docet Sancta Synodus, ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, & reuerentia contriti, & pęnitentes ad Deum accedamus miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*: Ergò, &c.

6 Quomodò remittat peccata venialia. Non immediatè, ſed mediatè. Ratio aſſertionis.
Conc. Trid.

Secundò quæritur: An ſacrificium Miſſæ remittat peccata venialia, & quomodò ipſa remittat?

Reſpondetur: Non remittere immediatè, ſed mediatè, quatenus (vt dixi) confert ſpeciale auxilium ad eliciendum actum, ſiuè amoris, ſiuè doloris, mediantè quo remittuntur culpæ veniales: Ratio huius eſt, quia ſicut ſacrificium Miſſæ habet vim impetrandi remiſſionem mortalium, ità etiam, & multò magis venialium; Quàpropter dicit Concil. Triden. d. ſeſſ. 22. c. 2. *Per hoc ſacrificium peccata dimitti, quia Deus hac oblatione placatus gratiam, & donum pœnitentiæ concedit*: Et quod hoc intelligatur de peccatis venialibus patet ex eodem Concil. d. ſeſſ. cap. 2. dicente: *Miſſa ſacrificium offerri pro fidelium peccatis, & in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur peccatorum*, eō modo, (vt dixi) mediatè, non autem immediatè per modum ſacramentorum, ſed alio modo, ideſt, mediatè, quia remiſſio culpæ etiam venialis non fit de lege ordinaria ſine infuſione doni habitualis, ſiuè actualis, quo tollitur macula ex peccato veniali, ergò, &c. Sed alio modo, quia ſcilicet infallibiliter illa remittit independenter à bonitate miniſtri, mouendo Deum ſacrificium oblatum ad producendum illum effectum remiſſionis. Ità Azorius p. 1. libr. 10. qu. 4. A. 10. Miranda in Man. Prælat. p. 1. q. 41. A. 10. Suarez D. 79. ſect. 5. Filliuc. to. 1. tract. 5. c. 3. nu. 65. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 3. nu. 5.

Azor. Mirand. Suar. Filliuc. Bonac.

7 An conferat augmentum gratiæ.

Tertiò quæritur: An conferat augmentum gratiæ, & quomodò?

Reſpondetur: Sacrificium Miſſæ primò, & per ſe non conferre augmentum gratiæ in illo, pro quo offertur ex opere operato immediatè ſine aliquo modo meritorio, quia ſic infans, vel amens, ſiuè dormiens, pro quo offertur ſacrificium augeretur in gratia ſine merito ipſius, quod non eſt dicendum: Chriſtus enim non ad hūc finem hoc ſacrificium inſtituit, ergò, &c.

8 Confert mediatè per modum impetrationis.
Filliuc.

Dicimus ergò, quod: Confert gratiæ augmentum mediatè per modum impetrationis: Nam ſi hoc modo poteſt etiam conferre primam gratiam peccatori, multò magis iuſto poterit conferre augmentū gratię, id autem fiet, ſi per hoc ſacrificium impetretur illi auxilium, ad eliciendum actum, quo in gratiam creſcat: Ità Filliuc. d. tract. 5. c. 3. nu. 63. alijque.

9 Quatenus eſt Impetratorium.

Secundus effectus huius ſacrificij eſt: Impetrare nobis bona, quæ petimus, proptereà appellatur: Sacrificium Impetratorium, quia Deus mediante hoc ſacrificio multa nobis bona liberaliter concedit: Ex quo ſequitur; Miſſæ ſacrificium ex vi inſtitutionis ſuæ prodeſſe ad obtinendum id, ad quod conſequendum offertur: Patet hoc ex vſu Eccleſiæ, quæ conſueuit in hoc ſacrificio orare pro neceſſitatibus, tam ſpiritualibus, quàm etiam temporalibus, quamuis temporalia

lia

Temporalia impetrantur conditionaliter.

lia non ſtatim, aut ſemper obtineantur. Nam petuntur ſemper ſub implicita conditione, ſi conducant ad ſalutem, tum quia fideles ſemper intellexerunt magnam vim tribui orationi ad impetrandum effectum per coniunctionem orationis cum ſacr. Miſſ.

10 Et quamuis effectus à nobis intentus, re ipſa, non obtineatur infallibiliter: Nihilominus Miſſæ ſacrificiũ attribuit magnam vim orationi, eamque magis dignã efficit, vt exaudiatur, habetque ſuum effectum aliquo modo ex opere operato; prout docent Miranda d. Man. Prælat. quæſt. 41. A.12. Henriq. lib. 9. cap. 13. n. 3. in ſum. Chamer. de Sact. tract. de Miſſa, d. 10. Suar. D. 79. ſect. 7. Azor. p. 1. lib. 10. c. 21. q. 4. aliique.

Miranda. Henriq. Chamerota. Suarez. Azor.

11 Tertius effectus huius ſacrificij eſt: Satisfacere pro pœnis peccatis debitis, ob idque dicitur: Sacrificium expiatorium, ſiuè ſatisfactorium: Et talis eſt primarius, & proprius effectus huius ſacrificij ex opere operato, vt patet ex doctrina Concil. Trid. ſeſſ. 22. vbi dicitur: *Sacrificium hoc offerri pro viuorum peccatis, & pœnitentijs*: Quapropter eſt communis ſententia Theologorum: ſacrificium Miſſæ ex opere operato ſatisfacere pro pœnis peccatis debitis, tam venialibus, quàm etiam mortalibus: cùm enim ſacrificium hoc habeat infallibilem effectũ ex opere operato ad peccatorum remiſſionem, non culparum mortalium, neque venialium immediatè, vt ſupra dictum eſt, ergò ſaltem pœnarum illis debitatum, ſecundùm gradum, quem Chriſtus determinauit: Vndè ad hunc effectum conſequendum non eſt neceſſaria aliqua petitio, ſed hoc ipſo, quod offertur pro aliquo, non ponente obicem, ſtatim confertur illi remiſſio pœnæ ſecundùm gradum, quem habet remiſſionis: Vndè talis effectus etiam datur omnibus exiſtentibus in Purgatorio ex opere operato. Itá D. Tho. in 3. p. q. 79. A. 5. Nugn. qu. 83. A. 1. d. 4. pag. 87. Vaſq. 3. p. D. 228. c. 3. nu. 6. Filliuc. to. 1. tract. 5. c. 3. n. 67.

Tertius effectus ſatisfactorius. Eſt effectus primarius ex opere operato. Concil. Trid.

D. Thom. Nugn. Vaſq. Filliuc.

12 Secundò quæritur: An effectus, & valor ſacrificij Miſſæ ſit finitus, ſiuè infinitus, & ſic intenſiuè, vel extenſiuè?

An effectus Miſſæ ſit infinitus?

Pro reſponſione eſt primò notandum: Valorem Miſſæ dupliciter poſſe conſiderari, & dici infinitum: 1. intenſiuè, 2. extenſiuè.

13 Ille dicitur: Infinitus intenſiuè, qui ſecundùm ſe, & cathegorematicè intrinſecè eſt infinitus, qui habet omnem gradum infinitatis abſque vllo termino, & parit effectum infinitum, qualis fuit Chriſti paſſio in eius ſacrificio cruento in Cruce exhibito, quæ infinitum habuit valorem.

Infinitũ intẽſiuè, quid.

14 Ille dicitur infinitus extenſiuè, qui licèt ſecundùm ſe, & cathegorematicè ſit finitus, & determinatus, qui non tot prodeſt vni, quin poſſit prodeſſe pluribus, & vt ſic ſacrificium Miſſæ oblatum à pluribus offerentibus vnicuique prodeſt eodem modo, ac ſi ſinguli pro ſe obtuliſſent, & talis effectus dicitur: Infinitus extenſiuè, & ſyncathegorematicè.

Infinitũ extẽſiuè, quid.

Infinitũ ſyncathegorematicè.

15 Secundò notandum: Valorem Miſſæ (ſecundùm Theolog. doctrinam:) Triplicem eſſe. Primus dicitur generalis, quem Eccleſia intendit applicare, non ſolùm omnibus fidelibus, viuis, verùm etiam defunctis, & ipſimet Eccleſiæ militanti, & Summ. Pontif. Imper. Regi, Epiſ. alijſque fidelibus, quorum meminit Sacerdos in ipſo Miſſæ ſacrificio, ſiuè ſint præſentes, ſiuè abſentes, quem fructum quiſque recipiet maiorem, ſiuè minorem, iuxta Chriſti determinationem, & intẽtionem Eccleſiæ, & propriam vniuſcuiuſque cooperationem ad ſacrificium: Quanta autem vnicuique portio contingat Deus ipſe nouit. Illud autem conſtat: Vnumquemque plus gratiæ recipere, quò plures habet titulos ad maiorem portionem recipiendam: Vt ſi non ſolùm interſit, verùm etiam inſeruiat: Itá docent Vaſq. in 3. p. D. 231. c. 7. nu. 50. Azor. 1. p. lib. 10. c. 20. q. 4. ad finem. Suarez D. 79. ſect. 6. Nauar. in ſumm. c. 15. n. 92. Miranda d. Man. Prælat. q. 4. A. 4. concluſ. 1. Coninch. q. 83. A. 1. d. 10. Bon. to. 1. D. 4. de Miſſa. qu. 8. p. 6. nu. 2. Valent. to. 6. d. 6. q. 11. p. 1. §. 25.

Valor Miſſæ triplex generalis, ſpecialis, & ſpecialiſſimus. Valor generalis eſt infinitus ſyncathegorematicè.

Vaſq. Azor. Suar. Nauar. Mirand. Coninch. Bonac. Valentia.

Secundus valor dicitur ſpecialis, quem alij appellãt ſpecialiſſimum, & talis eſt proprius ipſius Sacerdotis offerentis, quem fructum non tenetur, nec debet alijs applicare. Imò ſecundùm probabiliorem ſententiam, nec poteſt aliis applicare, cùm tantùm ipſi celebranti ſpectet, qui ſpeciali modo participet ſacrificio: Ita Azorius, & Bonac. loc. ſupr. cit. 16

Valor ſpecialis, ſiuè ſpecialiſſimus meriti non poteſt alijs applicari.

Tertius valor dicitur: Medius, quem alii appellant ſpecialem, & talis competit alijs, pro quibus Sacerdos, celebrans intendit Miſſæ ſacrificium ſpecialiter offerre, & applicare iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, quæ ſacrificium Miſſæ modò pro vno, & modò pro alio offerre conſueuit, ſiuè ſit viuus, ſiuè defunctus, & talem effectum medium ſacerdos poterit etiã ſibi applicare, & tunc ipſe celebrans duplicem habebit effectum: prout docent Azor. Pitig. in 4. d. 13. q. 2. A. 3. 17

Valor medius.

Azor. Prugian.

His ergò poſitis, & adnotatis: Videndum eſt modò; An valor, & effectus Miſſæ ſit infinitus, vel finitus intenſiuè, vel extenſiuè? 18

Concluſio.

Reſpondetur, quod Ad hoc, quod valor ſacrificij dicatur intenſiuè infinitus, tria requiruntur. Primò, quod res oblata ſit infinita. Secundò perſona offerens infinitæ dignitatis, & virtutis; Et tertiò oblatio ipſa ſit infiniti meriti: Et talis fuit oblatio illa facta à Chriſto in Cœna, & in Cruce: Nam ex dignitate perſonæ diuinæ ipſa oblatio habuit infinitum valorem in ratione meriti, & ſatisfactionis, ſecundùm omnes Theologos in 3. lib. ſent.

Tria requiruntur ad eſſe infinitè intenſiuè, & quæ.

At in ſacrificio Miſſæ, quæ modò offertur, quamuis res oblata ſit infinita, qui eſt Chriſtus Dominus infinitæ dignitatis, tamen ipſa res oblata, quæ offertur in Miſſæ ſacrificio, ſe habet, vt obiectum, & materia circa quam fit oblatio, ideòq; habet infinitatem quandã ſecundùm quid, quia ex parte rei oblatæ nulla poteſt dari oblatio maior: Non eſt autem oblatio ipſa infinita ſimpliciter, quia ita pendet ex dignitate perſonę proximè offerentis, quæ in caſu noſtro finita eſt, & valdè inferior dignitate materiæ, quæ offertur, ideòque habet meritum, & ſatisfactionem ex parte offerentis proximè operantis. 19

Miſſa ex parte rei oblatæ eſt infinita. Ex parte offerentis proximè eſt finiti valoris.

Vndè clarè patet, quod: In Miſſa res oblata tantũ, ſecundùm ſe, eſt infinita, non cætera: Quare recipit finitatem ab offerente proximo, qui eſt finitæ dignitatis, ideòque ipſa oblatio finita eſt, & limitata. 20

Oblatio Miſſæ eſt finita & limitata.

Et quamuis principaliter offerẽs ſit Chriſtus Dominus, & vt ſic ſacrificium poſſit eſſe infiniti valoris, & dignitatis, atque ſatisfactionis: Tamen, quia Chriſtus Dominus modò eſt extra ſtatũ merẽdi, & ſatis faciendi, cùm ſit in termino, ideòque amplius mereri, & ſatisfacere non poteſt per actiones, quas modò facit. 21

Chriſtus modò eſt extra ſtatum merendi.

Quapropter; Quamuis in omnibus Miſſis Chriſtus Dominus ſit principaliter offerens dum offert, tamen non meretur, neque ſatisfacit: applicantur tamen in ipſo ſacrificio Miſſæ merita paſſionis ipſius Chriſti ex vi actionum eius, quas exercuit, dum eſſet viator: Sed hæc applicantur modo finito, quia itá Chriſtus voluit: Noluit .n. Chriſtus per Miſſam applicari infinitũ effectum, ſed tantùm finitum, & determinatũ, quẽ terminum ipſe ſolus nouit, vt patet ex cõmuni ſenſu Eccleſiæ, quę eſt interpres rerum diuinarum, quo conſtat vnã Miſſam, ſic oblatam non ſemper conferre ſatisfactionem totius pęnæ luendæ, ergò ſignum eſt, applicationem ſacrificij ex ſatisfactione eſſe finitæ quãtitatis, & finiti valoris intenſiuè, vt dixi, prout docent Theologi vt Suar. D. 79. ſect. 8. & ſect. 12. Coninch. qu. 83. 22

Merita Chriſti in Miſſa, applicantur modo finito.

Suar. Coninch.

Vaſquez. Azor. Filliuc.

A. 1. concl. n. 187. Vaſqu. D. 216. cap. 2. num. 6. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 21. q. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 5. de Miſſa cap. 3. nu. 83. & alij.

23 *Effectus Miſſæ nõ eſt infinitus intenſiuè, & cathegorematicè.*

Ex quo ſequitur: Valorem ſacrificij Miſſæ quatenus offertur à Sacerdote celebrante: Non eſſe infinitum intenſiuè, & Cathegorematicè, ſed finitum, & terminatum; Et hoc ſiuè reſpectu valoris generalis, ſiuè medij, ſiuè ſpecialiſſimi; Semper enim effectus eſt ſimpliciter finitus, quatenus offertur à Sacerdote, quæ eſt perſona finita: Nam partes ipſius Miſſæ eſſentiales, & actus ipſius offerentis, qui conſiſtunt in conſecratione, oblatione, & conſumptione ſacrificij ſunt actiones perſonæ finitæ: Tum quia ſacrificium Miſſæ eſt inſtrumentum, quo applicantur nobis merita paſſionis Chriſti, quæ applicantur ſecundùm Chriſti inſtitutionem finitè, & determinatè, ergò Miſſa non eſt valoris infiniti, quò ad ſatisfactionem, quæ applicatur nobis; Ità docent Miranda in d. Man. Præiat. p. 1. quæſt. 41. A. 1. pag. 295. Bellarm. libr. 2. de Miſſ. c. 4. propoſitione 4. Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. cap. 45. n. 6. alijque ſupra citati.

Miranda. Bellarm. Graff.

24 *Valor generalis Miſſæ dicitur: Infinitus extenſiuè, & syncathegorematicè.*

Verum eſt tamen, quod: Valor generalis, qui confertur toti Eccleſiæ, & omnibus membris eius, qui ſunt fideles, pro quibus fit ſpecialis, & generalis mentio in Miſſa, quamuis, ſecundùm ſe, ſit finitus, & determinatæ quantitatis in quolibet aſſiſtente, & participante, dicitur tamen; Infinitus extenſiuè, & ſyncathegorematicè, & conſequenter non prodeſt vni, quin poſſit prodeſſe pluribus; Quàpropter ſiuè offerentes ſint pauciores, ſiuè plures ſemper vnuſquiſque refert ſuum integrum fructum, alioquin audientes Miſſam ob ſolam multitudinem minorem fructum reciperent, quàm ſi ſolus, (quod non eſt dicendum.)

Quid eſt infinitum ſyncathegorematicè.

25 *Ratio eſtentionis.*

Ratio huius eſt, quia non minui poteſt ex re oblata, cùm hæc ſit infinita, nec ex oblatione cum quo plures perſonæ ſint, eò etiam ſunt plures offerentes, & oblationes. Nec ex perſona offerente proximè, quia ſicut multiplicantur perſonæ, ità etiam oblationes, & offerentes.

26 *Plures ſacerdotes cõcelebrantes cũ Epiſcopo quilibet habet fructum ſuum. Fructus generalis offerentium non minuitur propter pluralitatem offerentium. DD. huius ſententiæ. Valentia. Vaſq. Bonac. Chamerot. Bellarm. Coninch. Em. Sà. Filliuc.*

Vndè quandò plures Sacerdotes concelebrant Epiſcopo, vt fit, quandò initiantur Sacerdotes, qui ſimul conſecrant eamdem Hoſtiam, & offerunt idem ſacrificium, vnuſquiſquè refert integrum fructum, ac ſi vnus per ſe ſacrificaret. Nam vnitas numerica ipſius rei oblatæ non obſtat, cùm ſit vna, & eadem in diſtinctis ſacrificijs, ideoque vnuſquiſque illorum ſuum effectum conſequitur. Ità in propoſito non minuitur fructus generalis offerentium, ſed eundem fructum determinatum vnuſquiſque recipiet extenſiuè, & ſyncathegorematicè, ideòque vt ſic poteſt dici Infinitus extenſiuè (vt dixi.) Ità docent Valentia tom. 4. D. 6. quæſt. 11. p. 1. §. 25. Vaſquez 3. p. tomo 3. D. 230. cap. 3. num. 9. Bonac. tom. 1. D. 4. de Miſſa, quæſt. 8. p. 6. n. 5. Chamer. de Miſſa dub. 10. concl. 8. Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Miſſ. cap. 4. Coninch. q. 83. A. 1. d. 10. concl. 7. Em. Sà ver. Miſſa n. 41. Filliuc. to. 1. tr. 5. de Miſſa c. 3. num. 88. & alij.

27 *Valor ſpecialis eſt finitus ſimpliciter.*

Valor autem ſpecialis, qui medius nuncupatur eſt finitus ſimpliciter, ideòque effectus Miſſæ, quo ad meritum, & ſatisfactionem, ſiuè fructum, reſpondentem oblationi Sacerdotis, vt ſic, quem fructum poteſt Sacerdos tam pro ſe, quam pro alijs applicare, finitus eſt, & limitatus, & ideò ſi pluribus applicetur, diuiditur in ſingulos, ſecundùm proportionem terminatam à Chriſto.

28 *Plura ſtipendia pro vna Miſſa recipi non poſſũt.*

Quàpropter Sacerdos, qui plura ſtipendia colligit à pluribus pro celebratione Miſſarum, quibus ſingulis intendit vnico ſacrificio ſatisfacere defraudat tradentes eleemoſynas: Nam cùm Miſſæ ſacrificium, quò ad valorem medium, non æquè prodeſt omnibus, ac vni; Ideò eſt, &c. Ità communiter omnes DD. ſupra citati, vt Bonac. c. 8. d. 6. num. 6.

Bonac.

29 *Valor ſpecialiſſimus eſt finitus, & limitatus. Eſt effectus perſonalis, & nõ poteſt alteri applicari.*

Similiter etiam valor ſpecialiſſimus, qui ipſi Sacerdoti offerenti competit etiam finitus eſt, & limitatus, quem effectum non poteſt Sacerdos pro alijs offerre, quem conſtat eſſe perſonalem, & proprium ipſius ſacerdotis, cui finito modo applicatur, iuxta maiorem, & minorem diſpoſitionem ipſius celebrantis, ſicut etiam finito modo applicatur alijs offerentibus, quales ſunt aſſiſtentes, & inſeruientes, qui ſuum fructum recipiunt, qui non minuitur ex conſortio aliorum.

30 *Aſſiſtentes, vnuſquiſque recipit fructum ſuum.*

Ratio huius eſt, quia cùm aſtantes, & inſeruientes concurrant ad oblationem, par eſt, vt recipiat vnuſquiſque ſuum fructum ex opere operantis, qui non minuitur per multiplicationem aſtantium: ſicut enim multiplicatis actionibus, & aſſiſtentibus, multiplicãtur etiam, & creſcunt oblationes ſpeciales, & perſonales; Ità creſcere debet fructus ad ratam offerentium; prout docent Coninch. quæſt. 83. A. 1. d. 10. cõcl. 6. n. 187. Suar. d. 79. ſect. 8. & 12. Azor. 1. p. libr. 10. c. 21. quæſt. 3.

Coninch. Suar. Azor.

31 *Sacerdos nõ poteſt vnam Miſſam pro pluribus applicare.*

Hinc ſequitur primò: Pecc. mort. Sacerdotem, qui obligatus ad celebrandam Miſſam pro aliquo, non applicat ei totam illam partem ſpecialem, ſiuè mediam, quàm ipſe applicare tenetur: Non enim ſatisfacit obligationi ſuæ, & iniuſtitiam in illum committit: Nam ſicut ſuprà dictum eſt, vna Miſſa pro multis applicata non tantùm valet cuilibet eorum, quantum valeret celebrata pro vno ſolo; Nam res finita, & limitata quantò magis diuiditur, tantò minus vnicuiq; prodeſt, iuxta illud Philoſophicum Axioma; *Omne finitum oblatione finiti conſumitur.*

Omne finitũ oblatione finiti conſumitur. Ariſt.

32 Vndè ſi quis tenetur celebrare Miſſam pro aliquo, ſiuè quia ſtipendium iuſtum ab ipſo recepit, ſivè quia libenter illi promiſit, non ſatisfacit illi ipſam Miſſam, etiam pro alio applicando, niſi ille expreſsè conſenſerit, alioquin ſi ſtipendium ab illo recepit tenetur reſtituere, aut iterum pro illo alteram Miſſam celebrare; Ità Coninch. quæſt. 83. A. 1. d. 3. nu. 64. Nauarr. ca. 25. num. 92. & tom. 1. conſ. de celebrat. Miſſ. capit. 8. Tab. ver. Reſtitut. §. 33. Bona. d. 4. de Miſſ. p. 6. num. 6. Tolet. lib. 2. c. 8. n. 4.

Coninch. Nauar. Tabiena. Bonac. Tolet.

33 *Pars ſpecialiſſima ipſius Sacerdotis offerentis, non poteſt alteri applicari. Nauar.*

Secundò ſequitur: etiam malè facere Sacerdotem, qui pro vna Miſſa duplex ſtipendium recipit cum intentione, vt vni eorum partem mediam, ſiuè ſpecialem applicandi, alteri verò partem ipſius ſacerdotis ſpecialiſſimam ſibi debitam: Ratio huius eſt, quia licèt ſacerdos ſecundùm mentem Nauarri, cap. 25. nu. 92. aliorumque poſſit aliquandò partem ſuam alicui applicare (pro vt nonnulli Doctores dicere videntur,) quos ſequitur Diana: De celebrat. Miſſar. p. 2. reſol. 14. putantes: Licere Sacerdoti partem ſuam alteri applicare: Tamen (ſecundùm probabiliorem, & veriorem ſententiam Theologorum) non poteſt pro illa ſtipendium, ſiuè pirantiam iuxta Eccleſiæ taxationem accipere, niſi de licentia expreſſa ipſius dantis, & conſentientis.

Diana.

34 *Paupertas celebrantis non poteſt tollere iuſtitiam. Can. Debitũ. Miſſa nõ eſt inſtituta ad alendos Sacerdotes pauperes. C. Nõ liceat.*

Nec ſufficit paupertas ſacerdotis celebrantis, vt pro vna Miſſa duplex ſtipendium recipiat præter intentionem dantis eleemoſynam, tum quia paupertas celebrantis non poteſt tollere iuſtitiam, nec debitum alteri: Vt in Can. debitum 14. q. 5. habetur: Tum denique quia Eccleſia non inſtituit celebrationem Miſſarum ad alendos pauperes ſacerdotes: Immò ſanxit, quod: *Nullus pauper initietur in ſacris, qui beneficium, ſiue patrimonium ſufficiens ad viuendum non habeat*: vt in c. non liceat de prabendis habetur.

35 *Duo ſtipẽdia pro vna Miſſa non recipi poſſunt.*

Si autem Sacerdos in paupertatem deciderit, fideles ex miſericordia, & pietate debent illum ſubuenire, ipſe

Digitized by Google

ipſe tamen non poteſt iniuſto pretio, & titulo res alienas vſurpare aliquod, iuxta iuſtum ſtipendium: Ergò non duo ſtipendia pro vna Miſſa recipere debet: Tum quia excedit taxam ab Epiſcopo præſcriptam: Tum quia defraudat tradentes eleemoſynam; Tum quia pars ſpecialiſſima, quæ celebranti competit, ex natura ſua tantùm pertinet ad ipſum celebrantem.

Pars ſpecialiſſima non poteſt alteri applicari.

36 Miranda.

Et ſicut valor generalis, qui Eccleſiæ debetur non poteſt alteri applicari: (Vt benè obſeruat Miranda in Man. Præl. quæſt. 41. A. 5. concl. 3.) Itá nec ſpecialiſſimus valor, qui Sacerdoti celebranti ſpecialiter debetur poteſt alteri communicari, cùm talis effectus ex opere operantis ſit beneficium proprium, & perſonale, quod non poteſt in alterum transferri; Tum quia, cùm Sacerdos non certò ſciat ſe eſſe in gratia, ſeq. capacem eſſe fructus ſacrificij, ideòque non poteſt valorem ſacrificij, ſibi competentem alteri certò applicare, qui certam tradidit eleemoſynam, & certum petijt valorem: Ideò conſequenter Sacerdos non ſatisfaciet vnica Miſſa, accipiendo duplicem eleemoſynam, & applicando vni valorem medium, alteri ſpecialem, quem ſibi ſoli competit: Itá Bonac. D. 4. de Miſſa, q. 8. punct. 8. nu. 16. Suarez D. 79. ſect. 9. in fine, Rodriq. in ſumm. cap. 251. numer. 2. alijque abſolutè dicentes,

Bonac. Suar. Rodriq.

37 Concluſio.

Peccare mortaliter ſacerdotem, itá facientem, nec ſatisfacere obligationi, qui cùm teneatur celebrare Miſſam pro aliqua perſona curat ſatisfacere dicendo pro altera, illique applicando, quod ſibi competit fructus alteri, valorem ſpecialem, ſiuè miniſterialem ipſius celebrantis: quia perſona, cui applicat valorem perſonalem remanet notabiliter læſa, & defraudata.

38 Reijcitur opinio contrariorum.

Quicquid dicant alii contrarium opinantes, qui vt lucrentur eleemoſynas, putant hoc modo ſatisfacere, fundati magis in ſua ignorantia, ſiuè in pauco Dei timore, quàm in aliqua ratione ſufficiente, quam ad id faciendum habeant: Hæc Rodriquez, & Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanenſis, teſte Bonacina, itá determinauit. Et hodie extat Decretum Vrbani Papæ VIII. De celebrat. Miſſarum vbi abſolutè, & ſine vlla diſtinctione videtur prohibere Sacerdotibus, ne pro vna Miſſa celebranda duplicatum ſtipendium accipiant: quapropter corruit oppoſita opinio: Ideò, & ceter.

Rodriq. Bonac.

Decretum Vrbani VIII. de celebrat. Miſſarum.

39 Quandò cōfertur Miſſæ effectus ex opere operato.

Tertiò ſequitur: Effectum Miſſæ ſacrificij non conferri, niſi poſt perfectionem ſacrificij immediatè, id eſt facta conſumptione ſpecierum conſecratarum; nam (vti diximus ſupra in cap. 2. huius tractatus) Tres enim ſunt partes eſſentiales ſacrificij Videl. Conſecratio, oblatio, & conſumptio; ergò non confertur effectus ſacrificij ex opere operato, niſi perfecto ſacrificio, quod fit, facta conſumptione vtriuſque ſpeciei, pro vt docent Henriquez libr. 9. cap. 9. num. 4. Bonac. tom. 1. D. 4. de Miſſa qu. 8. p. 2. num. 7. aliique; non autem antea, quia tunc ſacrificium nōdum completum eſt, nec poſtea, quia effectus ſacrificij immediatè confertur, nec poteſt ſuſpendi per intentionem celebrātis; Si autem nulli fuerit applicatus effectus ſacrificij ante perfectionem eius, intentione formali, ſiuè virtuali miniſtri celebrantis nullum effectum ſortietur: & per conſequens, ſi ante ſacrificium perfectum fructus ipſius non eſſet á celebrante applicatus, nihil poſtea applicare iuuabit: pro vt etiam docent Suarez D. 79. ſect. 9. & Cord. lib. 5. de Indulg. q. 42.

Henriq. Bonac.

Effectus ſacrificij immediatè confertur poſt cōmunionem. Si nulli fuerit applicatus, nihil poſtea applicare iuuabit. Suar. Cord.

40 Sacrificia per acta non ſunt amplius in poteſtate offerentis.

Nam ſicut Sacramentum eſt in poteſtate miniſtri pro tempore, & momento, quo conficitur, & tunc habet effectum, qui non debet, nec poteſt ſuſpendi á miniſtro: Itá ſacrificium eſt in poteſtate, & intentione miniſtri, quamdiù offertur, & perficitur, & tunc debet eſſe applicatum, & habere effectum: Vndè nō poteſt ſuſpendi arbitrio, vel incuria miniſtri, ideòque ſi hac de cauſa ſemel careat effectu, iam non eſt in eius poteſtate applicare illud: Non enim poteſt quis præterita ſacrificia applicare quandò voluerit, ſi illa antea non fuerunt applicata, quia effectus ſacrificij confertur immediatè, vel perſonæ, cui fuit applicatus, vel reponitur in theſauro Eccleſiæ, & ſic non eſt amplius in poteſtate miniſtri, vt ſupra ca. 2. huius tractatus diximus,

Sacrificium præteritum non poteſt amplius applicari.

Quartò etiam ſequitur ex præmiſſis; Non poſſe ſuperiorem, nec etiam Summum Pontificem, ſecūdùm probabiliorem ſententiam, applicare, & offerre ſacrificium Miſſæ ſuorum ſubditorum, niſi ipſi offerentes, ſecundùm intentionem ipſius Prælati applicent; Ratio huius eſt, quia applicatio ſacrificij ex voluntate miniſtri celebrantis, & ſacrificantis pendet; quapropter ſi ſubditus contra ſuperioris voluntatem applicabit, applicatio eſſet valida: quamuis ſubditus cōtra obedientiam faceret; nam tota applicatio pendet ex celebrantis libera intentione, ſicut etiam & conſecratio; pro vt doctiſſimè probant, & tenent Suarez D. 76. ſect. 9. Henriquez lib. 9. cap. 21. num. 6. Fagundez de 3. præcep. Eccleſiæ lib. 3. cap. 10. num. 4. Rodriquez in ſum. cap. 241. concl. 10. Sylu. in verbo Miſſa 1. num. 12. Angel. nu. 36. Villalob. in ſum. 1. p. tract. 8. d. 10. nu. 2. Filliuc. tom. 1. tract. 5. de Miſſa c. 3. num. 36. aliique ab ipſis citati.

41 Superior nō poteſt præter intentionem celebrantis valorē Miſſę applicare. Effectus Miſſæ pendet ex intentione celebrantis.

Suarez. Henriq. Fagundez. Rodriq. Syluest. Angelus. Villalob. Filliuc.

Quicquid dicant alij, oppoſitum tenentes, vt Gabr. lect. 20. in Can. Miſſæ, & Cordub. libr. 1. q. 3. opin. 6. Ledeſma 4. p. lib. 2. q. 16 A. 14. ad quos inclinare videtur Scotus in quolib. 20. & Diana p. 2. de celeb. Miſſa. Reſol. 72. Oppoſita tamen opinio eſt probabilior, magiſque rationi conſentanea.

42 Oppoſita ſententia reijcitur. Gabr. Cordub. Ledeſma. Scotus. Diana.

Quintò ſequitur: Non poſſe Miſſæ ſacrificium offerri pro illis, qui daturi ſunt eleemoſynam in futurū, quia ſacrificium iam præteritum non applicatum non poteſt amplius applicari: non enim eſt inſtitutū, vt operetur, niſi dum fit, nec poteſt effectus ſacrificij, qui immediatè confertur ſuſpendi, & conſeruari: Nec valet dicere, quod: licèt opus illud ſit præteritum reſpectu noſtri, in Dei tamen acceptione, & æternitate præſens eſt; Vndè reſpectu Dei acceptantis, eſt itá recens, & præſens, ac ſi eodem momento offeretur, quę eſt ratio Henriq. lib 9. c. 21. nu. 2. aliorùmque, putantium hoc fieri poſſe.

43 An poſſit dici Miſſa anticipatè pro illis, qui daturi ſunt eleemoſynam? Aliquorum opinio.

Henriq.

Sed falluntur (inquam) quia ſicut Deus neque punit, neque remunerat ex his, quæ præuidet futura; Itá nec confert effectum Sacramentorum, aut ſacrificij. Tum quia non poteſt manere ſuſpenſus effectus iſte, & pendere á conditione futura ſicut in Sacramentis, pro vt doctiſſimè docent Corduba lib. 5. de Indulgen. q. 42. d. 4. Coninch. qu. 83. A. 5. d. 9. nu. 168. Suar. D. 79. ſect. 9. Fagund. de p. præcep. Eccleſiæ lib. 3. ca. 9. nu. 10. Filliuc. tract. 5. de Miſſa c. 3. nu. 79. Ioan. de la Cruz in Direct. conſ. p. 2. de Miſſa, q. 1. d. 8. conc. 1. Riccius in praxi p. 3. reſol. 361. nu. 3. Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 2. Alleg 24. nu. 12. Homobonus de poteſt. Eccleſiæ p. 1. tract. 14. q. 130. aliique multi abſolutè dicentes: Illicitum eſſe celebrare Miſſas anticipatè pro eo, qui primus daturus eſt eleemoſynam, quam Deus præuidet illam daturum; & Sacerdotes itá facientes teneri ad reſtitutionem harum Miſſarū.

44 Reijcitur. Oppoſita ſententia admittitur.

Cordub. Coninch. Fagund. Filliuc. Io. a Cruce. Riccius. Barboſa. Homobon. Concluſio.

Et hanc ſententiam approbauit, & aliam reprobauit Clemens Papa VIII. per quamdam declarationem Cardinalium Concilij Tridentini ſub die 15. Nouembris 1605. & in eo diplomate. *Periculoſam appellat contrariam ſententiam pluribus nominibus ſcādaloſam, & fidelibus offenſionibus obnoxiam, & omninò explodendam, & elimandam aſſerit*, quamobrem illa

45 Decretum Clementis VIII.

non

Digitized by Google

non eſt tenenda; Hanc declarationem Cardinalium adducit de verbo ad verbum Cenedus lib. de Quæſt. Canon, 9. q. 38. nu. 6. eamdem ſententiam tenet Nauar, in ſumm. cap. 25. nu. 135. & Azor. p. 1. lib. 10. cap. 24. q. 8. Soto in 4. d. 45. Graſſ. lib. 1. deciſ. c. 45. num. 17. & alij.

Cenedus. Nauarr. Soto. Azor. Graſſ.

46 Sextò dicimus; Miſſam de Beata Virgine, aut de aliquo ſancto, ità prodeſſe defunctis, ac ſi de mortuis diceretur, ſi pro defunctis applicetur ſacrificium: nam effectus ex opere operato eſt vnus, & idem valor in omnibus Miſſis, quamuis, quò ad orationes, & preces ex opere operantis magis ſit conueniens Miſſa de requiem, in qua ſunt preces, & orationes propriæ pro defunctis.

An Miſſa de B. V. ità valeat pro defunctis, ſicut de Requiem.

47 Verum eſt tamen, quod defectus iſte recompenſari poteſt ex maiori deuotione, ſiuè illius, qui celebrat, vel qui celebrare facit, vel per interceſſionem Beatæ Virginis, vel illius ſancti, cuius ſuffragium in Miſſa imploratur. Ità Diu. Thom. in 4. d. 45. quæſt. 2. Art. 3. quæſt. 1. ad 3. Armil. a Ver. Miſſa num. 32. Tabiena nu. 13. Suarez Diſt. 87. ſect. 3. Diana de celebrat. Miſſa: to. 1. p. 2. Reſol. 31. alijque Doctores, quamplurimi ab ipſis citati.

D. Thom. Armilla, Tabiena. Suar. Diana.

48 Vltimò tandem dicimus, quod; Valor Miſſæ, qui dicitur: Ex opere operato, qui applicatur pro aliquo, ſiuè ſit viuus, ſiuè defunctus, ſiuè Miſſa celebretur à Sacerdote, qui eſt extra gratiam; ſiuè in gratia eſt eiuſdem rationis: Nam Miſſa Sacerdotis in peccato mortali celebrantis in ratione ſacrificij, tam ſecundum valorem medium, qui pro alijs applicatur, quàm ſecundum valorem, quem habent preces, quatenus Sacerdos illas offert nomine Eccleſiæ æqualiter valent; quamuis ſi conſiderentur, ſecundum preces à Sacerdote, vt eſt perſona particularis non æqualiter valeant; nam peccatores Deus non exaudit, vt tales ſunt: Ità Diu. Thom. 3. p. quæſt. 82. A. 6. Coninch. ibidem; Suarez D. 86. ſect. 1. Henriquez lib. 9. c. 21. nu. 4. Azor. p. 1. l. 10. c. 3. q. 5.

An Miſſa mali Sacerdotis ſit eiuſdem valoris ſicut iuſti. Concluſio eſt affirmatiua.

D. Thom. Coninch. Suar. Henriq. Azor.

TRACTATVS XV.

De Sacramentis.

Et de Sacrificio Miſſæ,

Tract. II.

PROOEMIVM.

Abſoluto primo tractatu, in quo de eſſentia, & quidditate ſacrificij Miſſæ, ac de partibus eſſentialibus ipſius dictum eſt; Nec non, & de Perſonis offerentibus, ac de illis, pro quibus offerri poteſt Miſſa ſacrificium; tandem de effectibus, & valore Miſſæ tractauimus: Modò ſecundum inſtituimus tractatum, in quo de nonnullis ad celebrandum requiſitis eſt dicendum: vt de tempore, & hora celebrandi, de loco, & Vaſis requiſitis ad tale miniſterium faciendum: ac tandem de præparatorijs ad Miſſam, ac de Ritu ſeruando, tum in verbis, tum in actionibus ipſius Miſſæ: Quæ omnia in hoc ſecundo tractatu, Deo adiuuante, explicabuntur.

Diuiſio tract.

DE TEMPORE, ET HORA Celebrandi.

CAP. I.

1 IN hoc primo Capitulo huius tractatus: Duo veniunt conſideranda: Primum eſt tempus, in quo licitum eſt Miſſam celebrare; ſecundum eſt hora celebrandi: Vndè circa primum de Tempore

Quæritur Primò: An licitum ſit quotidiè à quolibet Sacerdote Miſſam celebrari ſingulis diebus, & an hoc ſit de præcepto.

P. Quæſitum de tempore celebrandi.

2 Reſpondetur primò: Per ſe loquendo, nec Iure Diuino, neque Eccleſiaſtico ſingulos Sacerdotes teneri quotidiè Miſſam celebrare: Nullibi enim extat tale præceptum: Imò multi Sacerdotes etiam Conſcientiæ timorati aliquoties ſine vllo ſcrupulo celebrare omittunt, vt experientia conſtat: eſt tamen conueniẽtiſſimum, & de conſilio valdè probabiliſſimo, quod Sacerdotes legitimè nõ impediti celebrare non omittant, quàpropter Venerabilis Beda de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, dixit; *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, in quantum in ſe eſt priuat ſanctiſſimam Trinitatem laude: Eccleſiam Dei ſacrificio, peccatores venia, Animas purgatorij refrigerio, & ſe ipſum medicina, ac ſpirituali remedio*: Vndè Andreas Apoſtolus de ſe ipſo dicebat; *Ego quotidiè immolo Agnum*: licet ergò cuilibet Sacerdoti quotidiè Miſſam celebrare: patet hoc ex conſueto, & approbato vſu totius Eccleſiæ, & ex communi cõſenſu omnium Theologorum: pro vt docet Suarez in tom. 3. de Sacramentis D. 80. ſect. 2. concl. 4. non tamen eſt de præcepto, (vt dixi) niſi reſpectu aliquarum Eccleſiarum: quàpropter

Non tenetur Sacerdos quotidiè celebrare. Eſt tamen de conſilio. Bedæ dictum. Andreas Apoſtolus. Suar. Dictum ſecundum.

3 Dico ſecundò: Eſſe præceptum Eccleſiaſticum, vt in ſingulis Eccleſijs Cathedralibus, Parochialibus, Conuentualibus, & Collegiatis quotidiè Miſſa Conuẽtualis, iuxta ordinem Diuini Officij celebretur, ſi ſit conueniens numerus Sacerdotum: Ità docent communiter Doctores, & habetur in c. Creatura de celebrat. Miſſ. patet etiam ex Eccleſiæ conſuetudine, quæ habet vim legis.

Miſſa conuentualis in Eccleſijs collegiatis quotidiè eſt celebranda. c. Creatura de celeb. Miſſarum.

4 Hæc autem obligatio pertinet ad Rectores Eccleſiarum: Nam licèt ipſi non teneantur per ſe quotidiè celebrare, tenentur tamen curare, ne deſit in ſua Eccleſia ſacrificium quotidianum, & talis obligatio eſt grauis, & obligat ad mortale, niſi adſit iuſta cauſa, pro vt docent Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. A. 1. & Suar. Diſt. 80. ſect. 2. concl. 2. & Filliuc. d. tract. 5. de Miſſa c. 4. nu. 104.

Eſt obligatio Rectorum Eccleſiarum. Soto. Suar. Filliuc.

5 Aliquandò obligat etiam ad duas Miſſas, vnam pro viuis, alteram pro defunctis, ſiuè de feria, iuxta ordinem officij, & rubricam Miſſalis Romani, ſi ſit ſufficiens Sacerdotum numerus, vt in d. cap. Creatura dicitur: ſed ſecundum prædictos Doctores talis obligatio ad celebrandas duas Miſſas, non eſt ſub mortali, ſed ſi commodè fieri poteſt decens eſt, pro vt in d. cap. Creatura clarè videtur; Ità Soto, & Suarez loc. ſupra citat.

Duæ Miſſæ in eadem Eccleſia, quãdo ſunt dicendæ. c. Creatura. Soto. Suar.

§ 6 Quæritur Tertiò: An aliquibus diebus annis prohibitum ſit Miſſam celebrare; & ratio dubitandi eſt ſolum de tribus illis diebus maioris hebdomadæ, Videl. Feria V. in Cœna Domini: & Feria ſexta Paraſceues, & Sabbato Sancto, in quibus diebus Sacerdotes non videntur celebrare.

Quæſitum Tertium. Quibus diebus, non licet celebrare.

7 Reſpondetur itaque primò de Feria V. in Cœna Domini: Nullum eſſe præceptum, & prohibitionem eo die celebrandi, quàpropter quilibet Sacerdos licitè, & liberè poſſet, ſi vellet eo die celebrare, quamuis in

Feria V. in Cœna Domini nõ eſt prohibitio celebrandi.

Digitized by Google

Conſuetudo non celebrandi Feria V. vndè fuit introducta.

in quibuſdam Eccleſijs ſit conſuetudo introducta ad Chriſti Domini imitationem, quod tantum primarius Sacerdos Miſſam celebret, aliosque communicet, quemadmodum Chriſtus Dominus illa die primam Miſſam celebrauit, & Apoſtolos ſuos communicauit.

8 Talis conſuetudo nõ obligat. Soto. Nauarr. Suar. Filliuc.

Talis tamen conſuetudo non obligat, quia etiam multi viri timorati ſolent illa die celebrare præcipuè ante quam ligentur Campanæ: pro vt docent Soto in 4. diſt. 15. quæſt. 2. Art. 2. Nauarr. in man. cap. 25. num. 88. & Suarez Diſt. 80. ſect. 2. & Filliuc. tractat. 5. de Miſſa cap. 4. num. 105. qui etiam dicunt, quod multis in locis ſummo mane omnes Sacerdotes celebrant, etiã apertis ianuis Eccleſiæ, deindè hora ſolita, ſola Miſſa principalis celebratur ſolemniter, vt in Regno Neapolis; Alibi verò tantum ianuis clauſis, vt Romæ, & in Hætruria.

Romæ, & Neapoli celebrantur illo die.

9 Feria VI. Paraſceues non licet celebrare.

Secundò: Reſpondetur de Feria ſexta Paraſceues: Vbique omninò prohibitum eſſe ex præcepto Eccleſiæ Innocentij Papæ I. quod refertur in Can. Sabbato de Conſecr. diſtinct. 3. in qua die, nec publicè, nec ſecretò celebrare licet: ſed tantùm ob memoriam Paſſionis Chriſti ſuſcipitur, & conſumatur hoſtia, quæ ex præcedente die in monumento conſecrata remanſit.

Ratio quare non celebratur illa die.

10 D. Thom.

Et Diu. Thom. in 3. p. quæſt. 83. A. 2. ad 2. rationem aſſignat huius prohibitionis: quia illa die Paſſio Domini ab Eccleſia, pro vt realiter geſta eſt recolitur, ideòque non repræſentatur miſticè per nouam conſecrationem huius Sacramenti: Et in hoc omnes Theologi conueniunt: vt docent Suar. cum Filliuc. locis ſupra citatis.

Suar. Filliuc.

11 An liceat diſpenſare Euchariſtiam in triduo.

Diſpenſare autem communionem eodem die Feriæ ſextæ etiam poſſet, quandò non eſſet prohibitum, cùm res in ſe ſit bona, & licita, cùm nulla ſit repugnantia ſecundum ſe: Seruanda eſt tamen conſuetudo Eccleſiarum, ſaltem ratione ſcandali: pro vt etiam aduertit Suarez, cum Filliucio; locis ſupra citatis.

12 In Sabbato Sancto an liceat plures Miſſas celebrare. 1. Opinio. Nauarr. Villalob.

Tertiò: Reſpondetur de Sabbato Sancto, quod licèt ex d. c. Sabbato de conſ. d. 3. idem videatur dicendum: Vid. Non licere ipſa die, niſi vnam Miſſam ſolemnem circa meridiem celebrare, pro vt tenent Nauarr. in man. c. 25. num. 88. & Villalobos in ſum. part. 1. tract. 8. d. 20. num. 4. qui aſſerunt illa die peccatum eſſe mortale aliam Miſſam celebrare præter vnam publicam, & ſolemnem in ſingulis Eccleſijs collegiatis: quàpropter in Miſſa illius diei non aſſignatur Miſſæ introitus pro Miſſis priuatis, ergò ſignum eſt non poſſe celebrari Miſſa priuata: non enim ſine introitu dicitur Miſſa: ideòque in Sabbato Sancto Pentecoſtes pro Miſſis priuatis, quia dici poſſunt aſſignatur introitus particularis, vt patet.

13 2. Opinio affirmatiua.

His tamen non obſtantibus exiſtimant multi viri docti; Non eſſe peccatum eo die celebrare priuatim, præſertim ab illa hora, in qua iam incipit, vel incipere poteſt Miſſa ſolemnis, & præcipuè quandò adſit aliqua rationabilis cauſa, & præciſo ſcandalo: In praxi tamen ſeruanda eſt loci conſuetudo, & quidem vſus habet, vt non celebretur communiter, niſi vnica Miſſa in ſingulis Eccleſijs, & in Monaſterijs ad Summum duæ, vna priuatim pro officialibus domus in corporalibus Miniſterijs occupatis, eaſque ſummo mane ianuis clauſis, & alia publicè hora conueniente: Ità docet Filliuc. d. tractatu 5. de Miſſa capitulo 4. numer. 107.

14 Soto. Quæ Miſſa dici poteſt priuatim in die Sabbati Sancti.

Soto autem in 4. d. 13. q. 2. A. 2. dicit quod multi viri docti, & conſcientiæ timorati abſque vllo ſcrupulo celebrare ſolent poſt pulſationem Campanarum, dicendo Miſſam proprij diei cum introitu Reſurrectionis ſequentis diei, ſic etiam docent alij Theologi, vt Ledeſma in ſum. tom. 1. de Euchariſtia capit. 19. concl. 5. & Fernand. in Exam. Theol. mor. p. 3. cap. 5. §. 5. nu. 2. Syluius in 3. p. quæſt. 83 A. 2. Molfeſius in Sum. to. 1. tract. 3. c. 17. nu. 41. Ioan. de la Cruz in Direct. Conſ. p. 2. de Miſſa quæſt. 2. d. 2. Concl. 3. & Suarez tom. 3. D. 80. ſect. 2. in fine.

Ledeſma. Fernand. Syluius. Molfeſius. Io. à Cruce. Suar.

15 Conſuetudo non celebrandi ſublata eſt.

Quarum ratio eſt, quia conſuetudo illa non celebrandi etiam in Sabbato Sancto, ſicut in Paraſceue ſublata eſt: Nam olim per totum Sabbatum Eccleſia repræſentabat requiem Chriſti in Sepulchro, & ſolitudinem ſuam, & erat quaſi in mœrore poſita, Chriſti reſurrectionem expectans, ideòque tota illa die, vſque ad mediam noctem ab oblatione ſacrificij ceſſabat: Poſtea verò anticipauit tempus illud, & ab illa hora, in qua officium Sabbati Sancti celebratur, incipit iam cum gaudio, & alacritate Chriſti reſurrectionem celebrare, ideòque iam ab illa hora ceſſauit etiam ratio non celebrandi; Reuocata ergò priori conſuetudine, cenſetur etiam reuocata generaliter prohibitio ſacrificandi, quia non eſt maior ratio de Miſſa publica, quàm priuata: quia conſuetudo ad vtramque ſe extendit.

16 Quando incidit feſtum Annuntiationis in die Sabbati Sancti.

Imò addit Ioan. de la Cruz ſupra quod anno 1617. occurrente feſto Annunciationis B. M. V. in Sabbato Sancto, facto conſilio plurimorum Theologorum Toleti determinatum fuit, quod poſt pulſationem Campanarum per omnes Eccleſias celebrarẽtur Miſſæ plurimæ cum introitu ſequentis diei, vt dictum eſt ſupra, quod ità factum eſt per totam Diœceſim Toletanam, teſtatur idem de la Cruz, & Ledeſma ſupra.

Io. à Cruce. Ledeſm.

3. Quæſitum.

Quartò Quæritur: An ſępius, & pluries in vno die celebrari poſſit?

17 An pluries eodem die celebrare liceat? Semel tantũ in die permiſſum eſt celebrare. Alexander Papa.

Reſpondetur, & dico primò Iure Eccleſiaſtico ordinario ſemel tantùm ab vnoquoque Sacerdote licitum eſt celebrari: quod Ius primum latum eſt ab Alexandro ſecundo in c. ſufficit de Conſ. D. 1. vbi dicitur: *Sufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die vna celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit: Non enim modica res eſt vnam Miſſam facere, & valdè fœlix eſt, qui vnam dignè celebrare poſſet: Qui verò pro pecunijs, aut adulatione ſæcularium vna die præſumat plures Miſſas facere non exiſtimo euadere damnationem:* Quod idem confirmauit Innocentius III. in C. Conſuliſti, & Honorius III. in C. Te referente de Celebrat. Miſſ. vbi Honorius addidit; *Hoc eſſe intelligendum de quocumque Sacerdote quacumque dignitate præfulgeat:* Quod etiam patet ex praxi, & communi Eccleſiæ conſuetudine, & ità de præcepto ſeruatur.

Innocen. III. Honorius 3.

18 Excipiuntur aliqui caſus. 1. in die Natiuitatis Domini tres Miſſas dicere licet. Teleſphorus Papa.

Dico ſecundò: Exceptos eſſe aliquos caſus, in quibus licet plures Miſſas eodem die ab eodem Sacerdote celebrari; quorum primus eſt dies Natiuitatis Domini, in quo propter Myſterium ſolemnitatis illius diei, conceditur cuilibet Sacerdoti tres Miſſas celebrare: ex Teleſphoro Papa c. Nocte Sancta de Conſ. Diſt. 1.

19 Quid ſignificet numerus Miſſarum. D. Thom. Suar. Filliuc. Gloſſ.

Numerus autem Triplex ex conſuetudine Eccleſiæ eſt propter triplicem Chriſti generationem; Diuinam Videl. & Æternam: Temporalem, & humanam; & Spiritualem, quæ oritur tamquam Lucifer in cordibus noſtris, pro vt explicant Diu. Thom. in 3. p. quæſt. 83. A. 2. ad 2. Suar. D. 80. ſect. 3. Filliuc. d. tract. 5. de Miſſa c. 4. num. 109. & alij: Gloſſa autem in cap. Conſuliſti de celebrat. Miſſ. dicit: *Per tres Miſſas ſignificari tres ſtatus naturæ conditæ: Ante legem, ſub lege, & poſt legem, ideſt in lege gratiæ.*

20 2. Exceptio, eſt caſus neceſſitatis.

Secunda exceptio generalis fit ab eodem Innocentio in d. c. Conſuliſti, vbi dicitur: *Excepto die Natiuitatis Dominicæ, & niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat ſufficit &c.*

Ex

Digitized by Google

D. Thom. Nauar. Armill. Tabiens. Filliuc.

Ex quo loco Theologi, & Canoniſtæ plures cauſas eliciunt, in quibus caſibus licebit plures in eodem die celebrare, vt videre eſt apud Diu. Thom. d. 3. p. quæſt. 83. A. 3. Nauarr. cap. 25. num. 87. Sylu. Verb. Miſſa nu. 7. Armilla num. 15. Tabien. enim 43. Suarez D. 80. ſectione 3. Filliuc. tract. 5. de Miſſa num. 110. alioſque multos.

21 1. caſus quando Sacerdos habet duas Eccleſias.

Primus ergò caſus eſt quando Sacerdos habet duas, vel tres Eccleſias parochiales, & non poteſt commodè habere coadiutorem, & ad hunc caſum reduci poteſt caſus penuriæ Sacerdotum in aliqua Ciuitate: vt in Anglia, in qua pauciſſimi Sacerdotes Catholici inueniuntur. Vndè in his, & ſimilibus caſibus licitè poſſet Sacerdos in die feſto iterum, atque iterum celebrare, vt populus Chriſtianus Miſſam audire poſſet pro vt benè probant Nauar. to. 1. conſ. de celebr. Miſſar. conſ. 2. & Filliuc. & Suarez, locis ſupra citatis.

Nauarr. Suar. Filliuc.

22 2. Caſus eſt neceſſitas audiendi Miſſā in die feſtiuo.

Secundus Caſus eſt quando in die feſto ſolemni ob populi multitudinem Eccleſia totum populum ſimul capere non poſſet, & non eſſet alius Sacerdos: tunc licebit bis, ſicut in die Natiuitatis; Et ad hunc caſum reduci poteſt; Quandò in die feſto, peracta conſecratione, ſuperuenerit multitudo peregrinorum, ſiue perſona inſignis, vt Epiſcopus, & non eſſet alius Sacerdos, tunc ſecundum prædictos Doctores, licebit, peracto primo ſacrificio incæpto, non ſumpta purificatione, aliam Miſſam celebrare, ne fideles illi auditione Miſſæ tali die priuentur.

23 3. Caſus eſt neceſſitas cõmunicandi infirmum.

Tertius caſus eſt, neceſſitas ſuperueniens communicandi infirmum in articulo mortis conſtitutum: Tunc ſi non adſit particula conſecrata poteſt communicari cum particula illius hoſtiæ celebrantis; Si verò hoſtia iam conſumpta ſit; & non adhuc ſumpta ſit ſolita purificatio, & non adſit alius Sacerdos, qui poſſit celebrare illo die: tunc in caſu licitum erit celebranti, non ſumpta purificatione ſecundam Miſſam celebrare ad ſubueniendum infirmum in tali periculo conſtitutum, quia videtur in huiuſmodi caſibus eſſe cauſa ſufficiens, & neceſſitatis ſecundum doctrinam Innocentij in d. c. Conſuliſti de celebr. Miſſ. Et iſti tres caſus cum 4. de die Natiuitatis, admittuntur à recentioribus, vt videre eſt apud Suar. d. D. 80. ſect. 3. Filliuc. & alios.

24 Alij caſus ponuntur à Doctoribus.

Sunt autem, & alij tres caſus enumerati à Canoniſtis, vt quandò eſſet ſepeliendus defunctus, & non ſit alia Miſſa, vel quando eſt conſuetudo dicere Miſſam pro benedictione nuptiarum, vel ſi eſſet aduentus Epiſcopi, ſiuè magni Principis; etiam die feriali: Tunc dicunt multi Doctores; vt Nauarr. Syluest. Tabien. & Armilla, locis ſupra citatis, quod in huiuſmodi caſibus licebit ſecundam Miſſam celebrare eodem modo, quo ſupra.

Nauarr. Armilla. Syluester. Tabiens.

25 Non admittuntur à recentioribus.

Verumtamen eſt, quod iſti tres vltimi caſus non admittuntur à recentioribus, vel quia non ſunt amplius in vſu, vel quia non eſt talis neceſſitas: Legite Suarez, loco citato.

Semper celebrans debet eſſe ieiunus.

Hic tamen eſt aduertendum, ſemper in huiuſmodi caſibus Sacerdotem, debere eſſe ieiunum, quapropter ſi ſemel purificationem ſumpſerit, etiam in die Natiuitatis, iam non poterit amplius illa die celebrare, eo quod non ſit ieiunus.

26 De Hora celebrandi Miſſam.

Circa ſecundam partem huius præſentis capituli, dicendum eſt de Hora celebrandi: In qua Vid. hora licitum eſt Miſſam celebrare?

Quæ hora licitum eſt celebrare.

Dicimus ergo Primò; quod: Hora celebrandi regulariter eſt ab aurora vſque ad meridiem incluſiuè; regulariter enim ante auroram, aut poſt meridiem celebrare non licèt, vt patet ex Rubrica Miſſalis Romani, & Eccleſiæ conſuetudine, & ex communi Theologorum conſenſu, concludentium; Sacerdotes aliter facientes mortaliter peccare, niſi ex conceſſione, & priuilegio aliter conceſſum ſit: vt in nocte Natiuitatis Domini, in qua in media nocte celebrantur Miſſæ ex decreto Teleſphori Papæ in c. Nocte Sancta de Conſ. diſt. 1.

27 Difficultas.

Sed circa hoc occurrit vna difficultas, ſtatim ſoluēda, quæ talis eſt Vid.

An omnes tres media nocte poſſint celebrari.

An quilibet Sacerdos poſſit licitè omnes tres Miſſas poſt mediam noctem celebrare: An tantum primam?

28 1. Opinio negatiua. Nauarr. Syluester. Angeli. Mirand. Nugni. Fagund.

Reſpondetur circa hoc: Duas eſſe opiniones Doctorum: Vnam negatiuam: Nauar. in man. c. 25. num. 83. Sylu. in Verb. Miſſa 1. q. 8. Angel. num. 46. Mirand. in man. Prælat. p. 1. q. 40. A. 8. concl. 2. Nugnl in 3. par. tom. 1. quæſt. 83. Art. 2. Fagund. de Præcept. Eccleſiæ. tract. 1. lib. 3. cap. 16. num. 3. aliorumque dicentium: Primam tantùm Miſſam celebrari poſſe à quolibet Sacerdote in media nocte, reliquas verò duas poſt auroram: Ità enim expreſsè habetur in Rubrica Miſſ. Rom. Tum quia in prima tantùm Miſſa dicitur in Canone: *Communicantes, & noctem Sacratiſſimam celebrantes*, ergò ſignum eſt alias duas Miſſas celebrari non poſſe licitè, niſi poſt auroram.

29 2. Opinio affirmatiua. Vaſq. Regin. Coninch. Rodriq. Syluius. Suar. Diana.

Contraria tamen opinio affirmatiua probabilior eſt, quam tenent Vaſquez in 3. p. tom. 3. D. 232. cap. 3. num. 32. Regin. tom. 2. libr. 29. num. 134. d. 4. & nu. 218. Coninch. q. 83. A. 2. d. 4. num. 218. Rodriq. ſum. c. 249. nu. 5. Syluius in 3. p. q. 83. A. 2. & alij multi quos citat, & ſequitur Suar. Diſt. 80. ſect. 4. & Diana de celebrat. Miſſ. tom. 1. reſolut. 35. abſolutè dicentes: Omnes tres Miſſas licitè à quolibet Sacerdote poſſe celebrari poſt mediam noctem illius ſolemnitatis: & Ratio præcipua eſt, quia: Priuilegium illud Papæ eſt in plurali, dicit enim: *Nocte Sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Miſſas celebrent presbyteri*; Cum ergò abſolutè dicat, non eſt, quod à nobis limitetur tantùm ad primā Miſſam, ſed potius extendatur ad cæteras, maximè quia gratiæ non ſunt reſtringendæ, ſed ampliandæ; Et hæc ſententia eſt probabilior, & ſecura, quam multis validiſſimis rationibus probant Suar. cum Diana, & alij ſupra citati, pro hac opinione.

Ratio iſtius ſententiæ.

30 Soluuntur rationes contrariorum.

Ad rationes contrariorum; Reſpondetur, quod: Rubrica illa Miſſalis intelligenda eſt de Miſſis conuentualibus, & ſolemnibus, non autem de priuatis, (vt benè dicit Vaſquez ſupra) Nec obſtat, quod: In Canone primæ Miſſæ dicatur: *Noctem*, & in duabus alijs *Diem*, quia verba Diuini officij non ſemper referuntur ad tempus, in quo dicuntur, ſed ad illud, pro quo repræſentando, & commemorando dicuntur: Vndè in prima Miſſa dicitur; *Noctem, &c.* & tamen etiam celebratur in plena luce, ergò ſimiliter fieri poteſt è conuerſo, pro vt rectè probat Suar. ſupra. (Quicquid dicat Bonacina, & alij contrarium exiſtimantes.)

Verba diuini officij non ſemper referuntur ad tēpus.

Bonac.

31 Quid pro Aurora intelligatur.

Secundò Quæritur, quid ſub nomine Auroræ intelligatur?

Reſpondetur, quod: Aurora dicitur quando aer incipit albeſcere, & illuſtrari per primam irradiationem Solis, quando Vid. punctum Orizontis videtur quaſi paulatim albeſcere, quod ab alijs dici ſolet: Crepuſculum lucis, & hoc eſt per horam, & dimidiam ante Solis ortum: Quapropter dicunt Theologi, quod ſufficit, quod: Miſſa finiatur in ipſo principio crepuſculi, & ideò ſi paulò ante incæpta fuerit Miſſa, ſcilicet per quadrantem, vel etiam per dimidiam horam ante ipſum crepuſculum non eſſet inconueniens, & licitè fieri poſſet, præcipuè quando adſit rationabilis cauſa; pro vt docet Paludan. in 4. d. 13. quæſt. 2. & clarius Victoria in ſumma num. 97. qui abſolutè dicunt: Licitè inchoari poſſe Miſſam dimidia hora ante crepuſculum lucis,

Miſſa incipi poteſt dimidia hora ante Auroram.

Paludanus. Victoria.

lucis, itá vt finis Miſſæ ſit ſub initium crepuſculi, plus minuſue.

32 *Miſſa incipi poteſt duabus horis ante ortũ Solis. Suar. Rodriq. Fernand. Palud. Victoria. Pitigian. Ioan. à Cruc. Diana.*

Et hoc in praxi ſeruandum eſſe docet Suarez ſupra, quod eſt aſſerere: Incipi poſſe duabus horis ante radios Solis, apparentes manifeſtos, quam ſententiam ſequuntur multi Theologi: vt Rodriq. in Sum. c.247. numer.1. Azor. ſupra; Ant. Fernand. in exam. Theol. mor. p.3. c.5. §.14. num.3. Palud. in 4. d.13. q.2. Victoria in Sum. nu.97. Pitig. in 4. tom.1. D.13. q.2. A.4. Ioan. de la Cruz in direct. conſ. p.2. de Miſſa. q.2. d.1. Concl.3. Suarez Diſt.80. ſect.4. & Diana loc. cit. Reſolut.34. & alij multi.

33 *Regulares per priuilegia poſſunt celebrare per horam ante auroram. Sorbo. Intelligitur per tres horas ante ortũ Solis.*

Qui etiam inferunt: Religioſos, quibus ex priuilegio conceſſum eſt per horam ante auroram celebrare poſſe, & per horam poſt meridiem, vt ſunt fratres Minores, & Patres Ieſuitæ ex conceſſione Pij V. cauſa itineris, ſiue alterius rationabilis cauſæ; pro vt refert Sorbus in Compend. priuil. Verbo Miſſa, Capuccini adnotatio. Quæ priuilegia ſemper ſunt intelligenda ſecundum anticipationem totius temporis in priuilegio, cenſeri ad tempus illud, in quo ſine priuilegio poteſt Miſſa legitimè celebrari: Itáque ſi priuilegium concedit vnius horæ anticipationem, poterit Miſſa inchoari tribus horis ante ortum Solis.

34 *Ratio aſſertionis. Suarez. Filliuc. Diana.*

Et ratio clara eſt, quia: Priuilegium tantum operatur, quantum ſonat, & gratiæ non ſunt reſtringendæ, ſed ampliandæ; Itá Suarez Diſt.80. ſect.4. §. Tertia exceptio; Filliuc. tractat.5. de Miſſa. num.112. Diana & alij, ſupra citati. Idem etiam videtur dicendum, quandò eſſet communicandus infirmus in articulo mortis conſtitutus, & non habetur viaticum maximè ſi de licentia Epiſcopi, ſiuè ſuperioris fiat; pro vt docent Victoria de Euchariſtia num.95. & Layman. lib. 4. tract.5. cap.4. num.3. & Diana, & alij ſupra citati; Idem etiam videtur dicendum contra Henriquez lib. 9. c.24. nu.5.

Victoria. Layman. Diana.

35 *Epiſcopus poſt mediam noctem cauſa itineris.*

Epiſcopi autem itinerantes ante diem poſt mediam noctem celebrare poſſunt, aut facere celebrare alium Sacerdotem, ne impediantur in itinere ſecundum Gloſſam in c. fin. de Priuil. in 6. & Filliuc. d. tract.5. de Miſſa c.4. nu.112.

36 *Celebrari licet vſque ad meridiem. Quid intelligatur per meridiem.*

Tertio Quæritur: In qua hora diei Sacerdos poſſit Miſſam finire?

Reſpondetur regulariter: Vſque ad meridiem incluſiuè: Per meridiem autem intelligitur circa horam ſextam diei moraliter, & ſufficit ſi ante meridiem ſit Miſſa inchoata, etiam ſi poſt meridiem abſoluatur: Neque enim hæc res, quæ moralis eſt, mathematicè conſiderari debet, ſed moraliter; pro vt docent Vaſq. in tom.3. D.232. cap.4. nu.37. & Fernand. p.3. cap.5. §.14. num.1.

37 *Quando cenſetur tempus meridiei eſſe elapſum. Diuerſitas opinionum. 1. Sententia Azorii. Tertia pars horæ.*

Sed ſi quæras: Quantum temporis ſpatium requiratur, vt Sacerdos dicatur grauiter peccare, differendo Miſſæ celebrationem poſt meridiem.

Reſpõdetur: In hac re multas eſſe opiniones Theologorum: Prima ſententia eſt Azorij p.1. lib.10. c.25. q.6. aſſerentis: Tertiam horæ partem ſufficere, vt Sacerdos dicatur m.p. differendo Miſsæ celebrationem poſt meridiem.

38 *2. Sententia Layman. Homoboni. Per mediam horam.*

Secunda ſententia eſt Layman lib.4. tract.5. cap.4. nu.4. & Homoboni in Exam. Eccleſiæ p.1. tract.4. c.14. quæſt.114. aſſerentium. Tale tempus eſse mediam horam.

39 *3. Sententia Bonac. Per horam vnam. Syluius. Diana.*

Tertia ſententia eſt Bonac. tom.1. Diſt.4. de Sacramentis quæſt.8. par 9. num.6. aſſerentis: ſpatium trium quadrantum, vel ad ſummum vnius horæ ſufficere ad excuſandum á peccato mortali. Et iſta opinio vnius horæ eſt communis, quam ſequuntur Syluius in 3. par. quæſt 83. Art.2. & Diana tom.1. de celebr. Miſs. Reſol. 34. & alij.

40 *Concluſio. Henriq. Suar. Soto. Layman. Miranda.*

Quapropter concludendo dicimus: Sacerdotem feſto die ratione itineris impeditum poſse Miſsam incipere vna hora poſt meridiem; prout docent Henriq. lib.9. c.24. num.5. Suarez D.80. ſect.4. §. Quocirca &c. Soto in 4. d.13. quæſt.2. A.2. & lib.10. de Iuſt. quæſt.5. A.4. Layman lib.4. tract.5. c.4. nu.4. citans Mirandam, & alios.

41 *In ſolemnitatibus feſtorũ tardius celebratur.*

Similiter etiam ob iuſtam, & rationabilem aliquam cauſam hoc etiam fieri poſſe: Vt accidit in feſtis ſolẽnibus, in quibus conſuetudine conſtat, Miſſam ſolemnem aliquandò protrahi ad duas horas poſt meridiẽ: imò poſt huiuſmodi Miſſam poſse aliquem Sacerdotem celebrare, ne magna populi pars careat auditione Miſsæ; Itá Suarez Diſtinct.80. ſect.4. Rodriquez in ſumm. capit.250. num.2. Vaſquez in 3. part. Diſtinct. 233. cap.3. nu.37. & alij maximè ſi ſit Epiſcopi diſpenſatio.

Suar. Rodriq. Vaſq.

42 *Epiſcopus ex cauſa diſpenſare poteſt. Nauarri ſententia non admittitur.*

Epiſcopus enim in hoc poteſt diſpenſare, ex rationabili cauſa in particulari, non autem generaliter, vt benè aduertit Filliuc. tract.5. de Miſſa cap.4. nu.113. Illud autem, quod dicit Nauarr. in Man. c.25. num.87. in die feſto poſſe celebrari Miſsa tribus horis poſt meridiem non admittititur ab alijs Theologis, quia hæc ſententia nimis latè concedere videtur, & non eſt amplius in vſu.

DE LOCO, ET VASIS *Celebrandi.*

CAP. II.

1 IN hoc præſenti capitulo duo veniunt pertractanda, Primum de loco, in quo Miſsa licitè poteſt celebrari. Secundum de Vaſis, quæ requiruntur ad ipſum Miſſæ ſacrificium peragendum.

2 *Locus celebrandi trip. communis proprius, & propriſſimus.*

Primò ergò; Quæritur de loco: An in Eccleſia, & loco ſacro, vel quocumque alio loco communi Miſſæ ſacrificium celebrare liceat.

Reſpondetur, quod: Locus celebrandi Miſſam; Triplex eſt; Primus communis, quod eſt templum; Secundus proprius, quod eſt Altare, & Tertius propriſſimus, quod eſt Vas, in quo Chriſti Sanguis, & Corpus continetur, & conſeruatur proximè, vt Calix, Ideò &c.

3 *1 Dictum. Miſsa extra Eccleſiã, vel locum ſacrũ celebrari non licet. Concil. Trid.*

Dico primò: Iure communi, & Eccleſiaſtico non licere Miſſæ ſacrificium offerre extra locum ſacrum ad id deputatum, vel ſit Eccleſia, vel Oratorium ab Epiſcopo, ſiuè alio habente iuriſdictionem benedictũ; Patet hoc ex Decreto Conc. Trid. ſeſſ.22. C. de Obſer. in celeb. Miſſ. Quare ſi quis contra faceret, ſine diſpẽſatione peccaret mortaliter; quoniam materia ipſa grauis eſt, & conſequenter obligatio præcepti ex ſuo genere eſt ſub mortali, vt colligitur ex C. ſicut C. Hic ergò C. Nullus, de Conſ. d.1. Itá Suar. to.3. D.81. ſect. 3. Syluius 3. p. q.83. concl.4. Filliuc. tract.5. de Miſſa c. 4. nu.115. Ioan. de la Cruz in Direct. conſ. p.2. de Miſſa q.83. d.1. Concl.1. Bonac. to.1. D.4. c.8. n.8. & alij communiter.

C. Sicut. C. Hic ergo. C. Nullus de Conſecr. Suar. Sylu. Filliuc. Io. à Cruce. Bonac.

4 *Contra Soto, Em. Sà.*

Contra Soto in 4. d.13. q.2. A.3. & Em. Sà Verb. Miſſa nu.20. aſſerentes, ſecluſo ſcandalo, vel contemptu, etiam ſine neceſſitate non eſſe mortale; Non enim (inquam) iſtorum opinio admittitur ab alijs, niſi adſit ſumma neceſſitas.

5 *2. Dictum. Caſus, in quibus aliquando licet. Epiſcopus poteſt diſpenſare aliquando.*

Dico ſecundò, quod; quamuis abſque neceſſitate, ſine Epiſcopi facultate, non liceat celebrare extra Eccleſiam, in nonnullis tamen caſibus licet; quorum primus eſt, quando adeſt Epiſcopi conceſſio: Poteſt enim Epiſcopus ex cauſa rationabili aliquando diſpẽſare, quod in priuata domo, ſiue Oratorio non benedicto poſſit celebrari de ipſius Epiſcopi licentia, vt

habe-

C. Miſſarũ. C. Hic ergò. C. de His de Priuileg. Nauarr. Syluest.

habetur ex C. Miſſarum, C. Hic ergò de Conſ. diſt. 1. C. de His de Priuileg. & hoc ſine neceſſitate; quia poteſt Epiſcopus in hoc diſpenſare ex vſu ſuæ poteſtatis pro vt docent Nauar. in Man. c. 25. nu. 8. Syluest. Verb. Miſſa 1. nu. 3.

6 Reſtrictio Concil. Trid.

Verum eſt tamen quod hæc poteſtas extra neceſſitatem modò reſtricta eſt per Concil. Trident. loc. cit. ideòque non licet modo ſine neceſſitate diſpenſare, quod celebretur in domibus, ſiuè Oratorijs non benedictis.

7 Conſtitutio Pauli V. Filliuc. Bonac. Limitatio in caſu neceſſitatis.

Imò hodie hæc etiam poteſtas reſtricta eſt ad ſummum Pontificem, vt patet ex Decreto Pauli V. pro vt notauit Filliuc. d. tract. 5. de Miſſa c. 4. num. 16. & Bonac. tom. 1. de Sacramentis D. 4. cap. 8. num. 10. Hoc tamen intelligendum eſt extra neceſſitatem: quia negandum non eſt, quod occurrente aliqua neceſſitate Epiſcopus poteſt in aliquo caſu diſpenſare, vt Miſſa extra Eccleſiam in loco honeſto, & decente celebrari poſſit: Vndè in bello etiam ſub dio poteſt celebrari, ſed eſt petenda Epiſcopi diſpenſatio, quando commodè fieri poteſt: Sic etiam in magno populi concurſu, quem Eccleſia capere non poteſt: Et iſte eſt ſecundus caſus.

8 Aſſignantur alij caſus ex priuilegio. PP. Ieſuitæ habent priuilegium circa hoc.

Aſſignantur etiam & alij caſus: & eſt priuilegium vniuerſale conceſſum alicui Religioni, ſiuè particulari priuatæ perſonæ, quod vnicuique conſulendum erit, & iuxta illud in praxi agendum. Vndè refert Suarez tom. 3. D. 80 ſect. 8. in fine poſt Concilium Trident. conceſſum fuiſſe priuilegium patribus Ieſuitis: Vt Sacerdotes eiuſdem Societatis in miſſionibus vti poſſint Altari portatili vbique Gentium, ibique celebrare, & Euchariſtiam miniſtrare, etiam in ſuis priuatis domibus de licentia Prouincialis ipſorum, ac etiam in priuato oratorio poſſint, tam ipſi, quàm alij celebrare Sacerdotes abſque Epiſcopi approbatione: Nam priuilegium non ſolùm dirigitur ad ſolas perſonas ſacrificantes, ſed ad locum, ſeu ad Prouincialem, cui communicatur illa Epiſcopi facultas, approbandi abſolutè locum illum ad ſacrificandum. Hæc Suarez in 3. p. D. Tho. to. 3. D. 80. ſect. 3.

Suar.

9 In mari, vel flumine celebrare non licet. Vaſq. Coninch. Nauar. Suar. Bonac.

Hic tamen eſt aduertendum, quod in mari, vel in flumine celebrare non licet propter periculum effuſionis Sanguinis. Ità Vaſquez 3. p. D. 232. capite 1. nu. 5. Coninch. q. 83. d. 1. nu. 220. Nauar. cap. 25. nu. 80. Suarez D. 91. ſect. 3. Bonac. D. quarta, quæſt. octaua, p. 9. num. 11.

Dico tertiò quod: In Eccleſia violata celebrare non licet antequam purificetur, pro vt docet Nauar. d. cap. 21. nu. 83. & c. 26. nu. 250.

10 In Eccleſia violata non licet. Nauarr. Niſi de licentia Epiſcopi. Requiritur cauſa, & neceſſitas. Filliuc.

Ratio huius eſt, quia adeſt prohibitio Eccleſiæ, rationabiliter inducta ob Sacramenti reuerentiam; De licentia tamen Epiſcopi poteſt aliquando in ipſa celebrari, etiam ante reconciliationem, ſicut in loco non conſecrato; Sed in hoc requiritur grauis cauſa, & neceſſitas; pro vt docet Filliuc. tract. 5. c. 4. nu. 117.

11 Quibus modis Eccl. dicitur violata. Primus caſus. 2. Caſus. 3. Caſus.

Notandum autem, quod Eccleſia ſex modis poteſt eſſe violata; Primò, homicidio voluntario, & iniurioſo Eccleſiæ, quod in ipſa factum eſt; vt ex cap. Propoſuiſti cap. Si motum. d. conſ. d. 1. Secundò propter iniurioſam ſanguinis humani effuſionem in Eccleſia, C. ſi Eccleſia de conſ. Eccleſiæ, cap. Eccleſia de conſ. D. 1. Tertiò per humani ſeminis effuſionem voluntariam, & publicam, etiam coniugalem, ſi in Eccleſia facta ſit, vt habetur ex iuribus ſupra citatis; Dixi (publicam) quia ſi eſſet occulta, & ſecreta: Eccleſia non diceretur polluta: Quod etiam intelligitur de ſupradictis. Quartò ſi in Eccleſia eſſet ſepultus excommunicatus nominatus, ſi publicus clerici percuſſor, vt non poſſit alia tergiuerſatione verſari. Quintò ſi infidelis ſepeliatur, ſiuè iaceat iam ſepultus in d. Eccleſia, vt habetur in c. Eccleſiam 1. & 2. de conſ. D. 1. Sextò quando parietes Eccleſiæ combuſti ſint, vel ità destructi, vt reædificanda ſit integrè, cap. Ligneis de conſ. Eccleſiæ, & alibi de conſ. d. 1.

4. Caſus. 5. Caſus. 6. Caſus.

Si autem quæratur: Quid faciendum ſit, ſi dum celebratur, violetur Eccleſia? 12

Quid faciendum ſit, quando Eccleſia violatur, dũ celebratur Miſſa.

Reſpondetur: Si contingat poſt inceptionem Canonis poteſt, & debet perfici tota Miſſa, quia iam cenſetur ſacrificium ſubſtantialiter inchoatum; Vndè præualet iuri Eccleſiaſtico; Si Canon non eſt inchoatus debet ceſſari, donec Eccleſia reconcilietur: Et quidem ſi tantùm benedicta ſit, ipſemet Sacerdos ſtatim reconciliare poteſt, iuxta capit. ſi Eccleſia de conſ. Eccleſiæ: Si autem eſt conſecrata difficiliùs eſt, quia requiritur Epiſcopus, pro vt docent Soto in 4. Diſt. 13. quæſt. 2. A. 2. & Filliuc. tom. 1. tract. 5. de Miſſa, cap. 4. num. 118.

Soto. Filliuc.

Dico quartò quod: Præter locum communem, quæ eſt Eccleſia, requiritur etiam in ipſa Eccleſia locus proprius celebrandi, & tale eſt Altare in eadem Eccleſia erectum, in quo immolanda eſt Hoſtia, & ſacrificium faciendum: Et dicitur Altare, quaſi Alta ara: Ara autem dicitur à precationibus, vel ab ardore victimarum, pro vt docet Filliuc. d. tract. 5. de Miſſa, c. 4. num. 119. 13

Locus proprius celebrãdi eſt Altare. Altare quid ſit, & vndè dicatur. Filliuc.

Hoc autem altare poteſt ſumi, tum pro tota menſa, ſupra quam integrè totum miniſterium fit, quod ſolet eſſe figuræ quadrangularis, altera parte longioris, quod communiter appellatur Altare: Tum pro lapide conſecrato, qui priori Altari ſupponitur, & talis lapis debet eſſe integer, & conſecratus ab Epiſcopo cum Oleo Sancto Chriſmatis, & benedictionibus, & cæteris cæremonijs, vt in Pontificali habentur: Et talis lapis poteſt eſſe etiam portatilis, ſiuè inſertus in tabula, ſiuè ſine tabula ſimpliciter ex lapide, vel quia reliqua menſa ſit lignea, ſiuè etiam terrea, aut lapidea, ſed non connexa cum lapide conſecrato. 14

Quid pro Altari intelligitur.

Hoc autem Altare portatile cuiuslibet figuræ eſſe poteſt, ſed ſecundum communem vſum fieri ſolet quadratæ propter aptitudinem, & tantæ longitudinis, & latitudinis, vt commodè capere poſſet pedem calicis, & patenam: Conſecratio autem lapidis ſemper eſt de eſſentia: nam conſecratio altaris eſt veluti quædam forma illius, vt dicitur in c. Altaria: C. Nullus presbyt. de Conſ. D. 1. Non licet ergò Miſſam celebrare, ſine tali altari, tam firmo, quàm portatili conſecrato; Nõ enim poteſt abſque peccato mortali celebrari in altari non conſecrato, ſiuè fixo, ſiuè portatili, cùm ſit præceptum iuris communis, nec priuilegia, quo ad hoc aliquid valent. 15

Cuius figuræ eſſe debet. Conſecratio lapidis Altaris eſt de Eſſentia. Canones. C. Altaria. C. Nullus presbyter. Sine Altari conſecrato celebrari non licet.

Quamuis non negamus: Poſſe in hoc Summum Pontificem diſpenſare, cùm ſit ius poſitiuum Eccleſiaſticum: Lapis ergò conſecratus debet eſſe integer, non enim fieri poteſt ex duobus lapidibus inuicem colligatis, ſed ex vno tantum; ſic enim conſuetudine receptum eſt, ad indicandam vnam Chriſti perſonam, de qua dicitur 1. Corinth. c. 1. *Petra autem erat Chriſtus*, prout benè docent Vaſq. in 3. p. D. 233. cap. 2. numer. 16. & Sylu. in ver. Altare q. 3. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 8. p. 9. nu. 12. Filliuc. tom. 1. tract. 5. de Miſſa cap. 4. nu. 120. & alij. 16

Lapis conſecratus debet eſſe integer. Lapis integer conſecratus quid ſignificet. Vaſq. Syluest. Bonac. Filliucius.

Quando autem Altare firmum, ſiuè lapis integer, qui toti Altari ſuper imponitur eſt conſecratus: Non opus eſt Altari portatili lapideo conſecrato (vti iam dictum eſt) cùm ſufficiat vnum: Tamdiu autem conſecratio durat, quoad lapis conſecratus integer manet, quapropter ſi Altare ſit fixum per remotionem ab alia ſtructura Altaris perit conſecratio; vt dicitur in c. Si motum, de conſecr. D. 1. Si verò Altare ſit mobile non perit conſecratio, niſi notabiliter frangatur. 17

Lapis Altaris quando amittit conſecrationem. C. Si motum de conſecrat.

Dici-

Digitized by Google

Dicitur autem notabiliter frangi, quando in reſiduo non poteſt commodè contineri pes Calicis, & Hoſtia cum patena, ſiuè periculum ſit labendi, aut quando omnia cornua, quæ omnia Oleo Chriſmatis conſecrato ab Epiſcopo inunguntur ſunt fracta, aut quando frangitur, ſiuè amouetur à loco ſuo ſepulchrum, in quo ſunt reliquiæ ſanctorum: Ità Coninch. quæſt. 83. A.3.d.2. Henriq. in ſum.lib.9.c.28.nu.2. Azor.to.1.lib. 10.c.27.q.12. & c.26.q.10.Bonac.to.1.de Miſſa D.4.q. 8.p.9.nu.14. & alij.

Coninch. Henriq. Azor. Bonac.

19 Non licet celebrare in Altari, in quo ipſo die Epiſc. celebrauit.

Notandum autem quod, Quando Epiſcopus in aliquo Altari illo die celebrauit, non licet alijs Sacerdotibus ipſa die in eodem Altari, ſine conſenſu ipſius Epiſcopi celebrare: Niſi neceſſitas aliqua ſuperueniat, ſic enim poſtulat reuerentia dignitatis Epiſcopalis: vt dicitur in cap.finali de conſ. d.2. & quamuis in d. Can. dicatur: *Cantauit*; Nihilominus vſus, & praxis indicat illud verbum ſuſcipiendum eſſe pro celebrauit; prout docet Naldus in ſum.ver.Epiſcopus nu.31.& ver.Miſſa num. 17.

C. Finali de conſecrat. Naldus.

20 Duæ tobaleæ requiruntur ſuper Altare benedictæ. Benedictio linteaminum non eſt neceſſaria.

Dico quintò quod, Altare vbi immolandum eſt Miſſæ ſacrificium debet eſſe ornatum ex mappis, ſiuè tobaleis extenſis ſuper illud, quæ debent eſſe ex lino, & propter decentiam benedici ſolent, quamuis benedictio linteaminum non ſit de præcepto; Vndè in aliqua neceſſitate poſſunt eſſe non benedicta, quæ poſtea laicis reſtituantur, & adhuc domi adhibeantur ad communem vſum, pro vt docent Theologi, vt Regin. libr, 29. numer. decimoquarto, Suarez tomo tertio, Diſt.81. ſectione ſexta, Sylueſt. verb.Benedictio, quæſt. 5.& verb.Miſſa 1. quæſt 2. Graff. par.1. Dec.l.3. cap.4. num.2. Bonac.rom.1. D.4. quæſt.8. de Miſſa nu.7. Filliuc.tom.1, tract.5.nu.124. Em.Sà verb.Miſſa, num.7. cum alijs.

Reginald. Suar. Syluest. Graff. Bonac. Filliuc.

21 Quid ſignificant linteamina ſuper Altare. Duæ tobaleæ ſufficiunt.

Requiruntur autem duæ tobaleæ, ſiuè ſaltem vna duplicata, per quas repræſentantur linteamina, quibus Chriſti Corpus fuit in Sepulchro inuolutum; Verum eſt tamen, quod illi, qui cum diligentia tractant res Diuinas ſolent adhibere tres mappas ſuper Altare præter corporale, quod colligitur ex capite Si per negligentiam de conſ.d.2. vbi præter corporale numerãtur tria lintea; Duo tamen ſufficiunt (vt dixi.) Ità Filliuc.& Bonac. cum alijs ſupra cit.

C. Si per negligentiam. Filliuc.

22 Crux ponenda ſuper Altare. Non eſt tamen de præcepto.

Inſuper ſuper Altare debet eſſe Crux in medio, cui Sacerdos celebrans caput inclinat ad orationes; vt patet ex Rub. Miſſal. & cæremonijs Miſſæ. Et ità ſeruant diligenter viri conſcientiæ timorati: Quamuis hoc non ſit de præcepto: Quàpropter, ſi quis celebraret in Altari, in quo Crux non ſit collocata non peccaret mortaliter; Prout docent Filliuc.ſupr.num.127. Ratio huius eſt, quia Crucis omiſſio in Altari non videtur eſſe coniuncta cum magna irreuerentia, &c. Ità etiam Suarez tomo tertio D.83. ſect.ſexta, & Bonacin.ſupr. punct.9.nu.29.

Filliuc. Suar. Bonac.

23 Miſſale requiritur ad celebrandum pro memoria. Henriq. Nauarr. Aliquando propter neceſſitatẽ liceret ſine Miſſali. Filliuc. Suar.

Requiritur etiam Miſſale, in quo ſaltem contineatur Canon Miſſæ, quia eſt inſtrumentum neceſſarium ad ſacrificium; Memoria enim hominis labilis eſt, & non licèt in actione publica, & graui exponere ſe periculo grauiter errandi; Vndè ſecundum Henriq. capit. 29.num.7. & Nauarr.in man.cap.25.num.83. qui ſine Miſſali celebraret mortaliter peccaret: Verum eſt tamen quod aliquando excuſari poſſet Sacerdos à peccato, ſi in aliqua neceſſitate ſine Miſſali celebraret, confidens moraliter de ſua memoria; pro vt aduertit Filliuc.d.tract.5. de Miſſa cap. quinto, nu.127.ex Suar. D.83. ſect. 3.

24 Lumen acceſſus requiritur in Altare quando celebratur.

Dicimus tandem, quod requiritur ſuper Altare, in quo Miſſa celebratur lumen ardens, ex candela accenſa, quod ex conſuetudine, & decentia debet confici ex cera, quamuis in neceſſitate, ſufficiat candela ſebacea, aut etiam lucerna ex oleo, dum tamen fiat ſine ſcandalo; In rigore autem præcepti ſufficit vna candela accenſa, quamuis ex conſuetudine duæ candelæ communiter adhiberi ſolent, quod conuenientius, & decentius eſt. Non tamen eſt de præcepto; prout docent Vaſquez tertia par. D.233. capite quarto num.25. Suarez ſupra. Bonac.nu.30. & Filliuc. ſupr. num. 126.

Sufficit vna candela, quæ aliquando poteſt eſſe ſebacea.

Vaſq. Suar. Bonac. Filliuc.

Vltra hæc, quæ diximus non eſt neceſſarius alius ornatus ſuper Altare ad ſacrificium Miſſæ, quia neque ex natura rei, neque ex iure aliquo, aut ex conſuetudine aliud habemus. Cæterum ornamentorum mundities ex decentia, & reuerentia ſemper in omnibus ſupponenda eſt, ideóque omnia debeant eſſe munda, & cõuenienter diſpoſita pro tanto miniſterio. 25

De vaſis, quæ requiritur ad celebrandũ.

Vltimò tandem dicendum eſt de vaſis, quæ requiruntur ad tale miniſterium faciendum, quæ ſunt Calix cum Patena, & Corporale ſacrum, quàpropter

Dico ſextò, quod, Locus propriiſſimus, in quo conficitur Miſſæ ſacrificium eſt Calix, & Patena, ſine quibus Miſſa celebrari non poteſt, vt dicitur in cap. Vaſa de conſ. D.2, Nam ſine Calice Sanguis Chriſti conſecrari non poſſet, ideò, &c. 26

Locus propriiſſimus eſt Calix cum Patena. C. vaſa de cõſecr.

Significat autem Calix Chriſti Domini ſepulchrum: Patena verò lapidem ſuperpoſitum, vt obſeruant Suar. D.81.ſect.1. & Bonac. de Miſſa par.9.num.16. Patena autem non erat ità neceſſaria, quia poterat ſuppleri Corporali, ſiuè manibus celebrantis; Eſt tamen valdè commoda, & eius vſus fuit antiquiſſimus fundatus in exemplo Chriſti, qui creditur in Catino, ſiuè in Patena conſecraſſe panem; Quàpropter omiſſio iſtorum eſſet peccatum mortale, ſecundùm Filliuc. d.tract. 5.c. 5.nu.129. & alios. 27

Calix, quid ſignificet. Suar. Bonac. Patena, quid ſignificet. Filliuc.

Forma autem Patenæ ſolet eſſe orbicularis, quamuis poſſit etiam eſſe alterius figuræ, vt quadratæ, ouatæ; ſed in hoc loci conſuetudo ſeruanda eſt. 28

Patena cuius figuræ eſſe debet.

Materia Calicis, & Patenæ debet eſſe vel ex auro, vel argento, vel ſaltem ex ſtamno; Vt habetur in cap. Vaſa, & cap. vt Calix de conſecr. d.1. Æs, & Aurichalchum prohibita ſunt, quia recipiunt eruginem ex vino, & prouocant de facili ad vomitum: Idem dicimus de ferro, & Plumbo: Lignum poroſum eſt, & ideò non eſt aptum, olim tamen in eo licebat, ſed modò eſt prohibitum: Vitrum autem periculoſum eſt, ne frangatur; Sufficit ergò quod Cuppa Calicis ſit ex materia debita, quia illa ſolet deſeruire ad Sacramentum immediatè: Patena etiam debet eſſe ex eadem materia, qua Calix, quamquam etiam ex Aurichalcho confici poſſet, ſed inaurato, ſaltem in parte ſuperiori: Ità Filliuc.ſupra nu.30. 29

Calix, & Patena, ex qua materia ſunt conficienda. C. Vaſa. C. vt Calix. Filliuc.

Hæc ergo vaſa, ſcilicet Calix, & Patena debent eſſe conſecrata ab Epiſcopo, ſiuè Abbate, habente priuilegium in ſignorum Pontificalium, vbi talis conſuetudo recepta eſt, prout dicit Soto in 4. Diſt.24. quæſt. 2. Artic.4. Armilla verb. Conſecratio, num.1. Filliuc.d. tract.5.cap.5.num.131.& patet ex cap. Vnico de Sacra Vnctione, ideò non ſunt à laicis tangenda, ſicut nec corporalia. 30

Calix, & Patena debent eſſe conſecrata ab Epiſcopo. Soto. Armilla. Filliuc. C. De ſacra Vnctione.

Hic tamen quæritur: An Calix amittat conſecrationem, quando Cuppa ſeparatur à pede; Reſpondetur quod ſi talis ſeparatio fiat abſque fractione, vt accidit in Calice tornatili cum vite cuius partes ſeparantur abſque fractione, & deindè coniunguntur; Tunc enim non fierent Calices tornatiles ob incommodum, cui ſe exponerent Sacerdotes petendi nouas conſecrationes, facta cuppæ ſeparatione à pede; ſecus autem dicendum eſt ſi ſeparatio fiat cum fractione. Ratio eſt, tum quia Calix tali euentu amittit figuram, & formam, & non amplius eſt aptus ad vſum 31

Calix conſecratus quando amittit cõſecrationem.

ad quem fuerat conſ ecratus: Ità Suarez Diſt.81.ſect. 7.Sylu.in ver.Calix Azor.p.1.lib.10 c.28.q.7.Coninch. q.83. d.3. num.248. Henriq. lib.9. cap.28. numero ſecundo, Filliuc.d.tractat.quinto, capite quinto, numero 133.

Suar. Syluest. Azor. Coninch. Henriq. Filliuc.

32 . Secundò Calix amittit conſecrationem, quando iterum deauratur ab artifice, & tunc iterum debet ab Epiſc.conſecrari.

33 Aliqui dicunt: Calicem conſecrationem amittere, per aliquos ictus à Fabro inflictos in pede; ſed hoc gratis aſſeritur, & ſine fundamento in iure; prout aduertit Bonac.de Miſſa p.9.q.8.nu.19. & Armilla in ver.Calix, nu. 4. Concludimus ergò tunc amittere conſecrationem; quando frangitur notabiliter, & amittitur forma, vt dictum eſt.

An per aliquos ictus à fabro amittat conſecrationem. Bonac. Armilla.

34 Requiritur inſuper ad ſacrificium Miſſæ corporale ab Epiſcopo, vel habente facultatem conſecratum per conſuetam benedictionem: Poſſunt etiam corporalia benedicere Abbates, ac etiam Prouinciales Regularium, & ſi qui ſunt alij habentes priuilegium Papæ.

Corporale conſecratum neceſſarium eſt ad celebrãdum. Prouinciales regularium poſſunt benedicere corporalia.

Debet autem corporale eſſe ex puro lino ſaltem, quoad interiorem partem, in qua Corpus Chriſti, & Calix collocatur: Ora autem poſſunt eſſe ſerica: Durat

35 verò conſecratio quamdiu manet integrum: Per ruptionem autem, ſi notabilis ſit, petit conſecratio: prout docet Sylu.ver.Corporalia q.2.

Corporalia quando omittunt conſecrationem. Syluester.

Ad hoc pertinet Palla, qua Calix cooperitur, & fieri ſolet ex parte corporalis plicata. Ex parte inferiori de-

36 bet eſſe linea, exteriori ſerica, ſiuè aurea eſſe poteſt, olim vnum erat corporale oblongum, ſuper quod corpus, & Calix collocabatur, reſidua tegebatur Calix: Quod etiam nunc apud quoſdam obſeruatur, Filliuc, d.tract.5.c.5.nu.125.

Palla debet eſſe ex lino. Filliuc.

37 Vltimò tandem quæritur: An Calix, Patena, Corporalia, & Palla Sacrata poſſint tangi à laicis, vel clericis, non ordinatis.

Laici an poſſint tangere vaſa Sacra?

Reſpondetur (per ſe loquendo) Negatiuè: vt dicitur in C.Sacratas D.23. Verum eſt tamen, quod ſi laicus etiam manu nuda tangeret vaſa Sacra, (ſecluſo contemptu,) non eſſet peccatum mortale, ſed tantùm veniale, prout dicit Filliuc.d.tract.5.nu.135. & Bonac. to.1.D.4.de Miſſa q.8.p.9.nu.20. & alij: Non enim videtur materia ità grauis.

C. Sacratas. Filliuc. Bonac.

38 Verùm eſt tamen, quod ſi dicta Vaſa Sacra actu contineant Corpus, vel Sanguinem Chriſti, non poſſunt tangi, niſi à ſacerdote, vel ad ſummum à Diacono, & non ab alijs, & contrarium facientes ſine cauſa peccarent mortaliter, quia tunc materia grauis eſt; prout docent Palud.in 4.d.13.q.1.A.4.concl.2. Suarez D.81.ſect.8.Filliuc.ſupra num.135. Vacua autem poſſunt licitè tangi à Subdiacono, & etiam ab Accolyto, etiam in miniſterio Miſſæ: Extra miniſterium à quolibet ordinato in minoribus etiam tangi poſſunt ſine peccato.

Vaſa Sacra cũ Sacramento nullo modo licet. Palud. Suar. Filliuc.

39 Sacriſtæ autem Clerici, & laici etiam regularium poſſunt licitè tangere vaſa ſacra ex conceſſione Pontificum.

Sacriſtæ poſſunt tangere vaſa ſacra.

40 Hinc etiam colligi poteſt iure optimo in cap.Nemo de conſ. diſt.1. ſancitum eſſe, vt corporalia lauentur à Diacono, & lotio mittatur in piſcinam ſacram, ne fortè puluis Dominici Corporis malè decidat. Hoc tamen intelligendum eſt, quò ad primam lotionem, nã quo ad alias probabile eſt, eas fieri poſſe etiam à fœminis præſertim virginibus: Ità Coninch.quæſt.83.A.3. d.3.nu.249. Suarez D.81.ſect.8. & Bonac, d.to,1. D.4, q.8.de Miſſa, p.9.nu.21.

Lauare corporalia, qui poteſt. Coninch, Suar. Bonac.

Et hæc de loco celebrandi, ac etiam de vaſis in quibus faciendum eſt ſacrificium Miſſæ ex præcepto Eccleſiæ, ac de ornamento Altaris, cæteriſque requiſitis ad celebrandum, dicta ſufficiant.

DE PRAEPARATORIIS AD Miſſam, & Diuino Officio, & Sacris veſtibus, alijſque requiſitis ad celebrandum.

CAP. III.

IN hoc tertio capitulo, in quo agimus de præparatione, & ritu ſeruando à Sacerdotibus ad dignè Miſſæ ſacrificium peragendum: Tria veniunt conſideranda: Primum in communi de præparatione requiſita in celebrante, tam reſpectu animæ, quam etiam reſpectu corporis ad celebrandum. Secundò in particulari circa Diuinum officium: An neceſſariò ſit præmittendum, ſaltem matutinum ante celebrationem Miſſæ: Et tertiò de vſu ſacrarum veſtium: An ſit conueniens, & ſub præcepto, & quid ſignificent dicta ſacra indumenta. 1

Tria veniunt tractanda in hoc capitulo.

Circa primum de præparatione in communi dicimus breuiter; In Sacerdote celebraturo neceſſariam eſſe intentionem actualem, ſiuè virtualem celebrandi Miſſam, & conficiendi ſacramentum, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: Requiritur etiam puritas conſcientiæ, vt ſine macula ſaltem peccati mortiferi ad celebrandum accedat, prout ſupra in tractatu 6. de Euchariſtia cap. 2. plenius declaratum eſt, & ideò iuxta doctrinam Apoſtoli debet primò ſeipſum probare per ſacramentalem confeſſionem, antequam ad celebrandum accedat ſecundum præceptum, Concil. Trid.ſeſſ.13.c.7. 2

Quæ conditiones requiruntur in celebrante reſpectu animæ. Requiritur intentio, puritas, & deuotio.

Tertiò requiritur deuotio, & præparatio mentis, mediante aliqua meditatione, & contemplatione tanti myſterij, vt deuotè, & reuerenter ad celebrandum accedat; ſed hoc tertium non eſt de præcepto, ſed de conſilio, vt cum maiori guſto, & deuotione, & effectu Miſſæ ſacrificium offerat, & effectum recipiat. 3

Deuotio non eſt de eſſentia, ſed de conſilio.

Reſpectu etiam corporis requiritur primò: quod ſit ieiunus ieiunio naturali à media nocte. Secundò quod ſit taliter diſpoſitus, vt tollat periculum, vel relinquendi ſacrificium inchoatum, ſiuè propter morbum caducum: aut capitis vertiginem, aut vomitus, aut cum indecentia, & irreuerentia celebrandi propter leprã, vel fluxum ſanguinis, & huiuſmodi, de quibus impedimentis dictum eſt ſupra in tract. 6. de Euchariſtia cap. 3. 4

Quæ conditiones requiruntur reſpectu corporis.

Requiritur tandem munditia, non ſolùm animæ, verum etiam corporis, ideòque manuum lotio præmitti debet ex decentia, non autem ex neceſſitate, prout docet Suar. in to.3. de Sacram.D.82.ſect.1. Filliuc.to.1.tract.5.de Miſſa c.5.num.138. & alij communiter. 5

Lotio manuum ante Miſſam non eſt de eſſentia, ſed decentia. Suar. Filliuc.

Secundò Quæritur in particulari: Circa recitationem Diuini Officij; An neceſſariò præmitti debeat Miſſæ ſacrificio; Et dubitatio ſolùm eſt de matutino, nam de alijs horis Canonicis nulla eſt controuerſia. Quærimus ergò: An Sacerdos licitè poſſit celebrare Miſſam ante matutini officij horam perſolutam. 6

De diuino officio, an præmittendũ ſit ante Miſſã?

Reſpondetur in hac re; Duas eſſe valdè ſolemnes opiniones Theologorum, quarum vna eſt affirmatiua, dicens: Peccare mortaliter Sacerdotem, qui Miſſam celebret antequam matutinum officium ſaltem non recitauerit: Ità tenuit D.Ant.3.p.tit.13.cap.4.numer.2. Graff.p.2.deciſ.cap.40.num 6. Gabr.lect.13.in Can. Angel.verb.Horæ Canon.num.42. Armilla num. 18. Tabien.verb.Miſſa, numer.7. & alij Summiſtæ, vt Hoſtienſis Roſella. Piſanel. & alij ab ipſis citati, ſequitur Azor.tom.1. lib.10. cap.28. quæſt.17. & Cenedus in ſuis Canonicis quæſtionib.quæſt.3.numer.7. & 7

Circa matutinũ duplex eſt opinio. 1. Opinio affirmatiua. D. Anton. Graſſius. Gabriel. Angel. Armill. Tabiene. Hoſtien. Roſella. Piſanella. Azor.

hanc

Cœned. Pitig. Bart. ab Ang. Zanard.

hanc opinionem ipſe Cœnedus mordicus tuetur citans pro ſua opinione circa triginta Doctores, hoc aſſerentes, vt Pitigian. in 4. diſt. 13. tom. 1. quæſt. 2. Art. 10. Bartol. ab Angel. Dialogi 5. §. 240. & Zanardus in direct. Theolog. part. 1. de Euchariſtia cap. 9. quæſt. 7. alioſque.

8 Quorum opinio fundata eſt in conſuetudine Eccleſiæ, quam ſatis oſtendunt tot graues Authores, & ex vſu conſtat. Et in Rubrica Miſſalis Rom. expreſsè dicitur: Ne Miſſa celebretur ante matutinum Officium illius diei recitatum: Et poſtea inter defectus impedientes celebrationem Miſſæ numeratur iſte: *Si celebrans matutinum cum Laudibus prius non recitauerit:* Ideò, &c.

Fundamenta iſtius ſententiæ.

9 Altera tamen opinio communior, & probabilior eſt negatiua abſolutè dicens: *Non peccare mortaliter Sacerdotem, qui Miſſam celebret ante matutinum perſolutum*, quia nullum eſt præceptum, neque à Chriſto, neque ab Eccleſia, obligans ſub mortali ſingulos Sacerdotes ad recitandum Matutinum, priuſquam Miſſæ ſacrificium offerant, ſiuè priuatim, ſiuè ſolemniter Miſſam cantando.

2. Opinio negatiua.

10 Et quamuis de hoc in Rubrica Miſſ. Roman. admoneantur Sacerdotes, ibi tamen nullum eſt præceptum, nec verbum præceptiuum: Imò ex modo, quo regula illa proponitur conſtat: Nullum nouum ſtatutum eſſe, ſed ſolum declarari, & proponi, quod fieri ſolet, & expedit de congruo, non autem de præcepto: quemadmodum etiam ibi admonentur Sacerdotes, quod prius aliquantulum orent, & tamen illud non intelligitur eſſe præceptum, ſed de conſilio.

Reſpondetur ad Rubricam Miſſalis Romani.

11 Secundò probatur, quia maior connexio, & ordo eſt inter horas Diuini Officij inter ſe, quam inter Miſſam, & officium, & tamen ſecundum omnes, nullum eſſet peccatum ordinem horarum Diuini officij, iuſta de cauſa inuertere, videl. Tertiam ante Primam: Sextā ante Nonam, & Completorium ante Veſperas: Quod etiam ſi per negligentiam, aut incuriam, & ſcienter id fiat, non eſſet pluſquam veniale ratione negligentię, prout docet Nauarr. de horis Canonicis, c. 21. nu. 30. & omnes communiter.

Ratio ſecundæ ſententię. Peruertere ordinem horarum diuini Officij nō eſt p. m.

Nauar.

12 Sic à fortiori, Miſſam celebrare ante Matutinum recitatum rationabili de cauſa nullum eſſet peccatum: Si verò fieret abſque cauſa propter ſolam negligentiam, non eſſet pluſquam veniale, non autem mortale: Tum quia Miſſa non computatur inter horas Canonicas; quare ſi quis ratione infirmitatis excuſaretur ab obligatione recitandi officium, non ideò impediretur, quin poſſit Miſſam celebrare.

Celebrare Miſſam ante matutinum recitatum, nō eſt peccat. m.

13 Quàpropter multi grauiſſimi Theologi abſolutè docent: Non eſſe talem obligationem ſub peccato aliquo, ſed ſolum de conſilio: Ità docent Soto in 4. d. 13. q. 2. & lib. de iuſt. & iure, lib. 10. q. 5. art. 4. Suarez to. 3. D. 82. ſect. 1. Coninch. quæſt. 83. A. 3. d. 4. nu. 120. Nugn. in 3. p. q. 83. A. 2. Leſſius de iuſt. cap. 37. d. 12. nu. 81. Rodriq. in ſumm. c. 249 nu. 12. Mirand. in man. Prælat. p. 1. q. 40. A. 12. Chamerot. de Miſſa d. 14. Bonac. tom. 1. D. 4. de ſacram. q. 8. p. 9. nu. 7. Barboſ. de Poteſt. Epiſc. alleg. 24. nu. 15. Layman l. 4. tract. 5. c. 4. nu. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conſ. p. 1. præcept. 3. A. 3. d. 4. concl. 2. ſequitur Diana de celebr. Miſ. reſol. 36. citans Raphaelem de la Torr. Villalobum, & alios, concordant Syluius in 3. p. q. 83. A. 2. Filliuc. to. 1. tract. 5. de Miſſa c. 5. numer. 141. alijque quamplurimi grauiſſimi Authores, citati à Suar. qui validiſſimis rationibus hanc ſecundam ſententiam defendit.

DD. huius ſententiæ. Soto. Suar. Coninch. Nugnus. Leſſius. Rodriq. Mirand. Chamerot. Bonac. Barboſa. Layman. Io. à Cruce. Diana. Raphael de Torres. Villalob. Syluius. Filliuc.

14 Ad rationes ergò contrariorum. Reſpondetur negando, adeſſe talem conſuetudinem, obligantem ad peccatum mortale, neque ſub tali apprehenſione talis conſuetudo eſt recepta, vt patet ex rationibus, & auctoritatibus tot peritiſſimorum Theologorum pro ſecunda opinione citatorum: Nec Rubrica Miſſalis in hoc obligat ad peccatum, ſed tantùm proponit (vt dixi) quod fieri decet, & ſolet.

Soluuntur rationes contrariæ opinionis.

Quod denique inter defectus in celebratione Miſſæ recenſetur: Omiſſio Matutini ante Miſſam: Dicimus ad ſummum probare: Eſſe defectum veniale, ſi abſque vlla cauſa fiat, & aliquando poſſe eſſe mortale ſi fiat cum ſcandalo, vel contemptu: Vel dicimus quod: Loquitur de Miſſa conuentuali in Eccleſijs collegiatis, quæ cantari non debet priuſquam Matutinum officium in Choro eſſet recitatum: Ità dicit Bonac. alijque ſupra citati. 15

Rubr. Miſſ. intelligitur de Miſſ. ſolem.

Bonac.

Tertiò Quæritur: An ſit conueniens vſus ſacrarum veſtium in Miſſa? 16

De vſu ſacrorum veſtimētorum.

Reſpondetur quod Sacerdos celebraturus Miſſam indui debet veſtibus Sacris: Amicto, vid. Alba, Cingulo, Manipulo, Stola, & Planeta, ſiuè Caſula: Quæ debent eſſe benedicta ab Epiſcopo, ſiuè ab alijs, habentibus priuilegium, vt ſunt Abbates, Priores, Guardiani, & omnes Prælati regularium: Quæ benedictio non tollitur, niſi quando veſtimenta ità franguntur, vt non ſint apta ad vſum, ad quem fuerunt deſtinata, ſiuè non amplius priorem figuram, & formam retineant.

Veſtimenta Sacerdotalia, quæ, & quot ſunt. Superior. religion. poſsūt veſtimenta Sacerdotalia benedicere.

Ex quo infertur: Albam non indigere noua benedictione, ſi ad eam reficiendam addatur aliqua petia, etiam non benedicta, quarum additione remanet adhuc prima figura: *Acceſſorium enim ſequitur principale.* E contra autem, ſi ex ea abſcindatur manica, quamuis poſtea eidem eadem manica aſſuatur, indiget tunc noua benedictione, quia per abſciſſionem manicæ amiſit formam, mediante qua apta erat ad vſum, nec amplius retinet priorem figuram. 17

Sacræ veſtes quando amittūt benedict.

Similiter dicimus ſi Cingulum ità perſtringatur, vt nulla ipſius pars ſufficiat ad cingendum, amittit benedictionem: Si autem aliqua ipſius pars ad cingendum apta remaneat, quamuis ei addatur alia pars minus apta, tunc non indiget noua benedictione, quia non amiſit formam: Ità dicas de alijs eodem modo: Ità docent Suarez D. 82. ſect. 2. Sylu. Verb. Benedictio nu. 32. Tabien. Verb. Miſſa num. 16. Bonac. D. 4. q. 8. par. 9. num. 26. 18

De Cingulo, & alba.

Suar. Sylueſt. Tabiens. Bonac.

Vſus autem ſacrorum veſtimentorum congruentiſſimus eſt, nam ex his omnibus ritè compoſitis grauis, & decens reſultat ornatus: Secundò quia aptiſſimè ſignificant tum Chriſti paſſionem, tum mores, quibus ornatus eſſe debet Sacerdos: Quàpropter ſi referantur ad Chriſtum: Amictus ſignificat linteum, quo facies Chriſti velata fuit in domo Caiphæ quando dicebant Iudæi: *Propheti za, quis eſt, qui te percuſſit.* Vel ſecundò ſignificat Chriſti humanitatem, qua tecta fuit Diuinitas Verbi: Alba ſignificat Diuinitatis ſplendorem, ſiuè gloriam transfigurationis, quando in monte Taborre veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix; vel ſecundò ſignificat albam veſtem ab Herode per illuſionem indutam Chriſto: Tertiò Cingulū ſignificat Chriſti fortitudinem, ſiuè funes, & flagella, quæ Chriſti corpus ambierunt: Quartò Manipulum ſignificat Chriſti Domini humanitatem paſſibilem, ſiuè pugnam eius pro iuſtitia: Quintò Stola denotat obedientiam Crucis, & paſſionem Chriſti, quando Chriſtus baiulans ſibi Crucem exiuit: Sextò Planeta, ſiuè Caſula ſignificat Diuinum amorem, & charitatem Chriſti, vel ſecundò ſignificat veſtem coccineam, & purpuream, quando fuit illuſus, corona ſpinea coronatus. Ità communiter dicunt Theologi. Legite Gabrielem lect. 11. in Canone Miſſæ, & alios multos. 19

Vſus ſacrorū veſtimentorum, quid ſignificant. Quid ſignificent referendo ad Chriſtum.

Amictus. Alba. Cingulum. Manipulum. Stola. Planeta.

Si verò veſtimenta referantur ad ipſum Sacerdotem, qui illis induitur ſignificant qualitates, & virtutes, quibus Sacerdos Miſſæ ſacrificium celebraturus 20

Quid ſignificent referendo ad Sacerdotem celebrantem.

ornatus eſſe debet; quorum ſignificationes, qui ſcire cupiat perpendat orationes, quæ recitantur in ſingulis veſtibus: quàpropter dicimus

21 Amictus. Ad Theſſal. c. 5. Amictum ſignificare armaturam trium virtutum Theologalium ad expugnandos omnes Diabolicos incurſus, ſecundum illud Apoſtoli ad Theſſal. c. 5. dicentis: *Induti Lorica fidei, & charitate, & Galeam ſpei ſalutis aſſumite:* Idcircò imponit ipſum ſuper caput ſuum, quaſi Loricam; deindè præcingit pectus duabus cordulis, & renes reſtringit ad denotandum Scutum fidei, & loricam charitatis &c.

22 Alba. Secundò induitur Alba, quæ ſignificat puritatem, & munditiam mentis, & corporis, cum ſplendore omnium virtutum, atque adeò totum hominem veſtit à capite vſque ad talos: Ideòque quando alba induitur dicit Sacerdos: *Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in ſanguine Agni dealbatus gaudijs perfruar &c.*

23 Cingulum. Tertiò Cingulum ſignificat quatuor virtutes Cardinales: primò reſtringitur alba, & componitur, ne ſupra pedes defluat, per quem actum virtus prudentiæ denotatur. Præcingit ſe fortiter in medio, per quod denotatur virtus fortitudinis. Præcingitur cingulo puritatis ad ſignificandam iuſtitiam, & tandem fortiter præcingit renes, & reſtringit lumbos ad denotandam virtutem Temperantiæ mediante caſtitate.

24 Manipulum. Quartò Manipulum fletus, & doloris in ſiniſtro brachio ſignificat cordis compunctionem, veramque pœnitentiam, & peccatorum contritionem.

25 Stola. Quintò Stola ſuper collum poſita denotat obedientiam, quæ ſignificatur per Chriſti ſuaue iugum: quàpropter in ordinatione Sacerdotis dicitur: *Accipe iugum Domini,* quia per obedientiam ad Chriſtum reſtituendus eſt Sacerdos in illo ſtatu innocentiæ, quem per inobedientiam amiſit in præuaricatione Adæ; quàpropter dicit Sacerdos: *Redde mihi Domine Stolam immortalitatis quam perdidi in præuaricatione primi parentis.*

26 Caſula. Denique Caſula, ſiuè Planeta ex omni parte rotunda, & aperta ſignificat veram perfectamque charitatem, quæ virtutibus omnibus ſupereminet, eaſque protegit, & quia vndique eſt integra ſignificat vnitatem, & ideò dicitur: *Iugum lene, & ſuaue.* quibus virtutibus Sacerdos ornatus poteſt dignè ad tantum Sacramentum accedere.

27 Relinquere voluntariè aliquam veſtē ſacerdotalē peccatum eſt. Canones. Suar. Graff. Bonac. Soto. Nauarr. Syluest. Angel. Tabiena. Obſeruandum eſt autem; Omiſſionem harum veſtium, præciſa inaduertentia, eſſe peccatum mortale, etiam ſi vna tantum omittatur; cenſetur enim in re graui, violans vſum, & præceptum Eccleſiæ, quæ vſum iſtarum veſtium præcepit in honorem, & reuerentiam tanti miniſterij; vt habetur in cap. Eccleſias d.23 cap. Veſtimenta de conſ. D. 1. legite Suarez D. 82. ſect. 3. Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. c. 24. nu. 2. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 9. nu. 27. Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 4. Nauar. c. 25. num. 84. Sylu. Angel. Tabien. Verbo Miſſa. & omnes communiter.

28 In nulla neceſſitate licitum eſt celebrare ſine veſtibus ſacris, Suar. Filliuc. Quàpropter in nulla neceſſitate licitum eſt ſine veſtibus ſacris, & benedictis celebrare: Verum eſt tamē, quod in aliqua neceſſitate vrgente, ſi deeſſet aliqua ex minoribus, vt cingulum, aut manipulum, non eſſet peccatum mortale ſecundum Suar. Diſt. 82. ſect. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 149. ſecundum tamen communem Doctorum ſententiam ex materiæ leuitate vix poteſt excuſari à mortali, quia quælibet harum veſtium eſt ſufficiens ad peccatum mortale, ſi voluntariè omittatur.

29 Inaduertentia excuſat à peccato mortali. Si autem non ſint benedictæ, eſt ac ſi non eſſent, ideòque non minuitur peccatum, ſed eſſet eodem modo mortale, ac ſacrificare ſine veſtibus benedictis. Ex defectu autem voluntatis poteſt eſſe excuſatio, nam ſi ex obliuione naturali, nullum eſſet peccatum, præſertim mortale: Si ex obliuione culpabili cum aliqua inaduertentia eſſet peccatum veniale: pro vt docent Suarez d. D. 82. ſect. 3. Filliuc. & Bonac. cum alijs locis ſupra citatis. Suar. Filliuc. Bonac.

Si quæras: An liceat ſacrificare nudis pedibus, aut operto capite. 30 Nudis pedibus non licet celebrare. Sandalia, & Botæ in neceſſitate ſufficient.

Reſpondetur primò: Nudis pedibus non licere ex decentia, & conſuetudine, quamuis de hac re non extet præceptum, eſt tamen conſuetudo valdè probabilis introducta; Vndè ſi quis nudis pedibus celebraret, non eſſet abſque peccato propter indecentiam: Sandalia autem, ſiuè Botæ in neceſſitate ſufficiunt ſecundum Sylu. Verb. Miſſa nu. 2. Scotus in 4. d. 13. q. 2. Ricc. q. 4. A. 3. Filliuc. to. 1. tract. 5. c. 5. nu. 151. Non oportet autem huiuſmodi calceos eſſe benedictos, niſi in Epiſcopis quando ſolemniter celebrant, quia tunc debent eſſe ſacræ propter ſignificationem. Syluest. Riccard. Filliuc.

Dico ſecundò operto capite celebrare non licere, vt ex cap. Nullus Epiſcopus de conſ. d. 1. vbi: Qui temerè contrarium facere præſumpſerit iubetur communione priuari, ideò, (per ſe loquendo) peccatum eſſet abſque diſpenſatione, quæ requiritur ex cæremoniali Romano, quando eſſet cauſa rationabilis, præciſo tamen ſcandalo, extra neceſſitatem non licet: Ita Rodriq. in ſumm. c. 249. num. 13. Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. cap. 42. nu. 5. Filliuc. ſupra nu. 152. Bonac. ſupra nu. 28. Suar. ſect. 3. 31 Operto capite celebrare nō licet C. Nulli. Rodriq. Graff. Filliuc. Bonac.

Veſtimenta autem eſſe debent decentia, & munda propter reuerentiam, & ordinationem Eccleſiæ, cuius tranſgreſſio eſſet peccatum ſaltem veniale, non autem mortale. 32

An verò peccet mortaliter Sacerdos, qui voluntariè reliquerit conſuetas orationes in ſingulis veſtibus, quādo ſe induit ad celebrandum. 33 Orationes veſtimentorum relinquere, an ſit p. m.? 1. opinio.

Reſpondetur: Affirmatiuam ſententiam tenuiſſe Syluium in 3. p. q. 83. A. 3. qui pro ſua opinione citat Nauar. & Azorium.

Sed contraria opinio negatiua eſt communior dicens: Talem omiſſionem, (per ſe loquendo) non eſſe peccatum mortale, ſi tamen hoc fiat ſine contemptu, cùm res non ſit tanti momenti, ſed eſſe ad ſummum veniale: Ita Fagund. tract. 1. lib. 3. cap. 21. num. 9. & nu. 32. Ant. Fernand. in Exam. Theol. p. 3. c. 5. §. 3. num. 4. Scortia de ſacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 8. num. 14. Diana de celeb. Miſſ. Reſol. 41. allegans Pitig. Vega. Homobon. Layman, & alios, quorum ratio eſt, quia nullum adeſt præceptum, ſiuè lex obligatoria, præcipiens dictas orationes à Sacerdotibus dicendas eſſe ſub onere peccati mortalis: Quædam enim in Miſſali poſita pertinent ad decentiam, & conſilium, non autem ad neceſſitatem, & obligationem, pro vt docet Fagund. ſupra nu. 32. vbi probat: Regulas Miſſalis non obligare ad mortale, niſi contineant eſſentiam, ſeù quaſi eſſentiam ſacrificij, reliqua verò non eſſe præcepta, ſed inſtructiones, & conſilia. 34 2. opinio negatiua. Fagund. Ant. Fernād. Scortia. Diana. Pitigian. Vega. Homobonus. Layman. Ratio 2. ſententiæ. Fagund. Regulæ Miſſalis per ſe non obligant ad mortale.

DE RITV SERVANDO IN VERBIS, & actionibus, ac de Defectibus ſupplendis in Miſſa Sacrificio.

CAP. IV.

PRo complemento huius tractatus, ſupereſt dicendum de Ritu ſeruando in ipſo Miſſæ ſacrificio, tam in verbis, quàm etiam in actionibus; Quàpropter dico primò: Sacerdotes, quo ad verba, & Cæremonias teneri ſeruare integrum Miſſæ ritum; pro vt in Miſſali ſtatutum eſt: patet hoc ex Decreto Concil, 1 Ritus Miſſæ ſeruādus eſt, vt in Miſſali præſcribitur.

Digitized by Google

Concil. Trid. Decreto Pij V.

Concil. Trid. cap. de obſeruandis in Miſſa ſeſſ. 22. & ex Decreto Pij V. in principio Miſſalis poſito, illis verbis: *Mandantes in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſtrictè præcipientes:* Quæ verba indicant præceptum Eccleſiæ. Ità Suarez D. 83. ſect. 1. & Filliuc. tract. 5. cap. 5. num. 153. Quapropter omittere voluntariè aliquod eorum, quæ præſcribuntur ſemper eſt peccatum, niſi vel leuitas materiæ, vel rationabilis cauſa excuſet: *Nam de minimis non curat Prætor.*

Suar. Filliuc. Paruitas materiæ excuſat.

2 Et quamuis Canon Miſſæ maiori cura, & integritate dicendus ſit, tamen in eo etiam ex leuitate materiæ poteſt eſſe excuſatio à mortali, vt ſi omittatur nomen alicuius Sancti, vel tempore Paſchali illa, quæ interponuntur in Canon. *Communicantes:* aut in actione: *Hanc igitur*, vel quid ſimile, ſiuè aliqua commemoratio, ſiuè oratio ante communionem: quia huiuſmodi non ſunt partes eſſentiales ſimpliciter ad Miſſam neceſſariæ.

Canon Miſſæ maxima cum diligentia recitandus eſt. Excuſat tamen paruitas materiæ.

3 Sic etiam omittere Credo, Gloria: permutare Epiſtolam, ſiuè Euangelium, & cætera huiuſmodi non eſt culpa mortalis, ſed tantùm venialis propter materiæ leuitatem, niſi fiat ex præſumptione, aut contemptu: Nec etiam ſi paulò poſt recordetur Sacerdos repetendæ ſunt regulariter, quia moraliter id commodè fieri non poteſt, neque cohærerent; pro vt docent Syluest. Ver. Miſſa q. 3. §. 4. & 5. Filliuc. d. tract. 5. cap. 5. n. 155. Nugn. 3. p. tom. 1. q. 83. A. 4. ad 2.

An ſint repetendæ orationes præter Miſſam.

Syluester. Filliuc. Nugn.

4 In Miſſis autem priuatis dicere Miſſam alterius diei vel de alia re, quam in Miſſali præſcribitur regulariter non eſſet peccatum: quia in rigore non prætermittitur ritus, vt ſupponimus. Tum quia cùm Sacerdos non teneatur ad celebrandum illa die, nec tenebitur ad hanc, & illam Miſſam ſpecialem: Sed optimum conſilium eſt non prætermittere Miſſalis ordinem, ſine rationabili cauſa; pro vt docent Nauarr. in man. cap. 21. nu. 7. Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 1. Sylu. Verb. Miſſa 1. q. 1. §. 7. & 8. Filliuc. d. tract. 5. c. 5. nu. 154. Suarez D. 83. ſect. 2. to. 3. Miſſa autem conuentualis, ſiuè ſolemnis in Eccleſijs collegiatis ſemper dicenda eſt, ſecundum ordinem officij.

Miſſam dicere alterius diei priuatim non eſt peccatum. Optimum cōſilium eſt nō permutare. Nauarr. Soto. Syluest. Filliuc. Suar. Miſſa conuētualis non eſt varianda.

5 Dico ſecundò: Sacerdotem in celebratione Miſſæ debere etiam ſeruare ritum, & cæremonias in ipſa actione Miſſæ; quapropter ſi voluntariè, & temerè aliquod eſſentiale, vel animo inducendi nouum ritum pertinentem ad nouum cultum, & nouam ſignificationem prætermitteret eſſet peccatum mortale, niſi leuitas, vel ignorantia excuſaret à mortali.

Ritus, & cæremoniæ miſſalis ſeruandæ ſunt.

6 In omiſſione autem Cæremoniæ grauioris, continentis ſpecialem ſignificationem, vt eſt mixtio aquæ in vino, mixtio particulæ conſecratæ in Calice, fractio hoſtiæ, oblatio Sacramenti, eſſet culpa mortalis, niſi vel inaduertentia, ſiuè aliqua inuincibilis ignorantia aliquando excuſaret; Et hæc de ritu, & Cæremonijs, pertinentibus ad Miſſam.

In grauioribus obligat ad mortale.

7 Reſtat modò dicendum de Defectibus commiſſis in ipſa celebratione Miſſæ, ſiuè poſt celebrationem: Quapropter

De defectibus in Miſſa vitandis. Error eſſentialis ſupplēdus eſt.

Dico primò: Si defectus, ſiuè error eſſentialis in materia, vel in forma Sacramenti, aliquando commiſſus ſit: talis omninò ſupplendus eſt, ne ſacrificium remaneat imperfectum, quod eſt intrinſecè malum. Vndè ſi Calix conſecratus fuerit ſine vino; vel cum ſola aqua, aut alio liquore, ſi huiuſmodi defectus aduertatur ante corporis ſumptionem, debet ſtatim vinum apponi, & conſecrari, ſic enim integrum fiet ſacrificium.

8 Si verò aduertatur poſt conſecrationem, & ſumptionem corporis, tunc vult Diu. Thom. in 3. p. q. 83. Artic. 6. ad 4. quod Sacerdos in caſu debeat aliam Hoſtiam de nouo conſecrare ſimul cum ſanguine, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridiè quam pateretur*, vſque ad illa: *Hæc quotieſcumque feceritis:* incluſiuè, quia aliter non ſeruaretur ordo requiſitus ad perfectionem ſacrificij, & ratio D. Thom. eſt, quia ſi iam prior hoſtia conſumpta eſt, quo ad illam, iam actio ſacrificandi fuit tranſacta, ergò, vt poſtea poſſit ſanguis ritè conſecrari, debet iterum conſecrari etiam Corpus, ne vna ſpecies ſine altera confici, & ſumi videatur, ſic etiam docent Palud. in 4. d. 11. quæſt. 1. A. 2. & Sylu. Verb. Euchariſtia 2. q. 10. & ità habetur in Miſſ. Rom. in Rubr. Pij V.

Opinio D. Tho. circa defectum in conſecratione ſanguinis.

Concordant Palud. Sylu.

Verum eſt tamen, quod Subtilis Doctor Scotus in 2. d. 8. q. 3. abſolutè docet in huiuſmodi caſu ſufficere ſolius ſanguinis conſecrationem, & ipſius ſumptionem, ſic etiam docent Nauar. in man. c. 25. nu. 91. Angel. Verb. Miſſa num. 17. Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 3. ad 4. qui dicit hoc in praxi ſequendum eſſe, quando Miſſa dicitur in publico ad euitandum ſcandalum: & iſta opinio etiam approbata eſt in Miſſali reformato Clementis VIII. nam ità ſufficienter perficitur ſacrificiū, & occurritur ſcandalo, & admirationi populi: Quamuis ad ſeruandum ordinem debitum, vt Vid. conſecretur prius Hoſtia, quàm vinum probabilior videtur opinio D. Tho. quando Vid. commodè, & ſine admiratione fieri poſſet, pro vt docent Suar. D. 83. ſect. 1. & Filliuc. d. tract. 5. c. 5. nu. 561. 9

Opinio Scoti circa hoc. Nauarr. Angeli. Soto. Suarez. & Filliuc.

Idem etiam ſeruandum eſt, ſi defectus acciderit reſpectu Hoſtiæ, vt ſi inuenta ſit hordacea, vel ex amydo, ſiuè ex alia materia non apta ad conſecrandum ſecundum Angel. & Nauar. Si autem defectus eſſentialis contingat ratione formæ, vel quia defuit aliquod verbum eſſentiale, vel intentio debita in vtraque ſpecie, vel altera, tunc iteranda eſt conſecratio; ſi defectus aduertatur ante ſumptionem; Si poſt ſumptionem, tunc ſi altera tantùm eſt conſecranda, omninò eſt perficienda, ne ſacrificium mutiletur, ſi vtraque, omittenda erit, quia ſacrificium fuit nullum, & cùm non ſit amplius ieiunus, non poteſt conſecrare, vt ſumat; Ità Suar. ſupra, & Filliuc. loco citato nu. 162. & alij. 10

De defectu ſupplendo ratione formæ. Suar. & Filliuc.

In vtroque autem caſu repetenda ſunt ſola verba eſſentialia in rigore, quo ad debitum vſum; ità vt non peccetur: Verum tamen eſt, quod ſecurius, & aptius eſt in conſecratione panis incipere ab illis verbis. *Qui pridiè quam pateretur*, & in conſecratione Calicis ab illis: *Simili modo &c.* Oblatio non eſt neceſſaria, quæ fieri poteſt etiam mente concepta, vt habetur in Miſſali, & docet Scotus ſupra ſecundum communiorem ſententiam: (Quicquid dicant Angelus, & Paludan.) 11

Quæ verba ſunt repetenda in forma. Scot.

Dico ſecundò: Si defectus contingerit poſt conſecrationem ritè factam, impediens ſumptionem Sacramenti, tollendus eſt ad hoc, vt Sacramentum conſumari poſſit, vel de nouo conſecrandum, & ſupplendū, quod defuerat: Tenetur enim celebrans per ſe ſumere, vtramque ſpeciem conſecratam, ideoque ſi præuideat eſſe aliquod in materia impediens ſumptionem Sacramenti, non debet ſacrificium inchoare, ne ſe exponat periculo non conficiendi Sacramentum, & ſacrificiū non perficiendum. 12

De defectibus poſt conſecrationem.

Dico 3. In particulari. Huiuſmodi defectus ſex modis præcipuè in celebratione Miſſæ contingere poſſe, de quibus fit mentio, & enumerantur in Miſſali Romano, reformato à Clemente, & Vrbano VIII. 13

Sex defectus occurrentes in Miſſa.

Primus eſt, ſi contingat venenum eſſe admixtum in ſpeciebus conſecratis: tunc in caſu ſpecies illæ ſeruandæ ſunt, donec corrumpantur, & deſinant eſſe Sacramentum, & tunc reuerenter comburantur, & cineres in ſacrarium proijciantur, & alia materia conſecranda eſt, vel vtriuſque ſpeciei, ſiuè alterius, ſecun- 14

P. De veneno in ſanguine.

dum exigentiam, & neceſſitatem ſacrificij perficiendi, vt ſupra declaratum eſt.

15 2. Si Muſcha cadat in ſanguinem. Secundus caſus: Si aliquod animal, vt muſcha in ſanguinem cadat: Tunc ſi ſine vomitus periculo ſumi poſſet, optimè fiet; ſin minus, eſt extrahendum animal, & diligenter lauandum, & poſtea eſt comburendum, & cinis eius, & lotio in ſacrarium ſunt mittenda, deindè ſumendus eſt ſanguis cum omni debita reuerentia: Quod ſi tale animal fuiſſet venenoſum: tunc idem faciendum eſt, quod in primo caſu.

16 3. Si ſpecies vini conſecrati congelentur. Tertius caſus: Si per frigiditatem aeris vinum conſecratum congeletur in Calice, tunc in caſu debet liquefieri, vt poſſit ſumi, per approximationem ignis, vſque quo fiat potabile.

17 4. Si timeatur incurſus hoſtium. Quartus, ſi timeatur incurſus hoſtium infidelium, & iniuria Sacramento, tunc celebrans, cæteris omiſſis Cæremonijs, ſumere poteſt Sacramentum, ſi aliter periculum euitare non poſſet; Si verò tempus habeat, debet ſacrificium perficere.

18 5. Si per miraculum diſpareat Sacramentum. Suar. Quintus. Si per miraculum diſpareat Sacramentū, vel appareat caro, vel ſanguis, tunc in caſu, vel iterum conſecranda eſt noua materia, prout dicitur in rubrica Miſſalis, vel ſecundum Suarez, & Diu. Thom. poteſt deſiſtere à ſacrificio, quia per miraculum factum videtur, Deus tacitè acceptaſſe ſacrificium, & tollere obligationem, iterum conſecrandi, vti nos explicauimus ſupra in tractat. 4. de Euchariſtia capit. 2. nu. 18.

19 Quando ſanguis effunditur. Sextus caſus: Si effundatur ſanguis conſecratus, ità vt omninò à celebrante ſumi non poſſet, tunc iterum alia materia de nouo eſt conſecranda pro ſumptione ſanguinis, ne ſacrificium imperfectum remaneat: Quę omnia habentur ex Miſſali.

20 Si Sacerdos pereat poſt conſecrationem. Dico 4. quod: Quandò accidit defectus eſſentialis in celebratione Miſſæ, quod non poſſet ab eodem celebrante ſuppleri; vt ſi poſt conſecrationem vnius, ſiuè alterius ſpeciei celebrans pereat, ſiuè moriatur; Tunc debet alius Sacerdos ſuccedere, & perficere, quod defuit, ne ſacrificium remaneat imperfectum: vt dicitur in c. Nihil 2. q. 1. D. Tho. 3. p. q. 83. A. 6. Nauar. in man. c. 25. nu. 86. alijque communiter. Quando autem non eſſet facta conſecratio, tunc propriè non eſt perficiendum, ſed aliud offerendum, vel dimittendum, ſecundum Suarez D. 83. ſect. 1.

C. Nihil 2. q. 1. D. Thom. Nauarr. Si pereat ante conſecrationem.

21 Quomodo ſacrificium per alium ſupplendum eſt. Quando autem neceſsè eſt ſacrificium per alium perfici: Hæc regula eſt obſeruanda: Si enim tunc ſciatur, vbi alter deſijt, indè alter debet incipere: Ità ſi prior hoſtiam conſecrauerit tantum, debet alter tantum vinum conſecrare, incipiendo ab illis verbis: *ſimili modo &c.* non autem vtramque vt dicit Innocentius lib. 4. de myſt. Miſ. cap. 22. Si vtramque, & vnam tantum conſumpſit, alter debet alteram ſumere, ſi autem neutra prior, tunc poſterior debet vtramque ſumere.

Innocentius Papa III.

22 Quando neſcitur vbi deſijt celebrans. Si verò neſciat vbi alter deſijt: Tunc quidem ſi certum ſit, priorem deceſſiſſe ante perfectam conſecrationem panis, poteſt omittere omninò, vel ſupplere inchoando à Capite: Si verò certum ſit conſecraſſe vtramque ſpeciem, ſed non conſtet, quid deindè egerit: Inchoandum eſt ab illis verbis: *Vndè, & memores Domine*: Si verò dubium ſit: An prior Sacerdos abſoluerit Hoſtiæ conſecrationem, tunc incipiat à capite Canonis, & conſecret, deindè eamdem Hoſtiam poſt ſumptionem Sacramenti ſub conditione ſumat. Ità Suarez, Innocentius, & Filliuc. locis citatis.

Suar. Innocent. Filliuc.

23 Sacerdos tenetur perficere ſacrificium ab altero inchoatum. Dico tandem: Vltimò Sacerdotem teneri ad conficiendum ſacrificium ab altero inchoatum, quia pertinet ad munus Sacerdotis efficere, vt non maneat ſacrificium imperfectum: Quod ſi non ſit ieiunus, nihil eſt, quia neceſſitas perficiendi ſacrificium maior eſt, quàm communicandi ieiunè. Si verò ſit in peccato, ſatis eſt, quod conteratur, ſi non adſit commoditas confitendi.

Si autem defectus non ſint ſubſtantiales, poſtquam commiſſi ſunt, regulariter non ſunt ſupplendi, iterando aliquid, vel dicendo præpoſtero ordine, quia cùm non ſint de ſubſtantia, non eſt neceſsè iterare, & alioquin ſi poſtea repetantur non cohærerent: Dixi (regulariter) quia ſi iam parua eſſet mora, tunc poſſent repeti: Verum eſt tamen, quod Sacerdos debet eſſe ſollicitus, moralem diligentiam adhibendo, ne huiuſmodi defectus committat. 24 Defectus non eſſentiales prætermitti poſſunt.

TRACTATVS XVI.

De Sacramentis.

Et de Myſterijs Miſſæ, Tract. III.

PROOEMIVM.

Diximus in duobus præcedentibus tractatibus, quæ neceſſaria erant ad ſacrificij Miſſæ cognitionem: In quorum vno tractauimus de ipſa Miſſa in ratione ſacrificij, iuxta diuiſionem quatuor cauſarum phyſicalium; Diximus etiam de partibus eſſentialibus eiuſdem ſacrificij, ac de Perſonis offerentibus, & pro quibus offerri legitimè poteſt: Inſuper de valore, & effectu huius ſacrificij: In altero, dictum eſt de quibuſdam requiſitis ad ipſam Miſſam ritè celebrandam, vt de loco, hora, & Tempore celebrandi, & tandem de Præparatorijs, & ritu ſeruando in ipſo Miſſæ miniſterio, ac de Defectibus ſupplendis.

Tertium modò inſtituimus tractatum, in quo de ipſa Miſſa ſecundum ſe, & de partibus eius, ac de explicatione myſteriorum, quæ in dicto myſterio Miſſæ continetur, vt maiori cum deuotione ſacrificium Miſſæ à Sacerdotibus celebrari poſſit, & fideles maiori cum deuotione illi aſſiſtant.

DE PARTIBVS MISSAE EIVSQVE myſteriorum explicatione.

CAP. I.

Miſſa in prima ſui diuiſione Duplex eſt, ſeu dupliciter diuidi poteſt: Vna dicitur Miſſa Catechumenorum, altera fidelium baptizatorum: Miſſa, quæ dicitur Catechumenorum incipit à principio, vſque ad offertorium excluſiuè: dicitur Miſſa Catechumenorum, quia in primitiua Eccleſia in illa admittebantur Catechumeni, qua peracta, dimittebantur Catechumeni; & incipiebat Miſſæ ſacrificium ab offertorio, in qua parte Miſſæ tantummodò fideles baptizati adeſſe poſſunt, & ideò hæc dicitur Miſſa fidelium baptizatorum, de qua in ſequenti capitulo eſt agendum. 1 Miſſa duplex Catechumenorum, & fidelium baptizatorum. Miſſa Catechumenorū.

Miſſa ergò, quæ dicitur Catechumenorum nouem continet partes; Videl. Confeſſionem peccatorum generalem, quæ fit in principio Miſſæ: Secundam Introitum Miſſæ; Tertiam Kyrie eleiſon: 4. Gloria in excelſis, Quintam Collectas, ſiuè orationes, Sextam Epi- 2 Miſſa Catechumenorū in nouem diuiditur partes.

Digitized by Google

Epiſtolam, ſiuè Prophetias, Septimam Graduale cũ Verſiculis, & tractu, Octauam Euangelium, Nonam Symbolum fidei.

3 Quid ſignificat nouarius numerus iſtius Miſſæ partium.

Quæ quidem nouem partes non vacant myſterio; ſignificant enim nouem virtutes principales: tres Theologales, quatuor Cardinales, & duas Fundamẽtales, quæ ſunt Patientia, & Pietas. contra nouem vitia, ſeptem capitalia, quibus adduntur Mendacium, & Inconſtantia, ex quibus mala omnia originantur, quæ omnia à fidelium mentibus ſunt excludenda.

4 De prima parte quæ eſt generalis cõfeſſio. Prou. c. 18.

Prima ergò actio Miſſæ eſt generalis peccatorum confeſſio, iuxta illud Sapientis in Prou. cap. 18. dicentis: *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui: & Oratio humiliantis ſe penetrat Cælos*; Sed ante ipſam confeſſionem Sacerdos, ſtans ante primum gradum altaris, ſignans ſe Crucis ſigno, incipit ab illa Antiphona, *Introibo ad altare Dei*, & recitat pſalmum Dauidis 42. *Iudica me Deus, &c.*

Pſal. 42.

5 Exponitur Pſal. Iudica me Deus.

Petit igitur in hoc pſalmo præparatorio Sacerdos celebraturus Miſſam, auxilium Diuinæ miſerationis, & aduerſus contriſtantes, & affligentes Spiritum ſuũ poſtulat fieri iudicium, & liberari ab inſidijs Diaboli, ideò dicit: *De gente non Sancta, ab homine iniquo, & doloſo eripe me Domine*, petit inſuper lumen Dei, & veritatem deſuper mitti, quibus auxilijs comitatus, dignè mundè, & ſecurè poſſit ad Dei altare accedere, fructumque tanti ſacrificij recipere; & ità ſemper cõfiteri, & laudare in exultatione ipſum Deum, à quo bona cuncta procedunt, in Canticis, & Cytharis ſpiritualibus, &c.

6 Quare replicatur antiphona: Introibo ad altare Dei. Altare dup. materiale, & ſpirituale.

Quo peracto iterum replicat Antiphona. *Introibo*, &c. ad oſtendendum & inſinuandum duplex altare, ad quod accedit, Vnum materiale, ad quod ſacrificij cauſa parat accedere, alterum ſpirituale, à quo lætificari animam ſuam ſperat, non quidem ab altari materiali lapidibus, & Cæmento ædificato lætificari poteſt, ſed ab illo, quem offerre parat, qui eſt Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus conſecratis, & ab illo, cui offerri parat, ideſt Deo ipſo Trino, & vno: Patri Vid. & Spiritu Sancto. Atque ideò non dicit ſimpliciter. *Introibo ad altare Dei, quod lætificat iuuentutem meam*, ſed adiicit dicens: *Ad Deum, qui lætificat*; Ad Deum enim accedit; à quo lætificari ſperat, & deſiderat.

7 Quid ſignificet verſus, Adiutorium noſtrum.

Quibus peractis, ſignat ſe iterum Sacerdos ſigno crucis, & dicit verſus: *Adiutorium noſtrum*; Implorans Diuinum auxilium per virtutem, & myſterium crucis; & tunc profundè ſe inclinans ante altare facit publicam, & generalem confeſſionem peccatorum, quod etiam facit poſteà miniſter inſeruiens pro toto populo aſſiſtente, ad denotandam miſeriam humani generis poſt peccatum Adæ, in quo omnes peccauerunt; Et implorata Diuina miſeratione, & Indulgentia, Inclinatus iterum Sacerdos expectat Diuinam Clementiam, vt ipſe, & populus Chriſtianus lætificetur in Domino, & exaudiatur.

Quid ſignificat generalis cõfeſſio ante Miſſam.

8 Tres gradus altaris, quid ſignificent.

Poſtea Sacerdos tribus gradibus aſcendit ad altare, quod debet eſſe in eminentiori loco. Primus gradus munditia eſt Caſtitatis, & conſcientiæ. Secundus fortitudo eſt contra Diabolicos incurſus, & Tertius Rectitudo intentionis, quibus gradibus debet Sacerdos ſe præparare, vt ad altare accedat. Ità Graſſ. 1. p. deciſ. lib. 2. c. 47. n. 8. §. 7.

Graſſ.

9 Quare ſacerdos in principio Miſſæ oſculatur altare.

Tunc Sacerdos aſcendit ad altare, & oſculatur illud in medio, ad inſinuandum Diuinum amorem; qui propter ſuam miſericordiam decreuit humanam carnem accipere, vt homines à culpa liberaret, & ſuo pretioſiſſimo ſanguine redimeret; Ideòque oſculatur illud in medio, quod eſt ſignum pacis, per vnionem amoris ad ſignificandam vnionem hypoſtaticam Diuinæ naturæ cum humana in vno ſuppoſito Diuini Verbi, per quam vnionem iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, iuxta illud Canticæ cap. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*.

Secunda pars dicitur Introitus, ità dictus, vel quia in eo Miſſa inchoatur, vel certè, quia dum à choro cantatur, Sacerdos ad altare ingreditur: conſtat enim Introitus ex antiphona aliqua, deſumpta ex aliquo ſcripturæ loco, & verſiculo vno ex aliquo Pſalmo, cũ Gloria Patri, qui dicitur loco Pſalmi, & iterum repetitur præcedens Antiphona: In quibus ſignificantur clamores, & deſideria Patriarcharum, & Prophetarum, qui quotidiè clamabant ad Dominum de aduento Meſſiæ dicentes: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ. Veni Domine, & noli tardare*. Pſalmus autem ſignificat laudes pro promiſſione de aduentu Chriſti: & iterum repetitur antiphona ad denotandas ſubclamationes, & ardentia ſuſpiria Sanctorum Patrum, & Synagogæ, & totius mundi. Et talis Introitus Miſſæ inſtitutus fuit à Cœleſtino Papa primo: pro vt refert Maximus monachus, & Innocentius de ſacrificio Miſſæ; legire Azorium 1. p. lib. 10. cap. 34. & Suar. to. 3. D. 83. ſect. 1. 10

2 Pars. Eſt Introitus, & quid ſignificet. Ex quibus conſtat introitus Miſſæ.

Pſalmus quid ſignificet. Repetitio antiphonę in Introitu Miſſæ. Innocentius Papa.

Azor. Suar.

De tertia parte.

Tertia pars continet commemorationem præſentis miſeriæ: dum miſericordia Dei petitur, dicendo nouies: *Kyrie eleiſon* iterantibus vocibus, ter quidem pro perſona Patris, ter autem pro perſona Filij, cùm dicitur: *Chriſte eleiſon*: & ter pro perſona Spiritus Sancti cùm ſubditur: *Kyrie eleiſon*, quod ſecundùm D. Auguſtinum, alioſque interpretatur; *Domine miſerere*. 11

Kyrie eleiſon. Quare dicitur nouies, & quid ſignificet. D. Auguſt.

Hoc autem fit toties repetitis illis vocibus ad confeſſionem Trinitatis, & contra triplicem miſeriam: Ignorantiæ, culpæ, & pœnæ, vel ad ſignificandum, quod: Omnes tres Diuinæ Perſonæ ſunt in ſe inuicẽ; pro vt dicit D. Thom. 3. p. qu. 83. A. 4. in cap. Vel contra nouẽ genera peccatorum: Vel dicitur nouies propter nouem Angelorum ordines ſecundùm Innocentium lib. 2. de hoc myſterio ca. 19. Vel propter nouem mẽſes, quibus in Virginis vtero clauſus eſt ante ſuam Natiuitatem: de quo plura apud Durand. in Rationali Diuin. lib. 4. c. 12. alioſque ſcriptores de officijs Eccleſiaſticis plura dicentes. 12

D. Thom.

Innoc. III.

Durand.

De 4. Parte.

Quartò additur hymnus: *Gloria in excelſis Deo*, quem Angeli in die Natiuitatis Domini cantauerunt, ipſi inchoantes, & Eccleſia poſtea conſumauit, totuſque plenus eſt Diuinis laudibus gratiarum actione, & deprecatione, qui quidem hymnus à celebrante inchoandus eſt ante medium altaris, quia: *Dum medium ſilentium tenerent omnia*: natus eſt in medio pro hominibus Chriſtus Ieſus: Repræſentatur etiã, quod Angelus Chriſti Domini natiuitatem paſtoribus annuncians ſterit in medio eorum, Item ad denotandum, quod Chriſtus dicitur & eſt mediator inter nos, & Deum: cap. Quoniam D. 18. Sed Chorus hymnum proſequitur dicens: *Et in terra pax, &c.* gerit enim Chorus vicem Angelorum multitudinis, de qua dicitur in Euangelio Ieſu Chriſti ſecundùm Lucam cap. 2. *Subito facta eſt cum Angelo multitudo Cęleſtis exercitus dicentium: Et in terra pax hominibus*. 13

Gloria in excelſis.

Gloria in excelſis quare inchoetur à celebrante in medio altaris.

C. Quoniam D. 10.

Luc. c. 2.

Vel ſecundùm D. Thom. ſupra, denotat Cęleſtem gloriam, ad quam poſt præſentem vitam, & miſeriam tendimus; quapropter cãtatur in feſtis, in quibus Cęleſtis commemoratur gloria: Intermittitur autem in officiis luctuoſis, quæ ad commemorationem præſentis vitæ miſeriæ ordinantur. 14

D. Thom.

Quid ſignificet Gloria in excelſis. Quare tantũ dicitur in ſolennitatibus.

Hunc Angelicum Hymnum: Theleſphorus Papa, qui ſedit ſub Anno Domini 140. iuſſit decantari in nocte ſancta Natiuitatis Domini, & Symmacus poſtea adiecit, vt etiam in feſtis ſanctorum caneretur, quod perpetuò vſu receptum eſt: Canitur etiam in 15

Quis inſtituit, vt cãtetur Gloria in Excelſis in Miſſa.

Miſſa

Quare dicitur Feria 5. in Cęna Domini. Et in Miſsa B.V. & Angelorum.

Miſſa Feriæ Quintæ in Cęna Domini propter ſolemnitatem SS. Sacramenti ipſa die inſtituti, ac etiam dicitur in Miſſis votiuis Beatæ Virginis, & Angelorum, quia creditur, quod ipſa Beata Virgo cum Angelis Sanctis in nocte ſancta Natiuitatis decantauit, ipſa Beata Virgine incipiente, & Angelis proſequentibus, & concomitantibus.

16 Oſculum Altaris poſt Gloriã, quid ſignificet.

Quo finito, Sacerdos ſignat ſe Crucis ſigno, & oſculatur Altare in medio in ſignum gratiarum actionis de aduentu Domini: Tum ad denotãdum Deum peculiari modo dominari hominibus poſt Incarnationem; Ante enim Dæmon quodammodò dominatum obtinebat, & ideò vertens ſe ad populum ſalutat dicens: *Dominus vobiſcum:* Epiſcopus verò in prima ſalutatione dicit: *Pax vobis*, gerens typum Chriſti, qui ſic ſalutabat Apoſtolos, dicens: *Pax vobis*, & poſt ſuam Reſurrectionem ſæpè ſæpius ità ſalutabat Apoſtolos ſuos.

Dominus vobiſcum, quid ſignificet. Quare Epiſcopus dicit: Pax vobis.

17 Quare dicitur septies in Miſsa. Quare dicitur bis facie verſa ad Altare.

Septies autem in Miſſa dicitur, *Dominus vobiſcum*, propter ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti, quam populo optat, Quinquies ſe vertens ad populum propter quinque apparitiones Chriſti in die Reſurrectionis, & bis dicit facie verſus Altare ad denotandam duplicem naturam Chriſti Diuinam, videlicet, & humanam, hypoſtaticè vnitam in vno ſuppoſito.

18 De V. parte. Oratio, quæ dicitur collecta.

Quintò ſubiungitur publica oratio, quæ communiter Collecta vocari ſolet, quia Sacerdos quaſi colligens intentionem populi ad Deum porrigit, vt digni habeantur tanto myſterio: Vndè rationabiliter vocatur, Collecta, quia nomine totius populi in vnum collecti fundatur, vel quod omnium intentiones, & petitiones compendiosè colligat.

19 Oremus, quare dicitur ante Collectam.

Quàpropter Sacerdos ante orationem clara voce dicit: *Oremus*, vt omnes ſimul cum Sacerdote orante, & orationi ipſius conſentiant, idcòque in fine, Reſpondetur, Amen, iuxta illud, *Pſalm. Et dicet omnis populus fiat, fiat.*

20 Quomodò terminantur orationes in Miſsa.

Orationes autem ſemper diriguntur ad Deum, & terminantur; Per Dominum noſtrum, vel per eumdem, vel qui tecum. Nam quandocumque dirigitur ſermo ad Patrem, non habita mentione Filii, tunc terminatur oratio (*Per Dominum noſtrum.*) Si verò fiat mentio ipſius Filij in principio orationis, tunc concluditur (*Per eundem Dominum noſtrum*) ſi in fine nominetur Filius: Tunc, dicitur; (*Qui tecum.*) Si autem nominatus ſit Spiritus Sanctus, tunc in fine, dicitur (*Eiuſdem Spiritus Sancti Deus.*)

21 Numerus orationum, quare debet eſse impar.

Numerus autem collectarum debet eſſe impar: Nam communiter dici ſolet: *Numero impare Deus gaudet:* Dicitur autem vna oratio in duplicibus, In alijs autem, vel tres, vel quinque vel ad ſummum ſeptem, tres ſignificant myſterium Trinitatis, ſiuè trinam orationem Chriſti in Horto: Quinque propter quinque partitam Domini Paſſionem: Septem autem propter ſeptem petitiones orationis Dominicæ, vel propter ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam: Ità Innocentius libr. 2. de Miſſa, cap. 23. Duran. in ration. lib 4. c. 15. Suar. D. 82. ſect. 1.

Innocent. Durand. Suar.

22 De ſexta P. Epiſtolæ.

Sexto loco poſt collectas legitur epiſt. quę deſumitur ex Scriptura Sacra, ſiuè noui, ſiuè veteris teſtamenti, quæ legitur facie verſa ad Altare: Quia omnis lex, & prophetia ordinabatur ad Chriſtum, qui ſignificatur per Altare: Per Epiſtol. autem ſignificatur inſtructio populi Chriſtiani, quæ fit in Eccleſia, Et in Miſſis ſolemnibus legi ſolet à Subdiacono, & populus ſedens audit lectionem: Quia doctrina Chriſti in ſilentio, & quiete eſt audienda: Præmittitur autem ante Euangelium, vt cunctis aperiãtur Prophetarum vaticinia, ſiuè Apoſtolorum inſtructiones, & denotatur pręedicatio Præcurſoris ante Euangelium: Qua finita, reſpondit populus per miniſtrum; *Deo gratias*, quaſi Deo gratias agens.

Lectio epiſt. quid ſignificet.

Septima pars eſt Graduale, quod cantari ſolet à Choro, vel circa gradus pulpiti, vel altaris ad ſignificandum profectum virtutum, quia debemus aſcendere ad perfectionem, per gradus de virtute in virtutem: Deindè dicitur Reſponſorium, quia reſpondere debemus ijs, quæ audiuimus in lectione Epiſtolæ. Subſequitur *Alleluia*, quod ſignificat ſpiritualem exultationem, & dicitur bis propter gaudium exultationis capitis, & membrorum, & propter ſtolam animæ, & corporis: Additur poſt verſum tertium: *Alleluia*, ad denotandos tres priores fructus Spiritus Sancti, qui ſunt (Gaudium, Charitas, & Pax.) 23

De Septima parte. Graduale quid ſignificet. Reſponſorium, & graduale. Alleluia, quid. & quare dicitur.

Aliquandò additur ſequentia in præcipuis quibuſdam ſolemnitatibus; Tractus dicitur in officijs luctuoſis, & diebus ferialibus Quadrageſimæ: qui ſignificat gemitum, & miſeriam vitæ præſentis. Legite plura apud Durandum in Ration. diuin. lib. 4. c. 22. D. Tho. in 3. p. q. 83. A. 4. 24

Sequentia, & tractus, quid ſignificent. Durand. D. Thom.

Octaua pars eſt; lectio Sancti Euangelij, quæ legi ſolet verſus Aquilonem, & in ſiniſtra parte altaris, quia doctrina Euangelica ordinatur ad expellendum Diabolum: Et in ſiniſtra, quia per Euangelium tranſiuit ad gentes per ſiniſtram ſignificatas: Et in principio Sacerdos ſalutat populum, dicens: (*Dominus vobiſcum: Sequentia ſancti Euangelij*; Et populus, audito Euangelij nomine, reſpondet, dicens: (*Gloria tibi Domine,*) quia ſcilicet verbum Salutare nobis loquutus eſt. 25

De Octaua p. Octaua P. eſt Euãgelium, & quare dicitur in ſiniſtra parte ad Aquilonem.

Signat autem Sacerdos librum ſigno Crucis tamquam ſigno Chriſti, cuius res geſtæ, vita, & mors in Euangelio referuntur: Signat etiã ſe in fronte, ore, & pectore, quia corde, & ore debet profiteri Fidẽ Chriſti, & nullo timore, aut verecundia, quarum affectione ſigna maximè in fronte ſolent apparere & à libera Chriſti confeſſione debet deterreri. 26

Quare ſignatur liber, os, frons, & pectus.

Legitur autem Euangelium cum maxima reuerentia, ſtando iunctis manibus, & vt refert Clemens libr. 2. Conſt. Apoſt. cap. 61. & teſtatur Apoſtolos inſtituiſſe, vt omnes, tum clerici, tum laici aſſurgant dum Euangelium in Miſſa legitur, vt promptitudo noretur ad ſeruandam Fidem Chriſti, & capite nudato, ad inſinuandam magnam reuerentiam: prout dicitur in C. Apoſtolica: de conſ. d. 1. 27

Stando iũctis manibus. Clemens. Romanus. C. Apoſtolica.

Hinc etiam fit, quod Magnificat: *Nunc dimittis*, & *Benedictus*, cantari debent ſtando, & nudato capite, quia deprompta ſunt ex Euangelio Luc. c. 1. & 2. Aſſiſtunt Acolyti, cereos accenſos geſtantes, qui fidẽ cæleſtem, diuinumque lumen ſignificant. 28

Quare accenduntur intorticia.

Lecto Euangelio, oſculatur liber, & Sacerdos incenſatur in ſignum reuerentiæ Verborum Chriſti, & redditur Laus, & Gloria ipſi Chriſto, cuius eſt Euangelium: Mittitur autem in Miſſis ſolemnibus Diaconus ad promulgandum Euãgelium, quemadmodum Chriſtus miſit Apoſtolos, delegatos ad Euangelium populo promulgandum. 29

Diaconus quare cantat Euangelium in Miſsa ſolemni.

Vltimo loco, dicitur, *Credo*, quod eſt ſymbolum Fidei, & intonatur à celebrante, Choro proſequente, in quo Sacerdos, & populi oſtendunt ſe per Fidem Chriſti doctrinæ adhærere: Canitur autem Symbolum hoc, in feſtis ſolemnioribus, & in quibus fit aliqua mentio in ſymbolo, ſicut in feſtis Chriſti, Beatæ Virginis, & Apoſtolorum, qui hanc Fidem prædicauerũt, & alijs feſtis huiuſmodi Sanctorum, videlicet Doctorum, non autem in feſtis Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, niſi Sancti illi eſſent Eccleſiæ Patroni, vel eorum feſta contingant in Dominico die. 30

De Nona p. Symbolum Fidei quid ſignificet. In quibus ſolemnitatibus dicitur.

Et hæc ſunt nouem partes, pertinentes ad Miſſam Catechumenorum, quibus peractis, dimittebantur 31

Cate-

Digitized by Google

Catechumeni, quia eis aſſiſtere non licèt ad ſacrificium, cùm adhuc non ſint aqua Baptiſmi regenerati.

32 Quare in hac parte Miſſæ decies fit Crucis ſignum.

Notandum tamen, quod in tota Miſſa Cathecumenorum Sacerdos decies ſe ſignat ſigno Crucis, ad inſinuandum decem eſſe diuina præcepta, ad quorum obſeruantiam, tam Catechumeni, quam fideles Baptizati admonentur.

DE OFFERTORIO MISSAE, VSQVE ad Canonem excluſiuè.

CAP. II.

1 Miſſa fidelium quæ.

SEquitur altera pars principalis, quæ per ſe pertinet ad ſacrificium, quæ dicitur Miſſa fidelium, in qua tantùm admittuntur Fideles Baptizati, ideòque Catechumeni à ſacrificio Miſſæ excluduntur, quia aſſiſtere tanto myſterio eis non licet, cùm adhuc per ſacrum Baptiſmi lauacrum regenerati non ſint.

2 Miſſa fidelium in 3. diuiditur partes.

Hæc autem fidelium Miſſa, in tres ſubdiuiditur partes: Prima continet Offertorium vſque ad Canonem: Secunda à Canone, vſque ad conſumptionem Sacramenti, in qua conſiſtit tota ratio ſacrificij: Tertia à Communione, vſque ad finem Miſſæ, quæ eſt vltima pars minus principalis.

3 Offertorium Miſſæ, quid ſit.

Vndè circa primam partem de Offertorio eſt primò notandum, quod, dimiſſis Catechumenis, celebrans vertit ſe ad populum Chriſtianum, eumque ſalutat, dicens, vt prius (*Dominus vobiſcum*) deindè celebrans aſſiſtentes omnes ad orandum inuitat, dicens; Clara & intelligibili voce: (*Oremus*) quod videtur in alio ſenſu dici, quo ſupra explicauimus; Non enim hic ſubſequitur aliqua publica oratio, quam Sacerdos nomine totius populi publicè dicat: Inuitat ergò populum Sacerdos hic, vt attendat ad ſacrificium, & vnuſquiſque ad Offerendum ſe præparet, vt eius oblatio acceptabilis ſit Domino Deo noſtro: Ità Innocentius lib. 2. de Miſſa, c. 53. aliique.

Oremus, ante Offertorium, quid ſignificat.

Innoc. Papa.

4 Quare dicitur Offertorium.

Secundò dicitur Offertoriũ, quod canitur in Choro ad ſignificandum, quod eo tempore Sacerdos celebrans recipit oblationes populi, ideòque talis verſiculus, qui tunc canitur: Offertorium eſt appellatus de quo fit mentio in C. Omnis Chriſtianus: de conſ. d. 1. Quare cantando dicitur, quia cùm mentis iubilo debet cantari, & ea quæ offeruntur cum cordis lætitia debent offerri: *Hilarem enim datorem diligit Deus* ſecundùm illud Apoſt, 2. Corinth. c. 9.

Quare dicitur cãtando.

2. Corin. c. 2.

5 Oblatio panis, quid ſignificet.

Tertiò Sacerdos incipit ſe parare ad ſacrificium faciendum, & ſic facit primam oblationem panis, & vini, vt ſit Sacerdos ſecũdùm ordinem Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit in figuram Chriſti: Quàpropter Sacerdos, accepta Patena, cum pane, quam eleuatam ambabus manibus tenens in medio Altaris, eleuatis oculis in Cœlum, offert Hoſtiam panis ipſi Deo Patri Omnipotenti, dicens: *Suſcipe Sancte Pater.*)

6 Oblatio iſta inſinuata fuit à Chriſto in Cęna. Quare ſignatur corporale Crucis ſigno cum hoſtia.

Quam quidem oblationem inſinuauit Chriſtus Dominus in vltima Cœna, quando: *Accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in Cœlum: Benedixit*: Quàpropter celebrans ſignans corporale ſigno Crucis, collocat Hoſtiam ſuper ipſum corporale explicatum ad ſignificandum, quod omnia hoc ſalutifero Crucis ſigno, in quo ſacta fuit Redemptio noſtra benedicẽda, & ſanctificanda ſunt.

7 Aqua in vino conſecrãdo miſcetur triplici cauſa.

Deindè, accedens celebrans ad cornu Epiſtolæ ponit vinum in Calicem, & parum aquæ: Quæ mixtio aquæ cum vino triplici ratione fit; Prima quia Chriſtus ità in Cœna feciſſe creditur, ſecunda ad denotandam aquam, quæ exiuit è Chriſti latere in Cruce, quandò: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua*, quod ſacramentum hac mixtione maximè recolitur: Tertia ad ſignificandam vnionem populi cum Chriſto, vt dicit Innocen. in cap. Cùm Marthæ, de celebr. Miſſar. Innocentius

8 Alia expoſitio Theologalis.

Vel potius, ſecundùm Theologos, ad inſinuandam vnionem hypoſtaticam duarum naturarum diuinæ videlicet, & humanæ in vno ſuppoſito Diuino: Nam per vinum ſignificatur Diuinitas, quæ lætificat, & per aquam denotatur humanitas, & quemadmodum illius parum aquæ quantitas, conuertitur in vinum, ita humanitas aſſumitur in Deum per hypoſtaticam vnionem. Vt colligitur ex verbis ipſius orationis, dicentis: (*Deus, qui humana ſubſtantia, &c. da nobis per huius aquæ, & vini myſterium eius Diuinitatis eſſe conſortes.*)

9 De oblatione vini.

Et iterum celebrans, rediens ad medium Altaris, offert Calicem cum vino, aqua mixto eo modo, vt ſupra; ad imitationem ipſius Chriſti IESV veri Sacerdotis ſecundùm Ordinem Melchiſedech, qui id fecit in illa Cœna. Vndè per aquam denotatur fides, quæ latet, & nutritur in aquis. Per vinum, quod lætificat cor hominis, denotatur ſpes, quæ facit lætificari, ſecundùm illud Apoſtoli, dicentis: *Spe gaudentes, & cet.* Per Panem, qui fortificat hominem denotatur Charitas, Quę tria ſunt neceſſaria ad ritè offerendum Miſſæ ſacrificium.

Quid per panem, & vinũ aquę miſtum denotatur.

10 Alia expoſitio Miſtica.

Vel in pane, qui cor hominis confirmat, & corroborat, denotatur perſona Patris, qui eſt Creator, & fortitudo rerum omnium; In vino, quod lætificat denotatur perſona Filij, qui eſt gaudium noſtrum: In Aqua, quæ mundat denotatur perſona Spiritus Sãcti.

11 3. Expoſitio.

Vel in pane denotatur fortitudo Charitatis, in vino quod accendit, rectitudo intentionis, in aqua quæ mundat, munditia caſtitatis: Hæc debent eſſe in Sacerdote, in ſacro Altari miniſtrante.

12 Orationes, quæ dicitur in oblatione, quid ſignificent.

Dum autem Sacerdos panem, & vinum offert quaſdam orationes, & deprecationes profert, quibus, & orationem ſuam, & totius populi ad Deum dirigit, & ab eo poſtulat, vt ei placita ſit, & dignis mentibus offeratur: In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito, & ideò petit, quod Diuina benedictio deſcendat ſuper oblata, eaque ſanctificet, vt ſacrificium ad Dei honorem præparatum perficiatur.

13 Præparatio ad immolandum. Præparat ſe tripliciter, incenſo, oratione, & lotione.

Quarta pars huius ſecundæ partis Miſſæ, dicitur; Præparatio ad immolandum; Præparat igitur ſe Sacerdos tribus modis, incenſo, videlicet, lotione, & oratione; Incenſo ſe præparat, deuotionis odore; per lotionem, munditiæ nitore; Et per orationem, cordis ardore: Quàpropter Sacerdos, ſacta oratione, & oblatione vtriuſque ſpeciei, accipit Thuribulum cum incenſo, & igne de manu Diaconi in Miſſa ſolemni, & incenſat oblata ter in modum Crucis, & iterum ter Thuribulum circundat ſuper oblata, bis à parte dextera ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra ad dexteram, ad denotandum, quod Thure incenſi, & Crucis ſignaculo, & per myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis Deificæ Diabolicæ fraudis conatus execretur, ne contra ipſum Sacerdotem offerentem, & fideles circumſtantes, & ſacrificio aſſiſtentes, nec contra ſacrificium ipſum ſaciendum aliquo modo præualeat; Ità docet Gabr. in Can. Miſſæ, lect. 17. Gabriel.

Quid ſignificet, incenſatio oblatæ.

14 Quid incẽſatio Crucis.

Deindè incenſat Crucem ſuper Altare poſitam triplici ductu, dicendo: (*Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo:*) Vt per odorem deuotionis incenſi, & per orationis cordis ardorem in ipſius Dei gloriam, & honorem ſacrificium offeratur.

Deindè incenſat Altare, quod ſignificat Chriſtum; 15

Incenſum

Quid ſignificet incenſatio Altaris.

Incenſum autem repræſentat effectum gratiæ, quo ſicut bonoodore Chriſtus plenus fuit: Thurificat igitur Sacerdos Altare per totum, vel ob reuerentiam tanti myſterij, & Sacramenti perficiendi, vel per bonum odorem repellatur, ſi quid corporaliter praui odoris in loco fuerit, quod poteſt prouocare horrorem.

16 Altare quare bis incenſatur. In prima incenſatione nihil dicit, & quare. Secunda incenſatio ad Offertorium quid ſignificet.

Incenſatur autem in Miſſa Altare bis per totum, quia Chriſtus Dominus à Maria Magdalena bis vnctus legitur: Primò in Domo Phariſæi quandò lacrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguento vngebat, & hoc ſignificat, prima Thurificatio in principio Miſſæ, ideòque Sacerdos in illa incenſatione Prima nihil dicit, ad denotandum ſilentium Magdalenæ, quæ tantùm plangebat, vngendo pedes Domini: Et ſecundò quandò ante Paſſionem Chriſti vnxit caput eius pretioſo vnguento, & domus repleta eſt ex odore vnguenti, quod denotatur per ſecundam thurificationẽ Altaris ante ſacrificij inceptionem, propter quod Sacerdos vndique totum Altare incenſat, deſignans quod factum hoc vndique reſperſit Eccleſiam.

17 Ex qua quidem vnguenti perditione Iudas occaſionem accepit Dominicæ proditionis, qua Dominum, Iudæis crucifigendum tradidit, cuius memoria in hoc ſacrificio recolitur. Ità D. Tho. 3. p.q. 83. A. 5. Gabr. in Can. Miſſæ lect. 17. aliique multi.

D. Thom. Gabriel.

18 Quare incẽſatur Sacerdos, & aſſiſtentes. 2. Cor. c. 2. 2. Præparatio.

Deindè ipſe Sacerdos incẽſatur à Diacono, & omnes miniſtri Altaris, & circumſtantes pariter incenſantur ad inſinuandum, quod à Chriſto deriuatur bonus odor ad miniſtros Altaris, & ad omnes fideles circumſtantes, iuxta illud Apoſtoli, 2. Corinth. cap. 2. dicentis: *Ità odorem notitiæ ſuæ ſpargit per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in his, qui ſalui fiunt.*

19 Propter manus ablutionem. Quid ſignificat.

Secundò præparat ſe Sacerdos iterata manuum lotione, & hoc ex duplici cauſa: Primò ob reuerentiam tanti Sacramẽti; quapropter, fulgere debet manuum corporali munditia. Secundò illa extremitatum ablutio ſignificat etiam à minimis culpis mundationem, ideòque ſicut prius ad Miſſam celebrandam ſe parans lauat ſe ab iniquitate, modò ſacrificium oblaturus etiam à venialibus ſe purgat reliquijs; & ideò dicit Pſalmum Dauidicum illud;

20 Pſalmus Lauabo, quid ſignificat.

Lauabo inter innocentes manus meas, non inter peccatores, ſed inter innocentes, non corpus, aut pedes, ſed tantùm manus, quæ cùm ſint organa organorum totius corporis, omnia opera attribuuntur illis, pro vt dicunt D. Thom. 3. part. qu. 83. A. 5. Gabr. in Can. Miſſ. lect. 17. Proſequitur autem Sacerdos totum Pſalmum vſque ad finem, in quibus verſiculis multa, & profunda myſteria continentur, quæ diligenter ſunt meditanda.

D. Thom. Gabriel.

21 3. Præparatio eſt oratio. Suſcipe ſancta Trinitas.

Tertiò præparat ſe oratione, & ideò profundè in medio Altaris inclinatus orat ſanctiſſimam Trinitatem, vt acceptam habeat oblationem, & ſacrificium præparatum in memoriam Paſſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, quapropter implorat interceſſionem B. Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum, & aliorum, quorum memoriam facit in Miſſa.

22 Orate fratres.

Deindè celebrans vertit ſe ad populum, dicens intelligibili voce: (*Orate fratres*) exhortando ipſos, vt vnuſquiſque oret, quod ſacrificium faciẽdum gratum, & acceptabile fiat ipſi Domino Deo.

23 Orationes ſecretæ quid ſignificent, & quare dicuntur ſecretè.

Quinta pars conſiſtit in orationibus ſecretis, quas facit Sacerdos in ipſo Altari ad denotandas orationes Chriſti in ſecreto factas ante ſuam Paſſionem, quandò erat pernoctans in oratione Dei, & quia tunc incipit myſterium Paſſionis Domini in oblatione eorum, quæ ſunt conſecranda: Quapropter ibi per quandam correſpondentiam repræſentatiuè inchoatur machinatio quædam Iudæorum, & tractatio de morte Chriſti, propter quam Dominus abijt in regionem iuxta deſertum: Pro vt docet Gabr. d. lect. 17. §. 4.

Gabriel.

Vel ſecundùm aliquos tales orationes dicuntur ſecretè, ne Miſſæ officium vileſcat, tum etiam, vt deuotius oret Sacerdos, & circumſtantes maiori cum deuotione aſſiſtant meditando, orando, & contemplando myſteria paſſionis Chriſti: Vndè in fine vltimæ orationis clara voce dicit Sacerdos: (*Per omnia ſæcula ſæculorum*) vt poſſit populus per miniſtrum reſpondere, & confirmare orationes per ipſum Sacerdotem factas, vt omnes exaudiantur: Ità D. Tho. 3. p. q. 83. A. 5. quibus peractis, ſequitur — 24 Alia expoſitio myſtica.

D. Thom.

Sexta pars in ordine huius primæ partis Miſſæ fidelium, eſt illa quæ dicitur offertorium, ſiuè præparatio ad ſacrificium, vt dixi: Vndè ſequitur in hac 6. p. Præfatio, quæ Præloquutio interpretatur, per quam Sacerdos excitat, & inuitat populum ad præparationẽ tanti mirifici Sacramenti: Et primò ſalutat populum, dicens (*Dominus vobiſcum.*) Secundò excitat populum ad erectionem mentis in Deum, dicens: (*Surſum corda*) quoniam in hoc diuino myſterio nihil animus fidelium debet cogitare, niſi id ſolùm, quod petitur ab ipſo Deo, pro vt dicitur in cap. Quoniam de conſ. d. 1. Et audita reſponſione populi, dicentis per miniſtrum: Ipſorum mentes eſſe in Deum per contemplationem tanti myſterij; Addit Sacerdos (*Gratias agamus Domino Deo noſtro*) quaſi referendo gratias ipſi Deo, à quo bona cuncta procedunt, quoniam (pro vt dicit Apoſt. 2. Corint. 3.) Non ſumus ſufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. — 25 Præfatio Miſſæ, quid ſignificet.

Surſum corda. C. Quoniam de conſ. d. 1. Gratias agamus Domino Deo noſtro. 2. Cor. c. 3.

Et reſpondente populo: *Hoc eſſe dignum, & iuſtũ:* Sacerdos, annuens huic reſponſioni proſequitur, dicens: *Verè dignum, & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare.* Dignum dicit ratione domini, ideò ait (*Domine ſancte*) iuſtum ratione paternitatis, ideò dicit: *Pater omnipotens*, æquum, ratione Deitatis, & ideò addit (*Aeterne Deus*) & ſalutare ratione Redemptionis, ideoque ſubdit (*Per Chriſtum Dominum noſtrum*) qui eſt ſalus, vita, & Redemptio noſtra. — 26 Verè dignũ, & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare. Optima expoſitio.

Quandòque additur aliqua laudis materia, ſecundùm congruentiam ſolemnitatis, vel Natiuitatis Domini, vel Epiphaniæ, ſiuè Paſſionis, ſiuè Reſurrectionis, Aſcenſionis, Aduentus Spiritus Sancti, & Sanctiſſimæ Trinitatis, ſiuè Beatæ Virginis Mariæ, ſiuè Apoſtolorum, ſiuè pro ieiunii tempore Quadrageſimæ, ſecundùm ſolemnitatem, de qua Miſſa illius diei celebratur ſecundùm tempus, vel de communi pro quacunque die. — 27 Præfationes propriæ, quæ ſunt, & quãdò dicuntur.

Proponitur inſuper exemplum laudis Diuinæ per Sanctos Angelos, dum ſubditur: (*Per quem Maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates, atque Seraphim, omniſque Militia Cæleſtis exercitus.*) — 28 Per quẽ Maieſtatem tuã laudant Angeli.

Quo audito, Chorus pro tota Eccleſia Militante extollit vocem cum iubilo ad ſimilitudinem triumphantis Eccleſiæ, & canit, dicens: (*Sanctus, Sanctus, Sanctus,*) ter dicit Sanctus pro tribus Diuinis perſonis, realiter diſtinctis: Ad oſtendendum autem vnam eſſe Diuinitatem ſingulariſſimam ſine multiplicatione cõmunicatam in tribus, additur in ſingulari (*Dominus Deus Sabbaoth*) quæ eſt vox Hebræa, quæ interpretatur exercituum, ſiuè virtutum, hoc enim importat ſignificatio iſtius vocis. — 29 Sanctus ter quare dicitur cum iubilo à Choro.

Dicitur ergò Dominus Deus exercituum, ſiuè virtutum, eo quod omnis virtus exercituum Cæleſtium, & terreſtriũ eſt in manu eius: Ideò ſubditur: *Pleni ſunt Cæli, & terra Maieſtatis gloria tua Hoſanna in excelſis.* — 30 Quare dicitur: exercituum, ſiuè virtutum.

Hoſan-

31 Hoſanna in excelſis, quid ſignificet.

Hoſanna) eſt vox Hebræa, & componitur ex Hoſy, quod eſt ſalua, & Anna quæ eſt interiectio obſecrantis, & exultantis, & dicitur: Hoſanna, per ſynalepham, quæ eſt figura, tollens vocalem de medio dictionis, Et cum Anna vox Hebræa ſignificet obſecro, ideò Hoſanna interpretatur à Latinis: Salua obſecto in Excelſis, ideſt, in Cœlis.

32 Benedictus qui venit, &c.

Additur tandem hymnus, quem cantauerunt pueri Hebræorum, quandò Dominus Ieſus intrauit Hieroſolymam in ſolemnitate Palmarum, dicentes (*Benedictus, qui venit in nomine Domini Hoſanna in Excelſis*.

33 Hoſanna in excelſis, quare bis dicitur. Quid ſignificet ſignum Crucis.

Et dicitur bis *Hoſanna*, propter duas partes ſalutis, quæ ſunt ſtola mentis, & corporis, quaſi dicentes: Obſecramus Domine: Salua nos Secundùm animam, & ſecundùm Corpus: Quapropter hoc dicendo Sacerdos, ſignat ſe ſigno Crucis, ad oſtendendum, quod tota ſalus, & redemptio noſtra virtute Crucis erat perficienda.

34 Quare fit ſignum campanæ.

Vltimò tandem pulſatur campanella, vt fideles aſtantes Miſſæ ſacrificio ad cordis præparationem excirentur quatenus in ſpiritu, & veritate adorent deuotius Hoſtiam ſalutarem, quæ poſt conſecrationem omnium oſtendetur conſpectibus adoranda.

35 Quot Cruces fiunt in hac parte Miſſæ, & quid ſignificent.

Notandum autem, quod in tota hac prima parte Miſſæ fidelium, quæ Offertorium, & præparatio ad ſacrificium ante Canonem dicitur: Quinquies interponitur ſignum Crucis: Primò quandò reponitur Hoſtia oblata ſuper corporale: Secundò quandò benedicitur aqua, quæ adhibenda eſt vino in Calice: Tertiò quandò collocatur Calix ſuper Corporale. Quartò quandò benedicit oblata, dicens: *Veni ſanctificator*. Quintò in fine Præfatij, dicendo: *Benedictus qui venit, &c.* Et hoc, vel ad denotãda quinque myſteria paſſionis Chriſti, quæ in Cruce erant conſumanda: Et ideò vltima Cruce, ſignat ſe à capite ad pectus, vel quoniam Crux conſtat quatuor capitibus, & in medio ipſius ponitur Crucifixus, ideò Sacerdos: Quatuor ſignat res oblatas & vltimò ſignat ſe ad denotandum ipſum Chriſtum Crucifixum, in quo eſt ſalus, vita, & Redemptio noſtra.

DE CANONE MISSAE,

CAP. III.

1 Canõ Miſſæ, quid ſignificet.

SEcunda pars Miſſæ fidelium incipit à Canone vſque ad conſumptionem ſacramenti incluſiuè: Dicitur autem Canon, ideſt, regula, eſt enim veluti quædam lex, & regula Sacra Canonica, fixa, firma, & ſtabilis à Sacerdotibus celebrantibus inuiolabiliter obſeruanda in actione ipſius ſacrificij: Et talis Canon licèt non totus ſit de eſſentia Sacramenti conficiendi, niſi ſolùm in illis verbis, quæ ſunt forma Conſecrationis, tamen totus Canon eſt de neceſſitate præcepti, ità vt ſine culpa mortali omitti non poſſit: Ideòque maxima cùm attentione, & diligentia, ac deuotione recitandus eſt, ne nimis celeriter, quia ſi aliquid omitteretur ex illo, graue eſſet peccatum, nec etiam nimis tardè, ne mens tũc tali tardatione vagetur, & per hoc deuotio omittatur: Sed mediocritas obſeruanda eſt, quia in medio conſiſtit virtus, pro vt benè aduertit Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. cap. 47. §. 37.

Canon eſt de neceſſitate præcepti, & quomodò recitandus ſit.

Graff.

2 Canõ Miſſæ à quo, & quandò fuit inſtitutus.

Et talis Canon, ab ipſo exordio Eccleſiæ maxima cum pietate, & diligentia eſt inſtitutus, purus ab omni errore, ità vt nihil in eo contineatur, quod non maximam ſanctitatem, & pietatem redoleat, mentemque offerentium in Deum erigat, prout docet Sacrum Trid. Conc. ſeſſ. 22. cap. 4.

Concil. Trid.

3 Talis Canon conſtat, tum ex verbis ipſius Domini IESV, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum Pontificum pijs inſtitutionibus: Iſydor. autem lib. 1. Offic. dicit: Canonem Miſſæ ab Apoſtolo Petro initium habuiſſe non tamen totus eo modo, prout nunc habetur fuit ab ipſo Apoſtolo plenè compoſitus, & traditus, ſed ſucceſſu temporis paulatim perfectus eſt, poſterioribus Pontificibus aliquid addentibus, præſertim vſque ad Gregorium I. Pontificem Maximum, qui addidit particulam illam: (*Dieſque noſtros in tua pace diſponas*.) Ex quo tempore nullam nouam additionem accepit.

D. Iſydor.

Imò D. Auguſt. dicit, quod: *Quæ ſunt ità antiqua in Eccleſia, vt eorum initium, & auctor ignoretur ad Apoſtolicam traditionem eſſe referenda:* Cùm ergò Canon Miſſæ ſit huiuſmodi, ſaltẽ quò ad aliquas partes eius, ideò creditur ab ipſis Apoſtolis habuiſſe principium: Ità Suar. D. 83. ſect. 2. 4

Regula D. Auguſt.

Suar.

5 Scholaſticus compoſitor Canonis quiſnam fuerit, ſecundùm D. Greg.

Et quamuis Gregorius lib. 7. epiſt. 63. videatur dicere: Canonem Miſſæ fuiſſe compoſitum à quodam Scholaſtico: Quis verò fuerit talis ſcholaſticus non exprimit: Exiſtimant tamen multi Theologi: nomen ſcholaſtici eſſe nomen commune, ſignificans virum doctrina, & eruditione inſigni, & talem fuiſſe Gelaſium Papam, ſcholaſticum dictum, eo quod fuerit doctrina, & eruditione clariſſimus, qui Diuino fauente numine, ex ea quæ inſtituerunt prædeceſſores Pontifices ex traditione Apoſtolica ad formam illam perduxit: Ità Azor. p. 1. lib. 10. cap. 349. num. 12. Vocatur autem Canon Miſſæ totum id, quod in Miſſali legitur, ab illis verbis: (*Te igitur Clementiſſime*,) vſque ad conſumptionem ſacrificij, quæ fit, peracta communione,

Azor. Canon Miſſæ in quo conſiſtat.

6 Canon Miſſæ diuiditur in tres partes eſſentiales Miſſæ.

Diuiditur autem totus Canon in tres partes, quæ pertinent ad tres partes eſſentiales ſacrificij videlicet Conſecratio, oblatio, & conſumptio: Prima pars incipit ab illis verbis (*Te igitur*) vſque ad: *Hæc quotieſcumque feceritis*: Quæ omnia pertinent ad conſecrationem. Secunda pars Canonis incipit ab illis verbis; (*Vndè, & memores Domine*,) vſque ad orationem Dominicam excluſiuè, quæ omnia pertinent ad oblationem ſacrificij: Tertia pars incipit ab oratione Dominica, vſque ad conſumptionem ſacramenti incluſiuè, quarum quælibet pars continet tres orationes, vt dicetur.

Qualibet pars continet tres orationes.

7 1. Oratio incipit. à Te igitur.

Sacerdos igitur antequam incipiat primam orationem huius primæ partis Canonis Miſſæ: Extendens, ac iungens manus, eleuanſque ad Cœlum oculos, & ſtatim dimittens, profundè inclinatus ante Altare, & manibus ſuper eo poſitis, oſculatur illud in medio cũ omni affectu, & reuerentia ſuppliciter Deum ipſum orat dicens (*Te igitur Clementiſſime Pater*.

8 Quid ſignificent ſigna, & cæremonia quandò dicitur. Te igitur.

Hæc enim ſigna, & Cæremoniæ miſticè denotant orationes factas à Domino Ieſu in Horto in principio ſuæ Paſſionis, quandò, Subleuatis oculis in Cœlum, & profundè inclinatus orabat dicens: (*Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte*) *& factus in angonia prolixius orabat, quandò factus eſt ſudor eius, ſicut gutta ſanguinis, decurrentis in terram*, & ideò Sacerdos profundè inclinatus ad imitationem Chriſti, manibus ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in ſignum acceptationis Calicis paſſionis eius.

Matth. Marc. Luc.

9 Tria ſigna Crucis ſuper oblata, quid ſignificent.

Facit autem tria ſigna Crucis ſuper oblata propter trinam orationem ipſius Chriſti factam in Horto, vel quia Chriſti Paſſio, quaſi quibuſdam gradibus eſt peracta: Nam prima fuit Chriſti traditio facta à Deo ex nimia ſua Charitate; Secunda à Iuda propter auaritiam: Tertia à Iudæis propter inuidiam: Et hoc etiam ſignificare poteſt hæc trina Crucis ſignatio ſuper oblata: Ità D. Tho. 3. p. q. 83. A. 4. Gab. in Cano. Miſſæ lect. 21. & Suar. D. 83. ſect. 2. & alij multi.

D. Thom. Gabr. Suar.

10 Canon Miſſæ quare incipit à lit. T. Innoc. III.

Incipit autem Canon à Littera T. dicendo, *Te igitur*, quod ſecundum Innocentium Tertium non videtur ſine Diuina prouidentia factum, nam talis littera apud Hebræos, & Græcos appellatur Thau, quod interpretatur ſignum, & miſticè ſignificat myſterium Dominicæ Paſſionis, quæ repræſentatur in ſacrificio Miſſæ, cuius actio fit in Canone.

11 Quare I. oratio dirigitur ad Patrẽ.

Dirigit ergò Sacerdos orationem, & actionem iſtam ad ipſum Deum Trinum, & vnum, à quo cuncta bona procedunt, ſpecialiter autem nominat perſonam Patris, iuxta Eccleſiæ conſuetudinem, vt commodè poſſit per Chriſtum Filium eius oratio fieri, iuxta doctrinam Conc. Trid. & ad ſeruandam formam orationis à Chriſto traditam, dicente in Euangelio Ioan. cap 6. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Nec propterea excluduntur ab oratione Filius, & Spiritus ſanctus. Nam propter eſſentiæ vnitatem ſub vna perſona aliæ etiam intelliguntur in his, quæ de ſe communia ſunt.

Concil. Trid. — Ioan. cap. 6. — Sub nomine Patris non excluditur aliæ perſonæ Diuinæ.

12 Pater in Diuinis dupliciter accipitur eſſentialiter & notionaliter.

Nam ſecundùm Theologos Pater in Diuinis dupliciter accipi poteſt, eſſentialiter videlicet, & notionaliter. Primo modo, ideſt, eſſentialiter, tribuitur toti Trinitati, & ſingulis perſonis, tam coniunctim, quã diuiſim, ſicut cætera nomina eſſentialia, quæ de ſingulis perſonis in omnibus ſimul in ſingulari numero prædicantur: Ideò quandò dicitur: *Te igitur Clementiſſime Pater:* Ly Pater accipitur eſſentialiter, non autem notionaliter, tamquam generans, quę proprietas tantùm conuenit primæ perſonæ, non autem aliis, ideò, &c.

13 Explicatio Canonis.

Capta igitur beneuolentia ipſius Patris, quæ fit per illud verbum: *Te igitur Clementiſſime*: Et cõmemorato etiã mediatore, cuius merito oratio noſtra acceptabilis redditur in illo verbo: *Per Ieſum Chriſtum filiũ tuũ Dominum noſtrum*. Inſinuato denique ſupplicandi affectu, quo mens orantis in ſublimè tollitur, in illo verbo, *Supplices te rogamus, ac petimus*.

14 Vti accepta habeas, & benedicas.

Sequitur expreſſio eorum, quæ à clementiſſimo Patre obtineri deſiderantur: quæ duo ſunt: primum, vt grata ſint offerenda munera: ſecundum, vti fiant ſacrificia idonea, & accepta ipſi Deo: Ideò ait: *Vti accepta habeas, & benedicas*, ideſt placita tibi ſint, & grata hæc dona, & munera noſtra, quæ modò panis ſunt, & vinum, terrena quidem, & à terrenis tibi oblata, idcircò diuinæ maieſtati tuæ indigna: Tamen quia per filium tuum, vt à nobis iugiter offerãtur ſunt inſtituta: Petimus, vt in honorem Vnigeniti, & dilecti filij tui hæc dona accepta habeas, & benedicas, vt placita ſint Diuinæ maieſtati tuæ.

15 Quare dicitur dona, munera, & ſacrificia.

Dicitur autem: *Hæc dona*, quia nobis à Deo ſunt donata, quæ dicuntur in plurali propter diſtinctionem, & pluralitatem materiæ panis, & vini: ideoque appellantur: *Dona, munera, & ſacrificia*, & quia de manu eius accepimus, & pro vt poſſumus illi redonamus, & quia in eius obſequio ſunt conſumanda.

16 Sancta, & illibata.

Et hac ratione appellantur: Sacrificia per anticipationem, quia ſunt materia, ex qua conficiendum eſt Sacrificium, & eodem modo dicuntur *Sancta*, quia Deo dicata, & per conſecrationem ipſo ſanctificanda ſunt: Dicuntur *Illibata*, ideſt pura, & immaculata ad differentiam veterum ſacrificiorum, quæ libaminibus indigebant, vt immolarentur. Ità Gabr. in Can. Miſſæ lect. 21.

Gabr.

17 Notandum.

Hic tamen eſt aduertendum, quod per hæc dona, pro vt modo coram Deo proponuntur, vt talia ſunt nihil petitur, ſed potius petitur, vt ea ità acceptare, & benedicere dignetur, vt per eorum ſanctificationem ea concedat, quæ poſtulantur.

18 Orat celebrãs pro Eccleſia, Papa, Epiſcopo, & Rege.

Quapropter Sacerdos in hac prima oratione, quæ eſt primæ partis Canonis: orat primo loco pro Eccleſia ipſa in communi, vt eam Dominus pacificare, regere, & gubernare dignetur: ſecundò ſpecialiter orat pro Papa, deindè pro Epiſcopo in cuius Diœceſi Sacerdos tunc celebrat, ac pro Imperatore, ſiuè pro Rege in locis, ac Prouincijs, quæ in eius imperio, & iuriſdictione eſt celebrans: pro vt docent Innocentius III. & Azorius 1. p. lib. 10. c. 34. q. 13. Poſtremum orat pro omnibus Orthodoxis in communi, cæteriſq; omnibus fidei cultoribus.

Innoc. Azor.

19 Et pro omnibus orthodoxis, & fidei cultoribus.

Et quamuis idem ſint Orthodoxi, & fidei cultores, non eſt tamen verbum ſuperfluum, ſed additur ad animi affectum plenius, ac vehementius exprimẽdum, augendum, & amplificandum; prout dicit Azor. loc. citat.

20 Põtifex quomodò dicit hanc orationem.

Quandò autem Summus Pontifex celebrat non poteſt mentionem ſui facere in canone ſicut cæteri Sacerdotes, ſed eius loco dicit: *Adhuc obſecramus te Domine pro me, qui ſum nihil*. Atque p. ò omnibus Orthodoxis, non enim Pontifex ſuimet aliter mẽtionem facere poteſt, vt patet ex Pontificali: Idem etiam facit Epiſcopus pro ſe, &c.

21 Obiectio, ſiuè dubitatio.

Sed dicet aliquis: Quid neceſsè eſt, Benedictionem munerum poſtulare, cùm talis benedictio in conſecratione conſiſtat, quæ non eſt nunc, ſed infallibili lege ex verborum efficacia perficienda eſt infallibiliter,

22 Solutio. D. Thom.

Reſpondetur ex D. Thom. 3. p. quæſt. 83. A. 4. ad 7. primò: Non eſſe inconueniens petere à Deo, id, quod certiſſimè ſcimus eum eſſe facturum, vt noua ratione, ac titulo promereamur: Secundò poſſe aliquandò conſecrationem impediri, vel per intentionem Sacerdotis, vel per defectum formæ, vel per aliquod accidens ſuperueniens, impediens conſecrationem faciẽdam, & tertiò maximè ad rem. In his orationibus nõ tam poſtulari effectum conſecrationis per verbum, quam effectum ipſius ſacrificij in his, pro quibus offertur: Et ità in hac oratione petimus, vt Deus acceptet, & benedicat hæc dona ad totius Eccleſiæ fructum, & vtilitatem: Et iſta eſt prima oratio huius primæ partis Canonis.

23 Secũda Oratio eſt Memento.

Secunda pars continet: ſpecialem commemorationem viuorum, & incipit ab illo verbo: *Memento Domine*, vſque ad illud; *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ*. Sacerdos ergò in hac parte, & in hac ſecũda oratione iungit manus ante faciem in ſignum eleuationis mentis in Deum, & ſic aliquantulum orat ſiuè mentaliter, ſiuè vocaliter, pro vt voluerit pro illis, quibus ſpecialiter orare intendit.

24 Memento in Miſſa quomodò faciẽdum.

Sed hic eſt aduertendum, ſacerdotem in hoc, non debere eſſe nimis moroſum, ne tædium faciat circumſtantibus, & aſſiſtentibus, ſed aliquantulum ipſum Deum cum affectu, & deuotione deprecare pro illis, pro quibus orare intendit; dicendo breuiter: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum ſpecialiter illorum, pro quibus ante Miſſam orare propoſui, pro quibus ſcis, vis & teneor orare*.

25 Et omnium circumſtantium.

Et tunc iterum manibus extenſis proſequatur dicens: *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides nota eſt*; In hac enim oratione Sacerdos ſufficiẽter orat pro omnibus aſſiſtentibus ſacrificio Miſſæ ſecundùm eorum fidem, & deuotionem, quæ ipſi Deo manifeſta eſt, & ſpecialiter pro illis, qui eius curæ, aut deuotioni peculiariter commiſſi ſunt, tum etiam pro his, qui cum ipſo offerunt: Et petit pro illis ſpiritualia, & temporalia bona ſecundùm eorum neceſſitates.

26 Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

Sed hic quæritur primò, quid ſignificent verba illa, quando dicit: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.*

Reſpondetur quod, quandò dicitur: *Pro quibus tibi offerimus*, intelligitur de illis, qui nihil ad hoc ſacrificium

ficium contulerunt, nihilque de hoc ſacrificio cogitauerunt, ac proindè pro illis offertur ſacrificium; non autem ipſi offerunt: Quandò autem dicitur; *Vel qui tibi offerunt*, intelligitur de illis, qui aliquid ad ſacrificium contulerunt, vel quia Eleemoſynam erogauerunt, aut ſacrificio præſentes adſunt, & mente offerunt, aut ad rem Diuinam faciendam aliquo modo concurrunt.

27 Pro redemptione Animarum ſuarum.

Secundo modo. Quæritur quomodò intelliguntur verba illa: *Pro redemptione animarum ſuarum:* Quomodò enim redemptionem petimus, quæ copioſè eſſ. ƈta eſt in paſſione ipſius Chriſti?

Redemptio quoad ſufficientiam, & efficaciam.

Reſpondetur: Celebrantem non petere illis verbis redemptionem, quò ad ſufficientiam, ſed quò ad efficaciam.

28 Et hoc Quatruplicitet, primò quò ad remiſſionem culparum per infuſionem gratiæ iuſtificantis: Secundò quò ad remiſſionem pœnæ per peccatorum Indulgentiam: Tertiò quò ad perſeuerantiam in gratia, vt Deus non permittat iterum delinquere: Quartò denique quò ad conſecutionem gloriæ, in qua eſt conſumata redemptio.

29 Tibique reddunt vota ſua.

Additur tandem: *Tibique reddunt vota ſua:* quæ quidem vota ſunt Sancta deſideria, ſeu propoſita piæ deuotionis, ac etiam ipſamet ſacrificij oblatio, quæ Deo potius reddere, quam donare dicuntur, quia per Diuinam gratiam illa accepimus à Deo, & ipſi reddimus, ſecundùm illud Pſalm. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Ità Gabr. in Can. Miſſæ lect. 29.

Pſalm. 65. Gabr.

Tertiò quæritur. Quid ſignificent verba illa, quæ dicuntur infra actionem: *Communicantes, & memoriam celebrantes?*

30 Communicantes, quid ſignificet.

Reſpondetur: Totam hanc orationem eſſe vnam, vnoquè contextu legendam, ità vt ſenſus ſit: *Tibi reddunt vota ſua Aeterno Deo, viuo, & vero, communicantes*; vel inter ſe tanquam membra corporis tui, cùm Sanctis tuis per ſocietatem, & coniunctionem, quam cum illis habent, quorum propterea memoriam venerantes per eorum interceſſionem exaudiri petunt.

31 Sancti interceſſores, qui nominantur in Canone, qui ſunt.

Numerantur autem, & nominãtur ſpecialiter Beata Virgo Maria, & duodecim Apoſtoli, & duodecim Martyres, & reliqui omnes in communi per illa verba: *Et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis, & interceſſione exaudiri poſcimus.*

3. Oratio. 32 Hanc igitur oblationem.

Tertia Pars huius primæ partis Canonis continet tertiam orationem, quam Sacerdos dicit, tenens ambas manus expanſas ſuper oblata, dicendo: *Hanc igitur Oblationem ſeruitutis noſtræ.*

Tria petit celebrans in hac oratione.

In hac ergò oratione Sacerdos tria petit: Primò acceptationem Oblationis, & ſacrificij faciendi, ideòque dicit: *Quæſumus Domine, vt placatus accipias hanc oblationem.* Secundò petit ſacrificantibus, & offerentibus commoda, ac vtilitates temporaliter, & æternaliter, & ideò dicit: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione, &c.* Tertiò petit perfectionem ſacrificij ad finem principalem intentum, quæ eſt conſecratio rei oblatæ per tranſubſtantiationem, quandò dicit: *Quam oblationem tu Deus benedictam, &c.*

33 Prima pars iſtius orationis quomodò intelligẽda.

Quàpropter eſt Primò Notandum: quod: Prima pars iſtius orationis taliter eſt intelligenda: Quæſumus Domine, vt per interceſſionem Beatæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum, & Martyrum tuorum, ſupra nominatorum, & per mortem Vnigeniti filij tui, quæ in hac oblatione ſacrificij incruenti repræſentatur: vt placatus accipias oblationem noſtram ſeruitutis noſtræ, non perſiſtendo in ipſo pane, & vino, prout modò ſunt oblata, ſed in ordine ad eorum cõſecrationem, per quã Chriſtus Dominus verè ſacrificatur, & incruenter offertur ſub illis ſpeciebus conſecratis.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

34 Seruitutis noſtræ quomodò intelligitur.

Et propterea hæc oblatio dicitur: *Seruitutis noſtræ*, quæ ſeruitus per Anthonomaſiam intelligitur adoratio Latriæ, quæ ſoli Deo tribuitur, & debetur in ſignum Diuinæ excellentiæ, cui ſoli poteſt, & debet Sacrificium offerri per obligationem noſtræ ſeruitutis. Additur etiam: *Sed & cuncta familia tua*, ideſt omnium fidelium Chriſtianorum, tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quàm ſæculari: omnes enim fideles ad Chriſti pertinent familiam, & habent hanc obligationem ſeruitutis.

35 Dieſque noſtros in tua pace diſponas.

Secundò: In hac oratione petit Sacerdos, *Vt Deus ipſe dies noſtros in ſua pace diſponat*, Primò: cum ipſo Deo per obſeruantiam ſuæ ſanctiſſimæ voluntatis: ſecundò cum hominibus, diligendo omnes propter Deum; & Tertiò nobiſcum propter pacem corporis cum ipſa Anima abſque vlla rebellione ſenſuum contra rationem, & ità tota vita noſtra temporalis huius virtute ſacrificij faciendi, fit in pace, & ſancta concordia, ſecundum ipſius Domini voluntatem.

36 Pro ſalute Animarum ſuarum.

Petit inſuper pro ſalute animarum ſuarum: vt videlicet ipſemet Deus huius ſacrificij oblatione placatus liberet oſſerentium animas, omniumque fidelium Chriſtianorum ab æterna damnatione, perducendo nos, & illos ad æternam beatitudinem in numero electorum ſuorum.

37 Dubium de numero electorum.

Sed dicet aliquis: Si in numero electorum nemo additur, quin fuerit ab æterno prædeſtinatus: Quomodò petit Sacerdos, vt omnes de Chriſti familia numerentur in numero electorum prædeſtinatorum?

Solutio. Dupliciter intelligi poteſt primò ſecundum præſentem iuſtitiam. D. Auguſt. D. Ambr. 2. Intelligentia.

Reſpondetur: Hoc dupliciter poſſe explicari: vel ſecundùm præſentem iuſtitiam, hoc eſt, vt habeamus gratiam, quam habentes electi dicimur, ſecundum illud D. Auguſt. dicentis: *Si non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris:* & ſecundùm illud Diu. Ambroſij: *Si tu noueris mutare vitam, nouerit Deus mutare ſententiam*, eo modo, vt dictum eſt ſupra. Vel ſecundò exponi poteſt. Non intelligere ſacerdotem, vt de nouo adſcribamur inter prædeſtinatos, ſed quod Deus concedat nobis, vt virtute ſacrificij huius, & mediante oratione placatus, cum electis, & Beatis numeremur, & aſſociemur in æterna gloria, & beatitudine.

38 Quam oblationem tu Deus.

Tertiò in hac oratione petit Sacerdos perfectionẽ ſacrificij quantum ad finem principalem, qui conſiſtit in conſecratione rei oblatæ per tranſubſtantiationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Ieſu: & Ideo iungit manus in ſimilitudinem Moyſis quandò orabat, dicens: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, &c.* quaſi dicat.

39 In omnibus benedictam.

Domine Deus noſter, qui es omnia in omnibus per potentiam, eſſentiam, & præſentiam ſine vlla tui diuiſione, ſiuè loci circumſcriptione exiſtens in membris, & Animabus noſtris interius exteriuſque per tuã infinitam virtutem, ac immenſitatem in omnibus: ideſt in omnibus modis, & omnimodè pro omnibus offerentibus ſit benedicta, quæ benedictio fiat per conſecrationem in omnibus hoſtijs, & rebus in hoc ſacrificio oblatis.

40 Alia intelligentia.

Vel in omnibus ideſt pro omnibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, nullum ab oratione noſtra excipiendo, & ideò petimus, vt oblatio iſta noſtræ ſeruitutis ſit in omnibus benedicta, ideſt conſecrata, quæ eſt perfecta benedictio in omnibus modis.

41 Adſcriptam.

Adſcriptam, ideſt Diuina virtute, & quaſi nomine tuo ſanctiſſimo ſubſcripta, & quaſi manu propria firmata, definita, ac ſtatuta, vt per eam nobis propitius fiat, ideòquè ſit deſcripta, & numerata in his, quæ tibi Deo maximè placent, & ideò additur.

42 Ratam.

Ratam, ideſt vera firma, & ſtabilis: non enim eſt vera hæc ſacrificantis oblatio, niſi conſecratio ſit valida, efficax, & rata, ideſt firma, & ſtabilis, ac perpetua:

nam corpus Chriſti, quod immolatur perpetuum eſt.

43 *Rationabilis.*

Additur etiam: *Rationabilis*, ideſt ſit rationabilis hoſtia, quia Chriſtus Dominus eſt æterna ſapientia, & ratio ipſa infinita, & ſic per eamdem tranſubſtantiationem fiat oblatio noſtra tibi Deo acceptabilis, non ex parte, & dignitate offerentium, quia nihil ſumus, & indigni famuli tui: ſed ex ipſa re oblata, quæ gratiſſima tibi eſt, & maximè accepta.

44 *Vt nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui.*

Et ideò additur: *Vt nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi Filij tui*, de quo dixiſti Domine: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Quàpropter Sacerdos quandò hæc dicit eleuat, ac iungit manus, quaſi cum affectu, & reuerentia, ac deuotione ipſum Dominum Ieſum brachijs ad ſe ſtringere deſideret deuotiſſimè, & amplecti cum omni affectu, & reuerentia.

45 *Quare extēdit celebrans manus ſuper oblata.*

Notandum autem, quod: In hac oratione: primò Sacerdos extendit manus ſuas, eaſque expanſas tenet ſuper oblata, & per hoc miſticè ſignificatur Diuina protectio, & ordo myſterij Chriſti ſacratiſſimæ paſſionis; quandò Iudæi acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum, & ligauerunt.

46 *Quare quinquies hic ſignat oblata.*

Et poſteà iungit manus, & ſignat quinquies oblata ſigno Crucis ad memoriam quinque adductionum Chriſti ante Præſides, & Pontifices Iudæorum, vt eum morti traderent: primò: ad Annam, ſecundò ad Caipham, tertiò ad Pilatum, quartò ad Hærodem, & quintò iterum reduxerunt eum ad ipſum Præſidem Pilatum, à quo fuit flagellatus, & morti condemnatus: vel ad denotanda quinque myſteria Sacratiſſimæ paſſionis; Videlicet, ſudorem ſanguinis in horto, flagellationem acerbiſſimam, Coronationem ſpinea Corona: Portationem Crucis ad montem Caluarium: & Crucifixionem ipſius Chriſti: quàpropter Sacerdos ſignat ter ſuper oblata, & ſemel ſuper hoſtiam, & ſemel ſuper calicem.

Alia expoſitio miſtica.

47 *De vltima huius Canonis Parte. Qui pridiè quam pateretur.*

Vltima autem pars huius primæ partis Canonis, in qua agitur de principali parte Canonis, & huius ſacrificij, quæ eſt conſecratio rei oblatæ: incipit ab illa particula: *Qui pridiè, quam pateretur*, vſque ad illam: *Hæc quotieſcumque feceritis* incluſiuè: Diuiditur autem iſta pars in duas partes principales: In quarum prima ponitur conſecrationis modus circa corpus: In ſecūda modus conſecrationis circa ſanguinem Chriſti conficiendum.

48 *Quatuor tāguntur in iſtis verbis.*

In prima ergò parte ſunt verba illa: *Qui pridiè, quā pateretur*, quæ ſubdiuiditur in quatuor particulas: In prima tangitur tempus, & hora Sacramenti huius inſtitutionis: In ſecunda tranſubſtantiationis terminus à quo, qui eſt cauſa efficiens, & terminus ad quem, quę eſt materia ex qua, ideò dicitur: *Accepit panem in ſanctas, &c.* In tertia ponitur modus, & circumſtantia huius ſacratiſſimæ tranſubſtantiationis, quandò dicitur; *Eleuatis oculis in cælum*. In quarta tangitur inſtitutionis finis, & ratio motiua quandò dicitur: *Fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate.*

49 *Primò deſignatur tempus, & hora inſtitutionis Sacramenti.*

In prima ergò particula deſignatur tempus, & hora Inſtitutionis Sacramenti: Fuit enim tempore paſſionis ſuæ in ipſa nocte, qua tradebatur, & paſſurus erat ſequente die mortem acerbiſſimam, vt nos redimeret ab omni iniquitate pretioſiſſimo ſanguine ſuo, ideò dicitur; *Qui pridiè quàm pateretur.*

50 *Secundò, aſſignatur materia remota Sacramenti. Adoratio Latria, dicitur Θ'εοσέβεια.*

In ſecunda particula oſtēditur remota materia Sacramenti corporis, quæ eſt panis, *Vt cibaret nos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturaret nos*: Ideòque dicitur, *Accepit panem in ſanctas*, ideſt ſanctificantes, & venerabiles manus ſuas, propter vnitam Deitatē manibus, propter quam ſumma veneratione adorabiles ſunt adoratione Latriæ, quæ dicitur Θ'εοσέβεια, ideſt Dei cultus: vt actu Diuinarum manuum ſuarum pani materiali vim Sacramentaliter conferret, ideſt in materiam huius Sacramenti deputaret.

51 *Tertiò, deſignatur modus inſtitutionis Sacramenti.*

In tertia particula deſignatur modus Sacramenti huius inſtitutionis; & ideò eleuatis oculis in Cęlum ad Deum ſuum, ſecundùm humanitatem, Patrem, ſecundùm Diuinitatem, Omnipotentem per Deitatis infinitatem, quæ eſt pelagus infinitæ ſubſtantiæ, in quo oſtenditur arduitas actionis; *Et ipſi Deo gratias agens benedixit*: & in hoc dignitas, & excellentia Sacramenti huius deſignatur, quæ ſanctificata eſt ab ipſo Deo.

52 *Quartò. deſignatur cauſa motiua inſtitutionis Sacramenti. Ioan. c. 13.*

In quarta particula, deſignatur cauſa finalis motiua huius inſtitutionis Sacramenti: fuit enim vt oſtenderet ſuum Diuinum amorem & charitatem, quàpropter Ioan. Euang. c. 13. dixit: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in fine dilexit eos*, quandò dedit illis carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum, vt Diuinitatis ſuæ tribueret nos eſſe participes: & ideò fregit panem, deditque diſcipulis ſuis dicens, *Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum.*

53 *His pronunciatis, celebrans induit ſe perſona Chriſti.*

Præmiſſa igitur Sacramenti huius inſtitutione, quātum ad tempus, materia, & modo, fineque, ac ratione motiua facta à Chriſto, in quibus quatuor particulis ſupra dictis Sacerdos recitatiuè repræſentat, quod Chriſtus Dominus fecit in Cœna, quandò Sanctiſſimum hoc Sacramentum inſtituit, In quibus actionibus Sacerdos induit ſe perſona Chriſti.

54 *Verba conſecrationis proferuntur in perſona Chriſti effectiuè.*

Tunc maxima reuerentia in perſona ipſius Chriſti profert verba conſecrationis, non ſolùm recitatiuè, verùm etiam formaliter, & effectiuè, dicendo verba Chriſti: (*Accipite & comedite: Hoc eſt enim corpus meū.*) Et cùm huiuſmodi verba ſint efficacia in vltimo inſtāti prolationis, Diuina virtute operante, efficitur immediatè tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti: *Quoniam ipſe dixit, & factum eſt, ipſe mandauit, & tranſubſtantiatum eſt*: Ideòque Sacerdos prolatis verbis conſecrationis, ſtatim conſecratam Hoſtiam genuflexus adorat, & ſurgens eleuat, & oſtendit populo adorandam.

55 *Eleuatio SS. Sacramenti, quid ſignificet.*

Et in hoc repræſentatur ad viuum myſterium paſſionis Chriſti, quandò ipſemet Chriſtus Crucifixus eleuatus eſt è terra, & poſitus fuit in ſignum ante conſpectum totius multitudinis, & ideò maxima cum reuerentia lacrymis, & affectu eſt adorandus Chriſtus Dominus Crucifixus ſub illis accidentibus conſecratis mirabiliter exiſtens.

56 *Simili modo poſtquam cęnatum eſt.*

Deindè Sacerdos, repoſita Hoſtia conſecrata ſuper corporale, iterum genuflexus adorat: Et ſequitur dicendo: *Simili modo poſt quam*, & profert verba conſecrationis ſanguinis ſuper calicem, dicendo: *Hic eſt enim Calix ſanguinis mei*, vſque ad finem, & facta conſecratione, iterum genuflexus adorat, & oſtendit populo adorandum eodem modo, vt ſuprà.

Quid autem ſignificent verba formæ vtriuſque ſpeciei, & quomodò Chriſtus maneat ſub illis ſpeciebus, & reliqua, quæ dicenda eſſent de hoc myſterio, iam dicta, & explicata ſunt à nobis ſupra in tractatu 3. huius Sacramenti c. 1. & 2. & tract. 4. c. 1. 57

Vbi de forma Sacramenti, & de Chriſti reali præſentia in Euchariſtia, & quomodò ſub illis accidentibus maneat Chriſtus realiter præſens totus in tota: & totus in qualibet parte indiuiſibiliter, ideò hic non amplius ſunt repetendæ: Ideòque iſta ſufficiant de prima parte principali Canonis Miſſæ, in qua conſiſtit prima pars principalis ſacrificii, in qua efficitur conſecratio vtriuſque ſpeciei. 58

DE

DE SECVNDA PARTE CANONIS *Miſſæ poſt Conſecrationem.*

CAP. IV.

1 *Tertia Pars Canonis: Et ſacrificij eſt oblatio ipſius ſacrificij. Tres orationes continētur in hac 2. p. Canonis.*

POſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei ſequitur ſacrificij oblatio, quæ incipit ab illis verbis: *Vndè & memores Domine nos*, vſque ad orationem Dominicam excluſiuè: Et hæc eſt 2. pars eſſentialis Canonis, in qua Sacerdos facit oblationem ſacrificij: & in hac 2. parte Sacerdos tres alias facit orationes, quarum prima incipit ab illis verbis: (*Vndè, & memores Domine*) vſque ad *Memento etiam Domine.*

2 Et quamuis oratio iſta videatur tripartita: eſt tamē vna ſimpliciter oratio: Omnes .n. illæ tres partes vnicam tantùm faciunt orationem, quaſi continuatā, quę illis verbis concluditur: *Per Chriſtum Dominum noſtrū:* 2. orat pro defunctis, quando dicit; *Memento etiam Domine:* & concluditur quandò dicitur: *Per Chriſtum Dominum noſtrū.* 3. & vltimo orat etiam pro viuentibus, quandò dicit: *Nobis quoque peccatoribus* vſque ad concluſionem, quandò dicit clara voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum.*

3 *Exponitur 1. p. iſtius orationis: Vndè & memores.*

In prima ergò oratione dicit Sacerdos; *Vndè & memores Domine,* quaſi dicat: O Pater Clementiſſime, Vndè, idelt ex quo Chriſtus Filius tuus vnigenitus voluit, vt iſta in ſui memoriam faceremus, quæ ipſemet benigniſſimus Ieſus in ſua vltima Cœna inſtituere, & facere dignatus eſt: Nos ſerui tui indigni Sacerdotes, quibus ipſe Dominus Ieſus hanc dedit poteſtatem, licèt immeritis, &c.

4 *Sed & plebs tua ſancta.*

Sed & plebs tua Sancta ideſt tota familia Chriſtiana, quę dicitur Sancta, quia eſt Sanctiſſimis Sacramentis imbuta, & fide, & charitate donata, & Baptiſmi ſuſceptione Sanctificata, atq; ſanguine pretioſſimo Vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti abluta: Memores, ideſt in memoriam eiuſdem, & myſteriorum paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis eius, quoniā ipſemet Dominus nobis præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Memores.

5 *Offerimus Diuinæ maieſtati tuæ. De tuis donis, ac datis.*

Quàpropter: nos de tua benignitate, & clementia confidentes: *Offerimus Diuinæ maieſtati tuæ. Hæc munera de tuis donis, ac datis.* Nam panis, & Vinum, quæ à nobis pro hoc ſacrificio faciendo fuerunt oblata in præparatione ſacrificij, à te Clementiſſimo Patre donata ſunt nobis, & nos iterum, quæ tua ſunt, & à te accepimus reddimus tibi, non vt talia ſunt, ſed quatenus ſub illis ſpeciebus conſecratis modo ineffabili continetur Vnigenitus Filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui nobis à te amantiſſimo Patre datus eſt prius in redemptionem, poſteà in Euchariſtiam: ideòque hæc oblatio eſt Sancta, pura, & immaculata.

6 *Hoſtiam puram, sāctum, & immaculatam.*

Dicitur ergò: *Hoſtia pura* quantum ad Deitatem, quæ eſt lux puriſſima, & vera lux quæ omnia illuminat, innò in lumine eius videbitur lumen Diuinitatis ſuæ. Dicitur *Hoſtia Sancta,* quò ad animā ipſius, omni gratia, & sāctitate plena, de cuius plenitudine omnes nos accepimus gratiam: Dicitur etiam *Hoſtia immaculata,* quantum ad carnem de puriſſima Virgine Sancti Spiritus operatione concepta, ideòque omni naturali corporis perfectione decorata.

7 *Panem Sanctum vitæ æternæ.*

Additur: *Panem Sanctum vitæ æternæ:* quia in ſe panis eſt Angelorum, confirmans manducantem in vitam æternam: *eſt enim panis vitæ, qui de Cœlo deſcendit; nam qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

8 *Et Calicem ſalutis perpetuæ.*

Additurque tandem; *Et Calicem ſalutis perpetuæ,* dicitur ergò Calix perpetuæ ſalutis, in quo eſt potus inebrians ſanguinis Chriſti perpetuæ ſalutis cauſatiuus. quàpropter ob reuerentiam, & deuotionem augetur, & laudatur digniſſimis encomijs, dicendo: *Hoſtiam puram, Hoſtiam Sanctam, Hoſtiam immaculatam, panē Sanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ:* Quæ verba poſita videntur ad imitationem Apoſtoli ad Rom. c. 12. dicentis: *Hoſtiam viuentem Sanctam Deo placentem, &c.* *Rom. c. 12.*

9 *Quinquies ſignantur oblata, & quid ſignificent.*

Notandum autem, quod: Dum Sacerdos iſta dicit quinquies facit ſignum crucis ſuper oblata in memoriam quinque plagarum Chriſti, quas in Crucis patibulo pro nobis habuit, quarum cicatrices retinuit, etiā poſt glorioſam reſurrectionem in memoriam, & recordationem noſtram: quàpropter dixit per Iſaiam c. 49. *Ecce in manibus meis deſcripſi te.* *Iſaia c. 49.*

10 *Supra quæ propitio, ac ſereno vultu. Sacrificium Abel, Abrahæ & Melchiſedech in figuram.*

His ergò dictis proſequitur Sacerdos ſecundā partem iſtius orationis, dicens: (*Supra quæ placido, ac benigno vultu aſpicere digneris.*) In qua poſtulat, quod Deus acceptare dignetur ſacrificium, & oblationem iſtam, quemadmodum dignatus eſt reſpicere, & acceptare ſacrificium illud, quod in ipſo mūdi exordio obtulit ipſi Deo Abel iuſtus, ac etiā ſacrificium Abrahæ Patriarchæ: quæ ambo ſacrificia fuerunt ſingulares figuræ ſacrificij cruenti ipſius Chriſti, in Cruce oblati. Ac etiam Sacrificium Melchiſedech, qui etiam in figuram huius ſacrificij incruēti panem, & vinum obtulit.

11 *Sanctum ſacrificium, immaculatā hoſtiam.*

Additur (*Sanctum ſacrificium, Immaculatam Hoſtiā*) Vndè ſi iſta verba referantur ad ſacrificiū hoſtię conſecratę referenda ſunt, & coniungenda cum illis prioribus, adeò vt ſit ſenſus: Et accepta habere digneris Sanctum hoc ſacrificium, immaculatam hoſtiam, ſicut accepta habere dignatus es, &c. Hoc enim per ſe Sanctum eſt, & immaculatum, quatenus conſideratur ex parte rei oblatæ, qui eſt Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus conſecratis inuiſibiliter latens.

12 *Supplices te rogamus. Tria difficilia præpoſitus in hac oratione.*

Additur tandem in hac 3. parte huius orationis: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui.* In quibus verbis tria difficilia occurrunt explicanda primum quia peti videtur, vt Chriſtus Dominus manibus Angelorum deferatur in Cœlum: ſecundùm quia videtur Sacerdos aliquod altare in Cęlo collocare: & tertium quia poſtulat, vt deferatur in Cœlum, quod ipſe ſtatim eſt conſumpturus, & recepturus per communionem.

13 *Solutio difficultatis. Angeli preces noſtras Deo offerūt.*

Reſpondetur: Hoc nō eſſe intelligendum materialiter, pro vt verba ſonant, ſed miſticè, ſpiritualiter, & metaphoricè, cōſtat enim, ex ſacra ſcriptura, pluribus in locis, nos Angelorum patrocinio iuuari, preceſque noſtras eorum miniſterio, & opera ad Deū deferri: ergò hoc intelligendū eſt de interceſſione, & deprecatione Angelici miniſterij: Petit ergò Eccleſia, vt Angeli ſancti ſacrificium, & oblationem noſtram deferant in Cœlum.

14 *Non ex parte rei oblatæ, ſed ex parte offerentis.*

Non quod intelligamus ab ipſis Chriſtum deferendum eſſe in Cęlum: Sed quod à nobis offertur, ipſi dignentur ad Deum deferre: Res enim, quæ offertur eſt Chriſtus Dominus, ac proindè non indiget miniſterio Angelorum, quo feratur in Cęlum: non ergò intelligitur ex parte rei oblatæ, ſed ex parte offerentis petitur Angelorum miniſterium, quod idem eſt, ac ſi diceretur: Fac omnipotens Deus, vt quod nos ex parte noſtra minus dignè offerimus, ipſi Angeli dignius tibi offerant, præſtando preces & oblationes noſtras ante conſpectum tuæ Diuinæ maieſtatis.

15 Non enim in Cęlo eſt altare materiale ex lapidibus confectum, ſed ſpirituale: Vel ergò pro altari intelligitur Thronus Diuinę maieſtatis, ante cuius conſpectum preces noſtras aſcendunt, ſicut dicitur in Apoc. 8. *Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli.* *Apoc. c. 18.*

16 Vel intelligitur ipſa Chriſti Domini humanitas ſanctiſſima, per quam vota noſtra Deo præſentātur: Vel etiam Cęlum Empyreum, quod non ſolùm altare, ſed

Suar. Azor. Gabr. etiam templum, & tabernaculum Dei eſſe dicitur. Ita Suarez tom. 3. D. 83. ſect. 2. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 35. q. 4. Gabr. in Can. Miſſæ lect. 55. & alij.

17 Vt quotquot ex hac altaris participatione.
Et ideò additur: *Vt quotquot ex hac altaris participatione*, hoc eſt per virtutem huius Sanctiſſimi Sacramenti, quod nos de tua miſericordia confiſi, licèt indigni ſumus ſumpturi, & per interceſſionem Angelorum tuorum, vel potius ipſiuſmet Ieſu Chriſti filij tui, qui eſt magni conſilij Angelus: *Omni benedictione Cæleſti, & gratia repleamur. Per eumdem Chriſtum, &c.*

18 Notandum. Quare celebrans hic ſignat corpus Chriſti, ſanguinem, & ſeipſum.
Notandum autem, quod in hac vltima parte iſtius orationis, quandò Sacerdos profert verba illa: *SacroSanctum Filij tui corpus*, ſigno ✠ crucis hoſtiam ſacram ſignat, non vt ipſam benedicat, ſed ad inſinuandos dolores acerbiſſimos, quos Chriſtus Dominus ſuſtinuit, pendens in Cruce conclauatus, 2. dicendo: *Et ſanguinem ſumpſerimus* iterum ſigno ✠ crucis ſignat calicem Sanctum, ad inſinuandam copioſam ſanguinis Chriſti effuſionem in Cruce factam: & 3. ſignat ſe ſigno ✠ Crucis à fronte ad pectus, applicando ſibi, & omnibus fidelibus effectum, & valorem pretioſiſſimi ſanguinis pro nobis effuſi, ideòque, dum ſignat ſe dicit (*Omni benedictione Cæleſti, & gratia repleamur. Per eumdem Chriſtum Dominũ noſtrũ.*)

19 Secunda Oratio ſit Memento pro defunctis.
In ſecunda parte huius ſecundæ partis Canonis facit Sacerdos ſecundam orationem, in qua orat pro fidelibus defunctis, & incipit ab illis verbis: *Memento etiam Domine*: & in iſta oratione duo facit, primò orat pro quibuſdam defunctis ſpecialiter, ſecũdò pro omnibus in Chriſto quieſcentibus generaliter: Dicit ergò primò: *Memento etiam Domine*: & quoniam iſta oratio ſolùm fit pro iuſtis in pœnis Purgatorij exiſtẽtibus. Et ideò dicitur fieri pro illis, qui nos præceſſerant ſigno fidei, & in Chriſto quieſcunt, & dormiunt in ſomno pacis: nam de iuſtis dicitur in Apoc. cap. 14. *Vt requieſcant à laboribus ſuis*: quia eorum mors, non propriè mors, ſed dormitio, & ſomnus appellatur.

20 Vbi poſtquam Sacerdos aliquorum defunctorum ſpecialiter memoriam facit, ſiuè mentaliter, ſiuè vocaliter, pro vt voluerit, breuiter tamen, ne tædium circumſtantibus faciat, dicere poterit, *Quorum ante Miſſam orare decreui, vel pro quibus ſcis, vis, ac teneor, &c.*

21 Memẽto defunctorum quomodò faciendum. Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus. Locum refrigerij, lucis, ac pacis.
Tunc disiungit manus, quas ante faciem iunctas orando tenebat, & dicit: *Ipſis Domine, quos ſpecialiter deſignaui, & omnibus in Chriſto quieſcentibus*, ideſt, in Fide, & confeſſione Fidei defunctis deprecamur, vt indulgeas, & concedas locum refrigerij, in quo non eſt ardor pœnarum, nec vlla afflictio Animæ: (*Lucis*,) ideſt, in quo non eſt obſcuritas tenebrarum, ſed ipſa lux inacceſſibilis tuæ Diuinæ viſionis: (*Et pacis*) non enim in tua gloria poteſt eſſe aliqua afflictio hoſtium, neque viſibilium, neque inuiſibilium, cùm ibi ſit vera pax, in qua Animæ fidelium in pace perfectiſſima requieſcunt.

22 Dubitatio.
Sed dicet aliquis: Quomodò oramus pro illis, qui dormiunt in ſomno pacis, & tamen ipſis precamur locum refrigerij, Lucis, ac pacis?

Solutio.
Reſpondetur, Nos orare pro omnibus, quorum peccata pœnis Purgatorij expiantur, ac proindè etiã pro ijs, qui dormiunt in ſomno pacis: ij enim pacem, & quietem habent, quatenus pro certo ſciunt ſe æternam fœlicitatẽ eſſe conſecuturos, & certiſſimè ſciunt ſe numquam amplius peccaturos: Optamus autem illis locum refrigerij lucis, ac pacis pleniſſimè, vt videlicet debitis pœnis perſolutis, ad ſempiterna gaudia introducantur.

23 Nobis quoq; peccatorib.
Proſequitur Sacerdos tertiam Orationem, quam facit in hac ſecunda parte Canonis, petens futuram gloriam pro omnibus fidelibus adhuc viuentibus, adiunctis Sanctorum memorijs, ac ſuffragijs: Quapropter Sacerdos manu dextera percutit pectus, & alta parum voce dicit: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*. In qua Oratione Sacerdos ipſum Deum deprecatur, vt nos miſeros peccatores in ipſius Dei miſericordia, & clementia ſperantes dignetur aſſociare in Cæleſti gloria cum Sanctis Apoſtolis, & Martyribus, omnibuſque Beatis, non reſpiciendo noſtra merita, eò quod ſerui inutiles ſumus, & infirmi, lutea vaſa portantes, ſed per ſuam infinitam bonitatem, & clementiam, qui vult omnes homines ſaluos fieri, virtute paſſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui redemit nos ab omni iniquitate.

Nominantur autem ſpecialiter quindecim Sancti Martyres tanquam quindecim auxiliatores, & interceſſores apud ipſum Deum, ex quibus octo ſunt de ſexu virili, & hoc propter octo beatitudines, in quibus denotatur ſumma fœlicitas, & perfectio: Et aliæ ſeptem Martyres de ſexu fœmineo ad inſinuanda ſeptem dona, & Chariſmata Spiritus Sancti, ſiuè ſeptem virtutes, quibus mediantibus peruenitur ad cæleſtem gloriam. 24 Quindecim Sancti Martyres nominantur in hac Oratione, & quid ſignificent myſticè.

In qua quidem Oratione dubitari ſolet primò, quare Ioannes dupliciter in Canone Miſſæ nominatus eſt, primò ante conſecrationem, & ſecundò hic poſt conſecrationem. 25 Quare Ioannes dupliciter nominatus eſt in Canone.

Reſpondent aliqui, putantes in vtroque loco mentionem fieri de Ioanne Euangeliſta, & hoc propter ſingulare priuilegium Diuini amoris, & Virginitatis, & ideò hic cum Beato Stephano iterum nominatur. Solutio aliquorum.

Communis tamen opinio, & probabilior eſt, quod, In hac ſecunda nominatione, non Ioannes Euangeliſta, ſed Ioãnes Baptiſta præcurſor Domini intelligitur. 26 Communior ſententia.

Nominantur Ergò primo loco quatuor, duo quidem Apoſtoli: Matthias, & Barnabas, & duo Martyres, videlicet Ioannes Baptiſta, & Stephanus, ideòque cum præcedentibus ſequentia cohærent, dicendo: *Cum Sanctis Apoſtolis, & Martyribus Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba*. 27 Ioanne, Stephano, Mathia, Barnaba.

Vndè eſt aduertendum, quod in generali nominatione, Eccleſia rationem habuit dignitatis, poteſtatis, functionis, & officij, & ideò primò loco nominat Apoſtolos: In ſpeciali verò, habuit reſpectum ad ordinem Martyrij, & non ad officij dignitatem. At quoniam Ioannes Baptiſta primus omnium Martyr occubuit, ideòque primo loco nominatus eſt, deindè Stephanus, qui etiam ante Matthiam, & Barnabam Martyr effectus eſt, lapidatus à Iudæis pro Chriſti nomine: Et ideò poſtea nominantur Matthias, & Barnaba Apoſtoli, & Martyres. 28 Quare Stephanus præfertur Apoſtolis in hac oratione.

Qui quidem ordo etiam obſeruatur in nominatione Sanctarum mulierum: Primò enim nominantur Perpetua, & Fœlicitas, poſteà verò aliæ Virgines, ſecundùm ordinem, & antiquitatem Martyrij, vt dictum eſt, Matthias verò priori Canone prætermiſſus eſt, & fortaſſe, quia ad Apoſtolatum poſt Chriſti Domini Aſcenſionem electus fuit, Paulus autem propter ſingularem prærogatiuam prius nominatus eſt cum Apoſtolo Petro, alijſque in prima commemoratione. 29 Perpetua, & Fœlicitas anteponuntur Virginibus. Matthias quare in 1. Canone prætermiſſus eſt.

Inquirere etiam aliquis poteſt: Quomodò dicatur Deus non æſtimator meriti in admittendis hominibus ad ſanctorum Societatem, & partem Beatitudinis, cum conſtet illam beatitudinem non dari, niſi ratione meritorum. 30 2. Dubitatio.

Reſpondetur. Ad conſortium Sanctorum obtinendum non ſolam gloriam, ſed etiam gratiam, & peccatorum veniam eſſe neceſſariam. Et totum hoc in iſta oratione poſtulatur: Ideò dicitur: *Non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte*, conſiderando itaque ipſum Deũ, vt largitor omniũ horum 31 Solutio. Non æſtimatur meriti ſed veniæ.

bonorum

Gratia non meretur, ſed gloria merétur gratia. Bonorum ideò dicitur: Non eſſe æſtimatorem meritorum: Nam licèt poſt collatam gratiam, & peccatorũ veniam æſtimet merita ad dandam gloriam, tamen gratiam ipſam dat ſine meritis proprijs: Per Chriſtum Dominum noſtrum.

32 Per quẽ hæc omnia Domine ſemper bona creas. Adduntur inſuper conſequenter ad commendandam Chriſti Domini excellentiam, & Maieſtatem, verba illa. (*Per quem hac omnia ſemper bona creas*,) quæ dicuntur de illa materia panis, & vini, ex quibus confectum eſt Sacramentum, ac primum dicitur: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hac bona ſigna*, videlicet panis, & vini, in quibus verè Christi Corpus, & Sanguis ſunt, quæ quotidiè per ipſum Chriſtum procreantur: (*Sanctificas*) ideſt, conſecratione, quia hæc dona ſanctificantur, & deſtinantur ad ſacrificium offerendum per conſecrationem. Sanctificas. Additurque (*Viuificas*) quia panis fit caro Chriſti viua, & viuificatiua, & vinum fit Sanguis ipſius Chriſti, vnitum Corpori Chriſti viuentis (*Benedicis*,) quia benedictionem, & efficaciam recipit ad ſpiritualia bona præſtanda: (*Et praſtas nobis*) quia totum hoc beneficium nobis collatum eſt, quia conſecrata ſunt, vt ea manducemus, & ità omni bonorum vbertate repleamur. Viuificas. Benedicis. Et præſtas nobis.

33 Tria ſigna Crucis hic, quid ſignificant. Dum autem Sacerdos iſta profert, ter ſignat oblata ſigno Crucis ✠ ad repræſentandas tres Orationes, quas Chriſtus Dominus in Cruce pendens fecit ad Patrem: Primam pro crucifixoribus, dicens: *Pater ignoſce illis*, Secundam: quandò dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Tertiam quandò commendauit ſpiritum ſuum ad Patrem, dicendo: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*.

34 Per ipſum. Proſequitur Sacerdos orationem iſtam dicens: *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo*, & hæc dicens, ter ſignat Calicem cum Hoſtia Conſecrata, faciens Crucis ſignum ✠ de labio ad labium Calicis. Et hæc eſt vltima concluſio iſtius Orationis Canonis, in qua Sacerdos reducit, quæ circa Corpus Chriſti Conſecratione acta ſunt in Chriſtum ex parte perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis in Sacramento operantium.

35 Exponitur ly Per ipſũ. Dicit enim primò (*Per ipſum.*) id eſt, Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum, & hominem, per quem omnia ſemper creas, & creata ſunt, eſt tibi Deo Patri, & Spiritui ſancto omnis honor, & gloria: Addit: (*Et cum ipſo*) ad ſignificandam concomitantiam, & æqualitatem adorationis, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, ſimul adoratur, & conglorificatur: (*Et in ipſo*) ad denotandam conſubſtantialitatem, & identitatem trium perſonarum in vna ſimpliciſſima eſſentia, ideò additur: *Eſt tibi Deo Patri honor, & Gloria.*) Et cum ipſo. Et in ipſo.

36 Alia Expoſitio Theologalis. Imò poteſt etiam, Ly per ipſum, tribni & referri ad ipſum Diuinum Verbum: Nam, ſicut Pater per Verbum omnia creauit, & creat, ità per ipſum Verbum glorificatur ab omnibus: Et eſt illi honor & gloria ſimul cum ipſo Filio, & Spiritu Sancto.

37 Alia expoſitio miſtica. Poſſunt inſuper etiam tres iſtæ voces etiam Chriſto Domino tanquam homini accommodari, vt ſit ſenſus. (*Per ipſum.*) id eſt, per Ieſum Chriſtum, tanquam mediatorem, & in ipſo radicati, tanquam palmites in radice, & in vite: Et cum ipſo, tanquam cum capite noſtro: Omnes nos glorificamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſemperque glorificabimus: *Per omnia ſacula ſaculorum*: cui reſpondet Chorus, ſiuè miniſter pro circunſtantibus, dicendo: *Amẽ*, id eſt, verum eſt, quod per ipſum Chriſtum mediatorem tota ſanctiſſima Trinitas adoratur, & conglorificatur per omnes mundi æuiternitates, quæ dicuntur ſæcula ſæculorum. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amẽ.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Notandum autem ex Diuo Thoma in tertia parte, quæſtio. 83. articul. quinto quod: Signa Crucis, quæ fiunt in Miſſæ ſacrificio a celebrante poſt conſecrationem miſticè ſignificant ea, quæ Chriſtus Dominus in Cruce paſſus eſt, dixit, & fecit: Quapropter, dicimus, quod: Per tres Cruces, quæ fiunt ſuper Calicem cum Hoſtia Sacra de labio ad labium, denotantur, & repræſentantur tres horæ, quibus Dominus IESVS viuus pependit in Cruce, cum ſuo acerbiſſimo dolore ab hora ſexta, vſque ad horam nonam. Et per duas alias Cruces, quibus bis ſignat celebrans inter Calicem, & pectus ipſius celebrantis finis myſterij noſtræ Redemptionis, per ſeparationem Animæ à Corpore, quandò dixit IESVS *Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum*; Et Anima illa Sanctiſſima deſcendit ad Inferos ad liberandas Animas Sanctorum Patrum, Sanguine ſuo pretioſiſſimo redemptas. 38 D. Thom. Quinq; Cruces, quæ fiunt à celebrante in hoc loco, quid ſignificent.

At quoniam ſecundùm omnes Theologos Diuinum Verbum, quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit, ideò quamuis Anima Chriſti in morte fuit realiter ſeparata è corpore: Diuinitas autem nunquam fuit ſeparata, neque ab Anima, neque à Corpore: Et ad hoc repræſentandum Sacerdos eleuat aliquantulum Calicem Sanctum cum Hoſtia dicens: (*Omnis honor, & Gloria.*) Ità Gabriel in Canon. Miſſ. Lect. 6. 39 Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit. Quare dicitur omnis, honor, & gloria. Gabr.

Notandum autem, quod ſunt aliqui Doctores, ex quibus eſt Suarez cum ſuis, qui exiſtimant in his præcedentibus verbis terminari Canonem Miſſæ: Nam quæ ſequuntur ſecundùm ipſos magis videntur ſpectare ad præparationem ſumptionis Sacramenti, quã ad ſacrificium: Vndè in paraſceues, quandò non fit conſecratio, nec offertur ſacrificium, omittuntur omnia, quæ dicta ſunt, & immediatè poſt ablutionem manuum fit tranſitus ad orationem Dominicam, & fit conſumptio Sacramenti per communionem, ab ipſo Sacerdote recipiente. 40 Quandò terminatur Canon Miſſæ. Duplex eſt opinio. P. Suar.

Recentiores tamen Theologi, tenentes: Sacrificium Miſſæ non ſolum in conſecratione, & oblatione, verùm etiam in conſumptione conſiſtere abſolutè tenent, & docent: Canonem Miſſæ non terminari, niſi facta conſumptione ſacrificij: Et ideò, nos tenentes probabiliorem, & communiorem ſententiam, dicimus: Canonem Miſsę non terminari niſi facta conſumptione ſpecierum; ſicut nos probauimus in cap. 2. tractat. 1. ſacrificij Miſſæ, vbi oſtendimus ſacrificium tribus partibus eſſentialibus debere conſtare: Conſecratione videlicet, oblatione, & conſumptione, & ideò ſacrificium Miſsę perficitur in conſumptione ſpecierum conſecratarum, &c. 41 2. Communior. Recentiorũ.

DE TERTIA PARTE CANONIS *Miſſa, pertinente ad conſumptionem Sacrificij.*

CAP. V.

TErtia pars Canonis pertinet ad conſumptionem ſacrificij, quæ incipit ab oratione Dominica, vſque ad conſumptionem vtriuſque ſpeciei ſacramenti, vbi perficitur ſacrificium Miſſæ: In qua quidem parte, ſicut & in cæteris, tres etiam includuntur Orationes, quas facit celebrans pro ſumptione ſacramenti, quarum prima incipit ab Oratione Dominica, vſque ad Agnus Dei excluſiuè; Secunda ab Agnus Dei, vſque ad Orationes ſecretas ante communionem; Tertia ab illis Orationibus, vſque ad conſumptionem ſacramenti incluſiuè. 1 3. Pars Canonis. Continet tres Orationes.

2 *I. Oratio. Pro conſumptione ſacrificij.*

In prima ergò parte iſtius vltimæ partis Canonis facit celebrans primam Orationem, in qua incipit ſe præparare ad ſumptionem Sanctiſſimi Sacramenti. Quapropter ſtans celebrans in medio Altaris intelligibili voce præmonet circumſtantes petere à Clementiſſimo Patre Deo noſtro, dilectum Filium ſuum, qui nobis Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini dignatus eſt dare; quandò dixit in Euangelio (*Accipite, & comedite ex hoc omnes.*)

3 *Oremus ante Orationem Dominicam, quid ſignificat. Quare dicitur: Audemus dicere Pater noſter. Pater noſter continet 7. petitiones.*

Quapropter celebrans primò dicit: *Oremus,* humiliter, & deuotè ipſum Deum Patrem Omnipotẽtem: Deindè ad temeritatis excuſſionem, & præſumptionis allegat ſalutaria orandi monita, & præcepta ipſius Domini, & Magiſtri Chriſti IESV, qui dignatus eſt dicere: Cùm oratis, dicite: *Pater noſter, qui es in Cœlis.* Et ideò nos audemus dicere in noſtra Oratione verbum illud: *Pater noſter:* Et ſic Sacerdos proſequitur totam Orationem Dominicam, quæ continet ſeptem petitiones, in quibus nobis neceſſaria ad orandum, & circa orandi modum, quæ debemus petere ab ipſo Deo mirabiliter continentur.

4 *I. Petitio dicitur Pater noſter ipſe Deus, & quare.*

Dicitur ergò in prima petitione; *Pater noſter:* Deus enim maieſtatis dicitur, & eſt verè Pater omnium noſtrum: Ipſe enim nos, & omnia ex nihilo creauit, & in eſſe creato ſuo concurſu, & protectione conſeruat, qui propter ſuam bonitatem redemit nos pretio magno, & mundauit ab omni iniquitate, & amat nos paterno, & Diuino amore primo, tenero, & inſeparabili, & talis Pater noſter eſt ipſemet Deus Omnipotens Factor Cœli, & terræ viſibilium omnium, & inuiſibilium, qui non ſolùm in Cœlis, ſed etiam in omni loco per eſſentiam, potẽtiam, & præſentiam adeſt præſens ſine ſui diuiſione, cùm ſit totus in omni loco, vbique, & ſemper.

5 *Quare dicitur, qui eſt in Cœlis.*

Dicitur tamen in hac petitione: *Qui es in Cœlis,* quia ſpeciali modo in ipſo Cœlo fruitur, & videtur à Beatis, ſicuti eſt per lumen gloriæ infuſum, & ideò dicitur eſſe in Cœlis, id eſt, in Angelis, & ſanctis ſuis, illuminans eos ad ſui cognitionem, & inflammans eos ad ſui amorem, nam Deus ipſe eſt lux vera, & amor infinitus.

6 *Sanctificetur nomen tuum ideſt, clarificetur in nobis notitia tua. Longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. D. Auguſt.*

Ideòque petimus, quod ſuum ſanctum nomen ſanctificetur in nobis, ſicut in Cœlo, & in terris, vt cognoſcamus, quæ ſit Latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, hoc eſt, Latitudinem, & multitudinem beneficiorum ſuorum, & longitudinem promiſſionũ ſuarũ, maiora .n. & ſine comparatione ab ipſo amantiſſimo Patre ſperamus recipere: Nã (pro vt dicit Auguſt.) *Creauit Deus hominem, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur.* Tertiò ſublimitatem ipſius Diuinæ maieſtatis, quæ eſt infinita: Et Quartò profunditatem iudiciorum ſuorum, quæ ſunt incomprehenſibilia, pro vt dicit Apoſt. ad Rom. c. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius,* & hæc eſt prima petitio.

Apoſt. ad Roman. c. 11.

7 *Secunda Petitio. Adueniat Regnũ tuũ.*

Secunda petitio eſt: *Adueniat Regnum tuum:* In qua petitione petimus primò ab ipſo Deo, vt Regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia propagetur in omni loco, vt omnes infideles, & peccatores conuertantur ad Chriſtum.

8 *Regnum Dei intra nos eſt. Regni Beatitudinis perfectio.*

Secundò, quia Regnum Dei intra nos eſt, ideò petimus, vt Deus ipſe dignetur eſſe nobiſcum per gratiam: Regnat autem in nobis Chriſtus Dominus per virtutes internas, fidem videlicet ſpem, & charitatem, & hoc Regnum dicitur: Eſſe gratiæ, qua mediante faciat nos peruenire ad Regnum Cęlorum per gloriam, vbi videbimus Deum ſicuti eſt; Nec enim oculus vidit, neque in cor hominis aſcendit, quę in illo Regno beatitudinis præparauit Deus diligentibus ſe, ibi enim eſt dilectio Dei ſuprema. Charitas perfecta, ſocietas beata, & ipſius Dei fruitio ſempiterna.

9 *Tertia Petitio. Fiat voluntas tua. Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra.*

Tertia petitio eſt: *Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra:* Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra, qui ait: *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum:* Petimus igitur in hac tertia petitione, quod ipſemet Deus concedere nobis dignetur, vt voluntatem ſuam in omnibus, & per omnia adimpleamus, & cum omni ſtudio, & diligentia præcepta ipſius inuiolabiliter obſeruemus.

10 Primò Deum ipſum in omnibus, & ſuper omnia diligendo ex toto corde, Anima, mente, & viribus Animæ, & corporis ipſum cogitando, ipſum deſiderando, omneſque intentiones noſtras ad ipſum dirigendo, & honorem ipſius in omnibus quęrendo, applicando omnes potentias, & vires noſtras internas, & externas ad amorem ipſius, & voluntatem ſuam in omnibus, & per omnia inuiolabiliter adimplendo, vt poſſimus dicere cum Propheta, Pſalm. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* *Pſal. 39.*

11 *Sicut in cęlo & in terra.*

Additur illa particula (*Sicut in Cœlo, & in terra*) in qua petimus, quod ſicut illi Beati ſpiritus in Cœlo in omnibus Diuinam faciunt voluntatem; ità, & nos homines ad eorum imitationem ſtudeamus ſemper in terris cognoſcere, & facere eius Diuinam voluntatem, non ſolùm in magnis, verùm etiam in minimis. Et iſtæ tres petitiones pertinent ad honorem Dei, & vtilitatem noſtram.

12 *Quarta Petitio. Panem noſtrum quotidianum. Prima Expoſitio pro ſubſtentatione rerum temporalium.*

Quarta petitio eſt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* Et iſta petitio multipliciter explicatur à Theologis; Primò modo ſecundùm litteralem intelligentiam, pro pane quotidiano intelligitur cibus communis ad ſubſtentationem corporis neceſſarius, ideòque dicitur quotidianus, quapropter ſecundùm litteram in hac petitione petitur omne illud, quod neceſſarium eſt ad ſubſtentationem vitæ corporalis, vt ſunt omnia bona temporalia.

13 *Secunda Expoſitio. Pro pane lacrymarum. Pſal. 79.*

Secundò explicatur myſticè pro pane pœnitentiæ, & contritionis, quæ ſemper nobis eſt neceſſaria ad remiſſionem peccatorum conſequendam; ideò dicitur quotidianum; de quo pane pœnitentiæ, & contritionis dicebat Dauid, Pſalm. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in menſuram,* Et Pſal. 101. *Sicut cinerem panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* *Pſalm. 101.*

14 *Tertia Pro gratia iuſtificante. 2. Cor. c. 11. Acta.*

Tertiò exponitur pro pane gratiæ iuſtificantis: Nam, ſicut cibus corporalis ſubſtentat corpus, ità gratia Dei ſubſtentat, & fortificat vitam Animæ: Quapropter dicebat Apoſtol. 2. Corinth. cap. 11. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed ſemper in me manet:* Et Dominus dixit illi: *Sufficit tibi Paule gratia mea,* ideò per panem noſtrum quotidianum petimus diuinam gratiam, quę quotidiè nobis neceſſaria eſt.

15 *Quarta Pro pane illuminationis. Eccleſ. c. 15.*

Quartò exponitur pro pane illuminationis, & intelligentiæ, quo paſcitur intellectus noſter quotidiè ſecundùm illud Eccleſ. c. 15. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ potauit illum Dominus Deus noſter:* Iſto namque pane mens noſtra quotidiè ſpiritualiter reficitur, & in ſpirituali vita educatur: *Non enim in ſolo pane viuit homo, (dixit Dominus IESVS,) ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* ideſt, Scripturæ Sacræ intelligentia.

16 *Quinta Pro pane deuotionis per infuſionem diuini Amoris. Pſal. 15.*

Quintò exponitur pro pane deuotionis per infuſionem Diuini amoris, quo quotidiè paſcitur noſtra voluntas, ideſt, anima noſtra, ſecundùm illud Dauidis in Pſalm. 15. dicentis: *Adimplebis me lætitia cum*

vultu

vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem: Eſt enim deuotio nobis ſemper neceſſaria, vt poſſimus perſeuerare, & creſcere de die in diem in gratia Dei, ideò petimus, vt Deus hodiè, & quotidiè, ideſt, ſemper concedat nobis donum deuotionis, & amoris ſui, tanquam panem quotidianum reficiens per diuinum amorem, & dulcedinem.

Deuotio neceſſaria, ad ſpiritualem vitam.

17 Sextò exponitur pro pane illo viuo, qui de Cœlo deſcendit in Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtię, qui eſt panis ſuperſubſtantialis, in quo verè, & realiter continetur Chriſtus Dominus, qui dixit in Euang. Ioan. c. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi, & panis, quem ego dabo Caro mea eſt pro ſæculi vita, & Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Sexta pro pane Euchariſtiæ. Ioann. cap. 6.

18 Et de iſto Sanctiſſimo pane Euchariſtiæ principaliter intelligitur petitio iſta Sacerdotis in Miſſa, quando dicit in hac quarta petitione: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ideſt, concede nobis Clementiſſime Pater dilectum filium tuum, qui eſt verè panis ſuperſubſtantialis Animæ noſtræ: Ipſe enim, dixit: *Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt enim Corpus meum, & Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.*

De Pane Euchariſtiæ hæc ſpecialiter intelligitur.

Panem noſtrum quotidianum apud Græcos.

19 Quapropter in textu Græco legitur: *Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, δὸς ἡμῖν σήμερον*, ideſt, panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie: Et Hebręus legit *Lachem ſogullà*, quod ſonat, panem præcipuum egregium, & peculiarem, ideſt, ſuperſubſtantialem, quod maximè Corpori Chriſti, ſiuè Chriſto in Sacramento tribuitur.

Et apud Hebreos.

20 Petit ergò Sacerdos in hac quarta petitione, vt Pater Cœleſtis per ſuam clementiam, & bonitatem nobis concedere dignetur, quòd dignè quantum humana fragilitas poteſt licitè, & dignè Euchariſtiæ Sacramentum recipere poſſimus: propter hoc Sacerdos hanc orationem facere volens: Primò intelligibili voce præmonet populum ad præſentis Euchariſtiæ ſumptionis deſiderium, ideò ait. *Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & Diuina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter.*

Quare Sacerdos dicit: Oremus præceptis ſalutaribus moniti.

21 *Da nobis hodie panem noſtrum quotidianum.* Quaſi dicat: Concede nobis, ò Pater Clementiſſime dilectũ Filium tuum Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, qui modo ineffabili continetur ſub ſpeciebus iſtis conſecratis panis, & vini, in memoriam amoris, quem erga nos habuit in intelligentiam, & reuerentiam eorũ, quæ pro nobis fecit, & ſuſtinuit in ſua Sacratiſſima Paſſione.

Exponuntur illa verba Panem noſtrũ quotidianũ.

22 Dicitur panis quotidianus, vel ad oſtendendam neceſſitatem, quam habemus quotidiè iſtius Cœleſtis panis pro ſalute Animæ noſtræ, qui quotidiè ſumendus eſt, vel certè, ità viuendum, vt quotidiè illum ſumere dignè poſſimus, vel dicitur quotidianus, quia in ſacris myſterijs Chriſtianæ Eccleſiæ quotidiè conſecratur, & offertur, & datur piè, & ſanctæ viuentibus, & petentibus.

Quare dicitur quotidianus.

23 Et tandem compendiosè dicere poſſumus quod: Per iſtam quartam petitionem ſeptem miſticos panes videntur poſtulari, ſignificati per ſeptem illos panes, quibus Dominus quatuor millia hominum ſatiauit, qui ſignificant cunctos fideles per quatuor mundi partes diſperſos. Vndè quando dicitur: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, idem eſt, ac ſi dicatur:

Septem panes, quibus Dominus quatuor millia hominum ſatiauit.

24 Da Pater Clementiſſime panem naturę ad ſubſtentationem indigentiæ vitæ corporalis, da panem pœnitentiæ ad releuationem languoris; Da panem gratiæ ad viuificationem hominis interioris: Da panem intelligentiæ contra famem erroris, & ignorantiæ: Da panem deuotionis feruidæ ad depulſionem torporis: Da panem Euchariſtiæ ad impinguationem amoris, & memoriam ſaluberrimæ Paſſionis Vnigeniti Filij tui Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quo ſextuplici pane conſortati in hac vita peruenire mereamur ad Regnum tuum: Vbi ſeptimo pane gloriæ tuæ in plenitudine Diuini ſaporis ſatiari mereamur, quando videbimus faciem tuam per lumen gloriæ: Tunc enim ſatiabimur, cùm apparuerit gloria tua, & videbimus te ſicuti es. Et hæc eſt ſeptima expoſitio; huius quartæ petitionis.

Septem expoſitiones panis compendiosè exponuntur.

Septima expoſitio de pane viſionis beatificæ.

Quinta petitio eſt dimittere nobis debita noſtra: In hac igitur quinta petitione nos cordis dolore peccata noſtra cognoſcentes ad Deum tanquam ad Patrem, non quaſi ad iudicem confugimus: à quo non vt iuſtitiam nobiſcum agat, ſed ex miſericordia poſtulemus, & omnes, & ſinguli verè dicimus: *Dimitte nobis Domine debita noſtra: Quia ſi dixerimus: Quoniam non peccauimus, ipſi nos ſeducimus, & mentimur.* 25

Quinta petitio. Dimitte nobis debita noſtra.

Et ideò cum lacrymis, & contritione ante maieſtatem tuam humiliter dicimus: *Peccauimus Domine peccauimus, & peccata noſtra cognoſcimus: Clementiſſime Pater dona nobis veniam:* Et hoc propter tuam ineffabilem, & Diuinam miſericordiam, & pietatem, quia cùm ſis verè Pater noſter, etiam quod iratus fueris miſericordiæ recordaberis, & ideò dimitte nobis per merita Paſſionis, & mortis Vnigeniti Filij tui, cuius Sanguis pretioſiſſimus effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, vt mundi puri, ac dealbati, ab omni peccatorum macula poſſimus quotidiè fiducialiter accedere ad comedendum panem iſtum ſuperſubſtantialem Sanctiſſimi Sacramenti, ne indignè talem cibum Sanctiſſimum ſumentes iudicium nobis manducemus. 26

Dimitte ergò nobis Pater delicta noſtra, ſicut & nos, dimittimus inimicis noſtris; Et quod plenè non dimittimus propter imbecillitatem noſtram ex toto corde: Fac tu nos plenè dimittere; Vt inimicos noſtros propter amorem tuum veraciter diligamus; & pro eis apud te deuotè intercedamus, & nulli malum pro malo reddamus, ſed omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. 27

Sicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Sexta petitio eſt (*Et ne nos inducas in tentationem*) Poſtquam in præcedenti petitione inſtanter orauimus ipſum Deum Patrem, & Creatorem noſtrum pro expiatione maximi mali, quod eſt culpæ reatus, conſequenter in hac ſexta petitione petitur ablatio mediocris mali, in maximum inducentis, qualis eſt tentatio ad peccandum, quæ eſt occaſio recidiui, & lapſus. 28

Sexta petitio. Et ne nos inducas in tentationem.

Cùm enim magna ſit fragilitas humanæ naturæ, & multis periculis, & occaſionibus peccatorum ſubiecta: *Nam corpus, quod corrumpitur aggrauat animam; caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, & non ſolum nobis eſt colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed etiam aduerſus Principes, & Poteſtates contra ſpirituales nequitias Dæmonum*, qui innumeris, varijſque tentationibus die, nocteque tentare non ceſſant, tanquam Leones rugientes, quærentes, quos deuorent. 29

Fragilitas humanæ naturæ.

Diaboli tẽtationes innumerabiles.

Quapropter rationabiliter in hac ſexta in ordine petitione, humiliter rogamus Deum, ne nos inducat in tentationem, ideſt, vt non permittat nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciat cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere: Ideòque petimus, dicentes: Domine Deus noſter, ne nos inducas in tentationem occultam, ſiuè manifeſtam, ſubitam, vel improuiſam, ne Diuino auxilio deſerti tẽtationibus malis aſſentiamur, & in peccata cadamus. 30

Septima petitio eſt: (*Sed libera nos à malo*) quæ petitio in Miſſa non profertur à celebrante, ſed à miniſtro inſeruiente, qui reſpondet pro populo: Petitur 31

Septima petitio. Sed libera nos à malo.

citur igitur in hac vltima petitione, quod Deus ipſe Pater Clementiſſimus dignetur ſua Diuina protectione, non ſolùm liberare nos ab omnibus tentationibus, verùm etiam ab omnibus malis, & periculis Animæ, & Corporis, ſiuè præſentibus, ſiuè præteritis, ſiuè futuris, ſiuè ſint peccata commiſſa, ſiuè commiſſibilia quocumque modo, & hoc non ſolùm à reatu culpæ, verùm etiam pœnæ luendæ, inſuper ab omnibus malis, & periculis corporis, ſiuè infirmitatibos, ſiuè miſerijs, & periculis inimicorum, ſiuè viſibilium, ſiuè inuiſibilium.

32 Cui petitioni celebrans, quaſi annuens & confirmãs petitionem popnli, ſubmiſſa voce, dicit: *Amen*, quaſi dicat; Verè exaudiet vos Dominus Deus noſter.

Amen.

33 Quàpropter eſt ſciendum, quod dictio iſta, *Amen*, eſt vox Hebræa: & tripliciter dici ſolet. Primò nominaliter, & tantum valet, ſicut verax, ſiuè veritas, vt dicitur in Apoc. c. 3. *Hæc dicit: Amen, ideſt, teſtis fidelis verax, & verus:* Secundo modo: Accipitur verbaliter, ideſt, fiat, & ita accipitur communiter in fine orationum, vbi exprimitur deſiderium circumſtãtium, quod Sacerdos orans exaudiatur, ſecundum illud Pſal. 105. *Et dicet omnis populus: fiat, fiat*, Tertio modo accipitur Aduerbialiter, & ità frequenter accipitur in Euangelio, quando ſæpè ſepiùs dicit Dominus: *Amen, Amen dico vobis*, ideſt, verè, & fideliter dico vobis, & eſt aduerbium affirmandi.

Amen tripliciter accipitur verbaliter, nominaliter, & aduerbialiter.

Pſalm. 105.

34 Vndè quando celebrans in hac oratione dicit, *Amen:* Confirmat petitionem populi, quaſi dicat: Verum eſt, & ità eſt, quod Dominus exaudiet vos, & concedet, quod in hac oratione poſtulaſtis: Nam ipſe Dominus dixit: *Quicquid Orantes petitis, credite, quia accipietis, & eueniet vobis: Nam ipſe Pater amat vos.*

Quomodo ſe accipitur in hac petitione.

35 Et hæc eſt cauſa, quare celebrans in hac oratione dicat: *Amen*, & non populus, vel miniſter ſeruiens, ſicut in alijs orationibus. Ratio huius eſt, quia Sacerdos eſt mediator inter Deum, & populum, & ipſa vota populi Deo offert, ideòque magis congruit, quod ipſe affirmet petita eſſe conceſſa, quam populus.

Quare celebrans dicit Amen, & non populus.

36 Et hæc eſt cauſa, quare celebrans, ſubmiſſa voce, dicat, *Amen:* In præſente petitione; Primò ne apud inſipientes videatur præſumptio Sacerdotis, confirmãtis Dei exauditionem: Et ſecundò ne populi ceſſent rogare ipſum Deum, putantes eorum orationem eſſe exauditam: Nam oportet ſemper orare.

Quare dicitur ſubmiſſa voce.

37 Quàpropter celebrans proſequitur, dicens: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris*, quaſi amplificans, & magis in ſpecie proponens, applicando petitionem, factam ad mala præterita, vt nobis remittantur, & ad præſentia, vt ea fugiamus, & ad futura, vt ea euitemus, & ſic pro liberatione à reatu culparum, & pœnarum: Secundò pro liberatione à malis, & calamitatibus temporalibus, & perturbationibus omnibus inimicorum viſibilium, & inuiſibilium ad quod obtinendum B. Mariæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum, omniumque Sanctorum interceſſionem poſtulat: vt patet ex illis verbis; *Vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.*

Libera nos quæſumus Domine;

Interceſſio B. Mariæ Virginis, & Apoſtolorum interponitur.

38 Et hæc dicens ſignat ſe cum patena à fronte ad pectus; In qua actione ſignificatur memoria Chriſti paſſionis, quando vnus militum lancea latus eius aperuit; & continuò exiuit ſanguis, & aqua.

Quod ſignificat ſignatum cum patena à fronte ad pectus.

29 Tunc Sacerdos genuflectens ſubmittit patenam Hoſtiæ, & ſurgens frangit ipſam Hoſtiam per mediũ, ſuper Calicem dicens; *Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum*, & ità concludit orationem; Et in hoc repræſeotatur myſterium, quando de Cruce depoſitum fuit Corpus Domini Ieſu, & poſitum fuit in mooumento, quàpropter Hoſtiam ſacram per medium fractam reponit ſuper patenam: & celebrans tenens manu particulam ſacræ hoſtiæ facit ter ſignum Crucis ſuper Calicem, dicendo: *Pax Domini, ſit ſemper vobiſcum.*

Fractio Hoſtiæ ſuper calicem quid ſi… …

Repræſentando per has tres cruces, dies tres, in quibus ſecundum ſcripturam Chriſti Domini corpus iacuit in monumento: Deindè celebrans ipſam particulam Hoſtiæ immittit in Calicem, dicens ſecretè (*Hæc commixtio, & conſecratio corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti fiat accipientibus nobis in vitam æternam Amen.*) 40

Tria ſigna Crucis cum hoſtia conſecrata, quid ſignificent. Hæc commixtio, & conſecratio.

Non petitur autem per iſta verba, vt de nouo fiat conſecratio, cùm iam facta ſit, ſed vt fiat accipientibus nobis in vitam æternam: quàpropter, Ly conſecratio, hic non ſumitur pro confectione Sacramenti, ſed pro noua quadam ſignificatione, quam ſpecies ſacramentales per commixtionem illam accipiũt: Prius enim paſſionem Domini tantùm ſignificabant: & ideò corpus, & ſanguis Chriſti per ſe ſeorſum ſunt conſecrata ad mortem Chriſti in memoriam reuocandam, per quam effuſus eſt ſanguis ipſius ſeparatus è corpore. 41

Noua ſignificatio Sacramenti.

Sed modo commiſcentur ſpecies panis, & vini conſecrati, ad deſignandum myſterium Dominicæ Reſurrectionis, per quam iterum ſanguis corpori fuit vnitus, ideòque iſta commixtio corporis, & ſanguinis Domini indicat gloriam reſurrectionis eius, pro vt dicit Innocentius III. de Myſt. Miſſæ: ſic etiam Suarez Diſt. 83. ſect. 2. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 35. Gabriel in Canon. Miſſæ ſect. 81. & alij coocludentes; Commixtionem corporis, & ſanguinis Chriſti ſignificare reſurrectionem, in qua corpus, & ſanguis de nouo ſimul vnita ſunt. 42

Commixtio particulæ in ſanguine ſignificat Reſurrectionem Domini. Innoc. Suar. Azorius. Gabriel.

Dicit autem celebrans verba illa: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; quia cùm ipſe in ſua oratione ſecreta pacem à Domino impetraſſet, quando dixit: *Da pacem Domine in diebus noſtris:* Ideò modò, manu tenens Sacramentum dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Nam ipſemet Dominus in fine vitæ ſuæ ſæpè ſæpius dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* Et poſt ſuam reſurrectionem eodem modo diſcipulos ſuos ſalutauit, dicens: *Pax vobis*, ideò &c. 43

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

Secunda oratio, quam facit Sacerdos in hac tertia Canonis parte incipit ab Agnus Dei, vſque ad orationes ante communionem: Clamat ergò Sacerdos cum populo ad mediatorem Chriſtum, ſtatim in Euchariſtia ſumendum, dicendo humiliter, & deuotè (*Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.*) 44

Secunda oratio eſt Agnus Dei.

In qua quidem oratione Chriſtus Dominus Vnicus Patris Filius tripliciter commendatur, primò de puritate innocentiæ naturalis, ideò dicitur: *Agnus Dei:* ſi enim eſt agnus ergò innocens: ſecundò de benignitate veniæ ſalutaris, & ideò additur: *Qui tollis peccata mundi*, benignè videlicet paternè, & ſaluberrimè: tertiò de affectuoſitate miſericordiæ liberalis, ideòque additur: *Miſerere nobis.* 45

Chriſtus per Agnus Dei tripliciter commendatur.

Iteratur autem pluries hæc oratio, vt perſeuerantia orandi celerius exaudiamur; ter dicendo: (*Agnus Dei qui tollis peccata mundi:*) Dicitur autem ter propter triplicis peccati remotionem, quam petimus; Videlicet Originalis, Mortalis, & Venialis; vel propter tria peccatorum genera cogitationis in mente, locutionis in ore, & actionis in opere. 46

Agnus Dei quare ter repetitur.

Dicitur autem bis: *Miſerere nobis*, propter duplex malum, & effectum peccati, culpæ venialis, & pœnæ: quibus non niſi per Dei miſericordiam liberamur ſecundum 47

Quare dicitur bis: Miſerere nobis.

Digitized by Google

Pſalm. 58. cundum illud Dauidis Pſalm. 58. *Miſericordia eius præueniet me;* à peccato præſeruando, ne incidamus: & Pſalm. 22. dicit: *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ:* hoc eſt à pœna, & culpa peccatorum commiſſorum liberando. (Pſalm. 22.)

48 Tertiò verò loco additur: (*Dona nobis pacem*) in qua oratione oramus, vt ſedatis miſerijs, & tribulationibus inimicorum viſibilium, & inuiſibilium, pacifica, & fideli gubernatione fruamur, ac etiam pacem habeamus ſemper cum ipſo Deo, ſublata inimicitia, propter cordis pacem internam: vt à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.

Vltimo loco additur dona nobis pacem, & quare.

49 Quapropter Sacerdos iunctis manibus, & ſuper altare poſitis, in ſignum deuotionis inclinatus Sanctiſſimo Sacramento petit humiliter pacem ipſam ab ipſo Domino Ieſu; tam pro ſe ipſo, quam pro tota Eccleſia ex omnibus Chriſti fidelibus congregata: petit autem triplicem pacem, Dei Videl. ſui ipſius cordis, & proximi.

Prima oratio pacis ante cõmunionem.

50 Ideò primò ſpecificat effectum, & finem propter quem pro pace ſuppliciter orat, dicens; (*Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis; Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*) in quibus verbis; beneuolentiam ipſius Domini Ieſu Chriſti captat, vt exaudiatur, eo quod ipſe eſt, qui pacem ſuam reliquit nobis, cum diſceſſurus eſſet ex hoc mundo ad Patrem: & ideò primò petit pacem cum ipſo Deo, quare dicit, Pacem meam, ideſt ipſius Dei &c. At quia peccata impediunt ipſam pacem ſequitur dicens: (*Ne reſpicias peccata mea,*) quibus ſublatis reconciliamur cum ipſo Deo, & tunc etiã pacem cordis habebimus, & conſequemur, ſecundùm illud, quod ſcriptum eſt in Pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum:* quam pacem perfectam petit etiam pro tota Eccleſia, & ideò ait: (*Sed reſpice fidem Eccleſiæ tuæ, eamque pacificare, & adunare digneris.*)

Pſalm. 118.

51 In cuius ſignum celebrans deuotè oſculatur altare, quod Chriſtum ſignificat, deindè accepta pace à Chriſto: dat pacem miniſtro altaris in oſculo Sancto, dicens (*Pax tecum*) quo reſpondente: (*Et cum ſpiritu tuo*) miniſter dat pacem omnibus circumſtantibus, porrigendo ſingulis Chriſti imaginem in tabula oſculandam, per quod denotatur, quod vnuſquiſque propter Chriſti Domini amorem omnem rancorem, & paſſionem contra proximum ſuum ex toto corde dimittit, ſecundùm illud Domini præceptum, dicentis: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum: & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum;* Nam Euchariſtiæ Sacramentum eſt pietatis ſignum, vnitatis, & charitatis vinculum.

Pax, quæ datur in Miſſa, quid ſignificet, & quare datur.

52 Notandum autem, quod in Miſſis defunctorum nõ dicitur: *Miſerere nobis,* nec: *Dona nobis pacem:* Ratio huius eſt, quia defuncti ſunt extra ſtatum merendi, cum ſint in termino, ideòque non poſſunt amplius mereri, neque demereri, neque per proprium meritũ: tunc elicitum à pœnis debitis liberari poſſunt, niſi per modum ſuffragij, ideòque celebratur pro defunctis à fidelibus Miſſa, & impetrantur ſuffragia, vt illis requies impetretur à Chriſto Domino: Quapropter in Miſſis defunctorum, dicitur (*Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem*) eò quod fructus ſacrificij pro illis ſpecialiter applicetur pro requie à pœnis impetranda.

In Miſſis defunctorum dicitur (Dona eis requiem) & quare.
Defunctorũ Animæ ſunt extra ſtatum merẽdi, cum ſint in termino.
Quare dicitur bis (Dona eis requiem.)

53 Dicitur autem bis; *Dona eis requiem,* propter duplicem requiem pœnæ temporalis, vnam ardoris, alterã deſiderij videndi Deum. Additur ad tertium Agnus Dei (*Dona eis requiem ſempiternam;*) vt impetremus ipſis adeptionem Gloriæ, quæ erit ſempiterna requies: Et hæc eſt cauſa, quare in dictis Miſſis defunctorum non dicitur; Oratio pro pace Eccleſiæ, impetranda.

Quare tertio loco dicitur (Dona eis requiem ſempiternam.)
Quare non dicitur orat. pro pace.

54 Deindè Sacerdos, volens iam perficere ſacrificium ſuum oblatum per conſumptionem Sacramenti, ne indignè Sanctiſſimum Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini recipiat, maxima cum humilitate, & deuotione orat ipſum Dominum Ieſum, qui propter ſuam benignitatem, pietatem, & miſericordiam ex voluntate ſui Æterni Patris, cooperante Spiritu Sancto: (nam opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa:) dignatus eſt per mortem, & ſanguinem ſuum pretioſiſſimum omnes peccatores redimere ab omni iniquitate, totumque mundum viuificare: vt dignetur per huius Sanctiſſimi Sacramenti virtutem ipſum Sacerdotem offerentem, omneſque fideles, qui hoc Sacramentum ſunt ſumpturi per communionem liberare ab omni macula, ſorde, & contagione peccati: vt ipſemet Dominus Ieſus paratam ſibi in nobis inueniat manſionem.

Secunda oratio pro communione facienda.
Exceptio.

55 Et non ſolùm petit liberationem, & abſolutionem à peccatis mortalibus, ſed etiam ab omnibus maculis, reatibus, & pœnis relictis: Inſuper petit etiam donum perſeuerantiæ in bono, quod conſiſtit in obſeruantia perfecta omnium mandatorum ſuorum, & ideò ait (*Et fac me,*) quod etiam intelligitur pro omnibus, pro quibus offertur ſacrificium, *tuis ſemper obedire mandatis:* vt poſſimus dignè, & purè hoc Sacramentum Sanctiſſimum ſuſcipere, & tecum ſine fine gaudere, & ne permittas vnquam à te Domine ſeparari. Concludit tandem orationem ſuam more ſolito, dicens: (*Qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum.*)

Quæ petuntur à celebrãte in hac oratione.

56 Petit poſtmodum ab ipſo Domino Ieſu, ne Sacramenti perceptio, quod ipſe de ipſius miſericordia confidens ſumere proponit, non perueniat in ſuam condemnationem, ſed ad medelam, & ſalutem Animæ, & corporis recipiendam.

Perceptio corporis, & (ſanguinis.)

57 Vltimò tandem, confidens in Diuina miſericordia genuflexus adorat cum humilitate, & deuotione Sanctiſſimum Sacramentum, quod manu tenens, ter percutit pectus ſuum, dicens cum omni humilitate, contritione, deuotione, & reuerentia: (*Domine non ſum dignus*) vt ſumam te in interiora mea multis peccatorum ſordibus, & abominationibus coinquinatus: Sed tu Domine, qui ſolus potes peccata mea dimittere, & de peccatoribus iuſtos facis, & Sanctos: *Dic verbo,* ſicut dixiſti Mariæ Magdalenæ: *Remittuntur tibi peccata tua: & ſic ſanabitur Anima mea.*

Conſumptio ſacrificij per communionem.
Domine non ſum dignus.

58 Et ità confidens in Diuina pietate, & clementia reuerenter ſumit Sacramentum Sanctiſſimum corporis, dicendo: (*Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen.*) & ſic facit ſignum crucis cum Hoſtia ſacra: & ſumit ipſam per communionem.

Corpus Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

59 Et per hoc ſignum Crucis denotatur memoria Aſcenſionis ipſius Domini Ieſu ad Patrem: quando, *benedixit diſcipulis ſuis, & eleuatus eſt videntibus illis, & aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dexteris Dei.*

Quid repræſentat Crucis ſignum quãdo recipitur Hoſtia.

60 Poſtmodum Sacerdos iterum genuflectens reuerẽter adorat Calicem Sanctum, & ſurgens dicit: (*Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*) In qua quidem actione celebrans tria facit: primò recognoſcit ſuam inſufficientiam, fatendo ſe nihil habere ex proprijs, quod Domino poſſit pro tanto beneficio præſtito retribuere: ideò ait: (*Quid retribuam Domino*) ſecundò oſtendit gratitudinem in accipiendo Domini beneficium cum ipſius nominis laude, & inuocatione: quapropter dicit, (*Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo:*) tertiò oſtendit ſuam confiden-

Quid retribuam Domino.
Calicem ſalutaris accipiam.

Digitized by Google

dentiam, quam habet ex virtute collati beneficij innociuorum præſeruatione, ideòque addit, dicens: (*Laudans innocabo Dominum, & ab inimicis ſaluus ero.*)

Laudans innocabo Dominum.

61 Sanguis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

Tunc accipit Calicem Sanctum, & ſignat ſe ſigno Crucis Sanctiſſimo Sacramento, dicens: (*Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti:*) qui eſt fons, & lauacrum noſtræ emmndationis, & ſanctificationis, ac pretium redemptionis, & reparationis noſtræ cuſtodiat Animam meam; & ità reuerenter ſumit Sacramentum Sanctiſſimum pretioſi ſanguinis, quo ſumpto, perficitur ſacrificium Miſſæ oblatum, & confertur effectus tanti ſacrificij immediatè pro illis, quibus oblatum eſt.

62 Quod ore ſumpſimus Domine.

Volens autem Sacerdos purificare ſe, & ſacra vaſa; dicit primò (*Quod ore ſumpſimus Domine, & pura mente capiamus*) in qua oratione petit Sacerdos, quod mãducatio illa, atque potatio Sacramentalis corporis, & ſanguinis Domini ſpiritualiter (conferat refectionem, & ſalutem tandem ſempiternam: quàpropter dicit.) *Quod ore ſumpſimus Domine, & pura mente cœpimus adhæreat viſceribus meis, & præſta, vt in me fiat remedium ſempiternum.*

63 Corpus tuũ Domine q̃d ſumpſimus. Exponitur iſta oratio.

Tandem facit aliam orationem dicendo: (*Corpus tuum Domine, quod ſumpſi*) ideſt corpus verum viuum, & naturale, quod ſumpſi ſub ſpeciebus panis, & ſanguis tuus verus, & proprius, quem potaui ſub ſpeciebus vini de tua benignitate, & clementia: adhæreat viſceribus meis, non dico corporalibus, ſed viſceribus ſpiritualibus Animæ, quæ ſunt Intellectus, & Voluntas, quæ ſunt viæ vitæ Animæ, cuius ſpiritualis cibus eſt bona operatio, & meritoria, affectio Sancta, & cogitatio munda, quibus Anima noſtra ſpiritualiter nutritur, & vegetatur, ideòque petit, quod per virtutem tanti Sacramenti nulla ſcelerum macula in Anima reficiata remaneat, quæ refecta eſt tali, ac tanto pretioſiſſimo Sacramento, & in hac terminatur tertia, & vltima oratio huius tertiæ partis Canonis Miſſæ.

DE VLTIMA PARTE MISSAE, qua dicitur: Poſt Communionem.

CAP. VI.

1 Antiphona, qua appellatur Communio, quid ſignificat.

ABſoluto Miſſæ ſacrificio per communionem, & conſumptionem vtriuſque ſpeciei Sacramentalis, Sacerdos, purificatis ſacris vaſibus, & omnibus accommodatis, vt prius in ſacro altari, ſequitur vltima pars Miſſæ, quæ dicitur Communio, quæ incipit ab illa Antiphona, quæ dicitur à Sacerdore, ſtante in cornu Epiſtolæ, vel dicitur à Choro cum iubilo, & in ſignum lætitiæ canitur, vt in Miſſis ſolemnibus: & hæc quidem Antiphona cantatur, & dicitur in gratiarum actionem tanti recepti beneficij à Chriſto Domino, qui dignatus eſt cibare nos corpore, & ſanguine ſuo Sanctiſſimo ſub ſpeciebus conſecratis; ſecundum illud Dauidis in Pſalm. 42. dicentis: *In voce exultationis, & confeſſionis reſonent epulantes in menſa Domini.*

Quare cantatur cum iubilo. Pſalm. 42.

2 Myſticè interpretatio iſtius Iubili.

Denotatur etiam per iſtam Antiphonam, dictam cum iubilo gaudium, quod habuerunt Apoſtoli de Chriſti Domini reſurrectione: *Gauiſi ſunt enim diſcipuli viſo Domino*: & Eccleſia canit dicens: *In reſurrectione tua Chriſte Cœli, & terra lætentur.* Variatur autem iſta Antiphona ſecundum diuerſitatem temporum, & feſtorum correſpondentium ad totius Miſſæ officium ordinatum.

3 Cantatur itaque iſta Antiphona, quæ communio appellatur, ex qua Sacerdos ſpirituale gaudium populi ſpiritualiter ſecum ſacroſanctam Euchariſtiam cõmunicantis concipit: Ipſe lætus, & hilaris ad populum ſe conuertit, ipſum ſalutans, & dicens: (*Dominus vobiſcum*) quaſi dicat Dominus ſit, & permaneat in æternum viſceribus veſtris infuſus; Secundum illud Domini dicens; *Qui manducat meam carnem: in me manet, & ego in illo*: Et reſpondet populus vel inſeruiens, vicem populi gerens: (*Et cum ſpiritu tuo,*) optans, vt in ſpiritu Sacerdoris permaneat Chriſtus, quem pro nobis Sacramentaliter ſuſcepit: Spiritualis enim cibus in Spiritu, & non in corpore eſt conſeruandus.

Dominus vobiſcum poſt communionem quid ſignificat.

4 Oremus. Quid ſignificant collectæ poſt communionem.

Deindè Sacerdos redit ad dextrum cornu altaris, & eleuatis manibus ad orationem excitat populum, dicens: *Oremus:* Vltimam Miſſæ orationem exequitur multiplicans eam, ſecundum numerum collectarum in principio Miſſæ, & ſecretarum, ante Canonis præfationem præmiſſarum: petitur autem in his orationibus, quæ poſt communionem dicuntur perfectio receptionis Sacramenti, vt eam ab alto Dominus miſericorditer largiatur, concedendo nobis gratiam, & perſeuerantiam in bono, & gloriam in futuro, ſecundum illud Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus,* quod ſæpè ſæpius exprimitur in ipſa verborum ſignificatione, quæ per annum leguntur: quando dicitur: *Perficiant in nobis Domine tua Sacramenta, quod continent, & quod nunc in ſpeciem gerimus rerum veritate capiamus.*

Pſalm. 83.

5 Quare celebrans redit iterum ad dextrum cornu altaris. Iſa. c. 10.

Dicturus autem Sacerdos hanc orationem, redit ad dextrum cornu altaris, ad ſignificandum, quod in fine mundi Chriſti prædicatio reditura ſit etiam ad Iudæos qui ad Dominum conuertentur, & reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, iuxta propheriam Iſaiæ c. 10.

6 Quare in fine terminat orationem in medio altaris.

Finita oratione, ſiuè orationibus Sacerdos iterum redit ad medium altaris, & concludit dicens: *Per Dominum noſtrum, &c.* quia ſicut dextrum altaris repræſentat populum Iudaicum, & ſiniſtrum populum Gentilem; ità medium altaris repræſentat Chriſtum. Et Chriſti fidem, in qua vterque populus conuertitur, & vnitur: Ità dicit Innocentius III. de myſt. Miſſæ.

Innocentius.

7 Dominus vobiſcum in fine, quid ſignificat. Galat. c. 5.

Poſt cuius finem iterum Sacerdos ſe conuertit ad populum ipſum ſalutando, dicens: (*Dominus vobiſcũ*) optans, vt recedentes à templo, non recedant à Domino, vt poſt Miſſam non carnalibus, ſed ſpiritualibus operibus intendant, ſecundùm illud Apoſt. ad Galat. 5. dicentis: (*Spiritu ambulate; & deſideria carnis non perficietis:*) Reſpondet autem pro populo chorus, vel miniſter dicens: *Et cum ſpiritu tuo:* & ſic mutua ſalutatione communionem indicantes Miſſa concluditur, & finitur.

8 Miſtica expoſitio de duabus ſalutationibus poſt cõmunionem.

Notandum autem, quod iſtæ duæ ſalutationes poſt communionem denotant miſticè duas illas ſalutationes, quæ leguntur Chriſtum dediſſe diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem, dicendo eis (*Pax vobis*) Vel poſſumus dicere, quod prima ſalutatio ante orationem ſignificat benedictionem illam, quam Chriſtus aſcenſurus in Cœlum legimus dediſſe diſcipulis ſuis, quando eleuatis manibus benedixit eis. Vltima autem ſalutatio ſignificat ingreſſum ipſius Chriſti in Cœlum, quando: *Aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet a dextris Dei, & miſit duos Angelos in veſtibus albis dicentes: Hic Ieſus, quem vidiſtis aſcendentem in Cœlum, ſic veniet.*

9 Ite Miſſa eſt quid ſignificat.

Quibus abſolutis celebrans facie verſa ad populum iunctis manibus, dicit: *Ite Miſſa eſt*, quaſi dicat: Recedite in pace ad propria, quia Miſſa, ideſt, hoſtia ſalutaris oblata eſt Deo pro veſtra, totiuſque humani generis ſalute conſequenda.

10 Quare dicatur tãtum in diebus feſtiuis, & non ferialibus.

Dicitur autem: *Ite Miſſa eſt*, in diebus feſtis, & officijs ſolemnibus, quia ijs diebus populus in magno numero

mero

mero confluit ad audiendum ſacrum, ideòque datur eis licentia recedendi ad propria, quia Miſſa iam peracta eſt.

11 Benedicamus Domino, in diebus ferialibus.

In diebus autem ieiunorum, & ferialibus, quando non dicitur Gloria in Miſſa, tunc non dicitur, (*Ite Miſſa eſt*) ſed *Benedicamus Domino*, per quæ verba inuitatur populus ad gratias agēdum pro perfecto Miſſæ myſterio.

12 Quare dicitur facie verſa ad altare.

Dum verò dicit: *Benedicamus Domino*, non ſe ad populum, ſed ad altare vertit, quia tunc non loquitur diſtinctè ad populum, ſed ſecum populo hortatur ad gratias referendas Deo: ideòque reſpicit altare, per quod Chriſtus Dominus denotatur: Reſpondet autem populus per chorum, ſiuè per miniſtrum ad vtramque concluſionem, dicens: *Deo gratias*: quaſi dicant; Referamus omnes gratias ipſi Deo, à quo bona cuncta procedunt de Miſſæ perfectione, & ſacroſancti corporis, & ſanguinis Domini communione recepta.

Deo gratias.

13 Placeat tibi Sancta Trinitas.

Tunc Sacerdos inclinatus in medio altaris ſecretè orat, dicens: *Placeat tibi Sancta Trinitas*: In qua oratione Sacerdos velut in quodam compendio petitiones priores recolligit, humiliter petens pro ſe, alijſque omnibus, pro quibus ſacrificium obtulit exaudiri; quàpropter deuotè oſculatur altare in medio in ſignum reuerentiæ, deuotionis, & amoris ipſius Chriſti, quem altare miſticè ſignificat (vti iam dictum eſt.)

14 Benedicat vos omnipotens Deus.

Vltimò tandem Sacerdos eleuatis manibus clara voce dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, & verſa facie ad populum ipſum benedicit, dicens: (*Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*:) vt populus non recedat à templo, ſine benedictione Sacerdotis, quæ præſeruat illum ab omnibus periculis, & ſuperuenientibus malis.

15 Innocentius. Quid ſignificat miſticè iſta benedictio.

Hæc etiam benedictio, vt docet Innocentius miſticè ſignificat miſſionem Spiritus Sancti, quem miſit Dominus Apoſtolis in die Pentecoſtes, & ideò iſta benedictio fit per verbum oris, addito ſigno Crucis: quia illa miſſio per ſonum aeris, & linguam ignis intonuit, quando: *Factus eſt repentè ſonus aduenientis Spiritus vehementis, & apparuerunt Apoſtolis diſpartitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*.

16 Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.

At quoniam opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ideò benedictio datur in nomine totius Trinitatis: Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

17 Et reſpondit populus feſtinanter: Amen: ideſt, fiat, fiat.

In principio erat verbum.

Poſtremò Sacerdos vertens ſe ad cornu Euangelij in ſiniſtro cornu altaris, ibi dicit Euangelium: *In principio erat Verbum*, ſiuè aliud Euangelium ſecundum rubricas Miſſalis Romani, per quod denotatur, quod Apoſtoli poſt receptum Spiritum Sanctum prædicauerunt Euangelium omni creaturæ, iuxta Domini præceptum, & ſic facta eſt conuerſio Gentium ad fidem Chriſti.

18 Et iſta de ſacrificio Miſſæ, eiuſque expoſitione, dicta ſufficiant ad Dei laudem, & gloriam, pro noſtra, totiuſque Chriſtiani populi ſalute:
Omnia ſubijciendo Eccleſiæ cenſuræ,
& Theologorum fidelium correctioni: Supereſt dicendum,
de præcepto audiendi Miſſam, quæ
in ſequenti tractatu dicentur.

TRACTATVS XVII.

De Sacramentis.

Et de Miſſæ Sacrificio, Tract. IV.

PROOEMIVM.

PRo complemento huius materiæ, in qua Diuino protegente numine de Miſſa ſacrificio, ſecundum ſe, ac de myſterijs eiuſdem ſacrificij, quæ neceſſaria erant ad propoſitum noſtrum dicta, atque explicata ſunt, breuiter modò dicendum ſupereſt de obligatione miniſtri circa Miſſarum celebrationem, ac etiam de præceptis adſtantium, & audientium Miſſam pro ſatisfactione præcepti Eccleſiaſtici audiendi ipſam Miſſam, ſaltem in diebus feſtiuis, in quibus de præcepto Eccleſiæ eſt audienda: Quapropter totum hunc vltimum tractatum noſtrum ad duo capita reducemus: in quorum primo explicabimus, quibus modis teneatur Sacerdos Miſſam celebrare, & quibus temporibus, & quando tenetur, non ſolùm celebrare Miſſam, verum etiam effectum medium ex opere operato ſacrificij oblati pro alijs applicare: in ſecundo poſteà agemus de præceptis adſtantium ad ipſam Miſſam, & quomodo adimplendum eſt præceptum Eccleſiæ, & de cauſis excuſantibus ab auditione Miſſæ. Diuiſio tractatus.

DE OBLIGATIONIBVS CELEBRANTIS, ac miniſtri ſeruientis.

CAP. I.

MIniſter ſacrificij huius Duplex eſt; Vnus, eſt celebrans, qualis eſt Sacerdos legitimè ordinatus: Alter deſeruiens huic miniſterio, de quibus breuiter in hoc præſenti capitulo eſt dicendum: ac primò de Miniſtro celebrante, & offerente Miſſæ ſacrificium, de quo 1

P. Quæſitum.

Primò inquirendum eſt: An Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis teneatur aliquoties Miſſam celebrare, & quoties. 2

An Sacerdos teneatur aliquoties in anno celebrare? P. opinio. D. Bona. Victoria.

Ad primum: Reſpondetur quod licèt D. Bona. in 4. d. 21. q. 2. A. 2. quæſtiuncula 2. & Franciſcus à Victoria in Sum. n. 94. videantur dicere: Sacerdotem ſimplicem, nullo detentum impedimento, non peccare mortaliter non celebrando modò communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum, vel contemptus.

Communior tamen, ac probabilior Theologorum opinio tenet: Sacerdotem legitimè non impeditum, ſi numquam celebret toto anno, mortaliter peccare: Ratio huius eſt, quia quantum eſt ex parte ſua facit, vt in vanum receperit gratiam Dei, cùm in ordinatione Sacerdotali poteſtatem acceperit offerendi Sacrificium, & conſecrandi Corpus, & ſanguinem Domini; tum quia dat occaſionem ſcandali, & ruinæ, cùm ingerat ſuſpicionem prauæ conſcientiæ. 3

2. Opinio affirmatiua. Ratio huius ſententiæ.

Tum quia Chriſtus, quandò dixit Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: videtur Sacerdotibus Miſſæ celebrationem præcepiſſe: Ità Vaſq. in 3. part. Diu. Thom. Diſt. 232. cap. 1. num. 5. Suarez to. 3. D. 80. ſect. 1. & eſt opinio D. Thom. in 3. p. q. 82. A. 10 Nugn. ibi 4

Doctores huius ſententiæ. Vaſq. Suar. D. Thom. Nugn.

Digitized by Google

Coninch. Azor. Reginald. Nauarr. Syluest. Graff. Chamerot. Miranda.

ibi Coninch. quaſt. 82. A. 2. concl. 3. num. 206. Sequitur Azor. p. 1. lib. 10. cap. 24. q. 1. Reginald. lib. 29. num. 46. & nu. 166. Nauar. in ſum. c. 25. nu. 88. Sylu. Verb. Miſſa q. 5. Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. c. 39. nu. 3. Chamerota de Miſſa num. 13. Miranda in man. prælat. quæſt. 80. A. 7. concl. 2.

5 Caietani opinio reijcitur.

Quicquid dicat Caiet. in opuſc. aſſerens; Sacerdotem ſine cauſa legitima, numquam celebrantem non peccare mortaliter, ſed tantum venialiter, quam opinionem, ægrè ferens Pius Papa V. deleri fecit in vltima impreſſione facta Romæ. Ita refert Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. de Miſſa punct. 7. nu. 1. alijque.

Bonac.

6 Concluſio. Tenetur Sacerdos aliquoties in anno celebrare.

Quapropter concludendo dicimus: Simplicem Sacerdotem, ne in læthalem culpam incidat debere aliquoties in anno celebrare, ſaltem in ſolemnitatibus præcipuis, non tamen tenetur in omnibus feſtis ſolẽnibus celebrare, modò aliquoties, ſaltem ter, aut quater in anno celebret, dummodò tamen, quando in diebus feſtiuis de præcepto non celebret Miſſam audiat; Nullo enim iure conſtat, ſimplicem Sacerdotem teneri in ſingulis ſolemnitatibus celebrare, cùm ſufficiat aliquoties, vt dixi, pro vt docet Henriquez in ſum. lib. 9. cap. 23. n. 2. Suarez & Bonac. cum alijs locis ſupra citatis.

Non tamen omnibus diebus feſtiuis. Henriq. Suar. Bonac.

7 Limitatio. Concil. Trid.

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliquod ſtatutum de hoc eſſet factum ab Epiſcopo, iuxta ordinem Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 14. vbi dicitur: *Curet Epiſcopus, vt ij, qui ad presbyteratus ordinem ſunt aſſumpti, ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent.* Quapropter in multis diœceſibus ſtatutum eſt, quod Sacerdotes, qui legitimo impedimento non tenentur, in ipſis diebus Miſſas celebrent: Excuſari tamen poſſent, ſi ſex, aut ſeptem diebus feſtiuis in anno Miſſam non celebrent, quia præceptum Epiſcopale non videtur cum tanto onere, & rigore receptum: pro vt refert Bonac. fuiſſe declaratum in congregatione Mediolanenſi, in qua tale ſtatutum factum eſt.

Excuſatio. Bonac.

8 In quibus caſibus tenetur Sacerdos celebrare. 1. Caſus ex præcepto ſuperioris.

Dico 2. Sacerdotem varijs modis obligari poſſe ad celebrandam Miſſam, & applicandam pro aliquo: Primò per obedientiam: vt quando ſuperior præcipit Sacerdoti ſibi ſubdito Miſſam celebrare, ſecundùm intentionem Prælati præcipientis, niſi aliquo legitimo impedimento fuerit impeditus.

9 2. Caſus ratione voti facti. Pſalm. 71.

Secundò poteſt obligari per votum celebrandi rationabiliter factum, quia tunc tenebitur celebrare, vt votum adimpleat, quoniam ſcriptum eſt Pſal. 75. *Vouete, & redite Domino Deo veſtro.*

10 3. Caſus ex promiſſione facta.

Tertiò ex promiſſione ſimplici, vel declaratione animi, & propoſiti facti celebrandi pro aliquo; & tunc ſine graui cauſa non decet propoſitum, & promiſſionem factam non adimplere.

11 4. Caſus ex obligatione facta.

Quartò ex promiſſione facta ex pacto, maximè quando pro tali Miſſa celebranda accepiſſet Eleemoſynam, quia tunc tenebitur ex Iuſtitia Miſſam pro dãte Eleemoſynam celebrare; pro vt communiter docent omnes Theologi ſupracitati, quibus addo Filliuc. to. 1. tract. 5. c. 6. nu. 272. Quintò poteſt obligari ratione beneficij Eccleſiaſtici, de quo in ſequenti quæſtione dicetur.

Filliuc. 5. Ratione beneficij. 2. Quæſitum.

12 In quibus caſibus ex iuſtitia tenetur celebrare.

Secundò Quæritur, quando nam Sacerdos ex Iuſtitia teneatur ſacrificium Miſſæ facere, ratione beneficij Eccleſiaſtici.

R. primò de beneficijs ſimplicibus.

Reſp. primò circa beneficia ſimplicia attendendam eſſe eorum inſtitutionem: Si enim Capellaniæ, ſiuè beneficia inſtituta ſunt ſimpliciter ad ſeruiendum Eccleſiæ in Choro, ſiuè ad Miſſam ſimpliciter celebrandam in Eccleſia præſentialiter, ſiuè pro audienda confeſſione, & huiuſmodi, tunc non tenentur huiuſmodi beneficiarij in eadem Eccleſia celebrando Miſſam applicare, niſi ſit peculiare ſtatutum, aut conſtet de intentione inſtituentis, ſiuè ſit talis conſuetudo illius Eccleſiæ communiter recepta: Ita docet Filliuc. loc. ſupra cit. Filliuc.

Reſpondetur 2. Circa beneficia curata quod; Huiuſmodi Sacerdotes curam Animarum habentes tenentur per ſe, vel per alios celebrare illis ſaltem diebus, quibus opus eſt, vt muneri ſuo ſatisfaciant, vt patet ex Trid. ſeſſ. 23. c. 13. Vt autem muneri ſuo ſatisfaciunt, præciſa alia obligatione, vel præcepto Epiſcopi tenentur celebrare, ſiuè per ſe, ſiuè per alios in propria Eccleſia, ſaltem ſingulis diebus, quibus populus tenetur Miſſam audire; pro vt docent Vaſq. 3. p. D. 232. c. 1. nu. 12. Azor. p. 1. lib. 10. c. 24. q. 2. Nauarr. in man. c. 25. num. 135. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 8. de Miſſa punct. 7. num. 4.

13 2 Reſponſio. De beneficio curato. Curatus tenetur diebus feſtiuis per ſe, vel per aliũ. Concil. Trid. Vaſq. Azor.

Ex quo ſequitur: Parochum non teneri ſingulis diebus celebrare, niſi ſpecialem habeat obligationem, cùm ipſius munus ad hoc non obliget, neque populus tenetur ſingulis diebus Miſſam audire: Fieri tamen poteſt, vt Parochus ſpeciali obligatione detineatur, aut peculiari aliquo decreto Epiſcopi obligetur ad certum Miſſarum numerum in Hebdomada celebrandum: Tunc enim in caſu tenebitur: Nam per Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 14. Epiſcopis impoſitum eſt onus curandi, vt Sacerdotes, curam Animarum habentes, tam frequenter Miſſas celebrent, vt muneri ſuo ſatisfaciant. Quapropter optimo iure poſſunt Epiſcopi certum Miſſarum numerum præſcribere in hebdomada Animarum Curam habentibus; Ità docent Rodriq. capit. 252. de Miſſa numer. 1. Nauarr. cap. 25. numer. 34. Bonacin. tom. 1. D. 4. q. 8. punct. 7. num. 4. alijque.

14 Parochus nõ tenetur ſingulis diebus celebrare. Limitatio. Concil. Trid. Epiſcopus poteſt numerũ Miſſarum taxare. Rodriq. Nauarr. Bonac.

Sic etiam dicimus, quod ſi in fundatione Parochiæ contineatur aliqua obligatio celebrandi Miſſam ſingulis diebus, ſiuè aliquo dierum numero in hebdomada illi obligationi omninò Parochus tenetur ſatisfacere, ſiuè per ſe, ſiuè per alium Sacerdotem: Standum enim eſt pactis, & conuentionibus; pro vt communiter docent omnes præcitati Doctores.

15 Conſideranda eſt fundatio Parochiæ, ſiuè beneficij.

Hic autem dubitari ſolet: An Parochus, quando Miſſam celebrat, teneatur illam pro ſuis ouibus applicare?

16 3. Quæſitum. An Parochi teneantur pro ſuis ouibus Miſſas applicare.

Reſpondetur, quod licèt Soto in 4. D. 13. q. 2. A. 2. & de iuſt. lib. 9. q. 3. A. 1. exiſtimet; Parochis adiunctam eſſe obligationem quotidiè offerendi Miſſam pro ſuis ouibus.

1. Sententia Soto.

Communis tamen Theologorum ſententia negat, ſaltem, quo ad quotidianam celebrationem pro ſuis ouibus: Nullum enim adeſt ius, neque conſuetudo, imò contrarium eſt in vſu, tum quia ex inſtitutione talium beneficiorum non conſtat eſſe talem obligationem, ſunt enim alij fines, pro quibus inſtituta ſunt, vt paſcendi Animas doctrina, miniſterio Sacramẽtorum, &c. Nam ſi hoc eſſet ſequeretur quod etiam Epiſcopus teneretur pro ſua Diœceſi, & ſuperior Religionis, pro ſuis ſubditis quotidiè Miſſam applicare, quod quidem falſum eſt; aluntur, enim (vt dixi) ad alios fines.

17 2 Sententia. Ratio.

Nam aliud eſt Parochum teneri ad dicendam Miſſam adhoc, vt Parochiani poſſint illam audire, & aliud eſt, teneri ad offerendum pro ipſis: Nam adhoc non tenetur ex vi muneris ſui, niſi aliquoties, iuxta conſuetudinem, ſiuè Epiſcopi declarationem: Pro vt docent Suarez tomo tertio, Diſt. 86. ſect. prima, Maior. in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3. diſt. 3. Nauarr. in man. capitul. 25. numer. 140. Cordub. libr. 1. qq. quæſt. 4. ſequitur Filliuc. tom. primo, tractat. quinto de Euchariſtia, capit. 6. numer. 174. Coninch. quæſt. 83. Art. 1. diſt. 11. concluſ. tertia, Bonacin. tom. primo, D. 4. q. 8. de Miſſ. p. 7. num. 5.

18 2 Sententia. Suarez. Maior. Nauarr. Cordub. Filliuc. Coninch. Bonac.

Ad-

19 Limitatio Concil. Trid.

Aduertendum eſt autem, quod Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de Reformatione dicit: Parochum teneri aliquando iure Diuino pro ſuis ouibus ſacrificium Miſſæ offerre, non tamen determinat tempus, ideo dicit Bonacin. ſupra: In hoc ſtandum eſſe iudicio boni viri, cùm indefinitè dicat (aliquando:) Quapropter exiſtimant Theologi: Parochum dicto iuri Diuino ſatisfacere, ſi in præcipuis ſolemnitatibus, ſiuè ſaltem ſemel in hebdomada ſacrificium pro ſuis ouibus offerat, quæ opinio videtur ſatis rationi conſentanea: Secundum Bonacinam loc. ſup. cit.

Explicatio. Bonac.

20 4. Quæſitum. An teneatur applicare ratione eleemoſynæ.

Quartò Quæritur: An Sacerdos ratione iuſtitiæ teneatur ſacrificare, & Miſſam applicare pro illis, qui ſtipendium, ſiuè eleemoſynam pro Miſſa celebranda tradiderunt.

Concluſio eſt affirmatiua.

Reſpondetur ex communi omnium conſenſu affirmatiuè: in hoc enim nulla eſt controuerſia: Et omnes vnanimiter conueniunt, dicentes: Sacerdotes in tali caſu teneri Miſſam facere, & applicare ſecundùm intentionem ipſorum, qui eleemoſynam dederunt pro Miſſa celebranda.

21 Ratio concluſionis.

Et Ratio præcipua eſt, quia interuenit inter eos cõtractus onerosus: *Do, vt facias*: Et quemadmodum qui promiſit ſtipendium tenetur ſoluere, ita Sacerdos, qui promiſit offerre, & recepit ſtipendium tenetur ſatisfacere: Quod patet ex communi vſu Eccleſiæ, ideò enim dantur priuata ſtipendia Sacerdotibus, vt ſemel, aut pluries pro dantibus ſacrificent, ſecundum eorum intentionem.

Dubitatio de ſimonia.

Nec valet dicere, quod in tali conuentione, & pacto interueniat ſimonia, quia in ea videtur dari temporale pro ſpirituali.

22 Solutio. Stipendium datur ratione laboris, & pro eleemoſyna.

Reſpondetur: In caſu non eſſe aliquam ſimoniam: Quia non datur ſtipendium pro ſacrificio ipſo, & fructu ſpirituali, ſed pro labore, & occupatione, & debito illo: Siuè melius dicimus: Non dari ſtipendium in pretium operis ſpiritualis, ſed ob ſubſtentationem neceſſariam naturali iure miniſtris debitam: prout bene aduertit Filliuc. d. tom. 1. de Euchariſtia tract. 5. cap. 6. num. 176.

Filliuc.

5. Quæſitum.

Quintò quæritur: Quod nam ſit iuſtum ſtipendium Miſſæ, pro quo oritur obligatio applicandi Miſſam.

23 Quale ſit iuſtum ſtipendium Miſſæ. Standum eſt taxationi. Nauarr. Soto.

Reſpondetur ſi taxatum ſit à ſuperiore, id eſt Epiſcopo illud erit iuſtum, quod eſt taxatum: Nam licèt ſtipendium non ſit verè pretium ſeruat tamen proportionem pretij, quatenus in eo ſeruanda eſt ratio iuſtitiæ: Sicut ergò illud iuſtum eſt pretium, quod eſt taxatum: Ità etiam, & ſtipendium: Ità Nauarr. capit. 25. numer. 106. Soto de iuſtit. lib. 9. quæſt. 6. numer. 1. ad 2. alijque.

24 Stipendium quando non eſt determinatum: quid faciendum.

Si verò ſtipendium non fuerit taxatum, illud erit iuſtum, quod communi conſuetudine receptum eſt, ſiuè dari ſolet à viris conſcientiæ timoratis: Non debent tamen in caſu Sacerdotes ſummum, & rigoroſum exigere, contendendo cum fidelibus more ſecularium negotiatorum, ſed contenti eſſe mediocribus eleemoſynis, ſecundum probatam conſuetudinem illius Prouinciæ. Ità Suar. to. 3. D. 86. ſect. 2. Filliuc. d. to. 1. tract. 5. c. 6. nu. 179.

Suar. Filliuc.

25 6. Quæſitum.

Sextò quæritur: An æqualitas iuſti ſtipendij ſpectanda ſic ex congrua ſubſtentatione Sacerdotis: Ità vt illud debeat dici iuſtum ſtipendium, quod ſufficiat illo die ad Sacerdotem ſubſtentandum.

Miſſa non eſt inſtituta pro ſubſtentatione Sacerdotum.

Reſpondetur: Hoc non eſſe neceſſarium: Non enim Miſſa principaliter inſtituta eſt pro ſubſtentatione Sacerdotum, tum quia actio ſacrificandi non exigit diẽ integrum: Multa enim ſunt alia opera, in quibus Sacerdos ſe poteſt occupare, vt lucretur, & habeat vndè ſubſtentetur, vt ſunt funera, confeſſiones, cantus, & alia opera manualia honeſta, & conuenientia ad Sacerdotem, vt ſcribere, docere, pingere, & alia huiuſmodi: Quapropter iuxta probatam conſuetudinem petendum eſt iuſtum ſtipendium, ſiuè iuxta Epiſcopi taxationem: Ità Nauar. to. 1. conſ. lib. 3. conſ. 8. de celebrat. Miſſ.

Nauarr.

26 Plura ſtipendia non poſſunt recipi pro vna Miſſa applicanda.

Quapropter Sacerdotes, ſiuè Sæculares, ſiuè Regulares ſint, cuiuſcumque conditionis non poſſunt plures pitantias accipere, & pro ijs vnica Miſſa ſatisfacere: niſi valdè tenues eſſent eleemoſynæ, ſiuè ſtipendia, & talia dantes conſenſerint in id, aliter enim facientes non ſolùm peccarent mortaliter, ſed etiam tenerentur ad reſtitutionem, niſi ſatisfaciant iuxta intentionẽ tradentis eleemoſynam. Prout hodiè ſtatutum eſt in Conſtitutione, & Decreto Sacræ Congregationis de Celebratione Miſſarum, tempore Vrbani VIII. & ideò in hac re nulla eſt difficultas.

Decretum Sacræ Congregationis de celebrat. Miſſ.

27 7. Quæſitum. Quilibet Sacerdos licèt ſit diues, poterit licitè recipere eleemoſynam.

Septimò quæritur: Quis nam poſſit licitè recipere huiuſmodi ſtipendia propter Miſſæ celebrationem.

Reſpondetur licitè recipere poſſe quoslibet Sacerdotes, ſiuè ſint pauperes, ſiuè diuites, ſiuè habeant beneficium, ſiuè Capellaniam, ſiue non modò quod talis Miſſa non ſit debita ratione beneficij, ſiuè aliqua Miſſa debeatur: Poterit tamen eleemoſynam accipere pro alijs Miſſis, quæ non debentur: Nam licèt Sacerdos diues habeat vndè ali poſſit, tamen Sacerdoti miniſtranti, vt ſic debetur ſtipendium, ergò iuſtè, & licitè accipit. Quapropter ſi diues Sacerdos habeat beneficia Eccleſiaſtica, ſiuè poſſet ex ſuis bonis patrimonialibus viuere, poteſt tamen de beneficio ſuſtentari, pro vt docent Suarez tom. 3. Diſtinct. 86. ſect. 6. & Nauarr. capit. 23. num. 102. & eſt communis opinio.

Suar. Nauarr.

28 8. Quæſitum.

Octauò Quæritur in particulari: An Parochi poſſint licitè accipere ſtipendia pro Miſſis celebrandis?

Parochi licitè poſſunt recipere ſtipendium pro Miſſa celebrãda.

Reſpondetur affirmatiuè: Ratio huius eſt, quia cùm Parochi non teneantur quotidiè pro ſuis ouibus Miſſam applicare, vt ex ſuprà dictis conſtat, ideò ſequitur liberè poſſe recipere ſtipendia pro illis diebus, quibus non obligantur, nam quò ad illos dies habent integrũ ius, ac ſi Parochi non eſſent.

29 Limitatio.

Quando verò Parochus tenetur pro ſuis ouibus Miſsæ offerre ſacrificium, tunc non poteſt in illis diebus accipere eleemoſynam pro illa Miſſa, quæ non eſt in ſua libertate: Aliter enim defraudaret intentionem dantium eleemoſynam pro Miſſa, quam volunt, & intelligunt, vt pro illis integrè applicetur: Ità Filliuc. tomo 1. tractat. 5. de Euchariſtia. capitul. 6. num. 184. Nauarr. cap. 25. num. 2. Suar. tom. 3. Diſt. 88. ſect. 3. & alij.

Filliuc. Nauarr. Suar.

30 9. Quæſitum. An Parochus poſset retinere ſibi partẽ ſtipendij datam pro Miſſ.

Nonò quæritur: An Parochus, qui multa ſtipendia recipit pro Miſſis celebrandis, poſſit poſtea, ſi illa ſtipendia diſtribuit in ſacerdotes alios ſtipendiarios partem aliquam ſibi retinere pro ſollicitudine, ſiuè alijs de cauſis?

Aſsertio. Per ſe loquendo non eſſet prohibitum ratione laboris.

Reſpondetur (per ſe loquendo) Non eſſe contra iuſtitiam ſi ratione ſollicitudinis, & laboris aliquid ſibi retineat, quando eleemoſyna erat pinguis, debet tamen in caſu iuſtum ſtipendium dare, iuxta taxam Sacerdoti ſtipendiario: Et Ratio huius eſt, quia Parochus primò accipiens ſtatim acquirit dominium illius pecuniæ cum obligatione dicendi tot Miſſas, quas poteſt, ſiuè per ſe, ſiuè per alium adimplere, ergò ſi poſtea integrè ſatisfaciat nulli facit iniuriam. Non ſtipendiario, quia illi iuſtum dat ſtipendium, vt ſupponimus, non illi, qui dedit eleemoſynam, quia Miſſa eiuſdem valoris pro illo offertur, & integrè, quapropter in hoc negotio non ſe gerit tanquam purus œconomus, ſed tanquam Dominus, accepti ſtipẽdij, ad quem ſpectat adimplere obligationem, & commodè poterit, ſiuè per ſe, ſiuè

Ratio aſſertionis.

Suar. Soto. Filliuc.

per alium; Ità docent Suarez d. tom. 3. D. 86. ſect. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 5. cap. 7. nu. 185. Soto de iuſt. & iur. lib. 9. q. 3. A. 1.

31 Limitatio per decretũ Sacræ Congregationis.

Verum eſt tamen, quod licèt huiuſmodi commutatio ſecundum ſe non ſit contra iuſtitiam habet tamen quandam ſpeciem turpis lucri, & auaritiæ, ideò non eſt conſulenda, ſed potius corrigenda, quantum fieri poſſet: Quapropter Sacra Congregatio Cardinalium in Decreto de Celebratione Miſſarum de mandato Papæ Vrbani VIII. per Decretum abſolutè determinauit, ne Sacerdotes retineant pro ſe partem eleemoſynæ, quam pro Miſſis celebrandis acceperunt, ſed eodem modo integrè diſpenſent eleemoſynam acceptã alijs Sacerdotibus, ſicut illis à fidelibus pro Miſſis celebrandis fuit tradita.

32 Quod maximè intelligendum eſt de illis, qui nullum habent officium, ob quod conſuetudo permittat illis aliquod ſtipendium pro labore, vt ſunt Parochi, & Sacriſtæ: prout dicit Nauar. d. c. 25. nu. 91.

Nauarr.

33 Ratio decreti Sacræ Congregationis.

Ratio autem Decreti Sacræ Congregationis eſt, quia voluntas dantis ſupponitur eſſe, vt totum illud ſtipendium pro Miſſis celebrandis detur Sacerdoti Miſſam celebraturo, ideòque ſecurius eſt, quod Decretum ſimpliciter obſeruetur, prout ſonant verba Decreti.

34 10. Quæſitũ.

Decimò quæritur; An Sacerdos pauper poſſit duplicata ſtipendia recipere pro qualibet Miſſa celebranda?

Sacerdotes ratione paupertatis, non excuſantur facientes cõtra Decretum.

Reſpondetur negatiuè: non enim poteſt ſacerdos vnica Miſſa ſatisfacere duobus ſtipendijs iuſtis, nec ſacerdotis paupertas dat illi facultatem accipiendi rem alienam, inuito Domino, aut vendendi rem carius, quàm valet, ſicuti hoc plenius, nos probauimus ſupra in tractatu primo de ſacrificio Miſſæ cap. 4. num. 28. & num. 34. Non enim Miſſa primò, & per ſe inſtituta eſt ad alendos pauperes Sacerdotes, faciendo contra iuſtitiam.

35 Priuilegia regularium in hoc fuerunt reuocata.

Et quamuis aliqui mendicantes Regulares obtinuiſſent priuilegium Papæ, vt minori numero Miſſarum ſatisfacere poſſent pluribus ſtipẽdijs habitis, quod fecerunt Summi Pontifices ex cauſa rationabili per modum iuſtæ diſpenſationis, applicando ex theſauro Eccleſiæ; quicquid ſatisfactionis minueretur ijs, qui ſtipendia dederunt; Modò tamen per prædictum Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium de Celebratione Miſſarum tales diſpenſationes reuocatæ fuerunt, abſque vlla limitatione: Quapropter hoc amplius facere non licet.

Decreti Congregationis.

36 11. Quæſitũ. De Miſſis votiuis.

Vndecimò quæritur; An qui promiſit celebrare Miſſam votiuam, ſiuè de Spiritu Sancto, ſiuè de Beata Virgine, ſiuè de Requiem: Poſſit licitè deindè dicere Miſſam eo die occurrentem, ſiuè aliam ad placitum, maximè ſi pro ea celebranda habuit eleemoſynam?

Sacerdos debet Miſſã celebrare, prout promiſit.

Reſpondetur quod: Ille Sacerdos, qui ex promiſſione, ſiuè ex fundatione beneficij, ſiuè Capellaniæ, tenetur celebrare certas, & peculiares Miſſas votiuas (per ſe loquendo) infideliter ageret, ſi alias miſſas votiuas ad placitum celebraret: Ratio huius eſt, quia Capellanus tenetur miſſas dicere, iuxta inſtitutionem Capellaniæ, ſiuè dantis eleemoſynam pro tali miſſa dicenda. Igitur ſecus faciendo infideliter ageret, quia nõ ſtat promiſſis, & fidem datam frangit: Prout colligitur ex c. Qualiter de Pactis; Ità docent Angel. ver. Miſſa, nu. 52. Armilla nu. 36. Bart. ab Ang. de Miſſa, §. 3. nu. 4. alijque quamplurimi.

C. Qualiter de pactis. Angelus. Armilla. Bart. ab Ang.

37 Limitatio. Poteſt eſſe ordine officij ſe conformare.

Dixi (per ſe loquendo) & ſine cauſa, quia ſi iuſta de cauſa alias miſſas, ſecundum Ordinem Calendarij dixerit, benefaceret, qualis eſſet ſolemnitas, & feſtum illius diei, de quo celebratum eſt officium, ſiuè duplex, ſiuè ſemiduplex, ſiuè etiam ſimplex: Tunc enim videtur licitè poſſe miſſam proprij diei celebrare, de quo dictum eſt officium: Ratio huius eſt, quia celebranda eſt Miſſa de eo, de quo ſit officium, & reprehenſibile eſt Sacerdotibus ad inſtantiam laicorum dimittere miſſas proprias propter peculiares ex deuotione; Ità dicit Panorm. in c. Quidam laicorum de Celebr. Miſſ. Seruandus enim eſt Ritus Eccleſiæ, & quiſquis debet Miſſalis vſui communi ſe conformari.

Ratio aſſertionis.

Panormitan.

38 Effectus Miſſæ ſemper eſt eiuſdem valoris.

Et quamuis Miſſa de Requiem, quam quis tenetur pro defuncto aliquo celebrare magis proſit defuncto, quam alia, ſi conſideretur ſecundum preces ab Eccleſia impoſitas ad hunc finem: Nihilominus ſi conſideretur, vt ſacrificium eſt, æqualiter prodeſt, & defectus Miſſæ petitæ ſuppleri, & compenſari poteſt deuotione, & interceſſione illius Sancti, de quo Miſſa celebratur: Pro vt docent Henriq. in ſum. lib. 9. de Miſſa c. 23. nu. 6. Tolet. lib. 2. c. 8. nu. 3. alijque quos nos citauimus ſupra in tract. de effectib. Miſſæ tract. 16. c. 4. nu. 46.

Henriq. Tolet.

39 Promittens Miſſã de Requiem, ſi dicat occurrentem in die iſtã tenetur ponere collectam pro defunctis.

Ex quo ſequitur primò Sacerdotem, illis diebus, quibus promiſit Miſſam, eo die currentem celebrare, non teneri collectam pro mortuis, ſiuè Miſſæ votiuæ, quam promiſerat adiungere: Neminem enim defraudat, quamuis collectam pro defunctis, ſiuè orationem Miſſæ votiuæ non recitet, cum poſſit licitè eo die Miſſam currentem celebrare, & defectum Miſſæ petitæ ſupplere, & compenſare orationibus illius miſſæ, quam celebrat: Ita Nauar. c. 25. nu. 100. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 7. §. 3. nu. 5. & alij.

Nauarr. Bonac.

40 Miſſæ etiam D. Gregorij poſſunt dici occurrẽtes, & interruptè.

Secundò ſequitur Sacerdotem illum, qui ſuſcepit onus celebrandi triginta miſſas Sancti Gregorij pro defunctis, non teneri ſingulas de Requiem celebrare, cùm poſſit dicere Miſſam eo die occurrentem, ſecundum officium illius diei, juxta ordinem Calendarij: Nec teneri dicere ſine interruptione, quia interruptio non tollit Miſſarum effectus, tum quia obligatio Miſſæ celebrandæ ſemper intelligitur, ſalua decentia, & honeſtate, quæ patitur, vt aliquando Miſſæ intermittantur. Ità Beia p. 1. caſu 23. verſ. Secundum nempè, Fraxinellus de obligatione Sacerd. ſect. 4. conc. 4. §. 5. Poſſeuin. c. 2. nu 44. ad finem: Bonac. Filliuc. Suar. alijque ſupra cit.

Beia. Fraxinellus. Poſſeuinus. Bonac. Suar. Filliuc.

41 12. Quæſitũ. De retardatione ſatisfaciẽdi Miſſas.

Duodecimò Quæritur: An Sacerdotes, qui ſunt notabiliter in mora ad celebrandas Miſſas pro ijs, à quibus eleemoſynam, ſiuè ſtipendium pro Miſſis celebrandis acceperunt peccent mortaliter?

42 Grauiter peccant Sacerdotes, qui retardant ad ſatiſfaciendas Miſſas debitas.

Reſpondetur affirmatiuè: Cuius ratio præcipua eſt, quia in his caſibus fieri poteſt, quod dilatio illa vergat in damnum illorum, pro quibus applicãdum erat Miſſæ ſacrificium pro illo tempore: Vt ſi tempus ſit elapſum ad obtinendum, quod intendebatur ab eo, qui eleemoſynam largitus eſt pro impetrando aliquo beneficio, mediante ſacrificio illo, ſiuè ad obtinendam ſanitatem alicuius infirmi, & tempore, quo Miſſa celebratur beneficium eſt alteri collatum, vel infirmus iam mortuus eſt, ſiuè tardius conſequitur ſanitatem propter dilationem ſacrificij non applicati, ſiuè quando data eſt eleemoſyna pro ſatisfactione Animarum, quæ detinentur in Purgatorio, quæ grauiſſimas patiuntur pœnas, quando ſacrificij oblatio differtur: Ità docent Rodriq. in ſumm. c. 132. concl. 2. Henriq. libr. 7. cap. 22. nu. 8. Sylu. ver. Miſſa, 1. q. 10. Petr. de Arag. lib. de iuſt. q. 83. A. 3. Bonac. tom. 1. D. 4. q. 8. p. 7. §. 5. nu. 8. Regin. lib. 23. nu. 236. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſt. c. 3. nu. 66. & alij.

Rodriq. Syluest. Aragon. Bonac. Reginald. Petr. Nauar.

43 An teneantur facere reſtitutionem ſtipendij?

Imò addunt Rodriq. & Petr. Nauarr. ſupra: Taliter facientes ſæpè ſæpius teneri ad reſtitutionem ſtipendij accepti, quando Miſſa celebranda erat pro aliqua gratia impetranda, quam petẽs propter retardationem Miſſæ non eſt cõſequutus: (Quod benè aduertunt

tunt Sacerdotes Mercenarij, qui magnum Miſſarum numerum promittunt ſatisfacere, quas deindè tardè notabiliter ſatisfaciunt in præiudicium conſcientiæ, & ſalutis Animæ.)

44 13. Quæſiti. De miniſtro inſeruiente.

Terriodecimò Quæritur, pro ſecunda parte huius capituli de miniſtro inſeruiente 1. An requiratur miniſter inſeruiens, & an aliquando poſſit licitè Miſſa ſine miniſtro celebrari?

An neceſſariò requiratur miniſter, qui in Miſſa reſpondeat.

Reſpondetur primò: Iure Diuino miniſtrum inſeruientem ad ſacrificium Miſſæ faciendum non eſſe neceſſarium. Non enim ratio ſacrificij id requirit, cùm à ſolo ſacrificante poſſit fieri etiam cum debita reuerentia, ſine defectu ſacrificij.

45 Requiritur de præcepto Eccleſiæ miniſter inſeruiens. Côc. Baſilen. In Miſſis priuatis ſufficit vnus.

Eſt tamen neceſſarius de iure Eccleſiaſtico, quod ſaltem in Miſſis priuatis ſit vnus miniſter inſeruiens, & reſpondens pro populo, vt habetur in cap. Propoſuiſti, & ex Concil. Baſilenſi, ſeſſ. 21. & ex Rubrica ipſius Miſſalis, & patet hoc ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ, communiter recepta, quæ ſemper ſaltem cum vno miniſtro inſeruiente ſacrificium Miſſæ celebrare conſueuit.

46 Quando dicitur Orate fratres alloquitur Eccleſiã.

Et quamuis quando dicitur in Miſſa: *Dominus vobiſcum, (Orate fratres,) Et omnium circumſtantium*, non videantur verba iſta verificari, quando tantum vnus ſolus adeſt in Eccleſia; Hoc tamen nihil eſt, quia in caſu Sacerdos, quando iſta dicit alloquitur Eccleſiam, ad eamque ſuam refert intentionem.

47 In Miſſ. cantatis requiruntur plures miniſtri. Filliuc. Suar. Soto. Graff.

Quapropter concludendo, dicimus: Sufficere tantùm vnum miniſtrum inſeruientem in Miſſis priuatis, quamuis in Miſſis ſolemnibus requirantur plures miniſtri, vt Diaconus, Subdiaconus, Acolyti, Cantores, &c. Ità docent Filliuc. tom. 1. tractat. 5. de Eucharistia, capit. 7. num. 191. Suar. tom. 3. de Sacramen. Diſt. 87. ſect. 1. Dominicus à Soto in 4. D. 13. quæſt. 2. A. 5. Graff. lib. 2. deciſ. cap. 42. num. 3. alijque ab ipſis citati.

48 In aliquo caſu neceſſitatis licebit ſine ſocio celebrare.

Verum eſt tamen, quod aliquando, ſi adſit aliqua neceſſitas, maximè fortuita, in aliquo caſu extraordinario: Vt E. g. ad dandum, ſiuè ſumendum Viaticum, vel in caſu magnæ ſolemnitatis, quando non adſit aliquis ſocius, qui poſſit Miſſæ ſacrificio deſeruire, tunc ſine aliquo ſcrupulo poterit licitè Sacerdos Miſſam celebrare ſine aliquo miniſtro ipſemet ſibi ipſi reſpondendo: Amen, &c. pro vt docet Gloſſa in c. Hoc quoque de conſ. D. 1. Soto in 4. D. 13. quæſt. 2. A. 5. Suar. D. 87. ſect. 1. Gloſſa. Soto. Suarez.

49 Limitatio de Eremita ſolitario.

Si verò neceſſitas, ſiuè potius cauſa non ſit huiuſmodi, ſed ordinaria, & regularis, tunc requiritur diſpenſatio; Vndè ſi aliquis Eremita ſolitarius determinaret ſtare in Eremo ſine ſocio, ſi eſſet Sacerdos indigeret diſpenſatione ad celebrandum, ità ſine ſocio, quia hoc eſſet præter communem Eccleſiæ conſuetudinem, & huiuſmodi non poteſt dici propriè neceſſitas, ſed potius voluntas, & nouus viuendi modus. Ità Filliuc. d. to. 2. tract. 5. c. 6. nu. 194. alijque ſup. cit. DD. Filliuc.

50 14. Quæſiti.

Quartodecimò quæritur: An talis miniſter inſeruiẽs neceſsè eſt eſſe virum, An verò aliquando poſſit eſſe etiam fœmina?

Non licet fœminæ in Sacro Altari miniſtrare.

Reſpondetur, quod non licet fœminis Sacerdoti in ſacro Altari miniſtrante deſeruire: quapropter miniſter debet eſſe maſculus, & non fœmina: Verum eſt tamen, quod in aliquo caſu quando non adeſt maſculus, qui ſciat reſpondere poterit fœmina reſpondere celebranti à longè, & remotè, vt monialis in Choro, ſiuè alia ex loco aliquo decente, quando maſculus non adeſſet, non tamen proximè miniſtrare debet ad Altare, reſpondendo, præbendo aquam, & vinum, aliaque ad miniſterium requiſita, vt dicitur in c. 1. de cohabit. Cleric. & mulierum: Vbi habetur: *Nulla fœmina ad Altare accedere præſumat, & presbytero celebranti miniſtrare*, idque propter indecentiam, & periculum. Ità Suarez D. 87. ſect. 1.

Poterit aliquando reſpondere de longinquo. Cap. 1. de cohabit. Cleric. & mul. Suarez.

51 Quæſiti 15. De obligationibus miniſtri inſeruientis.

Quintodecimò quæritur: Quæ, & qualis ſit obligatio miniſtri ſeruientis.

Reſpondetur quod miniſter ſeruiens Miſſæ debet primò ſcire, quæ quando, & quomodo reſpondere debet, ac diligenter tractare ea, quæ ad ſe pertinent, vt ex parte ſua nullus (ſi fieri poſſet) error committatur. Denique ſi nullus adſit, qui reſpondere ſciat: Poſſet tamen Sacerdos in caſu alicuius neceſſitatis, licèt minoris, docere, & inſtruere quantum poteſt inſeruientem, quando neſciret reſpondere præueniendo, & verba reſponſionum cum eo dicẽdo, & ſic poterit abſque ſcrupulo Miſſam celebrare: prout docet Filliuc. d. tom. 1. tract. 5. c. 6. nu. 169. & Suarez d. tomo tertio, D. 87. ſect. 2. alijque: Et hæc de miniſtris ſacrificij Miſſæ ſint ſatis. Filliuc. Suar.

DE PRAECEPTIS ADSTANTIVM, & audientium Miſſam.

CAP. II.

1 PRo complemento iſtius tractatus, iſtiuſque materiæ, quæ eſt de ſacrificio Miſſæ, dicendum ſupereſt de præceptis adſtantium Miſſæ, ac eorum obligationibus circa præceptum de auditione Miſſæ: Quapropter eſt primò ſciendum.

2 Omnes fideles tenentur in diebus Feſtiuis Miſſam audire. Canones. Can. Miſſa. Can. Omnes fideles.

Præceptum eſſe Eccleſiaſticum, vt omnes, & ſinguli Chriſti fideles, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, ſaltem in diebus Feſtiuis de præcepto, & ſingulis diebus Dominicis ſacrificio miſſæ aſſiſtere, niſi legitimo impedimento fuerint impediti, prout habetur in can. Miſſa, & can. Omnes fideles, de Conſecrat. diſtinct. 1. Vbi præcipitur, vt quilibet fidelis poſtquam ad vſum rationis peruenerit Miſſam audiat in diebus feſtiuis de præcepto: Quapropter ſequitur illos teneri ſub pœna culpæ mortiferæ in illis diebus Miſſam audire iuxta præceptum Eccleſiæ, vt docent communiter Theologi omnes: vt Suarez tom. 3. de Sacrament. Diſtinct. 88. ſect. 4. Nauarr. capit. 21. num. 1. Henriq. libr. 9. capit. 25. num. 1. alijque omnes communiter. Suar. Nauarr. Henriq.

3 Quid intelligitur nomine Miſſæ auditionis.

Nomine autem Miſſæ intelligitur actio illa, per quã quis intereſt Miſſæ ſacrificio humano modo, corpore videlicet, & mente, & ſit in tali diſtantia, vt poſſit ſaltem audire, ſiuè videre Sacerdotem, & attendere ad illius miniſterium.

4 Amentes, & infantes non tenentur.

Ex quo ſequitur: Amentes, Ebrios, & Pueros ante vſum diſcretionis exiſtentes in Eccleſia, dum Miſſa celebratur non dici Miſſam audire, quia nequiunt humano modo intereſſe: Quapropter illi, qui illorum curam gerunt non tenentur curare, vt tales Miſſæ ſacrificio interſint, pro vt docent Sanchez in oper. moral. lib. 1. c. 12. nu. 17. Nauar. in man. c. 21. nu. 2. Sanchez. Nauarr.

5 Voluntariè diſtracti: An ſatisfaciant?

Similiter etiam illi, qui aſſiſtunt corporaliter, tamen voluntariè ſunt diſtracti, attendentes ad alia negotia non ſatisfaciunt, quia tales, etſi corporaliter ſint præſentes, non interſunt tamen mentaliter cùm voluntariè vagentur aduertentes, ſe mente vagari.

6 Opinio negatiua, & ratio in qua fundatur. Suar. Bonac.

Duo enim requiruntur ad auditionem Miſsæ: corporalis præſentia, & mentalis, quorum altero deficiente non impletur præceptum ſecundum probabiliorem, & communiorem ſententiam Theologorum: Ità Suar. d. to. 3. D. 88. ſect. 3. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 11. n. 4. alijque DD. infra cit.

7 Opinio affirmatiua probabilis.

Dixi, (ſecundum communiorem ſententiam) quia ſunt aliqui Theologi, qui dicunt; Intentionem internam non eſſe neceſſariam ad præcepti obſeruantiam,

tiam, dum tamen non faciant actiones externas incompoſſibiles ad Miſſæ aſſiſtentiam; quorum ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt præcipere, niſi quod poteſt punire, ſed non poteſt punire actus internos; ergò illos non poteſt præcipere: Eccleſia enim non iudicat niſi exteriora, cùm ergò attentio mentalis ſit actus internus, ergò non præcipitur talis actus ab Eccleſia, ergò non tenentur fideles Miſſæ ſacrificio mentaliter aſſiſtere, ſed ſufficit præſentia corporalis, dum tamen, vt dixi actiones externas incompoſſibiles non faciant. Ità Coninch, de Sacr, q. 85. art. 3. n. 191. Leſ. 2. de quæſt. cap. 27. d. 2. num. 63. Henriq. lib. 9. cap. 25. num. 5. cum alijs, quos ſequitur Diana p. 2. de Horis Canon. Reſolut. 2.

Ratio iſtius opinionis.

Coninch. Henriq. Diana.

8 Communior tamen opinio oppoſitum docet dicēs: Attentionem mentis neceſſariam eſſe ad Miſſæ auditionem: Nam Eccleſia præcipit auditionem Miſſæ, vt eſt actus humanus, & religionis: Quomodò autem poteſt eſſe talis actus ſine mentis attentione? ergò non ſolùm requiritur corporalis præſentia, verum etiam mentis attentio.

2. Sententia eſt probabilior, & communior.

9 Ad fundamentum Coninchii, & aliorum dicimus: Eccleſiam ſaltem indirectè præcipere poſſe, etiam actus internos, ideò præcipiens auditionem Miſſæ, qui eſt actus Religionis, non ſolùm præcipit aſſiſtentiam corporalem, verum etiam, vt humano, & religioſo modo adimpleatur, qui actus, abſque mentis aſſiſtentia ſimul cum corporali eſſe non poteſt.

Reſpondetur ad fundamentum 1. Opinionis.

10 Et ideò verior, & communior ſententia Theologorum eſt; Non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ auditionis Miſſæ ab eo, qui voluntariè mente in rebus alienis vagatur, ſi plenè aduertat ſe diſtractum eſſe ad aliena negotia: Ità docent doctiſſimus Vaſquez tom. 2. p. 2. D. 160. num. 30. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 16. quæſt. 6. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 26. num. 3. Nauarr. de orat. cap. 13. num. 18. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 8. de Miſſa p. 11. num. 4. Em. Sà ver. Horæ Canon. num. 19. Medin. in ſum. lib. 1. cap. 14. §. 11. Caiet. 2. 2. quæſt. 83. Artic. 13. Comitulus in reſolut. moral. libr. 1. quæſt. 63. Syluius in 2. 2. quæſt. 83. Art. 13. concl. 4. Sayrus de cenſuris lib. 3. cap. 4. num. 23. Rodriquez tom. 1. capit. 143. num. 1. Fernand. in exam. Theolog. part. 3. cap. 13. §. 6. num. 1.

Concluſio eſt pro prima ſententia.

Vaſq. Azor. Suar. Nauarr. Bonac. Em. Sà. Mirand. Caietanus. Comitulus. Syluius. Sayrus. Rodriq. Fernandez.

11 Quæritur modò: An Fideles Chriſtiani teneantur tres Miſſas, ab vno Sacerdote celebratas audire in die Natiuitatis Domini: An ſufficiat vnam tantum audire, non curando de cæteris.

In die Natiuitatis Domini ſufficit vnam Miſſam audire.

Reſpondetur ſufficere pro ſatisfactione præcepti vnicam tantùm Miſſam ex illis tribus audire: Ratio huius eſt, quia Eccleſia tantùm præcipit auditionem Miſſæ in quolibet die feſto, ſine exceptione aliqua: Ergò audiens vnicam Miſſam in tali die ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, ſed quælibet Miſſa celebrata ex tribus eſt verè Miſſa, & verum ſacrificium, ergò audiens vnicam Miſſam ex illis adimpleuit præceptum Eccleſiæ de auditione Miſſæ, ergò non tenetur de præcepto omnes tres Miſſas audire: Ità Nauarr. cap. 21. num. 2. Sylu. verb. Miſſa 2. num. 1. Bonac. tom. 1. diſt. 4. quæſt. 8. part. 11. num. 10. Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 5. Suarez D. 88. ſect. 2. Naldus verb. Miſſa num. 10. & alij communiter.

Nauarr. Syluest. Bonac. Henriq. Suar. Nald.

12 Secundò quæritur de materia præcepti: Quæ ſcilicet Miſſa audienda ſit, & quantum eius an integra?

Tota Miſſa integrè eſt audienda.

Reſpondetur: Totam Miſſam eſſe audiendam integrè à principio vſque ad finem; vt habetur ex can. Omnes, & can. Miſſas de conſ. D. 1. vbi dicitur: *Miſſas totas audire præcipimus*, & in can. Cum ad celebrandum, eadem diſtinctione prohibentur fideles, ne ante completam benedictionem Sacerdotis diſcedant ab Eccleſia, & talis eſt communis Eccleſiæ vſus.

Canones. C. Miſſas. C. Omnes fideles. C. Cum ad celebrandum.

Quapropter nulla pars Miſſæ voluntariè omittenda eſt, & eius omiſſio peccatum erit grauius, ſiuè leuius iuxta quantitatem partis Miſſæ omiſſæ: Eſſet autem mort. peccat. quando plus quartæ partis Miſſæ voluntariè omitteretur; cenſetur autem quarta pars ab initio Miſſæ, vſque ad Euangelium excluſiuè, vel à Communione finita ad finem: Quare ſi quis à principio Euangelij, vſque ad finem audiat non peccat mortal. prout docent Dominic. à Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 1. Nauar. c. 21. nu. 2. Filliuc. to. 1. tract. 5. c. 7. nu. 202. & alij. 13

Quartam partem Miſſæ tantum non audire, non eſſet mortale.

4. Pars Miſſæ quæ ſit. Soto. Nauarr. Filliuc.

Si verò incipit audire à fine Euangelij, ſi deindè in fine Miſſæ audiat vltimum Euangelium probabile eſt etiam non peccare mortaliter, quia vnum tantùm Euangelium eſt de præcepto non duo, ideò, &c. Suarez tom. 3. de Sacrament. Diſtinct. 88. ſect. 2. & alij ſup. citat. 14

Vnum tantū Euangelium eſt de præcepto auditionis Miſſæ. Suarez.

Secundò infero: poſſe aliquem ſatisfacere præcepto de auditione Miſſæ, qui vnam partem Miſſæ audit, ab vno Sacerdote celebrante, & alteram ab alio: Vt ſi quis veniens ad Eccleſiam tempore eleuationis Sanctiſſimi Sacramenti, reliquum illius Miſſæ audiet ab alio celebrante, vſque ad eleuationem Sanctiſſimi. Ratio eſt, quia talis ità audiens dicitur verè Miſſam audire: Et Eccleſia non præcipit, vt Miſſa tota audiatur ab vno celebrante, ſed ſimpliciter præcipit Miſſam audiri: Duæ autem medietates Miſſæ conſtituunt vnā Miſſam integram, quemadmodum vnum dicitur ſacrificium, quando deficiente vno Sacerdote poſt conſecrationem, alter ſupplet, & perficit, quod ab altero fuerat prætermiſſum. 15

Medietatem vnius Miſſæ ab vno, & alteram medietatem ab altero audire ſatisfacit.

Imò addo (in rigore loquendo) Eum ſatisfacere præcepto Miſſæ, qui duorum Sacerdotum ſimul in eadem Eccleſia celebrantium audit ſimul medietatem vnius, & medietatem alterius: vt ſi audiat Miſſam alicuius Sacerdotis, vſque ad conſecrationem, & eodem tempore audiat Miſſam alterius Sacerdotis à conſecratione, vſque ad finem. 16

Duæ medietates Miſſæ poſſunt ſimul audiri.

Sic etiam dicimus: Poſſe aliquem eodem tempore tres Miſſas: E.g. quæ in eadem Eccleſia debita diſtantia eodem tempore celebrantur à tribus Sacerdotibus audire, & ſatisfacere pœnitentiæ, iniunctæ à confeſſario audiendi tres Miſſas; Et illo vnico actu vnius aſſiſtentiæ pœnitentiam adimplere, tanquam ſi tres Miſſas diſtinctas audiſſet; Ità docent Rodriq. in ſumm. capit. 123. num. 1. Graff. libr. 2. cap. 35. numer. 4. Azor. part. 1. lib. 7. cap. 3. quæſt. 3. Henriq. in ſumm. lib. 9. cap. 25. num. 8. Em. Sà, ver. Miſſæ auditio, num. 8. Bonacin. tom. 1. Diſtinct. 4. quæſt. 8. punct. 11. num. 13. alijque multi communiter, quos citat Diana. Quamuis Coninch. de Sacramentis, num. 288. teneat opinionem oppoſitam. 17

Tres, aut plures Miſſæ poſſunt vnica aſſiſtentia ſimul audiri.

Rodriq. Graff. Azor. Henriq. Em. Sà. Bonac.

Tertiò infero; Illum non ſatisfacere præcepto, qui Miſſæ ſacrificio non interſit, dum fiunt tres illæ partes ſubſtantiales ſacrificij, quæ ſunt conſecratio, oblatio, & conſumptio; non enim iſte talis excuſari poteſt ex leuitate materiæ, cùm omittatur pars, pertinens ad ſubſtantiam ſacrificij: Ità Henriquez libr. 9. capitul. 25. numer. 7. ad finem, Nugnus quæſt. 83. Articul. 6. dub. 3. poſt tertiam concluſionem, Bonacina: & alij. 18

Partibus eſſentialibus ſacrificij eſt aſſiſtendum.

Henriq. Nugn. Bonac.

Quartò Infero: Cæcum, aut ſurdum, qui Miſſæ interſunt cum deuotione ſatisfacere præcepto, etiam ſi longè diſtent à celebrante, dum tamen ſint in Eccleſia præſentes, dum Miſſa celebratur; nam huiuſmodi interſunt corpore, & mente, vt ſupponimus; quapropter non eſt de eſſentia videre Sacerdotem celebrantem, neque verba illius audire, cùm ſufficiat tantum aſſiſtere corporaliter, & mentaliter in Eccleſia dum Miſſa celebratur. 19

Cæcus, & ſurdus ſatisfacit aſſiſtendo Miſſæ.

Non eſt neceſſè audire verba celebrantis, aut videre.

Ex quo etiam ſequitur: Eum qui audit Miſſam 20

à Sa-

D. Anton. Nauarr. Sylu. Graff. Soto. Bart. ab Ang.

à Sacerdote, qui etiam ſubmiſſa voce legat ſatisfacere præcepto, quia non tenetur verba audire, ſed tantummodò aſſiſtere, vt dixi: Ità docent D. Ant. 2. par. tit. 9. cap. 10 §. 1. Nauarr. cap. 21. num. 8. Sylueſt. Verb. Miſſa 2. q. 1. Henriq c. 25. num. 4. Graff. p. 1. Deciſ. lib. 2. c. 53. nu. 9. Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 1. Bartol. ab Angel. de Miſſa §. 808.

21 Neſciens eſſe diem feſtiuũ ſatisfacit. D. Thom. Henriq. Sylu.

Quintò infero, eum qui Miſſam audit, neſciens eſſe diem feſtum non teneri aliam Miſſam audire, quamuis poſtea, non dum elapſo meridie intelligat eſſe diem feſtum: Ità Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 104. Art. 3. ad ſecundum, Henriq. cap. 25. num. 6. Sylu. Verb. Hora num. 14.

22 Etiam animo non ſatisfaciendi præcepto.

Similiter, dico: Eum, qui ſemel Miſſam audiuit, animo non ſatisfaciendi præcepto de ſatisfactione Miſſæ, ſed cum intentione audiendi aliam Miſſam: Non teneri aliam, re ipſa audire, quia iam adimpleuit præceptum; eò quod Miſſæ interfuit corporaliter, & mentaliter, (vt ſupponitur) Ratio iſtius eſt, quia Eccleſia abſolutè, & ſimpliciter præcipit Miſſæ auditionem per aſſiſtentiam in die feſto, quauis intentione audiatur: Ità docent Rodriquez in ſumm. cap. 123. nu. 2. Azor. par. 1. lib. 7. cap. 2. quæſt. 6. Nauarr. c. 23. nu. 42. & alij.

Rodriq. Azor. Nauarr.

23 Mutando intentionẽ non tenetur amplius ad præceptum. Suar. Bonac. Henriq.

Hinc etiam ſequitur: Eum, qui audita Miſſa, ſiuè recitatis horis Canonicis, agitatus ſcrupulis debitæ attentionis, dicit: Habeantur pro non dictis: Iterum Miſſam audiam: Non teneri depoſitis ſcrupulis horas repetere, aut aliam Miſſam audire, quia re ipſa adimpleuit præceptum: Ità docent Suarez d. tom. 3. Diſt. 88. ſect. 3. Bonac. d. tom. 1. Diſtinct. 4. quæſt. 8. punct. 11. num. 23. Henriquez in ſumm. capit. 25. num. 6. alijque.

24 Dormientes, aut confabulantes non ſatiſfaciunt.

Sextò Infero: Illos, qui tempore Miſſæ notabiliter confabulantur, vel dormiunt, nugantur, ſiuè rident cũ alijs, ità vt omninò impediatur attentio neceſſaria ad Miſſæ auditionem, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa.

25 Faciens actus incompoſſibiles non ſatiſfacit.

Similiter etiam: Illum, qui tempore Miſſæ pingit, aut alios docet, ſiuè alios actus incompoſſibiles facit ad Miſſæ attentionem, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, quia iſte talis non interſit mentaliter, cùm exerceat actus, qui communiter excludunt, & impediunt debitam attentionem: Ità Henriq. d. c. 25. nu. 5. Graff. lib 2. deciſ. c. 53. nu. 8. Angelus Verbo Feriæ nu. 43. Caiet. in ſum. verbo Feſtorum violatio: Suar. d. to. 3. D. 88. ſect. 3. & alij.

Henriq. Graff. Angel. Caiet. Suar.

26 Limitantur prædicta quando adeſſet ſufficienter attentio.

Secus autem eſſet, ſi ita confabuletur, ſiuè rideat, vt non omninò impediatur attentio requiſita ad Miſſæ ſacrificium audiendum: Nam in caſu iſte talis diceretur habere ſufficientem attentionem, quia videtur intereſſe corporaliter, & mentaliter, vt ſupponitur, pro vt docet Dominicus à Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. Artic. 2.

27 Recitans Diuinum officium, & audiens Miſſã ſatisfacit. Ratio aſſertionis.

Similiter etiam dicimus, & multò ſecurius: Eum qui recitat horas Canonicas, quas tenetur ex præcepto recitare, ſiuè recitat pęnitentiam, iniunctam à confeſſario, ſiuè cogitet res diuinas, dum audit Miſſam in die feſto de præcepto ſatisfacere vtrique obligationi, tam Miſſæ, quàm Diuini officij: Ratio huius eſt, quia iſtæ duæ actiones non ſunt incompoſſibiles, cùm iſte talis aſſiſtat ſacrificio Miſſæ, non ſolùm corporaliter, verum etiã mentaliter ideò &c. Ità docent Theologi vt Suar. d. D. 88. ſect. 3. Bonac. to. 1. D. 4. q. 8. p. 11. nu. 22. Em. Sà Verb. Miſſæ auditio nu. 2. Rodriq. in Sum. c. 223. nu. 3. Graff. lib. 2. deciſ. c. 35. nu. 10. Nauar. c. 21. nu. 8. Henriq. cap. 25. nu. 5.

Suar. Bonac. Em. Sà. Rodriq. Graff. Nauarr. Henriq.

28 Tertiò Quæritur: Cuius Sacerdotis, & qualis Miſſa, & quo in loco Miſſa ſit audienda pro ſatisfactione præcepti?

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

A quocumq; Sacerdote Miſſa audiri poteſt.

Quo ad primum quæſitum: Reſpondetur: Miſſa licitè, & validè audiri poteſt, pro ſatisfactione præcepti à quouis Sacerdote, ſiuè ſit bonus, ſiue malus, etiam concubinarius, dum tamen excommunicatus publicus, & declaratus, ſiuè degradatus, ſiuè ſuſpenſus non ſit: Ratio huius eſt, quia Eccleſia ſimpliciter præcipit Miſſæ auditionem in die feſto, ergò præceptum adimpletur cuiuſcumque veri Sacerdotis Miſſa audiatur: (Dixi autem dummodò excommunicatus publicus non ſit) quia cum talibus in ſacris participare non licet, abſque peccato mortali.

Ratio aſſertionis. Limitatio.

29 Quæcumque Miſſa audiatur adimpletur pręceptũ.

Ex quo ſequitur: Præceptum de auditione Miſſæ ſatisfieri poſſe per quamcumque Miſſam etiam defunctorum, ſiuè votiuam, quia quomodocumque Miſſa dicatur ſemper eſt vera Miſſa: Eccleſia autem non pręcipit niſi, vt ſimpliciter Miſſa audiatur in die feſto, non autem præſcribit de illo die. Quod quidem patet ex communi conſenſu omnium Theologorum, & communi Eccleſiæ conſuetudine: Ità docent Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. Art. 1. Sylu. Verb. Miſſa 2. quæſt. 2. Nauar. c. 21. num. 7. Suarez D. 88. ſect. 2. Filliuc. tract. 5. cap. 7. num. 204. Caietan. Verb. Feſtorum violatio & alij.

Soto. Sylu. Nauarr. Suar. Caiet.

Conſulendum tamen eſt, vt quando commodè fieri poteſt audiatur Miſſa diei, de quo feſtum celebratur præſertim in ſolemnitatibus præcipuis, & Dominicis diebus: non tamen hoc eſt de neceſſitate, ſed de conſilio, vt dixi. 30

31 Latini audiendo Miſſam Sacerdotis Græci ſatisfaciũt.

Quo ad ſecundum quæſitum: Reſpondetur præceptum Miſſæ ſatisfieri poſſe etiam ſi audiatur Miſſa ſecundum ritum Græcorum, ſiuè Syrorum: nam præceptum Miſsæ datum eſt ab Eccleſia ſimpliciter de vera Miſſa tantum audienda: nõ autem de Latina, aut Gręca: Cum autem Miſſa ſecundum ritum Græcorum, ſiuè Syrorum, ſit vera Miſsa, vt ſupponimus, ideò ſatiſfaciunt fideles Latini audiendo Miſſam Græcorum, ſiuè Syrorum, dum tamen huiuſmodi hæretici, ſiuè ſchiſmatici non ſint.

32 Similiter Gręci audientes Miſſam Latinorum.

Similiter Græci Chriſtiani audiendo Miſſam ſecundum ritum Latinorum: Imò addo, quod quando non adſit in die feſto niſi Miſsa Græcorum, ritè celebrantium tenentur fideles Miſsam illam audire, pro ſatiſfactione præcepti: Similiter etiam Græci Miſsam Latinorum pro vt docent Filliuc. d. tract. 5. cap. 7. numer. 204. Conitul. lib. 1. quæſt. 47. Nauar. de Celebrat. Miſs. conſ. 5.

Filliuc. Comitul. Nauarr.

33 In quocumq; loco adimpletur pręceptũ.

Quo ad tertium de loco audiendi Miſsam; Reſpondetur præceptum audiendi Miſſam adimpleri poſſe quocumque loco Miſſæ ſacrificium audiatur ſiuè in propria Parochia, ſiuè in Eccleſia Regularium, ſiuè in Oratorijs priuatis, ſiuè extra Eccleſiam Miſſa celebretur: Ratio huius eſt, quia Eccleſia tantum præcipit Miſſæ auditionem, & non præſcribit locum, ergò præceptum adimpletur quouis loco Miſſa audiatur: Ità Tolet. in ſumm. lib. 6. cap. 7. Azor. part. 1. lib. 7. c. 6. quæſt. 3. 4. 7. & Rodriq. in ſumm. cap. 123. nu. 6. Nauar. cap. 23. num. 5. Suarez d. 88. ſect. 2. Graff. part. 1. deciſ. lib. 2. cap. 35. num. 5. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 8. par. 12. num. 4.

Ratio aſſertionis. Tolet. Azor. Rodriq. Nauarr. Suar. Graff. Bonac.

34 Miſſam extra portam Eccleſiæ non licet audire. Bonac.

Hic tamen aduerte, quod ſi Miſsa intra Eccleſiam celebratur, non licèt extra portam Eccleſiæ, ſiuè à loco notabiliter diſtante audire, quia tunc non diceretur iſte talis verè corporaliter Miſſę ſacrificio aſſiſtere: Ità Bonac. ſupra.

35 De cauſis excuſantibus ab auditione Miſſæ.

Quartò quæritur: De cauſis excuſantibus à præcepto auditionis Miſſæ, quæ proueniunt ex impotentia: quia impoſſibilium non eſt obligatio: Hæc autem impotentia: Triplex eſt: Corporalis Vid. Spiritualis, & Moralis, de quibus omnibus ſpecialiter eſt dicendum: quàpropter

36 Impotentia corporalis excuſat quando eſt abſoluta.

Circa primum de Impotentia corporali, Reſpondetur: Impotentiam corporalem audiendi Miſſam eſſe legitimam cauſam excuſantem: Quæ quidem impotentia quando eſt abſoluta, quæ ſimpliciter dicitur: tunc nullum dubium eſt: vt ſi quis graui infirmitate laboret, ſiuè detineatur in ſecreto carcere, ſiuè non ſit in illo loco Sacerdos, faciens ſacrum, ſiuè ſit valdè diſtans, adeò vt non poſſet abſque graui damno ad Miſſam audiendam pergere: tunc ſecundùm omnes in talibus non eſt obligatio audiendi Miſſam: quia impoſſibilium, vt dixi, non eſt obligatio.

37 Quid faciendum in dubio, an ſit vere impotentia.

Si verò talis impotentia non ſit ſimpliciter, ſed ſecundum quid, tunc arbitrio prudentis opus eſt, vt ſi infirmus conualeſcat, & dubitetur: Vtrum exeundo de domo ad Miſſam audiendam incurrat periculum morbi, tunc in huiuſmodi caſibus petendum eſt conſilium à medico, ſiuè ſuperiore, ſiuè Parocho, ſiuè à confeſſario. niſi ipſe talis vir ſit ſufficienter prudens, qui rectè valeat in hoc iuſtum ferre iudicium: Manente autem dubio, non debet è domo exire, ne ſe exponat periculo grauioris morbi: Vnuſquiſque enim tenetur propriam ſalutem conſeruare: Ità Nauar. cap. 21. num. 3. Suarez d. D. 88. ſect. 6. Henriquez capit. 21. num. 10. Graff. p. 1. lib. 2. cap. 53. nu. 5. Sylu. Verbo Miſſa 2. num. 2. Tabien. in 47. Armill. num. 29. Angel. Verb. feriæ numer. 42. Dom. à Soto in 4. d. 13. quæſt. 2 Art. 1. alijque.

Nauarr. Suar. Henriq. Graff. Sylueſt. Tabiena. Armilla. Angel. Soto.

38 Propter ſeruitium infirmi, ſiuè honorē excuſatur.

Ad hanc impotentiam reducitur illa, propter quam nequit quis audire Miſſam ſine graui detrimento ſui, vel proximi, ſiuè in corpore, ſiuè in fama, ſiuè in honore: vt ſi quis adſcriptus ſit ad cuſtodiam alicuius infirmi, & non habeat ſocium, neque poſſet infirmum relinquere abſque infirmi detrimento, tunc iſte talis excuſabitur ab auditione Miſſ. propter charitatem debitam proximo.

39 Detentus in carcere excuſatur.

Similiter etiam dicimus: Si quis ex præcepto ſuperioris, ſiuè per iniunctionem Iudicis competentis interdictum fuerit è domo exire, ſiuè ob promiſſionem, iuramento firmatam non poſſet domo exire, & cogeretur manere domi loco carceris: tunc in huiuſmodi caſibus excuſaretur ab auditione Miſſæ propter talem impotentiam.

40 Non tenetur vti priuilegio de celebratione in domo.

Nec ſi iſte talis haberet priuilegium faciendi celebrare in propria domo, propterea teneretur Sacerdotem ſtipendiarium quærere, vt in propria domo Miſſam audiat in die feſto pro ſatisfactione præcepti: Ratio huius eſt, quia præceptum Eccleſiæ non obligat ad hanc diligentiam adhibendam, ſed ſimpliciter ad Miſſam audiendam, quando poteſt: licitè autem hic, & nunc non poteſt iſte talis Miſſam audire cum domi detineatur, nec poſſit adhibere ea, quæ adhibentur à cæteris pro Miſſa audienda: priuilegium autem concedit, ſed non adſtringit: ergò &c. Ità Suarez d. tom. 3. Diſt. 88. ſect. 6. Azor. par. 1. libr. 7. quæſt. 11. Filliuc. tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 224. Bonac. tom. 1. D. 4. quæſt. 8. p. 12. num. 14. Tolet. in ſumm. cap. 9. aliique multi.

Suar. Azor. Filliuc. Bonac. Tolet.

41 Aliquorū opinio oppoſita. Nugn.

Quamuis aliqui, vt Nugnus in 3. part. quæſt. 83. Articul. 6. circa finem exiſtiment: Illos, qui ex priuilegio poſſunt licitè domi Miſſam audire teneri in diebus feſtiuis Sacerdotem ſtipendiarium ad ſe vocare, vt in proprio Oratorio domi Miſſam celebret, vt præceptum Eccleſiæ audiendi Sacrum adimpleant: quorum ratio eſt, quia, qui tenetur ad finem tenetur ad media ad conſequendum finem, ſed ille, qui habet domi Oratorium approbatum tenetur Miſſam audire, ergò tenetur etiam ad media, ſaltem facilia, & commoda ad Miſſam audiendam, ideòque iſte talis tenebitur Sacerdotem ſtipendiarium ad ſe vocare ad celebrādum, quia ſine magno incommodo hoc facere poteſt propter priuilegium, quod habet: ergò dicunt iſti, quod ſi ſecus faceret non excuſabitur à tranſgreſſione præcepti.

Ratio iſtorū Doctorum.

42 Soluitur argumentum contrariæ opinionis.

Reſpondetur tamen ad opinionem iſtorum: Non eſſe talem obligationem: ad rationem adductam: Reſpondetur gloſſando maiorem: Nam verum eſt, quod: Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, non extra ordinaria, ſed ordinaria, & conſueta, cuiuſmodi non eſt adductio Sacerdotis ſtipendiarij ad celebrādum in propria domo, quia ad hoc non obligat præceptum Eccleſiæ, &c. tum quia dicere ſic Miſſam eſt edictum præter Canones, & non adeò decens, in quo caſu nemo cogitur ſuo vti priuilegio: Quapropter concludendo dicimus, quod prima opinio videtur probabilior.

43 Ægrotus nō tenetur Miſſam audire domi.

Similiter etiam dicimus de ægroto: non enim tenetur vocari facere Sacerdotem ſtipendiarium, vt in propria domo Miſſam audiat in diebus feſtiuis, quia propter corporalem impotentiam excuſatur à præcepto.

44 Nauigantes non tenētur.

Secundò ad hanc impotentiam corporalem reducitur impedimentum nauigantium in mari, ità vt non poſſint ad terram accedere: tales enim excuſantur à præcepto audiendi Miſſam, ad impoſſibile enim nemo tenetur: Ad Miſſam autem ſiccam audiendam non tenentur, quia re vera, talis Miſſa non eſt Sacrificium: eſt benè tamen optimum conſilium propter deuotionem non autem propter neceſſitatem adimpletionis præcepti, vt notant Filliuc. loc. cit.

Miſſa ſicca non eſt de præcepto. Filliuc.

De impotentia ſpirituali.

45 Impotentia ſpiritualis excuſat. Impotentia ſpiritualis quæ. Excommunicati non tenentur.

Quò ad ſecundam impotentiam ſpiritualem: Reſpondendo dicimus: Impotentiam ſpiritualem ad audiendam miſſam excuſare à præcepto Eccleſiæ de auditione Miſſæ in die feſto: Eſt autem impotentia ſpiritualis, illa quæ prouenit per vinculum cenſuræ, ſiuè excommunicationis, ſiuè ſuſpenſionis, ſiuè interdicti, nā cùm excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus prohibeatur participare in diuinis, redditur impotens ex tali vinculo ſpirituali ad audiendam Miſſam: Impoſſibile enim eſt aliquem obligari ad id, à quo per cenſuram tenetur abſtinere, quod ſine peccato facere non poteſt: ergò &c.

46 Quod verum eſt, etiam ſi ſua culpa talem cenſuram incurriſſet, neque ſi eſſet negligens ad procurandam abſolutionem peccaret, quia Miſſam non audiet, quēadmodum ille, qui in infirmitate eſt: ſiuè in carcere, non peccat ſi Miſſam non audit, quamuis ſit negligens in procuranda excarceratione, ſiuè valetudine. Ità Sylu. Verb. Miſſa numer. 1. Angel. num. 7. Nauarr. cap. 21. num. 3. Azor. part. 1. libr. 7. cap. 7. quæſt. 1. aliique.

Sylu. Angel. Nauarr. Azor.

47 Tempore interdicti non excuſatur qui habet priuilegium.

Aduertendum tamen eſt, quod illi, qui habent priuilegium tempore Interdicti audiendi Miſſam non excuſantur: Ratio huius eſt, quia in tantum excuſat interdictum, in quantum ponit impedimentum, ſi ergò hoc impedimentum tollatur per priuilegium non excuſabit: Ità Soto in 4. d. 13. quæſt. 2. A. 1. Nauar. loc. cit. aliique.

Soto. Nauarr.

48 Ignorantia facti excuſat.

Ad hanc ſpiritualem impotētiam reducitur illa, quæ prouenit ex obliuione naturali, ſiue inaduertentia, quando quis non aduertit, talem diem eſſe de præcepto, ſiuè neſciat inculpabiliter. quapropter non curat in tali die audire Sacrum, iſte talis non peccat, quia ignorantia fuit cauſa peccati, ideò non peccat, quia vbi non eſt voluntas, non poteſt eſſe peccatum, pro vt docent Filliuc. d. to. 1. tract. 5. c. 7. nu. 225. Bonac. D. 4. q. 8. nu. 17. Suar. D. 88. ſect. 6. aliique communiter.

Filliuc. Bonac. Suar.

49 Ignorantia iuris inuincibilis excuſat.

Ad hanc etiam impotentiam reducitur illa, quæ prouenit ex ignorantia inuincibili, ſiuè iuris, ſiuè facti; quapropter illi, qui Miſſam in die feſtiuo de præcepto non audiunt inuincibiliter ignorantes eſſe

diem

diem feſtum, excuſantur, quoniam ignorantia inuincibilis fuit in cauſa.

50 *Homines ſtupidi, & pueri ignorantes excuſantur.*
Similiter etiam homines ſtupidi enutriti in Syluis, & pueri peruenientes ad vſum rationis, qui adhuc non habent cognitionem talis præcepti excuſantur à peccato mortali non audiendo Miſſam: Hoc ſemper eſt intelligendum quandò ignorantia fuit inuincibilis, & cauſa peccati, non autem quandò eſſet comes peccati, quia tunc non excuſaret: vt nos diximus ſupra in tractatu primo de Sacramentis in genere cap. 7. num. 6. ſecundùm mentem omnium Theologorum.

51 *Impotentia moralis excuſat.*
Circa 3. impotentiam, quæ appellatur Moralis, dicimus Impotentiam moralem etiam excuſare, à tranſgreſſione præcepti Eccleſiaſtici: non enim ſolùm cauſa phyſica, verùm etiam Moralis excuſat à Miſſa audienda: nam præcepta Eccleſiæ non obligant cum tanto onere cuius iugum ſemper ſuaue eſt, & onus leue. *Suauiter enim omnia diſponit.*

52 *Moralis impotentia quæ.*
Dicitur autem moralis impotentia, quandò quis Miſſam audire non poteſt, niſi cum iactura alicuius boni mediocris exiſtimationis, vel non ſine magna difficultate, ac labore: Non enim Eccleſia ità rigorosè præcipit Miſſæ auditionem, ſed cum aliqua latitudine, & moderatione (*Leniter, vt dixi, & ſuauiter omnia diſponens.*)

53 *Periculum incidendi in manus latronum excuſat.* *Tempore peſtis excuſantur.*
Quàpropter primò excuſantur illi, qui non pergunt ad audiendam Miſſam propter periculum incidendi in manus inimicorum, ſiuè latronum, qui dicuntur eſſe in via, in qua eundum eſt ad Miſſam audiendam: ſiuè tempore peſtis propter periculum infectionis: Et in his ſimilibus non tenentur fideles tali periculo ſe exponere propter Miſſæ auditionem, quià in his caſibus, & ſimilibus Eccleſia non intelligit fideles obligare: Ità Nauar. c. 21. nu. 3. Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 1. Angel. Verb. Feriæ n. 42.

Nauar. Soto. Angel.

54 *Infirmi excuſantur.*
Secundò excuſat periculum ſalutis corporalis, vt ſi infirmus non poſſet ſine incommodo alicuius momenti ſurgere è lecto, ſiuè ſit periculum reincidendi, ſiuè retardandi conualeſcentiam, in quibus caſibus, & ſimilibus ſemper prudentia opus erit.

55 *Mulier grauida & nutrices quandò excuſantur.*
Similiter etiam mulier grauida, quandò timetur periculum abortus: ſic etiam aliquandò excuſatur nutrix, quæ non poteſt ſecum ferre puerum adhuc lactantem, & quem non poteſt domi relinquere abſque periculo alicuius damni probabilis, & non poteſt puerum ad Eccleſiam ſecum ferre abſque graui celebrantis ſiuè adſtantium perturbatione, & moleſtia: tunc enim ſatius eſt puerum domi retinere, quandò decẽter in Eccleſia, ſine moleſtia retinere non poteſt: Ità Nauar. c. 21. num. 10. Graff. 1. p. deciſ. lib. 2. c. 36. n. 5. Henriq. cap. 21. num. 10. Bonac. d. to. 1. D. 3. qu. 8. p. vltimo n. 5. aliique.

Nauar. Graff. Henriq. Bonac.

56 *Excuſat periculum honoris, & quandò.* *Nauar. Filliuc. Graff. Azor. Suar.*
Tertiò excuſat periculum in honore, vt ſi timeatur iniuria ab inimico, ſiuè iactura honoris, vt ſi non decenter veſtitus ſecundùm ſuam conditionem poſſet domo exire. Vel ſi fœmina, quæ honeſta reputatur ſit grauida, ne ſe prodat excuſatur in caſu à præcepto auditionis Miſſæ: pro vt docent Nauar. cap. 21. nu. 9. Filliuc. d. tract. 5. c. 7. num. 226. Graff. c. 36. n. 1. Azor. 1. p. c. 7. q. 1. Suar. D. 88. ſect. 6.

57 *Excuſat guardia puellæ Virginis.*
Similiter etiam excuſatur mater, quæ domi habeat filiam virginem, nec poteſt eam ſecum ferre ad Eccleſiam, & probabiliter timet de iactura honoris puellæ, ſi illam ſolam domi relinquat, tunc in caſu videtur excuſari ab auditione Miſſæ, nam mater Eccleſia non obligat fideles ad audiendam Miſſam cum tali damno, & periculo honoris, vt omnes Doctores, ſupra citati fatentur.

58
Quartò excuſat periculum in bonis temporalibus, vt ſi probabiliter timeatur furtum, ſi domus ità ſola relinquatur, ſiuè ſi aliquis itinerans, ſi moram faciet pro auditione Miſſæ ſocij itinerantes illum dimittant, quibus opus habet ad iter peragendum, vel quia viam neſcit, ſiuè latrones timeat. Ità Suarez D. 88. ſectio. 6. Bonac. tomo 1. D. 4. quæſt. 8. p. 13. nu. 6. Rodriq. c. 223. nu. 10.

Excuſat periculum furti.

Suar. Bonac. Rodriq.

Similiter etiam excuſantur illi, qui habent aliquod graue negotium, quòd prætermitti non poteſt & in aliud tempus nequit differri ſine magno incommodo, & damno. 59

Graue negotium aliquandò excuſat.

Similiter etiam excuſantur nautæ, & Curſores, aut muliones, qui cogerentur magnas expenſas facere, ſi immorarentur in Miſſa audienda: Similiter etiam ſecundùm Suar. loc. cit. excuſantur molitores quoties molitoribus permiſſum eſt in die feſto laborare, nam neceſſitas, quæ ipſos excuſat ab opere ſeruili, poterit etiam excuſare à Miſſæ auditione, ſi Miſſam nequeant audire ſine detrimento, non intermiſſo opere molendi, præcipuè quandò non habent ſocios, ſufficientes, qui poſſint aſſiſtere molendino maximè quandò molendinus diſtet notabiliter ab Eccleſia. 60

Nautæ, Curſores muliones, molitores & ſimiles quandò excuſantur.

Similiter etiam excuſatur paſtor, qui non poteſt ſine gregis periculo, ſiuè graui detrimento pergere ad audiendam Miſſam: Illi tamen, qui non ſunt neceſſarij ad gregis cuſtodiam debent ad Eccleſiam pergere pro Miſſa audienda, niſi multum diſtent à Ciuitate, ſeque viciſſim iuuare, ità vt vnus Eccleſiam adeat alio cuſtodiente gregem, eo verò redeunte, alter ad Miſſam accedat, modò ſit commoditas, & ſupereſſet alia Miſſa dicenda, ad quam audiendam, alter ſine notabili incommodo pergere poſſet: Ità Azorius 1. p. libr. 7. c. 7. q. 7. Henriq. c. 21. nu. 10. Bonac. to. 1. D. 4. qu. 8. p. 12. nu. 6. Suar. D. 88. ſect. 6. 61

Paſtores quandò excuſantur.

Azor. Henriq. Bonac. Suar.

Quintò excuſat quodcumque graue incommodum ſiuè ſpirituale, ſiuè corporale, quod probabiliter timetur incurri, cauſa auditionis Miſſæ: Vt ſi quis pedeſter circa tria milliaria pergere debeat ad audiendum Sacrum, ſiuè etiam duo cum pluuijs, & tempeſtate ſiuè magno calore Solis tempore æſtatis, quandò aliter ad Miſſam audiendam pergere non poſſet, tunc in huiuſmodi caſibus excuſaretur talis ab auditione Miſſæ. Non enim Eccleſia præcipit Miſſæ auditionem cum tanto onere, ſed piè, & rationabiliter. 62

Excuſat etiã aliquandò graue incõmodum itineris.

Itaque conſideratis circumſtantijs perſonæ loci, & temporis prudenter indicetur notabile damnum, & incommodum, quia tunc in huiuſmodi caſibus, & ſimilibus non eſſet obligatio adimpletionis præcepti auditionis Miſſæ: pro vt communiter docent Theologi: vt Caiet. 2. 2. q. 122. A. 4. Bonac. p. d. 4. q. 8. p. Vltimo nu. 6. Nauar. c. 21. Suarez D. 88. ſect. 6. Filliuc. ſupra loc. citat. & Summiſtæ omnes in Verbo Feriæ & Verb. Miſſa & alij. 63

Concluſio.

Caiet. Bonac. Nauar. Suar. Filliuc. & ſummiſtæ.

Ad hanc impotentiam reducitur illa, quandò Vxor, ſiuè famulus timet rixas, ſiuè verbera, ſiuè graues reprehenſiones mariti, ſiuè domini, ſi ad Miſſam adeat: Quàpropter excuſatur vxor, quæ non pergit ad Miſſam audiendam, vt obediat viro nimis zelotypo, qui non vult vxorem domo exire, neque ad audiendam Miſſam: pro vt docent Henriq. in ſum. c. 21. num. 10. & 13. Suar. tom. 3. D. 88. ſect. 6. Verſ. Quartum caput Soto in 4. d. 13. q. 2. A. 1. Bonac. D. 4. q. 8. p. 12. nu. 10. & alij. 64

Vxores excuſantur quandò maritus contradicit.

Henriq. Suarez. Soto. Bonac.

Vltimò tandem excuſat conſuetudo alicuius Prouinciæ, quandò rationabiliter eſſet introducta, & ab Epiſcopis tolerata: Quàpropter excuſari ſolent mulieres viduæ poſt mariti mortem, non exeuntes domo in oſtenſionem triſtitiæ, & doloris per aliquod tempus iuxta illius Ciuitatis, ſiuè Prouinciæ conſuetudinem communiter receptam, dummodò, & per 65

Mulieres viduæ quandò excuſantur ab auditione Miſſæ.

longum tempus non ceſſet ab auditione Miſſæ, quam poſtulat conſuetudo rationabiliter recepta: Quà-propter moderanda eſt ad aliquod breue tempus, ità vt ad ſummum non excedat menſem; pręcipuè, quandò commodè valdè mane poſſent dictæ mulieres honeſtè, & commodè Miſſam audire ſine aliquo honoris, & reputationis detrimento. Ità Suarez tomo 3. D.88. ſect.6. §. 6. Caietan. 2.2. quæſt. 122. A. 4. Sylu. Verbo Miſſa 2. quæſt. 1. Nauarr. cap. 21. nu. 9. Soto de Iuſt. quæſt. 4. A. 4. Bonac. & Filliuc. loc. cit. D. Ant. 2. p.p. tit. 9. c. 10. §. 2.

Suar. Caiet. Sylueſt. Nauar. Soto. Filliuc. Bonac. D. Ant.

66 Similiter etiam excuſari ſolent aliquandò puellæ Virgines, & præcipuè nobiles, quæ non conſueuerunt, aut non permittuntur Miſſam audire, donec nuptui tradantur.

Puellę virgines quandò excuſantur.

67 Verum eſt tamen, quod ſi hujuſmodi puellæ ſoleant domo exire ad ludos, ſeu ſpectacula videnda, ſiuè ſe exhibeant videndas ad feneſtras, ſiuè alibi, tunc non excuſari à præcepto Miſſæ audiendæ, quia ceſſat iam excuſationis ratio: pro vt aduertunt Nauar. d.c. 21. n. 9. Graſſ. 1. p. deciſ. lib. 2. c. 36. n. 5. Barth. ab Angel. dialog. 5. de Miſſa §. 827. Angel. Verb. Feriæ nu. 42. Caiet. in ſum. Verb. Feſtorum violatio Soto in 4. d. 13. qu. 2. A. 1. Suar. Bonac. & Filliuc. alijque locis cit.

Limitatio. Nauar. Graſſ. Bart. ab Angelo. Angelus. Caiet. Soto. Suar. Bonac. Filliuc.

Et hæc de præcepto audiendi Miſſam, & de ipſo miniſterio, ac de tribus Sacramentis Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia, ac de Miſſæ ſacrificio pro nunc dicta ſufficiant, omnia ſemper ſubmittendo Eccleſiæ cenſuræ, & Sanctorum Patrum correctioni ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, eiuſque Sanctiſſimæ Matris, Sanctorumque omnium. Amen. 68

TRA-

TRACTATVS XVIII.

DE SACRAMENTIS.

ET DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

TRACTATVS PRIMVS.

PROOEMIVM.

POſtea quam in præcedentibus Diuina protegente gratia de Auguſtiſſimo, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento pro viribus locuti ſumus, Dupliciter ipſum conſiderando: Primò ſecundum ſe, quatenus Sacramentum eſt, deinde in ordine ad Sacrificium Miſſæ, in quo conficitur, & immolatur ipſi Deo Optimo Maximo tanquam perfectiſſimum ſacrificium, & Holocauſtum impetratorium, propitiatorium, & Euchariſticum: Immolatur, n. in Miſſæ ſacrificio ipſemet Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus conſecratis panis, & vini in memoriam illius ſacrificij cruenti, in Cruce oblati ab ipſo Domino Ieſu; in quo eſt omnis ſalus, vita, & redemptio noſtra, per quem ſaluati, & liberati ſumus: Præmiſſis antea alijs tractatibus duorum Sacramentorum Baptiſmi Vid. & Confirmationis, quibus omnis vera iuſtitia acquiritur, & augetur; Per lauacrum enim Regenerationis renaſcitur homo, & fit capax ad cætera Sacramenta ſuſcipienda, per Confirmationem verò roboratur Anima baptizata virtute Spiritus Sancti ad audacter confitendam fidem Chriſti ſuſceptam; Et hæc quidem tria Sacramenta ſufficientiſſima erant pro noſtra Animarum ſalute, niſi homo mortali carne indutus, mediante fomite originalis peccati ſæpe ſæpius in peccata actualia incidiſſet; Spiritualis enim vita noſtra in hac præſenti vita facillimè deprauatur, mediantibus actualibus culpis, non ſolùm venialibus, verum etiam mortalibus, & ideò neceſſaria fuit, & eſt Pœnitentia, mediante qua Anima noſtra tamquam medicina purgatiua à maculis peccatorum actualium curatur, & ideò in 4. in ordine loco agendum eſt de Sacramento Pœnitentiæ; quod à Sanctis Patribus, & Theologis, Secunda tabula poſt naufragium ſolet appellari, ſumpta metaphora à procella maris, quando naues periclitantur; & homines in mari demerſi accipiunt aliquam tabulam, ne demergantur in profundum maris; Vndè Baptiſmi Sacramentum appellari ſolet: Prima tabula poſt naufragium originalis culpæ: Pœnitentia verò; Secunda tabula poſt naufragium peccati actualis, qua quidem metaphora vſus eſt D. Hieronymus Epiſt. 65. ad Pammachium, quæ refertur à Gratiano in ſacris Canonibus; Can. Secunda poſt naufragium. 23. qu. 3. de Pœnit. D. 1. quem ſequuntur omnes Theologi Patres, & Canoniſtæ.

D. Hierony.

Can. Secunda 23. q. 3.

Doctores, qui tractant de Sacramēto Pœnitentiæ.

Diſputant autem de Sacramento Pœnitentiæ Scholaſtici omnes cum Magiſtro in 4. libro à D. 14. vſque ad 22. incluſiuè, & D. Thom. in 3. part. ſumm. in quæſt. 84. tractatum de Sacramento Pœnitentiæ inchoauit, ſed fœlici morte præuentus, abſoluere non potuit: Diſcipuli tamen ipſius D. Thomæ ex ea, quæ Angelicus Doctor ſcripſerat in 4. libro ſentent. additionem fecerunt, & totam ſummam ipſius D. Thom. iuxta ipſius doctrinam perfecerunt; Gratianus autem in Decreto per ſeptem diſtinctiones de ipſa Pœnitentia copiosè tractauit, ac etiam in Decretali Gregorij IX. ſub titulo: de Pœnitentijs, & remiſſionibus multa habentur capitula, & Decreta: vbi Doctores, & Canoniſtæ omnes multa de ipſa Pœnitentia diffusè, & copiosè tractant; Similiter etiam faciunt recentiores Theologi; vt Pater Suarez in 4. tomo in 3. part. D. Thom. de hoc Sacramento copiosè, & ſubtiliter diſputauit, ſequitur Filliuc. in 1. tom. Theolog. moral. tractat. 6. Bellarmin. libro 4. de Pœnitent. Henriquez in ſumm. Theolog. moral. libro 4. Ioann. Medina, Codic. de Pœnitent. Reginald. duo Volumina de ipſa Pœnitentia compoſuit, & nouiſſimè tandem Ioann. de Lugo Societatis Ieſu de ipſa Pœnitentia ſubtiliter diſputauit, multique alij Doctores: Nos autem colligentes ea, quæ Patres, & Theologi, tam Scholaſtici, quam morales de ipſa Pœnitentia ſatis, diffuséque dixere ad breuem ſummam reducemus, & ideò primò de ipſius Pœnitentiæ quiditate, definitione, ac nomine, quatenus virtus eſt, & quatenus Sacramentum eſt, ideòque de eius neceſſitate inſtitutione, & partibus, tam propinquis, quam etiam remotis primò loco eſt agendum. Sunt autem remota materia iſtius Sacramenti peccata actualia, poſt Baptiſmum commiſſa, non quidem amplectanda, ſed reijcienda, mediante contritione, Confeſſione, & ſatisfactione, quæ ſunt partes propinquæ iſtius Sacramenti, ſupra quæ cadit forma abſolutionis, in qua conſiſtit ratio, & fundamentum iſtius Sacramenti: Deindè dicendum eſt de Miniſtro, deque ipſius Prudentia, Scientia, Bonitate, & Poteſtate, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata, & ità de caſibus reſeruatis, ac de ſigillo confeſſionis, ac de ſubiecto iſtius Sacramenti, quæ neceſſaria ſunt dicemus, & tandem de Clauibus Eccleſiæ à Chriſto Domino Sacerdotibus traditis, quibus mediantibus hoc ſacramentum exercetur, ea tamen breuitate, & claritate, qua ipſo Deo adiuuante pro viribus noſtris poterimus, ſi Deus dabit, & per tempus licebit.

Magiſt. ſent. D. Thom. Gratianus. Decretales. Suarez. Filliuc. Bellarm. Henriq. Io. Medina. Reginald. Lugo. Diuiſio tractatus.

DE POENITENTIA IN communi, quatenus virtus eſt, & quatenus ſacramentum eſt.

CAP. I.

1 Etymologia Pœnitent. Iſidor. D. Aug.

POEnitentia ſecundùm Etymologiam nominis deriuatur à pœna, quaſi pœnæ tenentia, vt idem ſit pœnitens, quaſi pœnam tenens, prout dicit D. Iſidor. lib. 3. Etym. c. vltim. & D. Auguſt. lib. de vera, & falſ. pœnit. cap. 8. *Pœnitere* (inquit) *eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando*; Et Homil. Euang. 12. loquens cum pœnit. dicit: *Pœnitentiam agis, pœnites, ſi non pœnites: pœnitens non es: Si ergo pœnites, cur facis, quod malè feciſti? Si feciſſe pœniteat, noli peccare: Si adhuc facis, certè non es pœnitens.* Hæc Auguſt. & refertur à Grat. in ſacris Canonibus: Can. Pœnitentes de Pœnit. D. 3. Dicitur autem pœnitentia à Græcis μετάνοια à verbo Græco μετανοέω, Quod

Can. Pœnitē. de Pœnit. d. 3. Pœnit. à Græcis quomodò dicitur.

Digitized by Google

Quod ſignificat pœnitentiam agere. Ex quo ſequitur, quod pœnitens dicitur ille, qui nollet feciſſe, vel omiſiſſe aliquod à ſe factum, vel omiſſum, quod facere tenebatur, At quia hoc eſſe non poteſt, dolet, & pœnitet.

2 Pœnit. dupl. ſine dolore. cum dolore. Pœnit. ſine dolore, quæ. Beati pœnitent ſine triſtitia.

Sed antequam ipſam Pœnitentiam deſcribamus, opere pretium eſt vocem ipſam in ſua ſignificata diſtinguere, ne in æquiuocis laboremus. Ideò dicimus, quòd: Pœnitentia in prima ſui diuiſione duplex eſt, quarum vna dicitur: Pœnitentia ſine dolore; & eſt illa, quam habent Beati in patria, quos pœnitet quidem peccata commiſiſſe cùm eſſent viatores, quatenus fuerunt offenſa Dei, nollentque ea feciſſe: Talis autem pœnitentia eſt ſine dolore, cùm in beatitudine nullus poſſit eſſe dolor, ſiuè triſtitia, taliſque pœnitentia ſine dolore per antenomaſiam tribuitur aliquandò ipſi Deo, ſicut dicitur in Gen. c. 6. *Pœnitet me feciſſe hominem*

Pœnitentia quomodò tribuitur Deo.

3 Pœnitentia cum dolore duplex fructuoſa, & infructuoſa.

Pœnitentia altera dicitur cum dolore, quæ iterum duplex eſt; Vna fructuoſa, & meritoria, quæ competit viatoribus verè pœnitentibus: Altera infructuoſa, quæ ad ſalutem non prodeſt, qualis fuit illa Iudæ Iſcariotis, *Qui pœnitentia ductus retulit triginta argẽteos, pœnitens ſe tradidiſſe Chriſtum Dominum*: Veruntamẽ pœnitentia talis fuit ſine fructu: non enim habuit requiſita, ſed fuit pœnitentia deſperata; qualem etiam habere dicuntur damnati in Inferno, de quibus in Sap. cap. 5. legitur: *Dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ angustia ſpiritus gementes: Nos inſenſati, & cæter.*

Pœnitentia damnatorũ, quæ. Sap. cap. 5.

4 Pœnitentia fructuoſa duplex interior & exterior. Pœnitentia virtus, quæ D. Gregor. Definitio virtutis Pœnit.

Pœnitentia iterum fructuoſa, voluntaria, & doloroſa, etiam duplex eſt: Interior dicitur vna, exterior altera: Prior eſt illa, quæ dicitur: Virtus interior, & eſt, Habitus inclinans hominem viatorem ad pœnitentiam agendam, de qua D. ait Greg. Homil. 34. *Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, quam Theologi in 4. ſentent. D. 14. ità definiunt dicentes: *Pœnitentia eſt virtus, inclinans hominem ad deteſtationem peccati pro iniuria, & offenſa Deo facta, ad ius Diuinum illæſum conſeruandum*. Ità D. Thom. in 3. p. q. 85. A. 1. Suar. tom. 4. de Pœnitentia D. 2. ſect. 3.

D. Thom. Suar.

5 Pœnit. reducitur ad iuſtitiam. Virtutes morales reducuntur ad 4. Cardinales.

Notandum autem: Pœnitentiam non eſſe virtutem Theologicam, neque formaliter, neque reductiuè, nõ enim eſt fides, neque ſpes, neque charitas, quæ virtutes directè reſpiciunt ipſum Deum; ſed dicitur virtus moralis, per ſe infuſa à Deo, & reducitur ad iuſtitiam virtutem Cardinalem, tamquam partem illius potentialẽ: Omnes enim virtutes morales (exceptis Theologis) reducuntur ad vnam ex illis quatuor virtutibus Cardinalibus. Ideò enim appellantur Cardinales, quapropter diximus pœnitentiam reduci ad iuſtitiam, nam per pœnitentiam reddimus Deo aliquam compenſationem pro iniuria illi facta. Ità D. Th. 2. 2. qu. 81. & 101. & Filliuc. tom. 1. tr. 6. c. 16. Coninch. de Sacram. tract. de Pœn. D. 1. qu. 3. At quoniam pœnit. iſta interior, quæ dicitur: Virtus ſecundùm ſe, & formaliter eſt contritio, de ipſa plenius dicetur locò ſuo, cùm de contritione ipſa tractabimus.

D. Thom. Filliuc. Coninch.

Pœnit. virtus eſt contritio.

6 Pœnit. exterior triplex. Prima Pœnit. dicitur ſolemnis. D. Thom. Angelus. Sylu.

Pœnitentia exterior Triplex eſt, quædam enim dicitur ſolemnis, quædam publica, & quædam ſecreta, Pœnitentia ſolemnis eſt illa, quæ imponi ſolet ab Eccleſia famoſis, & publicis peccatoribus cum ſolemnitatibus, & cæremonijs, prout præſcribitur in Can. in cap. Quadrageſimæ D. 50. De qua loquitur D. Tho. in 4. D. 14. Angel. & Sylu. ver. Pœnit. num. 10. & huiuſmodi pœnitentia imponebatur ab Epiſcopo pro peccato publico, & ſcandaloſo, de quo fideles remanebant ſcandalizati: Et temporibus etiam noſtris ab Inquiſitoribus Sanctæ Inquiſitionis imponitur inquiſitis pro crimine maleficiorum, & hæreſis, per quam pœnitentiam pœnitentiatus remanet infamis, & ſi eſt laicus fit inhabilis ad ſacros Ordines recipiendos; prout dicitur in Cano. Illud D. 50. & Sylu. loc. cit. rationem aſſignat.

Can. Illud. Sylu.

7 Secunda Publica. C. Manifeſta. Pœnitentia publica non eſt imponenda in ſacramentali confeſſione. Conc. Colon.

Secunda dicitur Pœniten. Publica, & eſt illa, quæ imponi ſolet à Iudice, ſiuè Prælato, peccatori publicè peccanti, quandò peccatum eſt graue, & publicum, tunc iuridicè imponenda eſt publica pœnitentia, vt dicitur in cap. Manifeſta, de Pœnit. & remiſſ. In Sacramento autem confeſſionis non eſt publica imponenda pœnitentia, ſed ſecreta propter reuerentiam ſacramenti, & periculum ſigilli manifeſtationis, niſi in caſu, quandò ipſemet pœnitens pro ſua deuotione illam expoſcat, vt habetur ex Conc. Colon. de confeſſione.

8 3. dicitur ſecreta, quæ etiam triplex eſt. 1. ipſa virtus pœnitentię. Can. Pœnit. Sylu. 2. Pœnitent. ſacrament.

Tertia pœnitentia dicitur, Secreta, quæ etiam tripliciter ſumi poteſt: Primò pro ipſamet pœnitentia priuata, quæ ex virtute vocabuli ſecundùm D. Auguſ. loc. ſupr. citat. & Scot. in 4. D. 14. circa fin. idem eſt: *Pœnitere, ac pœnam tenere*; eſt enim iſta pœnitentia: *Quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod commiſiſſe dolet*. Can. Pœnitentia D. 3. Hæc enim non ſolùm importat paſſionem pœnæ, vt inhærentis, ſed etiam actionem volentis reſp. ctu pœnæ: Sylu. vẽr. Pœnit. Secundò ſumitur, pro pœnitentia à confeſſario iniuncta pœnitenti in actu Sacramentalis confeſſionis pro ſatisfactione pœnæ in vindictam peccatorum, de qua pro modò non loquimur, eo quod de iſta dicturi ſumus in tract. 5. de ſatisfactione, quatenus eſt 3. pars ſacram. Pœnit. Tertia tandem ſignificat ipſum ſacramentum Pœnit. de quo nos in hoc loco tractare intẽdimus, quod à Theologis: Secunda tabula poſt naufragium appellatur; prout dicitur in C. In te de Pœnit. & remiſ.

3. Pro ipſo ſacram. Pœnit.

C. In te.

9 Sacra Pœn. multipliciter deſcribitur. 1. Fit Bonac. 2. Nauarr.

Pœnitentiæ ergò ſacramentum varijs, multiſque modis à DD. deſcribi ſolet. Bonacin. enim dicit in p. t. D. 5. qu. 2. *Pœnitentia eſt ſacramentum conſiſtens in actibus pœnitentis, & abſoluentis, inſtitutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remiſſionem peccatorum*. Nauarr. autem in ma. cap. 21. dicit, *Pœnitentia eſt ſacramentum abſolutionis, quo Sacerdos ſibi ſubditum; peccata ſua cum iuſto dolore, & propoſito ſatisfaciendi, ab ijſdem peccatis legitimè confitentem abſoluit*; Quorum verba ab iiſdem plenè explicata ſunt: Similiter aliqui alijs verbis faciunt.

10 Definitio ſacram. Pœnit. aſſignata à Scoto.

Veruntamen inter omnes exiſtimo non eſſe prætermittendam definitionem illam traditam à noſtro ſubtiliſſimo Scoto in 4. D. 14. qu. 4. vbi Pœnitent. Sacram. accuratiſſimè definiens, ait: *Pœnitentia Sacram. eſt, abſolutio hominis pœnitentis, certis verbis facta, debita cum intentione prolatis, à Sacerdote, iuriſdictionem habente ex Diuina inſtitutione, efficaciter ſignificans abſolutionem animæ à peccato*: Quæ quidem definitio nõ modò clariſſima eſt, & perfecta, declarat enim omnia, quæ ad perfectam cognitionem definiti deſiderantur, nec eſt aliquod verbum diminutum, aut ſuperfluum: Imò in hac definitione omnia quatuor cauſarum genera, quæ ad totalem, & perfectam definiti cognitionem faciunt continentur, prout ſingulas eius partes exponendo patebit.

Amplectitur definitio Scot.

Declaratur definitio.

11 Dicitur 1. Abſolutio. Principale fundamentũ eſt abſolutio.

Dicitur ergò primò in hac definitione: *Sacramentum Pœnitent. eſt abſolutio*) quod ponitur loco generis proximi: Abſolutio, enim eſt principale fundamentum, & res ſenſibilis, ſupra quam fundatur relatio rationis, conſtituens hoc ſacramentum in eſſe ſacramenti, quæ eſt ſignificatio abſolutionis Animæ à peccato, vt omnes conſentiunt; Nam licèt actus pœnitentis, qui ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio dicantur; Materia proxima ſacramenti Pœnitentiæ; princi-

Digitized by Google

principale tamen fundamẽtum eſt abſolutio, & actus pœnitentis concurrunt, tanquam conditiones neceſſariæ ad capacitatem ſubiecti, & tanquã quid prærequiſitum ad ipſum ſubiectum ſacramenti. Vndè actus pœnitentis requiruntur ex conſecutione neceſſariò non autem ex principali deſignatione: Quapropter Dominus dixit: *Quorum ſolueritis, & remiſeritis peccata, remittuntur eis:* Abſolutio igitur ponitur loco generis proximi, & tanquam fundamentum ipſius ſacramenti.

12 Dicitur à Hominis pœnitentis. Additur (*Hominis pœnit.*) & hæc eſt prima differentia, per quam diſtinguitur ab abſolutione facta in alijs iudicijs, in quibus non attenditur pœnitentia interior, ſed tãtùm ſatisfactio vindicatiua: Et per iſtam etiam particulam deſignatur materia proxima, & remota ſacramenti: Materia (inquam) partis, qui ſunt actus ipſius pęnitentis, & peccata, quæ dicuntur materia remota: Explicatur etiam ſubiectum circa quòd verſatur Sacramen. atque diſpoſitiones neceſſario requiſitæ ex parte ipſius ſubiecti, vt ſit capax effectus huius Sacramenti.

13 Facta certis verbis. Additur tertiò (*facta certis verbis*) & per iſtam particulam deſignatur forma verborum, quibus vti debet Sacerdos in ipſa abſolutione, quæ dicitur forma partis, reſpectu fundamenti ſenſibilis.

14 Debita cum intentione prolatis. Additur quartò (*Debita cum intentione prolatis*) ad denotandum, quod miniſtri intentio ſemper requiritur ad validitatem ſacramenti: Cùm Sacerdos ſit cauſa efficiens proxima, licèt non principalis, eſt tamen miniſterialis, vt dicetur.

15 A Sacerdote, iuriſdictionẽ habente. Additur quintò (*A Sacerdote iuriſdictionem habente*) ad denotandum, quis ſit miniſter huius ſacram. eſt enim ſacerdos iuriſdictionem habens, qui eſt cauſa efficiens miniſterialis, & quas conditiones debet neceſſariò habere ſacerdos abſoluens, quarum principalis eſt iuriſdictio, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata, vt ſuo loco probabitur, & declarabitur.

16 Ex institutione diuina. Efficaciter ſignificans. Additurque ſextò (*Ex inſtitutione Diuina.*) Et per iſtam particulam denotatur cauſa efficiens principalis, qui eſt Deus ipſe omnium ſacramentorum, auctor, & inſtitutor, nam Chriſtus Dominus tanquam habet poteſtatem abſolutam dimittendi peccata hominibus, quam poteſtatem reliquit ſacerdotibus virtute Clauium ſibi conceſſis.

17 Additur etiam ſeptimò (*Efficaciter ſignificans*) ad inſinuandam formam totius ſacramenti, in quantum ſacramentum eſt formaliter. Nam ſignificatio efficax eſt ſacramenti eſſentia, fundata ſuper illud ſignum ſenſibile, conſtans ex abſolutione, & actibus Pœnitentis contriti, & confitentis.

18 Abſolutionem Animæ à peccato. Additur tandem vltimò (*Abſolutionem animæ à peccato*) per quam denotatur terminus ad quem relatio ſigni refertur: Ac etiam per particulam iſtam denotatur effectus huius ſacramenti, per quem præſertim diſtinguitur ab alijs ſacramentis.

Concluſio. Ex quibus iam manifeſtè patet definitionem à Scoto datam de ſacramento Pœnitentiæ eſſe totalem, & quiditatiuam. Vndè immeritò à quibuſdam ſciolis calumniatur: quicquid dicant Chamerota, cum Thomiſtis: Et hæc quantum ſpectat ad definitionem Pœnitentiæ in communi, quatenus virtus, & quatenus Sacramentum eſt: Nam de ſatisfactione, quæ eſt tertia pars pœnitentiæ dicetur loco ſuo.

DE INSTITVTIONE SACRAMENTI *Pœnitentiæ.*

CAP. II.

Qviditate, & eſſentia ſacramenti huius, iam explicata, triplici via ipſam indagando, Etymologia, videlicet deſcriptione, ac definitione, quibus medijs ad rerum cognitionem deueniri poteſt: Rectus doctrinæ petit ordo, vt de ipſius ſacramenti Pœnitent. inſtitutione dicamus, & ideò in hoc præſenti capitulo, quærimus: Quo tempore, & à quo ſacramentum hoc fuit inſtitutum: Quapropter reſpondendo dicimus. 1

Sacrament. Pęnitent. immediatè inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino, in quo erat, & eſt poteſtas excellentiæ, cùm ſit reſpectu humanitatis aſſumptæ inſtrumentum Diuinitati coniunctum, qui quidem Chriſtus Dominus auctoritatiuè potuit, ac poteſt peccata dimittere in terris, & hanc poteſtatem peccata ſoluendi dedit Apoſtolis ſuis, & per ipſos Sacerdotibus communicauit, pro vt docent tota ſchola Theologorum ex ſacr. Concil. Triden. ſeſſ. 7. Cano. 11. & ſeſſ. 14. cap. 1. Vaſquez in 3. p. D. Thom. tom. 2. D. 60. num. 135. Suarez tom. 4. de Pœn. D. 16. ſect. 1. Coninch. q. 61. A. 1. Filliuc. tomo 1. tract. 6. cap. 2. nu. 32. Bonac. tom. 1. d. 5. q. 2. p. 4. Bellar. tom. 2. libr. 3. & alij communiter. 2 Pœnitentiæ ſacramentũ inſtitutũ eſt à Chriſto Domino. Concil. Tri. Vaſq. Suar. Coninch. Filliuc. Bonac. Bellarm.

Dicimus etiam Sacramen. Pęnit. præcipuè, & completè inſtitutum fuiſſe immediatè ab ipſomet Chriſto Domino: poſt Reſurrectionem ſuam, quandò inſufflauit in Diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, & cet.* Ioan. cap. 20. Ità Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. Suar. Bellarm. & Filliuc. & alij ſupr. cit. Dixi, præcipuè, & completè, nam inſtitutio Sacram. inchoata fuit in nocte Cœnæ, quandò Chriſtus Dominus ordinauit Apoſtolos ſuos Sacerdotes, eiſque virtute ordinationis contulit characterem Sacerdotalem, qui eſt fundamentum, & fundamentalis poteſtas abſoluendi à peccatis: actualiter autem hanc poteſtatem habuerunt Apoſtoli, quandò poſt Reſurrectionem, dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata,* Ioann. c. 20. 3 Quo tempore inſtitutum fuit. Ioan. c. 20. Conc. Trid. Suar. Bellarm. Filliuc.

Ex quo ſequitur Sacerdotes in ſua ordinatione non recipere ſimul, & eodem tempore poteſtatem conſecrandi, & poteſtatem completam abſoluendi à peccatis, ſed diuerſo actu: Nam illis verbis: *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia Dei,* recipiunt poteſtatem radicalem abſoluendi, quæ continetur in charactere, non verò recipiunt poteſtatem actualem abſoluendi à peccatis, ſed illam recipiunt quandò Epiſcopus, ſacrificio iam completo, dicit illis poſtea: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* Quo tempore licèt recipiatur augmentum gratiæ, non tamen confertur nouus character, ſed præcedens extenditur, & perficitur ad completam auctoritatem abſoluendi à peccatis: Ità Henriquez in ſumm. libro 10. cap. 6. num. 2. Suarez d. tom. 4. D. 17. ſect. 3. Filliuc. tomo 1. tract. 6. c. 2. num. 32. & alij. 4 Sacerdos, quandò recipit poteſtatem abſoluendi à peccatis. Henriq. Suar. Filliuc.

Secundò ſequitur, ſi aliquis Parochus ordinetur Sacerdos, & accepta poteſtate, ab Epiſcopo offerendi ſacrificium: Si Epiſcopus propter aliquod accidens, ſiuè impedimentum non compleuerit Ordinationem, dicendo in fine: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, &c.* Non poterit abſoluere ſacramentaliter ſuos parochianos antequam Secunda poteſtas 5

ei

Digitized by Google

Henriq. Filliuc. Bonac.

ei conferatur, ab alio Epiſcopo, quod benè aduertunt Henriquez Filliuc. & Bonac. cum Suar. & alijs, locis ſup. cit.

6 Ex quibus omnibus manifeſtè patet: Sacram. Pœniten. inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino poſt Reſurrectionem ſuam illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum*. Sic etiam ſequitur non fuiſſe hoc Sacram. inſtitutum, quandò Dominus dixit Petro: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*. Matth. cap. 16. Neque quandò dixit Apoſtolis omnibus, cap. 18. *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo*. Nam illis, & illis verbis non fuit tunc data, ſed tantùm promiſſa poteſtas abſoluendi, quæ tunc data fuit, poſt Reſurrectionem, vt dixi.

Quandò Chriſtus dixit. Tibi dabo claues Regni Cœlorū non inſtituit ſacramētum.

7 Sed poſſet obiicere aliquis, dicendo: Sacramentum Euchariſtiæ antequam recipiatur, iure Diuino præſupponit Pœniten. Sacrament. in eo, qui conſcientiam habet peccati mortiferi, vt patet; ergò ſactam, hoc non fuit inſtitutum poſt Chriſti Domini Reſurrectionem, ſed potius ante inſtitutionem Euchariſtiæ, quæ inſtituta fuit in vltima Cœna, alioquin Apoſtoli potuiſſent recipere Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortiferi, quod non eſt dicendum.

Obiectio.

Reſpondetur: Verum eſſe ante ſuſceptionem Euchariſtiæ præmittendam eſſe ſacramentalem confeſſionem de iure Diuino à peccatore, quandò conſcientiam habet culpæ mortalis poſt inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ, non verò ante inſtitutionem eius: Ex quo fit, quod ſi aliquis Apoſtolorum habuiſſet conſcientiam alicuius culpæ lethalis, ſicut habuit Iudas Iſcariotis ſufficienter ſe poterat diſponere præmiſſo contritionis actu, quia tunc non erat adſtrictus ad Sacramentalem confeſſionem, eo quod Pœnitentiæ ſacramentum nondum erat inſtitutum: Re tamen vera, Apoſtoli alij non erant extra gratiam, excepto Iuda, & ideò Euchariſtiam receperunt in gratia, vt patet ex illis verbis ipſius Domini Ieſu, dicentis: *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes*.

Solutio.

Apoſtoli in Cœna erant mundi, præter Iudam.

8 Sic etiam dicimus, quod: Quandò Chriſtus dimiſit peccata paralytico, dicens: *Remittuntur tibi peccata tua*, Matth. cap. 9. & Mariæ Magdalenæ. Luc. 7. Non remiſit illis peccata per ſacramentum Pœnitentiæ, cum non adhuc eſſet inſtitutum, ſed ſua Diuina auctoritate, virtute, ac poteſtate. Ità Nugn. in 3. p. D. Thom. q. 84. A. 3. d. 2. ad p. & alij.

Chriſtus quomodò remittebat peccata ante inſtitutionem Sacramenti. Nugnus.

9 Sequitur quartò: Non audiendos eſſe illos, qui putauerunt confeſſionem peccatorum inſtitutam fuiſſe ab ipſo Deo in Paradiſo terreſtri ſtatim poſt Adæ peccatum, quandò ipſum interrogauit, dicens: *Adam quid feciſti?* Ideò enim (inquiunt) interrogaſſe, vt ipſo confitente peccatum ſuum daretur forma alijs ore proprio confitendi peccata ad veniam conſequendam; Quæ opinio tribuitur cuidam Petro de Oſma; Aliqui verò putauerunt: Confeſſionem peccatorum inſtitutam fuiſſe ab ipſo Deo, etiam tempore legis ſcriptæ quandò inſtituit ſacrificia, quæ offerebantur pro peccatis commiſſis; Non enim talia ſacrificia offerri poterant, niſi præmiſſa peccatorum confeſſione; Sed falluntur (inquam) ſi loquuntur de ſacramentali confeſſione; Non enim tempore legis naturæ, ſiuè ſcriptæ inſtitutum erat Pœnitentiæ ſacramentum, quod à Chriſto Domino inſtituendum erat, & per conſequens, neque Sacramentalis confeſſio, quæ eſt pars ipſius ſacramenti; Dicimus ergò, tunc inſinuatam eſſe peccatorum confeſſionem, quæ tempore ſuo erat inſtituenda: Et ità Credo voluiſſe dicere prædictos DD. vt aiunt Soto in 4. D. 18. q. 1. A. 1. & Suar. D. 17. ſectio. 1. & eſt communis opinio omnium Theologorum.

Confeſſio ſacramentalis non fuit inſtituta in Paradiſo, vt aliqui putauerunt.

Neque tempore legis naturæ, ſiuè ſcriptæ.

Tempore legis fuit inſinuata peccatorum confeſſio.

10 Gloſſa autem Decreti in principio de Pœniten. D. 5. potius exiſtimauit: Sacramentalem Confeſſionem inſtitutam fuiſſe, ab ipſa Eccleſia per traditionem Apoſtolorum, quam traditionem (inquit) obligatoriam eſſe.

Opinio Gloſ.

Sed neque dictum hoc admitti poteſt, cùm Eccleſia numquam per traditionem ſacramenta inſtituerit, cùm à Chriſto Domino immediatè ſacramenta omnia inſtituta ſint, vt ex ſupradictis patet, & ideò neque ipſam ſacramentalem confeſſionem, quæ inſtituta fuit ab ipſo Chriſto, quandò ſacramentum inſtituit; Vndè Eccleſia tantummodò exercitium pœnitentiæ ordinauit, aſſignando tempus annuæ confeſſionis, non verò inſtituit ſacramentalem confeſſionem; pro vt communiter omnes ſentiunt.

Reijcitur.

Eccleſia tantum exercitium confeſſionis ordinauit.

D. Bonau. in 4. D. 17. 2. p. D. A. 1. quæſt. 3. num. 71. Alenſ. 4. p. quæſt. 17. alias 76. nu. 3. A. 2. dicunt: Duo eſſe in Sacram. Pœnit. Abſolutionem videlicet, quæ eſt ratio formalis, ſiuè potius fundamentum principale ſacramenti, & confeſſionem, quorum primum (inquiunt) Chriſtum inſtituiſſe poſtquam reſurrexit à mortuis: Secundùm verò, ideſt, confeſſionem, quæ eſt pars materialis ſacramenti, non inſtituiſſe, ſed inſinuaſſe, & ideò confeſſionem (inquiunt) à Chriſto nõ eſſe inſtitutam, ſed tantummodò inſinuatam, & ab Apoſtolis deindè fuiſſe inſtitutam, & à D. Iacobo promulgatam, quandò dixit in ſua epiſt. Canonica cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*.

11 Opinio. D. Bonau. & Alenſ.

Iacob. c. 5.

Sed nos reſpõdendo dicimus, quod: Sicut iſti DD. intellexerunt Pœnitentiæ ſacramentum inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino immediatè, quandò dixit: *Quorum remiſeritis peccata*: Ioann. cap. 20. & tunc datam eſſe Apoſtolis poteſtatem abſoluendi ſacramentaliter: Conſequenter etiam intelligere debuiſſent iniunctam eſſe populo Chriſtiano neceſſitatem confitendi peccata: Nam pro vt dicit Rich. in 4. D. 17. A. 2. quæſt. 1. *Nullus eſt meus iudex, ſi in arbitrio meo eſſet illi ſubijcere*, & ideò cùm Sacerdotes ſint à Chriſto Domino noſtro iudices in foro pœnitentiæ inſtituti, de neceſſitate tenemur illis confiteri peccata, vt abſolutionis ſacramentum recipiamus; Vndè ſequitur, quod quemadmodum tunc, qui habebant peccata actualia mortalia, poſt Baptiſmum commiſſa tenebantur illis ſubijci, & confiteri. Ità etiam, & tunc fuit ſacramentalis confeſſio à Chriſto inſtituta, & non tantummodò inſinuata. Ità Soto in 5. D. 18. quæſt. 1. concl. 2. §. Præterea. Suar. d. tom. 4. D. 17. ſeſſ. 2. aſſer. 1. num. 12. & alij.

12 Vera reſolutio.

Ioan. c. 20.

Richard. Sacramentalis confeſſio inſtituta fuit à Chriſto.

Soto. Suar.

Concludimus ergò breuiter, tam Pœnitentiæ ſacramentum, quàm etiam ſacramentalem confeſſionem eſſe à Chriſto Domino immediatè inſtitutam in eodem tempore, quandò dedit poteſtatem Apoſtolis ſoluendi, atque ligandi: Et hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum, legite Suar. vbi ſup.

Concluſio.

DE NECESSITATE POENITENTIAE, & eius duratione.

CAP. III.

POEnitentiæ neceſſitas dupliciter à nobis conſiderari poteſt, vel quatenus virtus eſt, vel quatenus ſacramentum eſt; Quæ quidem neceſſitas, reſpectu vtriuſque etiam dupliciter conſiderari poteſt: Vno modo ſimpliciter, & abſolutè: ſecundo ex ſuppoſitione; Inſuper iſta neceſſitas alia dicitur neceſſitas medij, alia dicitur: Neceſſitas præcepti, vel in re, vel in voto, ſicut nos plenius explicauimus ſupra agendo de Sacramen. in Gener. tract. 1. c. 3. nu. 33.

1 Neceſſitas multipliciter diſtinguitur.

His ergò poſitis, loquendo de Pœnitentia quatenus virtus eſt, Dicimus primò: Pœnitentiam (vt pœnitentia

2 Pœnitentia nõ eſt neceſſaria ſimpliciter.

Digitized by Google

tentia eſt,) non eſſe ſimpliciter, & abſolutè omnibus neceſſariam: ijs, videlicet, qui nunquam actualiter poſt Baptiſmum deliquerunt, pro vt dicitur libro

lib. 2. Paral. ſecundo Paralip. cap. vltimo: *Tu Domine iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, qui tibi non peccauerunt:*

B.M.V. & Angeli non ſunt capaces Pœnitentiæ. D. Auguſt. Quapropter Beatiſſima Virgo Maria, quæ numquam peccauit, atque Angeli Sancti, qui numquam peccauerunt pœnitentiam facere non poſſunt. Patet hoc ex definitione ipſius Pœnitentiæ, tradita ab Auguſt. dicente: *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod commiſiſſe dolet.* Si ergò homo iuſtus

Pœnitentia ſupponit peccatum. poſt Baptiſmum non peccaret, non haberet neceſſitatem pœnitendi: Nam pœnitentia ſupponit peccatum, Ideò, &c.

3 Pœnitentia eſt neceſſaria ex ſuppoſitione. Dico ſecundò: Quamuis actus ſpecialis virtutis pœnitentiæ non ſit neceſſarius ſimpliciter ijs, qui non peccauerunt: Suppoſito tamen actuali peccato, actus pœnitentiæ erit ſimpliciter neceſſarius: Et ratio huius eſt, quia ad iuſtificationem conſequendam poſt peccatum commiſſum, neceſſe eſt, vt homo Deo ſatisfaciat, vel ſaltem eam præſtet ſatisfactionem, quam præſtare poteſt, ſaltem implicitè: At ſatisfacere eſt actus virtutis pœnitentiæ, ergò talis actus pœnitentiæ erit, ſimpliciter neceſſarius, ſecundùm illud

Luc. cap. 13. Sine Pœnit. impoſſibile eſt placere Deo. Euangel. Luc. capit. 13. dicente Domino: *Si pœnitentiam non habueritis, omnes peribitis: Sine enim pœnitentia impoſſibile eſt placere Deo:* Sed in hoc nulla eſt controuerſia: Omnes enim vnanimiter conueniunt.

4 An Pœnitētia durare debeat, vſq; ad finem vitæ. Sed difficultas eſt: An talis pœnitentia durare debeat, vſque ad finem vitæ: & Ratio dubitandi eſt; quia in Can. Pœniten. de Pœnitent. 2. D. 3. habetur: *Continuè dolendum eſt de peccato: vt ſemper peccator vlciſcendo puniat, quod commiſit peccando:* Hæc Auguſtinus.

Reſolutio. Pœnitentia interior habitualiter debet durare, vſque ad finem vitæ. Reſpondetur: Pœnitentiam dupliciter conſiderari poſſe, vel quatenus eſt pœnitentia interior, qua quis dolet de peccato commiſſo; & talis dolor, ac diſplicentia durare debet, vſque ad finem vitæ incluſiuè, ſaltem in habitu: Numquam enim licebit homini de peccato commiſſo ſibi complacere, quia ſi peccaſſe placeret, eo ipſo peccatum nouum committeret, & fructum veniæ amitteret. Et de iſta pœnitentia interiori habitualiter locutus eſt D. Auguſt. in d.

D. Auguſt. Hugo de S. Victore. Can. ſupra dicto: Et Hugo de Sanct. Victor. dicit, quod; *Deus quandò abſoluit peccatorem à vinculo peccati, obligat eum vinculo deteſtationis perpetuæ, ſaltem ad hoc, quod non habeat actum oppoſitum:* Non enim oportet ſemper actù dolere, cùm neceſſè ſit actum humanum, ſiuè interiorem, ſiuè exteriorem interrumpi, ſiuè ſomno, ſiuè alijs occupationibus, & ideò ſufficit virtualis pœnitentia.

5 Pœnitentia exterior, quātum durare debet. Pœnitentia verò exterior, qua quis ſigna exterioria doloris oſtendat, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe, affligendo ſe flagellis, ieiunijs, lacrymis, oratione, aliiſque huiuſmodi, non eſt neceſſe durare vſque ad finem vitæ: Sed ſufficit talis pœnitentia, vſque ad determinatum tempus, ſecundùm menſuram delicti: Quàpropter dixit Dominus per Ezech. capit.

Ezech. c. 33. 33. *Si impius egerit pœnitentiam ob omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt: Omnium iniquitatum eius, non recordabor amplius:* Et hæc de Pœnitentia interiori, & exteriori, quatenus virtus eſt: Legite D. Thom. in

D. Thom. Soto. Chamer. 3. part. quæſtio. 84. A. 9. Soto in 4. D. 14. quæſtione 1. A. 7. Chamer. de Sacra.tract. 5. d. 11.

6 Sacr. Pœnit. quatenus eſt neceſſarium. In genere nihil odit Deus. Loquendo autem de Sacramen. Pœniten. dicimus breuiter, quod Abſolutè, & ſimpliciter ſecundùm ſe, non eſt omnibus hominibus neceſſarium; ijs, qui poſt Baptiſmum actualiter non peccauerunt: In renatis enim nihil odit Deus, quàpropter infantes ba-

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

ptizati, ſi decidat ante vſum rationis infallibiliter ſaluantur: & B. V. quæ numquam peccatum aliquod commiſit, non fuit capax Sacramenti Pœnitentiæ: Suppoſito tamen peccato mortal. actuali Sacramen. Pœniten. eſt omnibus ſimpliciter neceſſarium, neceſſitate medij, & præcepti, vel in re, vel in voto, quàpropter Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. dixit: *Pœnitentia Sacramentum neceſſarium eſſe lapſis poſt Baptiſmum, ſicut neceſſarius eſt ipſe Baptiſmus ijs, qui non dum illum ſuſceperunt:* Sed Baptiſmus eſt neceſſarius omnibus neceſſitate medij, & præcepti in re, vel in voto, ergò, & Pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſarium poſt Baptiſmum lapſis in re, vel in voto: Ità Suarez d. tomo 4. D. 17. ſect. 2. numer. 3. Coninch. de Pœnitent. D. 5. d. 1. numer. 27. Vaſquez tomo 3. de Pœnit. quæſt. 84. A. 5. num. 44. Filliuc. tom. 1. tract. 6. cap. 2. numer. 45. Conc. Trid. Suar. Coninch. Vaſqu. Filliuc.

Sed quæritur: Quomodò peccata dicantur remitti in voto per ſactam. Pœnit. 7 Sacr. Pœnit. in voto, quid ſit.

Reſpondetur quod: Quandò quis, habens conſcientiam peccati mortiferi, & non habens copiam confeſſarij producit actum veræ cōtritionis, per quem conſequitur peccatorum remiſſionem per infuſionem gratiæ: *Nam facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam,* tunc talis contritio dicitur: Eſſe votum Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus ad ipſum ordinatur cum onere, & propoſito confitendi peccata illa tempore debito: Nam qui contritionis actum elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remiſſionem per contritionis actum obtinuit ſubijcere clauibus tēpore ſuo, vt videbitur plenius loco ſuo, agendo de contritione: Sic docent Suarez d. D. 17. ſect. 3. num. 7. Reginald. lib. 28. num. 42. Vaſq. 3. p. qu. 84. A. 5. & alij. Et ità patet ſacramentum Pœnitentiæ eſſe neceſſariū lapſis poſt Baptiſmum, vel in voto, quandò videlicet eſt commoditas, eſt neceſſarium in re, quandò autem non eſt commoditas confitendi ſufficit contritio cum voto ſacramentalis confeſſionis: Et ideò rationabiliter à Theologis Sacramentum Pœnitentiæ: Secunda tabula poſt naufragium appellatur, & ſecundum Baptiſmum. Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuā. Suar. Reginald. Vaſq. Sacram. Pœnit. eſt neceſſariū ex ſuppoſitione in re, vel in voto.

Sed difficultas modò eſt: An huiuſmodi votum ſacram. Pœnit. debeat eſſe explicitum, & formale: An ſufficiat implicitum. 8 An votū ſacram. Pœnit. debet eſſe explicitum.

Reſpondetur quod: Licèt Durandus & Can. p. 5. q. 2. de relat. videantur dicere: Requiri votum explicitū, quia aliàs contritio non ſufficeret per ſe, & ex vi ſua ad iuſtificationem ſine ordine ad claues: Quàpropter DD. iſti exiſtimarunt: Tale propoſitum confitendi ſacramentaliter debere eſſe formale, & explicitum in tali contritionis actu. Opinio Durandi, & Cani.

Contraria tamen ſententia Theologorum cōmunior eſt, & verior, dicens: Sufficere votum implicitum, quod ſemper includitur in actu contritionis perfectæ: quod autem in alio includitur eſt implicitum, & non explicitum, ergò, &c. Ità enim habetur ex doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. dicentis: *Votum hoc includi in contritione,* ſed votum, quod includitur in contritione eſt implicitum, ergò ad iuſtificationem ſufficit propoſitum implicitum confitendi: Ità D. Thom. in 4. D. 17. qu. 2. A. 5. Nugn. in 3. p. qu. 86. Filliuc. to. 1. tract. 6. c. 4. nu. 49. Nauarr. in man. c. 1. nu. 15. & Bona. to. 1. D. 5. q. 2. nu. 8. & Suarez d. D. 17. ſect. 3. n. 9. & alij. 9 Secunda ſententia communior amplectitur cōtra Durand. Concil. Trid. D. Thom. Nugn. Filliuc. Nauar. Bonac. Suar.

Quis enim negetè veram eſſe contritionem, & vltimam diſpoſitionem ad gratiam, quādò quis nullā habēs memoriā confeſſionis, dolet tamē de peccato cōmiſſo, quatenus eſt offenſa Dei ſummè dilecti, cum propoſito non peccandi de cæteroè Quamuis enim in actu non ſit expreſſum propoſitū confitēdi, includitur tamē implicitè in ipſo cōtritionis actu: Verum tamen 10 Confirmatur ſecunda ſententia. Limitatio.

O eſt,

eſt, quod tempore ſuo, quandò habet commoditatem confitendi tenebitur confeſſionem illorum facere, vt ſacramentaliter abſoluatur aliter, enim nouum peccatum incurreret: Ita communiter omnes præcitati Doctores.

11 **Concluſio.** Concludimus ergò breuiter: Pœnitentiæ ſacramentum neceſſarium eſſe in re, quandò eſt commoditas tempore debito determinato ab Eccleſia, vt ſemel ſaltem in quolibet anno, vt patet ex C. Omnes vtriuſque ſexus de Pœniten. & remiſs. & quandò recipiẽda eſt Euchariſtia per communionem, & in articulo mortis, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & poſteà loco ſuo probabitur, loquendo de præcepto confeſſionis: Quandò autem non eſt commoditas confitendi ſufficit contritio cum propoſito implicito, vel explicito confitendi. **Concil. Tri.**

DE PARTIBVS SACRAMENTI Pœnitentiæ.

CAP. IV.

1 **Materia, & forma ſunt partes eſſentiales componentes. Sacramenta debent conſtare ex materia, & forma.** PArtes eſſentiales, componentes in quacumque re ſunt materia, & forma, ex quibus, tanquam ex partibus componentibus perficitur totum compoſitum quodcumque illud ſit, vt patet per omnes.

Cùm autem ſacramentum, vt ſacramentum eſt, ſit ſignum ſenſibile, efficaciter ſignificans inuiſibilem gratiam, neceſſariò tale ſignum, in quo fundatur ſignificatio debet conſtare ex materia, & forma ſenſibili, quæ ſunt partes eſſentiales ipſius ſigni, quod dicitur Sacramentum: Ideò in præſenti capitulo pro complemento huius primi tractatus: Videndum eſt: **Materia & forma dupl. partis, & totius.** Quæ ſit materia, & forma ipſius ſigni in ſacramento Pœnitentiæ (loquimur autem de materia, & forma partis non autem totius:) In quolibet enim ſigno ſenſibili duo concurrunt: Vnum, quod ſe habet tanquam præuium, & determinabile, quod habet rationem materiæ: Alterum tamquam poſterius, & determinãs, quod habet rationem formæ per ſimilitudinem ad formam: quàpropter

2 **Actus pœnitentis ſunt materia partis.** Dico primò: In ſacramento Pœnitentiæ, quemadmodum, & in cæteris dari duo, quorum alterum eſt res illa ſenſilis, conſtans ex actibus pœnitentis, qui ſe habent ratione materiæ per aliquam ſimilitudinem ad materiam, quæ determinatur per verba Sacerdotis, prolata ad determinandam illam materiam ad ſignificandum vnum ſacramentum: Quæ quidem verba quamuis ſecundùm Scotum ſint principale fundamentum ſacramenti Pœnitentiæ, habent tamen rationem formæ reſpectu ipſius actus pœnitentis, ſicut nos plenius explicauimus in tract. 1. de Sacram. in Gen. cap. 3. n. 3.

3 Quàpropter dicimus: In ſacramento Pœnitentiæ dari materiam, & formam ad faciendum illud ſignum ſenſibile, in quo fundatur ſignificatio inuiſibilis gratiæ iuſtificantis.

4 **Materia dup. remota, & proxima.** Materia autem duplex eſt: Vna dicitur, Remota, altera Propinqua: Materia remota eſt illa, circa quam verſatur materia proxima vndè ſequitur: Materiam remotam in Sacramento Pœnitentiæ, eſſe omnia, & ſingula peccata, commiſſa poſt ſuſceptum Baptiſmum, non quidem amplectanda, ſed deteſtanda, circa quæ verſantur actus pœnitentis, qui ſunt Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, quæ dicuntur materia proxima Sacramenti, ſupra quam cadit verborum forma; quæ conſtituunt Sacramentum, in quo fundatur ſignificatio Sacramenti.

5 Quàpropter dico primò: Materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe omnia, & ſingula peccata, quæcumque ſint illa, quæ poſt Baptiſmum committuntur ab hominibus, ſiuè ſint mortalia, ſiuè venialia, quæ dicuntur: materia circa quam verſantur actus pœnitentis, non autem ex qua, ſicut ex ligno conficitur ſtatua, ſed dicuntur (inquam) materia circa quam verſantur actus pœnitentis, & iudicium Sacramentale verſatur: pro vt docent benè Filliuc. to. 1. tract. 6. c. 3. nu. 34. Bonac. tom. 1. D. 5. q. 3. p. 1. nu. 3. & Suar. d. tom. 4. D. 18. ſect. 1. Coninch. de Pœnit. D. 4. d. 3. nu. 27. & alij. **Peccata actualia ſunt materia remota Sacra. Pœnitentiæ** **Filliuc. Bonac. Suar. Coninch.**

6 **Peccatum Originale nõ poteſt eſſe materia Sacramenti Pœnitentiæ. Neque actualia commiſſa ante Baptiſmum.** Dixi autem: *Peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa:* Nam originale peccatum non poteſt eſſe materia circa quam verſetur contritio, confeſſio, & ſatisfactio, cùm illud non ſit contractum per actum propriæ Voluntatis, ſed in voluntate primi Parentis, (vt dicetur in tractatu de peccato originali.) Neque peccata etiam actualia, commiſſa ante ſuſceptum Baptiſmum, cùm huiuſmodi peccata totaliter per lauacrum Sacramenti Baptiſmi deleantur: Tum etiam, quia illa peccata non ſubduntur iuriſdictioni Eccleſiæ, eò quod homo quandò ea commiſit non erat ſubditus iuriſdictioni Eccleſiæ, & Eccleſia non iudicat de illis, qui ipſius ſubditi non ſunt, iuxta illud Apoſtol. 1. Corinth. 5. dicentis: *Quid mihi de illis, qui foris ſunt iudicare:* Sicut etiam dicitur in Concil. Trident. ſeſſ. 14. capit. 1. & 2. vbi dicitur. *Pœnitentiæ Sacramentum eſſe, ad reconciliandos fideles, lapſos poſt Baptiſmum:* Cùm autem peccatum Originale, aut etiam actualia, commiſſa ante Baptiſmum, non ſint lapſus poſt Baptiſmum, ſequitur: Pœnitentiæ Sacramentum non eſſe inſtitutum ad huiuſmodi peccata ſoluenda, & conſequenter, huiuſmodi peccata non poſſe eſſe materiam remotam huius Sacramenti: Ità Medina Cod. de Confeſſ. quæſt. 5. Soto in 4. D. 14. qu. 1. A. 2. **1. Corin. c. 5. Concil. Trid.** **Medina. Soto.**

7 **Peccata venialia ſunt materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ non autem neceſſaria. Nauar. Henriq. Suar.** Dico ſecundò. Peccata venialia poſſe eſſe veram, & legitimam materiam Sacramenti Pœnitentiæ: Nam etiam circa illa verſari poſſunt actus pœnitentis, qui ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio: Verum eſt tamen, quod Venialia peccata non dicuntur materia neceſſaria, ſed ſufficiens, vt dicunt Nauarr. in manu. cap. 7. numer. 6. & capit. 21. numer. 3. Henriquez libr. 4. capit. 9. numero 30. & capit. 20. numero ſexto & Suarez tomo 4. de Pœnitent. D. 18. ſect. 4. nu. 8. & alij.

8 **Probatur p. p. Aſſertionis.** Quod autem non ſint materia neceſſaria patet, quia peccata venialia ſine Sacramento remitti poſſunt, ſiue per deteſtationem, ſiuè per orationem, & huiuſmodi, & ideò non ſunt materia neceſſaria: Nam Sacramentum Pœnitentię dicitur, & eſt ſecunda Tabula poſt naufragium: At per venialia peccata non incurritur naufragium, ergo non ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens ad producendos actus pœnitentis.

9 **Peccata mortalia dicuntur materia neceſſaria, & quare.** Ex quo ſequitur: Solùm peccata mortalia, poſt Baptiſmum commiſſa eſſe materiam neceſſariam Sacramenti Pœnitentię, quia ſine illo deleri non poſſunt, vel in re, vel in voto: Non dicuntur autem materia neceſſaria ex eo, quod ſine illis non poſſit effici Sacramentum (quod quidem falſum eſt) ſed quia illa tolli non poſſunt niſi per virtutem huius Sacramenti: Peccata autem venialia dicuntur materia ſufficiens, quia de illis pœnitentia eſt agenda, & vtiliter in confeſſione explicantur, tum ad veniam illorum obtinendam, tum ad emendationem: tum etiam quia Chriſtus Dominus, inſtituens hoc Sacramentum non coarctauit illud ſolummodò ad mortalia, quò ad abſolutionem, ſed etiam ad venialia delinauit; (Dixit n. ſimpliciter.) *Quorum remiſeritis peccata* **Sub nomine peccati non ſolùm mortale, ſed etiã veniale intelligitur.**

remittun-

remittuntur eis. Sub nomine autem peccati, non ſolùm comprehenditur mortale, verùm etiam veniale, prout docent Suar. d. D. 18. ſect. 1. nu. 5. Filliuc. tract. 4. cap. 3. num. 58. Pitig. 2. p. d. 17. q. 1. A. 2. Sylu. Confeſſio 2. nu. 2.

Suar. Filliuc. Pitig. Syluest.

10 Non omnia venialia, ſūt neceſſariò confitenda. Soto. Victoria.

Ex quo iterum ſequitur: Pœnitentem non teneri in confeſſione manifeſtare omnia, & ſingula peccata venialia, poteſt enim liberè, ſi vult aliqua confiteri, aliaque relinquere, etiam voluntariè, quia non ſunt materia neceſſaria, ſed tantùm ſufficiens: Et idem dicendum eſt de peccatis mortalibus, aliàs ritè confeſſis, & abſolutis. Ità Soto in 4. D. 18. q. 2. A. 5. Victoria nu. 166. & alij.

11 An peccatum dubium ſit materia ſufficiens.

Sed hic occurrit vna difficultas: An peccatum dubium ſit materia ſufficiens confeſſionis?

Reſolutio. Materia Sacramenti debet eſſe certa, & non dubia.

Reſpondetur: Negatiuè, non enim peccatum dubium; An ſit commiſſum, vel an ſit peccatum poteſt eſſe materia ſufficiens confeſſionis, cuius materia debet eſſe certa, propterea curandum eſt, vt quandò ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtratur abſolutio cadat ſuper materiam certam: Nam materia dubia non eſt per ſe materia ſufficiens ſacramenti: Quod ſi manente dubio de peccato commiſſo confeſſarius iudicauerit pro pœnitentis conſcientiæ ſecuritate abſolutionem Sacramentalem eſſe imponendam, impendat ſaltem ſub conditione: Dicendo, ſiuè mente concipiendo: *Si materia eſt ſufficiens, vel ſi es capax abſolutionis: Ego abſoluo te*, prout docent Suarez d. t. 4. D. 18. ſectio. 1. num. 12. Sanchez in ſumm. libro primo cap. 10. numer. 7. Filliuc. tomo 1. tractat. 6. cap. 3. num. 60. Hoc tamen intelligendum eſt, quādò dubium eſt de facto: An videlicet commiſſum ſit peccatum; Quandò autem certum eſt de peccato commiſſo, dubitatur tamen; An ſit mortale, vel veniale, tunc liberè, & ſimpliciter dari poteſt abſolutio, quia materia peccati commiſſi certa eſt, quod autem ſit mortale, vel veniale nihil impedit. Bonac. 1. 1. D. 5. quæſt. 3.

Abſolutio ſub conditione quando eſt largiēda. Suar. Sanchez. Filliuc. Quandò dubium eſt de facto, nō autem de qualitate.

Bonac.

12 Peccata abſoluta poſſūt iterum confiteri, & abſolui.

Dico tertiò: Peccata aliàs legitimè confeſſa, & ritè abſoluta poſſe iterum, atque iterum confiteri, & abſolui, & ratio huius eſt, quia circa huiuſmodi peccata poteſt adhuc verſari materia proxima: ideſt, actus pœnitentis, nam pœnitens, qui illa commiſit, & remiſſionem ſemel obtinuit, adhuc ſubditus eſt Eccleſiæ, & per conſequens adhuc iudicari poteſt, ab Eccleſia, ſi voluerit iterum de illis ſe accuſare, faciendo nouum contritionis actum: & ratio huius eſt, quia Chriſtus Dominus non limitauit poteſtatem Sacerdotis ad vnum actum remiſſionis, quia ſic congruum erat ad finem Sacramenti propter maiorem Animarum vtilitatem, atque ſecuritatem: Nec valet dicere: Quod: Semel remiſſum eſt, & abſolutum non poteſt iterum remitti, & abſolui: Dominus enim non iudicat bis in idipſum: ergò non licet iterum abſolui.

Obiectio.

13 Solutio.

Reſpondetur, Negando antecedens; nam hæc peccati remiſſio fit per gratiæ infuſionem, & ſanctificationem animæ, quem effectum ſemper habet, & habere poteſt forma abſolutionis ſacramentalis, ritè data, & remoto obice recipientis, & ideò talis forma habet hunc ſenſum: *Ego tibi confero gratiam remiſſiuam peccati quantum eſt ex ſe.* Et vltra hoc per iterationem confeſſionis, & abſolutionis ſemper remittitur pœna, luenda in Purgatorio; Et ſi contingat illam totaliter fuiſſe remiſſam non modò, quò ad culpam, verùm etiam quò ad pœnam: Nihilominus per iteratam confeſſionem, & abſolutionem nulla fit iniuria Sacramento, quia culpa iam commiſſa ſemper eſt, & poteſt eſſe remota materia Sacramenti, cùm ſemper de illis poterit quis pœnitere, & producere

Senſus abſolutionis Sacramentalis, qualis ſit.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

nouos actus; Et per ly verbum: *Abſoluo*, ſemper datur gratia remiſſiua, & augmentum eius; Patet hoc ex piorum hominum conſuetudine, qui carentes peccatis denuo commiſſis, ſolent ſæpè ſæpius iterum atque iterum eadem peccata, aliàs confeſſa, & abſoluta confiteri; Quàpropter Benedictus Papa XI. in 1. extra. de Priuileg. §. Verum, dixit: *Salubrem eſſe, & fructuoſam confeſſionem peccatorum, alias confeſſorum.* Ità Suarez tomo 4. de Pœnit. D. 18. ſect. 1. nu. 7. Coninch. D. 4. d. 3. num 27. Nauar. in man. cap. 21. num. 42. & alij.

Verbum abſolutio ſemper dat gratiam remiſſiuam.

Benedict. XI.

Suarez. Coninch. Nauar.

14 Aduertēda.

Notandum autem, quòd quandò pœnitens vult iterum confiteri peccata præterita, aliàs ritè abſoluta, & de illis iterum abſolui Sacramentaliter; tunc tenetur hoc facere motus nouo affectu deuotionis, vel ad concipiendum nouum dolorem, & erubeſcentiam, & ad recipiendum maius augmentum gratiæ, non autem ex quadam conſuetudine, ſiue loquacitate, quia alioquin forſitan aliquandò iniuria fieret Sacramento, vt benè aduerterunt Ricch. in 4. D. 18. A. 2. q. 4. Vaſq. in 3. p. q. 1. A. 3. d. 7. Filliuc to. 1. tra. 6. c. 3. nu. 59. cum alijs.

Non debet fieri ex loquacitate, ſed per nouū actum. Riccard. Vaſq. Filliuc.

15 Materia proxima Sacramenti Pœnit. quæ.

Dico 4. Materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe tres illos actus pœnitentis, qui verſantur circa materiam remotam, quæ ſunt peccata deteſtanda, & deſtruenda, ex quibus producit pœnitens actum contritionis, & facit cōfeſſionem de illis cum propoſito, & voluntate ſatisfaciendi, vt habetur ex doctrina Triden. ſeſſ. 14. cap. 3. & Floren. vbi dicitur: *Contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ*: & Ratio huius eſt, quia Pęnitentiæ Sacramentum eſt inſtitutum per modum iudicij emendatiui, & reconciliatiui, cuius materia eſt accuſatio, & manifeſtatio delicti, quæ conſiſtit in confeſſione; nam ipſe pœnitens eſt ſui ipſius accuſator, teſtis, & reus; Præterea requiritur, vt accuſator manifeſtet ſua delicta cum dolore, alioquin non eſſet in ordine ad reconciliationem, iuxta Danidicum illud: Pſalm. 31. *Dixi confitebor iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei*, ergò talis accuſatio debet eſſe cum dolore.

Concil. Tri. & Floren.

Pęnitens eſt ſui ipſius accuſator, & teſtis. Pſalm. 31.

16 Contritio, & cōfeſſiō ſūt partes eſſentiales.

Ex quo ſequitur: Confeſſionem, & contritionē eſſe eſſentiales partes ipſius Sacramenti; ſed vltra hoc requiritur etiam ſatisfactio, quæ eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, quæ licèt non ſit pars eſſentialis, cùm ſine illa poſſit eſſe verum, & legitimum Sacramentum; eſt tamen pars integralis, (vt dicetur loco ſuo) & ità omnes Theologi communiter affirmant: vt D. Thom. 3. p. q. 84. A. 1. Suarez D. 20. ſect. 3. nu. 8. Henriq. lib. 4. de pœnit. c. 10. Coninch. D. 4. d. 4. num. 34. Soto in 4 D. 17. q. 1. A. 3. Bonac. tom. 1. D. 5. qu. 3. num. 14.

Satisfactio eſt pars integralis. D. Thom. Suar. Henriq. Coninch. Soto. Bonac.

17 Sacramentū tantum, res Sacramenti; & res ſimul, & Sacramētum quæ.

Notandum tandem; In hoc Sacramento, ſicut & in cæteris inueniri illa tria Videlicet, Sacramentum tantùm, & eſt illud ſenſibile ſignum, conſtans ex actibus pœnitentis, & forma abſolutionis Sacramentalis; ſecundùm eſt Res Sacramenti, quæ ſignificatur per illud ſignum, & talis eſt peccatorum remiſſio per infuſionem gratiæ iuſtificantis; Et tandem tertium eſt Sacramentum ſimul, & res Sacramenti, quæ ſignificatur, & ſignificat interiorem gratiam infuſam. Ità docent D. Thom. 3. p. qu. 84. A. 1. ad 3. Suarez d. d. 18. ſect. 5. D. Bonau. in 4. D. 22. quæſt. 2. Alenſ. 5. p. q 60. num. 1. A.

D. Thom. Suar. Bonac. Alenſis.

TRACTATVS XIX.

De Sacramentis.

Et de Peccatis. Tract. II.

PROOEMIVM.

QVoniam in præcedenti tractatu diximus: Materiam Sacramenti Pœnitentiæ remotam, eſſe peccata, non quidem amplectenda, ſed reijcienda, ac deteſtanda per doloroſam confeſſionem: Ideò rectus doctrinæ petit ordo, vt conſequenter de ipſis peccatis, quæ ſpectant ad propoſitum noſtrum, quæ neceſſaria ſunt dicamus: & ideò primum de peccatorum diuiſione, & quiditate, Deindè de circumſtantijs, ac numero ipſorum, quæ in Sacramentali confeſſione aperienda ſunt: Poſtremò tandem de effectibus, & malitia ipſius peccati: An videl. offenſa Dei, quæ fit per peccatum ſit finita, vel infinita, moraliter, & breuiter explicabimus. Diuiſio Tractatus.

DE PECCATORVM DIVISIONE, & Quiditate.

CAP. I.

1 Peccati nominis Etymologia. PEccati nomen generaliter ſumptum ſecundùm ſe, & ſecundùm propriam ſignificationem ſignificat defectum, quod à Græcis *πταῖσμα* ſiuè *ἁμαρτάνον*, dicitur quod idem eſt, ac deuiatio, ſiuè declinatio à rectitudine operi debita, ſiuè in naturalibus, ſiuè artificialibus, ſiuè in moralibus: Vndè Ariſt. 2. Phyſ. (Ariſtotelis.) Monſtra naturæ appellauit peccata: communiter autem, & propriè accipitur pro deuiatione in moralibus: pro vt dicit D. Tho. 1. p. q. 63. A. 1. & p. 2. qu. 71. A. 6. (D. Thom.) Peccatum enim dicitur à peccando, & deficiendo cùm ſit auerſio à bono incommutabili; & hoc quantum ſpectat ad Etymologiam.

2 Peccati dup. originale, & actuale. Quare dicatur peccatū Originale. Peccatum autem in prima ſui diuiſione: Duplex eſt; vnum dicitur Originale: alterum Actuale: peccatum Originale, eſt peccatum primi Parentis, quatenus receſſit à regula Diuini præcepti, comedendo de fructu arboris prohibiti ab ipſo Deo: Dicitur Originale, quia fuit origo, & principium omnium malorum per amiſſionem iuſtitiæ originalis, & gratiæ. Quid verò ſit tale peccatum originale, & quomodò contrahatur à poſteris difficilè eſt explicare: quapropter D. Auguſt. lib. 1. de morib. Eccl. dixit: *Nihil eſſe peccato Originali ad prædicandum notius, & nihil ad intelligendum ſecretius.* (Peccatum originale difficile ad explicandum. D. Auguſt.)

3 Definitio peccati Originalis quæ. Nauar. Definitur autem à Theologis multipliciter: ſed inter omnes eſt clariſſima definitio illa collecta ex multis Patribus à Nauarro in man. prælud. 8. n. 1. dicente: *Peccatum Originale eſt peccatum primi parentis, quatenus fuit naturæ transfuſum per virtutem ſeminalem in omnes, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè ab eo genitos, quo ſibi, & illis perdidit iuſtitiam originalem, quò ad hoc ſæculum, & beatitudinem, quo ad æternum*: quæ verba definitionis per ſe clariſſima ſunt, declarantur tamen diffusè ab ipſo Nauarro, loco ſupra cit. videantur ibi.

4 In quo conſiſtat ratio peccati Originalis. Ex quo patet: Originale peccatum conſiſtere in priuatione iuſtitiæ debitæ humanæ naturæ ex pacto facto ab ipſo Deo cum Adamo, tanquam capite totius humani generis, vt ſi ipſe cuſtodiret iuſtitiam, vincendo tentationem Diaboli transfunderet ipſam in filios, ſi autem vinceretur ipſam iuſtitiam amitteret, non ſolùm ſibi, ſed etiam omnibus ab ipſo deſcendentibus: quapropter præcepit ei Dominus dicens: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sicut dicitur in lib. Gen. c. 2. nu. 18. (Geneſ. c. 2.)

5 Difficultas. Quomodò contrahatur ad animas poſterum. Quomodò dicatur voluntarium reſpectu noſtri. Sed maxima difficultas eſt ad explicandum quomodò contrahatur macula peccati Originalis per Adam ad animas poſterum: Nam peccatum debet eſſe voluntarium, vt ſit culpabile: Breuiter tamen reſpondendo dicimus, quod: Peccante primo Parente, peccauimus & nos, pro vt eramus in ipſo, tanquam in radice, & tale peccatum fuit voluntarium etiam reſpectu noſtri: non noſtra voluntate formaliter, ſed ipſius Adæ: erat enim Adæ voluntas communis omnium, ſicut ipſe erat principium omnium, & ideò omnes peccauimus in illo, & ſic per vnius inobedientiam peccatores multi conſtituti ſunt, pro vt dixit Apoſt. ad Rom. c. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatum mors, in quo omnes homines peccauerunt.* (Roma. 5.)

6 Expoſitio D. Bona. quomodò contrahatur. Diuus autem Bonauentura opuſc. 3. cap. 8. de corrupt. peccati, tali pacto explicat, dicens: *Licet Anima noſtra non ſit ex traduce, originalis tamen culpa ab Anima Adæ tranſit ad Animas poſterum, mediante carne per concupiſcentiam genita, ita quod, ſicut ab Anima Adæ peccante infecta fuit caro Adæ, & prona effecta ad concupiſcentiam; ita ſeminata caro, ſecum trahens infectionem vitiat Animam*: ex quo ſequitur (ſecundùm Diuum Bonauenturam) *Peccatum originale eſſe in carne: & in Anima: In carne quidem originatiuè, in anima autem tanquam in ſubiecto*: Hæc Sanct. Bonauentura: Quod ſana mente eſt intelligendum: non enim abſolutè caro infecta maculat Animam, cùm impoſſibile ſit; ſpiritum infici per contactum accidentis materialis: nam ſi ſic daretur circulus in infinitum, quod caro inficeret Animam, & Anima carnem, & ità daretur proceſſus. (Limitatur expoſitio D. Bona & reducitur ad bonum ſenſum.)

7 Vera expoſitio, & ſolutio difficultatis ſecundum Scotum. Dicimus ergò, (ſequendo ſcholam Subtilium) Originale peccatum contrahi, mediante carne, non quod caro infecta inficiat animam (prout videtur dicere D. Bonauentr.) ſed quia mediante carne, producta per ſeminalem propagationem fit corpus organicum, ex quo, & ex Anima creata in corpore illo genito, & ipſi vnita per phyſicam vnionem, tanquam actus informans, reſultat compoſitum ex Anima, & corpore, & fit hic homo, & hæc perſona humana, & conſequenter filius Adæ ab illo deſcendens, & ideò in illo tunc debitor eſt iuſtitiæ, quam acceperat in ſuo primo parente, & caret illa, & ideò formaliter conſtituitur peccator propter carentiam illius iuſtitiæ; ſicut cæcus per carentiam luminis; ideſt viſionis: quapropter dixit Apoſt. Epheſ. c. 2. *Eramus natura filij iræ*: (Epheſ. c. 2.) deletur autem iſta carentia iuſtitiæ non per habitum oppoſitum, ſcilic. per infuſionem iuſtitiæ Originalis, ſed per æquiualentem, ideſt per gratiam habitualem ſanctificantem Animam: & ità, qui prius erat peccator, tanquam filius Adæ per lauacrum Regenerationis Sacramenti fit filius Dei, mediante gratia iuſtificante. Hæc Scotus in 2. ſent. D. 30. & 31. & Becan. tract. 2. c. 9. q. 10. concl. 4. (Peccatum originale quomodò deleatur per gratiam iuſtificantem. Scot. Becanus.)

8 Peccatum originale dicitur peccatū naturæ. Expoſitio D. Thom. Ex quo ſequitur: Peccatum originale eſſe peccatum naturæ: & ſicut peccatum actuale eſt peccatum perſonæ, quia per voluntatem perſonæ peccātis committitur; Ità peccatum originale eſt peccatum naturæ, eò quod per voluntatem Principij humanæ naturæ commiſſum eſt: Et ſicut peccatū actuale, quod eſt

peccatum

Digitized by Google

peccatum perſonæ trahitur per ſingula membra per aliquem actum perſonalem; ita peccatum originale trahitur ad ſingulos homines per actum naturæ, qui eſt generatio; Ità D. Tho. in Epiſt. ad Rom. c. 5. lect. 3. colu. 2. Et hæc de peccato Originali dicta ſufficiant pro præſenti materia: Nõ enim Originale peccatum pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, cùm totaliter deletum ſit per Baptiſmi Sacramentum.

9 Peccatum actuale quid? D. Auguſt. D. Ambroſ.

Peccatum autem Actuale, eſt peccatum, quod non eſt Originale: eſt enim illud, quod committitur ex propria voluntate: Nam ſecundùm D. Auguſt. *Omne peccatum ideò eſt peccatum, quia eſt voluntarium, quod ſi non ſit voluntarium non erit peccatum*: Quàpropter D. Ambroſ. lib. de Vita beat. ca. 3. dixit: *Diabolus neminem adſtrictum iugo ſeruitutis poſſidet, niſi ſe primò ei peccatorum ære vendiderit*, quod refertur in Can. Non eſt is qu. 1. *Eſt enim peccatum: receſſus voluntarius à regula Diuina*; prout dicit Chamerota tract. 5. de pœniten. cap. 2.

Chamer.

10 Definitiones quatuor peccati actualis.

Hoc autem peccatum, quod dicitur actuale multipliciter à Doctoribus deſcribi ſolet: Nos autem ex illis, quatuor deſcriptiones iuxta numerũ quatuor cauſarum in hoc noſtro tractatu eligimus, quarum.

Prima per cauſam materialem. D. Auguſt.

Prima eſt D. Auguſt. libro 22. contra Fauſtum, dicentis: *Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æterna*. Triplici enim modo poſſumus legem Dei præuaricare, corde, ore, & opere: Et quamuis etiam poſſet fieri peccatum per omiſſionem: Omiſſio tamen comprehenditur in facto, latè ſumpto vocabulo: nam qui omittit, quod facere tenetur, facit contra id, quod tenetur facere ideò, &cet. Vndè definitio iſta D. Auguſtini videtur data eſſe, quaſi per cauſam materialem: Nam factum, dictum &c. ſunt materia peccati.

11 Secunda eſt per cauſam formalem. D. Ambroſ.

Secunda definitio eſt D. Ambroſ. libr. de Paradiſo cap. 8. dicentis: *Peccatum eſt Præuaricatio legis Diuinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum*, quæ videtur data, quaſi per cauſam formalem: Nam formalis ratio peccati conſiſtit in præuaricatione Diuinæ legis, vt patet.

12 Tertia eſt per cauſam efficientem. D. Auguſt.

Tertia definitio eſt etiam eiuſdem D. Auguſt. libr. 1. Retract. tom. 1. cap. 16. dicentis: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat*: Voluntas enim noſtra eſt cauſa efficiens peccati, nam ſine actu voluntatis noſtræ non poteſt eſſe peccatũ, & ideò definitio iſta data eſt quaſi per efficientem cauſam.

13 Quarta eſt per cauſam finalem. D. Auguſt.

Quarta tandem definitio datur per cauſam finalẽ: & eſt eiuſdem D. Auguſt. lib. de liber. arb. tom. 1. cap. 16. dicentis: *Peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio indebita ad creaturam*: In quolibet .n. actuali peccato hæc duo inueniuntur, quorum vnum ſe habet, tanquam terminus, à quo, & alterum tanquam terminus, ad quem, dicitur: Auerſio à bono incommutabili, quia peccatum ſeparat nos à Deo, cui per charitatem, & gratiam coniungebamur: & dicitur: Conuerſio ad creaturam, quatenus peccator eligit delectationem, & vtilitatem temporalem, quam per actum peccaminoſum intendit: Ità Azor. 1. p. lib. 4. c. 1. Filliuc. to. 1. tract. 2. c. 6. n. 229. & alii.

Azor. Filliuc.

14 Peccatum includit Dei cõtemptum. Iudas Apoſt. Nauar.

Ex quibus ſequitur: In quolibet peccato includi ſemper (modo ſuo) Creatoris contemptum prout habetur expreſsè in Epiſtol. Cathol. Iudæ Apoſt. dicentis: *Homines impij ſpreuerunt Altiſſimum, & legem eius contempſerunt, Chriſti gratiam transferentes in luxuriam*. Et hoc eſt, quod ait Nauar. in man. prælud. 7. num. 14. *Peccatum aliud eſſe in genere entis, & aliud in genere moris*; Nam licèt in genere entis ſit quid reale, in quo fundatur ens rationis priuatiuum, quod eſt peccatum: In genere tamen moris non eſt quid reale, ſed purum, nihil. prout dixit Auguſt. in Euang. Ioan. cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. ideſt peccatum: Deus enim non cõcurrit ad formale peccati, quatenus peccator deficit ab incommutabili bono per malitiam.

Peccatum eſt nihil. D. Auguſt.

P. Geſualdus de Bononiæ Capucc.

Dicitur autem peccatum: *Nihil* Triplici cauſa ſecundùm D. Bonau. in Opuſc. de Corrup. pecc. Primò propter defectum: Secundò propter effectum, & tertiò propter deſpectum: Deficit enim homo propter peccatum à Diuina gratia, & reducitur ad nihilum: pro vt dicebat Dauid Pſal. 72. *Ad nihilum redactus ſum & neſciui*, & ſit viliſſimus omnium. Vndè dicebat: Pſ. 68. *Infixus ſum in limo profundi, &c.* pro vt bene explicat Diuus Bonauent. loco ſup. cit. 15 Peccatum dicitur nihil tripliciter. D. Bonau. Pſal. 72. Pſalm. 68. D. Bonau.

Peccatum actuale in prima ſui diuiſione, diuiditur in peccatum mortale, & veniale: quæ licèt non ſit diuiſio Generis in ſpeciem, quæ æqualiter participet rationem generis, eſt tamen diuiſio Analogi in ea, de quibus prædicatur ſecundùm prius, & poſterius: ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 88. A. 1. Nam peccata mortalia, & venialia poſſunt eſſe in eadem ſpecie, differunt tamen inter ſe quod mortale eſt illud, quod deordinat nos à fine: Veniale verò à medijs: Mortale inducit mortem Animæ, illamque priuat Dei gratia: Veniale verò non priuat nos gratia Dei, nec cauſat mortem Animæ, ſed priuat aliqua perfectione amoris Diuini: non enim ità feruidè, & perfectè Deum amat, qui peccat venialiter, ac qui non peccat, & quamuis non generet mortem, cauſat tamen infirmitatem ſpiritus, debilitando ad reſiſtendum Diabolo: Ità Chamer. de Sacram. tr. 5. d. 2. His itaque prænotatis, & declaratis: videndum eſt primò quid ſit peccatũ mortale, & quid: Veniale: & quomodo vnum ab altero diſcerni poteſt: Ideò dicimus primò. 16 Peccatum actuale duplex mortale, & veniale. D. Thom. Quomodò differunt, mortale, & veniale. Chamer.

Peccatum mortale, ſecundùm mentem Nauarr. in manu. prælud. 9 numer. 8. *Eſt Peccatum contra præceptum Diuinum, vel humanum, promulgatum, receptum, & non derogatum, æterna pœna munitum, vel contra aliquod pro tali habitum, vel an tale ſit deputatum, quod ignorantia, ſubreptio, ſiuè paruitas rei, aut diſpenſatio iuſta, quo ad legem humanam ab ea non excuſat. Vel contra Diuinum conſilium contemptum, Vel contra ſalutem Animæ proximi ſpretam. Vel ob finem malum, Vel in quo finis vltimus ponitur*: Hæc definitio, ſiuè potius deſcriptio peccati mortalis clariſſima eſt, cuius particulæ plenè declarant omnes modos, & conditiones, quę ad peccatum mortale conſtituendum requirũtur: Cuius definitionis verba ab ipſomet Nauarro plenè explicantur, & declarantur loco ſupra cit. 17 Peccatum mortale, quid ſecundũ Nauarr.

Nos autem breuiter dicimus, quod: In prima particula dicitur: *Peccatum mortale, eſt peccatum*) quod ponitur loco generis, quaſi diceret: eſt dictum factum, ſiuè concupitum, quæ eſt peccati actualis definitio, quæ ponitur loco generis proximi: Additur (*Contra præceptum Diuinum*,) quia ſi tale dictum factum, &c. niſi ſit contra legem Dei naturalem, ſiuè poſitiuam non erit peccatum mortale: Additur etiam, *Siuè humanum promulgatum, receptum, & non derogatũ*, quia præcepta humana poſitiua non obligant, niſi ſint communiter recepta, & promulgata, & non ſit facta derogatio talis præcepti in totum, vel in partem. 18 Exponitur definitio peccati mortal. Prima pars definitionis. Præcepta humana non obligant niſi ſint accepta.

Additur etiam: (*Æterna pœna munitum*,) ad excludendas tranſgreſſiones, quæ fiunt contra præcepta aliqua, ſiuè diuina, ſiuè humana, quæ non obligant ad culpam mortalem, cùm non ſint æterna pœna munita, vt eſt illud: Noli iurare omninò: & conſtitutiones, & ſtatuta Religionum, quæ non obligant tranſgreſſores ad peccatum mortale cùm non ſint æterna pœna munitæ. 19 Secunda pars Æterna pœna munitum.

Additurque (*Vel contra aliquod pro tali habitum*) vt cõprehenderentur peccata, quæ fiunt cõtra conſcien- 20 Tertia pars definitionis.

tiam, dictantem huiuſmodi operationes eſſe peccata mortiſera, quamuis in ſe non ſint talia: ſufficit enim quod ab agente reputentur talia, vt ſint peccata mortalia contra conſcientiam.

21 Quarta pars definitionis.

Additur inſuper quod (*Ignorantia non excuſet,*) quia ignorantia quandò eſt inuincibilis & non eſt comes, ſed cauſa peccati excuſat à peccato, ſecundùm omnes, quia tunc opus eſſet inuoluntarium contra legem Dei; quandò autem ignorantia eſt comes peccati, ſiuè ſit craſſa, & ſupina, ſiuè affectata, tunc non excuſat à toto peccato, licèt excuſet à tanto, vt nos plenius explicauimus ſupra in tract. 1. cap. 7. de ſacr. in gen.

22 Quinta pars definitionis.

Additur etiam (*Vel ſubreptio*) quia quandò agens non eſt benè mente compos, vt ſunt ſemiebrij ſiuè ſemidormientes, & huiuſmodi: nam in talibus non eſt perfecta ratio liberi arbitrij determinata ad malum, & ideò huiuſmodi ſæpè ſæpius excuſantur à culpa mortali, Additurque inſuper (*vel diſpenſatio, quò ad legem humanam*) quia quandò adeſt legitima diſpenſatio ab illo, qui legem poteſt diſpenſare, vel derogare excuſat: Nam auctor legis poteſt deſtruere legem.

23 Sexta pars definitionis.

Additur tandem (*Vel contra diuinum conſilium, contemptum*) quia quandò adeſt cõtemptus ſit peccatum mortale, etiam quod in ſe talis actio non eſſet mortiſera, ſed leuis, tunc ratione contemptus fit grauis: Similiter dicendum eſt de alijs verbis videlicet. *Contra ſalutem Animæ proximi ſpretam; vel ob finem malum, vel in quo finis vltimus ponitur*, quæ infrà ſunt declaranda in hoc ipſo capitulo.

24 Peccatũ veniale; quid.

Peccatum verò Veniale eſt illud, quod non eſt mortale, vel quia caret conditionibus requiſitis ſupradictis, & explicatis, vel quia non eſt huiuſmodi: Dicitur autem Veniale, quia faciliter illius acquiritur venia, & non occidit Animam peccantis; nam ſolùm mortale peccatum eſt illud, quod cum cõſummatum fuerit generat mortem; Veniale verò non cauſat mortem, quamuis diſponat ad illam propter refrigerationem charitatis.

35 Peccatum mortale, & veniale, aliud de genere, & aliud de facto. Leuitas materiæ excuſat. L. Seio ff. de Reſt. L. ſi oleum. Syluest. D. Thom. Nauar.

Sed notandum: peccatum aliud eſſe mortale de genere, & aliud mortale de facto: Primum eſt, quod eſt contra Dei præceptum, licèt poſſit eſſe, vt aliquandò impediatur, quod de facto non ſit mortale: Impeditur autem Tripliciter primò ex leuitate materiæ, quia de modica quantitate regulariter leges non curant. l. Seio ff. de Reſt. in integr. & l. ſi oleum, ff. de Dolo, Sylu. in verbo modica. D. Tho. 2. 2. qu. 66. A. 3. Nauarr. prælud. 9. n. 10.

26 Subreptio mentis excuſat à mortale. Bonac.

Impeditur ſecundò ex ſubreptione mentis, vel paruitate iudicij ex indeliberatione actus, quàpropter ſemidormientes, ſiuè ſemiebrij, vel in primo motu iraſcibilis potentiæ, quamuis fiat contra præceptum, & de genere tale peccatum eſſet mortale, de facto tamen non eſt tale, vel ad ſummum eſt veniale: pro vt docet Bonac. to. 2. de leg. D. 2. q. 2. nu. 3. de peccato.

27 Ignorantia iuſta excuſat à mortali. Nauar. D. Thom.

Impeditur tertiò ex ignorantia iuſta, & inuincibili, quandò eſt cauſa peccati, quia tunc actus dicitur inuoluntarius, & opus illud illicitum, quamuis ex genere ſuo eſſet culpa mortalis, de facto tamen mortalis dici non poteſt, vt benè notauit Nauar. d. prælud. 9. n. 10. ſequens D. Tho. 1. 2. q. 88. A. 5.

28 Veniale peccatum de genere, quid.

Peccatum verò Veniale de genere eſt quandò non fit contra Diuinum præceptum, ſed tantùm prçter illud: vt v. gr. quandò homo aliquod facit non propter Deum, cum deberet omnes actiones ſuas ad Deum dirigere, vel quandò tale præceptum non eſt æterna morte munitum, ſed ſimpliciter ſactum, vt de non metiendo, ſiuè otioſè loquendo, & ità de reliquis ſimilibus, quandò auctor legis non habuit intẽtionem obligandi ad culpam mortalem: tunc tale peccatum tranſgreſſionis eſt tantummodò veniale de facto, pro vt dicunt D. Thom. p. 2. q. 72. A. 5. & Nauar. d. prælud. 9. n. 8. & alij communiter. D. Thom. Nauarr.

Sed iterum ſecundò eſt notandum, quod aliquandò peccatum, quod ex ſuo genere eſt veniale, de facto poteſt eſſe, (vt ſit mortale, non tamen idem numero, vt aduertit Nauar. d. prælud. 9. cum Sylu. verbo peccatum num. 4.) quia idem numero actus in genere moris, qui eſt venialis nõ poteſt fieri, & eſſe mortalis, ſed in ſpecie poteſt eſſe idem: hoc eſt illud, quod ſecundùm ſe eſt veniale poteſt fieri mortale huic, nẽpè, vel illi, & hoc quatuor modis accidere poteſt, pro vt docet Chamer. tract. 5. de pœnit. d. 2. ſequens Sylu. d. Verbo peccatum n. 3. 29 Veniale peccatum poteſt fieri mortale quatuor modis. Chamerota. Syluest.

Dico igitur primò peccatũ veniale poſſe fieri mortale, ex præparatione animi, quandò aliquis ſic peccat in paruo, quod etiam eſt paratus peccare in magno, vel ſi interueniat contemptus, quia etiam tranſgreſſiones illæ, quæ continentur in Regula, in qua aliquis eſt profeſſus, quamuis non ſint ſub præcepto, ſed tantùm ſub conſilio, vel quæ pertinent ad exteriora exercitia, ſicut ſunt omnes exteriores obſeruantiæ, quandò tranſgrediuntur ex contemptu Regulæ: huiuſmodi tranſgreſſiones ſunt peccata mortalia: vt eſt doctrina vtriuſque Tho. 2. 2. q. 286. A. 9. Sylu. & Tab. verb. contemp. Nauar. in man. c. 23. n. 42. 30 Primò ex præparatione animi. Vel contemptu. D. Thom. Caiet. Sylu. Tab. Nauar.

Secundò peccatum veniale poteſt aliquandò eſſe mortale ex conſcientia erronea: quandò vid. aliquis exiſtimat aliquod eſſe peccatum mortale, & nihilominus illud committit, credens ſe peccare mortaliter, tunc enim ſecundùm omnes iſte talis peccat mortaliter, licèt peccatum illud ſecundùm ſe, & ex ſuo genere, non eſſet niſi veniale, aut nihil. 31 Secundò Ex conſcientia erronea.

Sed hic nota, quod vt tale peccatum ſit mortale, non ſufficit, quod fiat contra conſcientiam dictantẽ, illud ſimpliciter eſſe peccatum, ſed oportet (vti iam dictum eſt) quod exiſtimet eſſe mortale, pro vt notauerunt Nauar. d. prælud. 9. n. 9. & Clauis Reg. libr. 2. c. 13. num. 14. Quàpropter peccata, quæ committuntur contra conſcientiam, dictantem illa eſſe venialia, vel ſimpliciter peccata, ſolùm erunt venialia, quandò illa, ſecundùm ſe non erant mortalia. Ità Bonac. tom. 2. D. 2. num. 18. 32 Conſcientia erronea qualis debet eſſe. Nauar. Sayrus. Bonac.

Inſuper 3. peccatum, quod ſecundùm ſe eſt veniale, ſi ordinatum eſt ad finem malum mortiferum, tūc eſſet culpa mortifera ratione finis: nam omnis actus relatus ad finem mortalem eſt mortalis, etiamſi ex genere ſuo non eſſet peccatum mortale e. g. Dicere verbum otioſum ad prouocandum ad fornicationem, & huiuſmodi: Ità D. Tho. p. 2. q. 18. A. 4. 33 Tertiò Ratione finis mali. D. Thom.

Vltimò tandem 4. Veniale peccatum poteſt fieri mortale ratione contemptus: Quandò vid. ſequitur aliqua grauis materia, quæ per ſe faceret peccatum mortale; vt ſi ſciam certè aliquem eſſe blaſphematurum, ſi ei dicam verbum conuitioſum etiam leue: Et hoc eſt quia talis actio eſt contra ſalutem Animę proximi ſpretam, & ità de alijs huiuſmodi, pro vt nos ſupra diximus, & Nauar. ſup. notauit nu. 18. Bonac. d. to. 2. D. 2. q. 3. p. 5. nu. 3. Vndè ex his, & ſimilibus cognoſci poteſt, quandò peccatum eſt mortale, & quandò veniale, & patet etiam qualis ſit vtriuſque definitio peccati venialis, & mortalis. 34 Quarto Ratione contẽptus vel contra ſalutem Animæ proximi ſpretã. Nauar. Bonac. Secunda Diuiſio peccatũ Actualis.

Diuiditur 2. peccatum actuale: In peccata contra Deum, contra proximum, & contra ſe ipſum: Nam peccatum eſt deuiatio ab ordine, ſed homo habet hũc triplicem ordinem ad Deum vid. proximum, & ſe ipſum, & ideò hoc triplici modo peccare poteſt: primò contra ipſum Deum creatorem. Secundò contra charitatem proximi ſui, & tertiò contra charitatem 35 Contra Deũ, proximum, & ſeipſum.

ſui

Digitized by Google

D. Thom. D. Iſidor.

ſui ipſius, faciendo contra naturalem charitatem. Ità D. Tho. p.2. q.72. A.2. Et hæc diuiſio eſt D. Iſidori lib. de ſum. bon.

36 Tertia Diuiſio peccata cordis, oris, & operis. D. Anſelm. D. Hierony. Nauar.

Diuiditur 3. Peccatum actuale à D. Anſelm. in l. de Simili. cap.24. & D. Hierony. ſup. Amos: & refertur in Can. ſuper tribus de Pœnit. D. 1. In peccatum cordis, oris, & operis, vt ex definitione D. Augu per illa tria verba clarè patet: Quæ diuiſio non eſt generis in ſpeciem, ſed eſt eiuſdem ſpeciei peccati in diuerſos gradus, prout Nauar. in man. d. Prælud. 9. nu. 2. notauit. & alij multi.

37 Quarta Diuiſio. Facti, Mentis, & cōſuetudinis. D. Auguſt.

Diuiditur 4. à D. Auguſt. lib. de ſerm. Domini: in monte, & refertur in Can. ſicut tribus de Pœnit. D. 2. In peccatum mentis, facti, & conſuetudinis: Sicut enim tribus gradibus ad peccatum peruenitur, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu, ità ipſius peccati tres ſunt differentiæ, in mente: videl. in facto, & in conſuetudine, quæ ſignificantur per illa tria genera mortuorum, quos Dominus Ieſus in Euangelio reſuſcitaſſe legitur, quos Gloſſa in eodem Canone artificiosè his quatuor verſibus contexuit; dicens:

Carmina pro memoria.

Mens mala mors intus, Malus actus mors foris Vſus.
Tumba: Puella, Puer, Lazarus iſta notant:
Hanc verbô, Hunc motu, lacrymando ſuſcitat illum.
Chriſtus: & in modico naſcitur æger homo.

38 Quinta Diuiſio. D. Gregor. In 7. vitia capitalia.

Diuiditur 5. à D. Greg. lib. 33. moral. cap. 33. dicēte: Peccatum actuale diuidi poteſt in ſeptem vitia, quæ à Theologis, & Canoniſtis appellantur: Vitia capitalia; quæ communiter dici ſolent ſeptem peccata mortalia: & ſunt: Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, & Accidia; ex quibus duo ſunt carnalia: Gula. Vid. & Luxuria: reliqua dicuntur ſpiritualia: nam ſpirituale eſt, quod conſumatur in delectatione ſpirituali, & ſola apprehenſione mentis; Carnale autem eſt, quod perficitur in delectatione carnis. Ità Magiſt. ſent. in 2. D.42. & D. Tho. p.1. qu. 72. A.2. Quæ diuiſio non eſt in membra ſpecierum diuerſarum, ſed diuerſorum generum ſubalternatorum, quia ſingula eorum ſeptem à ſe inuicem differunt ſpecie, cùm eorum omnium obiecta ſpecie differant: Dicuntur autem vitia iſta, ſiuè peccata capitalia, quia omnia vitia, & peccata reducuntur ad iſta tanquam ad capita, & principia omnium peccatorum, & ideò dicuntur capitalia.

Magiſter. D. Thom.

Quare dicūtur peccata capitalia.

Sexta Diuiſio.

39 In ſimplex. & multiplex.

Vltima tandem diuiſio eſt in Peccatum ſimplex, & multiplex: Peccatum ſimplex eſt, quod vna ſola ratione eſt peccatum, v.gr. ſimplex fornicatio: Furtum, &c. quandò alia circumſtantia, ſiuè extrinſeca malitia peccatum non creſcit in infinitum, & in aliam ſpeciem non conuertitur: Peccatum verò Multiplex eſt, quod multiplici ratione eſt tale, vt furari ad mœchandum, ſiuè percutere Religioſum. Et ideò neceſſè eſt, quod huiuſmodi circumſtantiæ à pœnitentibus in cōfeſſione Sacramentali aperiantur: quapropter operæ pretium eſt de ipſarum peccatorum circumſtātijs tractare, de quibus in ſequentibus capitulis dicentur ea, quæ ſunt ſcitu neceſſaria.

DE CIRCVMSTANTIIS PECCATOrum in genere.

CAP. II.

PEccatorum circumſtantiarum exacta cognitio multum facit ad confeſſarij, & pœnitentis cognitionem, vt rectè, & ſine errore confeſſionem pęnitentium audiant ipſi confeſſarij; & ipſimet pœnitentes confeſſionem validam, & integram facere poſſent: Quapropter in hoc præſenti capitulo de ipſis circumſtantijs in genere eſt agendum.

1 Circumſtantia peccati, quid.

Dicimus ergò primò, quod Circumſtantia peccati, eſt quędam conditio, non pertinens ad peccati ſubſtantiam, ſed aliquo modo attingens ipſum actum quaſi extrinſecus extra actus ſubſtantiam; & dici poteſt: Accidens actus humani, quia ſicut accidens eſt, quid diſtinctum ab eo, cuius eſt accidens; ità circumſtantia eſt aliquod quodammodò diſtinctum ab actu peccati, cuius eſt circumſtantia: Ità D. Thom. part. 2. qu.71. A.1. Nauarr. in man. c.6. nu.1. Bonac. tomo 1. D.5. ſect.2. nu.1.

D. Thom. Nauar. Bonac.

2 Circumſtantiæ aliæ impertinentes, aliæ aggrauantes, aliæ mutātes ſpeciem. Impertinentes quæ.

Circumſtantiæ autem peccatorum in quadruplici ſunt differentia, aliæ enim dicuntur: Impertinentes, aliæ minuentes, aliæ aggrauantes, & aliæ mutantes ſpeciem, de quibus omnibus eſt dicendum; vt videamus, quæ neceſſariò debent in confeſſione explicari, quæ verò non ſunt neceſſariæ: Impertinentes circumſtantiæ dicuntur illæ, quæ nō faciunt ad rem, eò quod nullius ſunt momenti, quia neque aggrauant, neque minuunt peccatum; e. gr. furari dextera manu, vel ſiniſtra: Ante prandium, vel poſt prandium occidere, ſiuè fornicari, &c. Dicimus huiuſmodi circumſtantias non eſſe confitendas, quia non ſolùm eſſet ſuperfluū, verùm etiam eſſet contra confeſſionis ſimplicitatem. Ità Graff. 1. p. dec. lib. 1. cap. 10. Nauar. in man. cap. 6. num. 4.

Non ſunt confitendæ.

Graff. Nauar.

3 Circumſtantiæ alleuiantes.

Circumſtantiæ Alleuiantes, ſiuè minuentes, neque ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ, niſi mutent ſpeciem peccati faciendo de peccato nō peccatum: quandò autem non ſunt tales: dicunt communiter Doctores, non eſſe expediens illas in confeſſione explicare, cùm talis locus ſit accuſationis, & non defenſionis, pro vt dicit Nauarr. in cap. Conſideret de Pœnit. D. 5. & alij. Nihilominus dicimus, quod ſi circumſtantiæ illæ ità ſint minuentes, & alleuiantes, vt faciant de peccato mortali veniale, vel ex peccato non peccatum, debent explicari, aliàs eſſet mendacium, & pœnitens infamaret ſeipſum in Sacramentali confeſſione, quod nullo modo licet: vt habetur in Cano. Cùm humilitatis 22. q.2. Ità Victoria in Summ. num. 175. Graff. tom. 1. deciſ. cap. 20. Nauarr. in man. cap. 6. num. 5. & alij. Si autem non ſint huiuſmodi, ſed tantummodo alleuiantes peccati malitiam, & grauitatem: Tunc ſi confeſſarius de illis interroget, vel ad deuitandum ſcandalum, vt quandò ex eorum occultatione alicuius mali idem confeſſarius ſumeret occaſionem, vel quia pœnitens remaneret apud confeſſarium infamatus: tunc debet pęnitens illas circumſtantias alleuiantes explicare: Quandò verò tale periculum, ſiuè neceſſitas non adſit: Dico etiam poſſe pęnitentem, ſi vult etiam illas circumſtantias minuentes explicare, quia quomodocumque illas explicet ſe ipſum ſufficienter accuſat, imputando ſibi culpam, quam habet, nihil illi detrahens, neque adijciēs: ſecundùm Nauarr. d. cap. 6. nu. 5. & Graff. d. c. 20. nu. 3. Si verò pęnitenti placuerit propter humilitatem iuri ſuo cedere, poterit etiam illas licitè tacere.

Cōmuniter non ſunt explicandæ. Nauar.

Aliquandò ſunt explicandæ.

C. Cum humilitatis. Victoria. Graff. Nauar.

Aliquandò licet ad libitum pęnitētis explicare.

Nauar. Graff.

4 Circumſtantię aggrauātes inter eādem ſpeciē. An ſint neceſſariò explicandæ.

Circumſtantiæ aggrauantes dupliciter eſſe poſſunt, Vel enim ſunt mutantes ſpeciem, quæ dicuntur: Aggrauare in infinitum: Vel inter eamdem ſpeciem ſimpliciter aggrauantes: De primis nulla eſt controuerſia: conueniunt enim omnes, dicentes: Circumſtantias mutantes peccati ſpeciem neceſſariò in confeſſione eſſe explicandas, vt infrà probabitur clarius.

Tota igitur difficultas eſt de notabiliter aggrauantibus inter eamdem ſpeciem: In qua re eſt diuerſitas opinionum.

5 1 Sententia affirmatiua. Alex. de Ales. Soto. Caiet. Victoria. Sanchez.

Prima opinio eſt Alexan. de Ales p. 3. quæſt. 18. memb. 4. A.3. Soti in 4. D.18. quæſt 2. Caiet. in ſum. Verb. confeſſ. cond. 15. Vict. in ſumm. n.177. Sanch.

in

Henriq. F.gund. Cordub. Io à Cruce.

Rationes iſtius ſententiæ.

in ſumm. p. 1. l. 2. cap. 11. num. 24. Henriq. l. 1. cap. 7. nu. 4. Fagund. de præcep. Eccl. l. 4. p. 2. num 6. Coninch. de ſacram. D. 7. d. 3. concl. 1. num. 13. Ioan. à Cruc. & aliorum, quos citat Dian. in p. 1. reſol. mor. de circum. Reſolut. 1. num. 1. in P. opin. dicentium: Circumſtantias peccatorum notabiliter aggrauantes, quamuis ſpeciem peccati non mutent eſſe neceſſariò exprimendas in confeſſione: Quia aliàs ſæpè ſæpiùs contingeret, quod maior eſſet pars malitiæ, quæ celatur, quam quæ manifeſtatur; E. g. ſi quis conſenſerit ad faciendum homicidium, furtum, ſiuè fornicationem, &c. & continuauerit conſenſum per diem integrum, ſiuè menſem, ſi confiteretur, ſe conſenſiſſe ſemel in tali peccato, taceret totum tempus illud continuationis, & ità celaret maiorem partem grauitatis peccati: Sic etiam dicunt de furto: Nam qui furatus eſt decem aureos, peccauit mortaliter inter eamdem ſpeciem furti: Vndè ſi quis celaret totam illam quantitatem celaret maiorem partem quantitatis furti, quæ notabiliter aggrauat peccati malitiam: ergò peccati grauitas eſt explicanda.

1. Ratio.

2. Ratio.

Tertia ratio.

Ità etiam tertiò exemplificant de inceſtu inter affines, & conſanguineas, quoniam ſecūdum ipſos ſunt inter eamdem ſpeciem inceſti, & tamen ſunt circumſtantiæ explicandæ: Quàpropter exiſtimant DD. iſti: Circumſtantias notabiliter aggrauantes ad iudicium boni viri, ſiuè mutent, ſiuè non mutent ſpeciem neceſſariò eſſe aperiendas pro integritate confeſſionis. Et hanc ſententiam amplectitur, & ſequitur Suar. tom. 4. de Pœnit. d. 22. ſect. 3. num. 5. qui conſtantiſſimè varijs rationibus ſententiam iſtam probat, & defendit, aliā ſententiam oppoſitam impugnando: Et quamuis ſententia iſta ſit probabilis, & ſecura, quam multi etiam alij ſequuntur, & amplectuntur Doctores, Theologi, & Canoniſtæ, &c.

Suar.

6 Secunda tamen ſententia oppoſita etiam probabilitate non caret, aſſerens: Circumſtantias peccatorū, quomodocumque aggrauantes, dum tamen ſpeciem peccati, non mutent, nec ſint contra diuerſa præcepta ſpecialia, & non adaugent peccatum in infinitum, non eſſe de neceſſitate in ſacramentali confeſſione explicandas, quia aliàs raro, aut numquam poſſent pœnitentes purè, & integrè confiteri, & ità nimium angerentur pœnitentes ex tali obligatione, cùm pauci benè cognoſcant, & minus rectè intelligant, quænam ſint iſtæ circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, & ità multi pœnitentes remanerent cum magnis ſcrupulis: An confeſſi fuerint benè, & ità fierent importuniſſimi confeſſarijs, redeuntes ad ſe iterum reconciliandum, dicendo: Non explicauimus tempus, quod in eo peccato conſumpſimus, ſiuè quantitatem rei ablatæ non explicauimus: & ità redderetur iugum Chriſti graue: contra illud, quod dixit Dominus in Euangel. Matth. cap. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*.

2. Sententia Negatiua. Non ſunt explicandæ, niſi mutent ſpeciem.

Rationes iſtius 2. Sententiæ.

Iugum Chriſti ſuaue eſt.

Matt. cap. 11.

7 Quàpropter opinio iſta videtur ſecura, & magis vſu recepta, etiam ab hominibus probatæ conſcientiæ, & timoratæ: Quàpropter multi graui DD. illam ſequūtur, & defendunt, pro vt eſt D. Thom. in 4. Diſtinct. 16. quæſt. 3. A. 2: Vaſq. 3. p. 1. quæſt. 1. Art. 2. Reginald. tom. 1. lib. 6. cap. 5. num. 135. D. Bonau. in 4. D. 17. q. vltima. Scotus in 4. D. 17. q. 1. Art. 2. Medina C. de confeſſione q. de circumſt. Leſſius de iuſt. lib. 4. cap. 3. d. 12. num. 8. Nauarr. cap. 6. num. 7. Bonac. tom. 1. de Pœnitent. D. 5. ſect. 2. diffic. 3. nu. 5. & nouiſſimè Pater Diana p. 1. reſol. moral. tract. 7. reſol. 1. qui allegat pluſquam 30. DD. pro iſta opinione, & multis rationibus probat, ac defendit.

DD. illius ſententiæ. D. Thom. Vaſq. Reginald. Scotus. Bonac. Medina. Leſſius. Nauarr. D. Bonau. Diana, cum alijs 30. Doctoribus.

8 Prima ergò ratio deſumitur ex doctrina Concil. Trident. ſeſſ. 14. capitul. 5. quod tradens exactam doctrinam eorum, quæ neceſſario ſunt explicanda pro integritate ſacramentalis confeſſionis aſſerit: *Illas circumſtantias explicandas eſſe in confeſſione, quæ ſpeciem peccati mutant*, & addit verba illa, (*Nihil aliud ab Eccleſia à pænitentibus exigitur*) id eſt quam, vt circumſtantias mutantes ſpeciem peccati explicent, &c. ergò videtur virtualiter ſupponere, & implicitè indicare, non eſſe neceſſariò explicandas circumſtantias tantummodò aggrauantes inter eandem ſpeciem: Ergò aliæ non mutantes ſpeciem non ſunt neceſſariò explicandæ.

Prima ratio ſecundæ ſententiæ ex Trident.

Ratio ſecunda eſt, quia iure Diuino, non tenetur quis confiteri niſi omnia peccata mortalia: Sed reticendo circumſtantias, quæ non prohibentur peculiari præcepto, confitetur quis omnia peccata mortalia, vt ſupponitur; ergò aggrauantes circumſtantiæ non ſunt neceſſariò explicandæ: E. g. eodèm præcepto prohibetur furtum mediocris quantitatis, & magnæ quantitatis, ergò quamuis non exprimatur tota quantitas rei ablatæ, ſufficit ſic confiteri: *Confiteor me commiſiſſe furtum in ea quantitate, quæ conſtituit culpam mortalem, & feci, ſiuè volo facere integram reſtitutionem*: Non enim quantitas furti confitenda eſt, niſi ad declarandum peccatum mort. vel ratione reſtitutionis, & ità patet reſponſio ad rationem illam primam contrariæ opinionis. 9

Secunda ratio potiſſima.

Quantitas furti quare explicanda.

Neque valet alia ratio; in qua fundabatur Suarez circa durationem temporis in peccato dicentis: Qui peccat per vnam horam peccat ſicut ſi quis bis, vel ter in eadem hora: Sed ſi quis bis, aut ter peccat tenetur numerum peccatorum confiteri, ergò & qui per vnam horam, vel tres horas tenetur hanc circumſtantiam temporis explicare, quæ eſt circumſtantia aggrauans notabiliter inter eamdem ſpeciem, ergò tenetur pœnitens in confeſſione circumſtantias aggrauantes explicare, aliàs enim reticeret maiorem partem peccati commiſſi, & ità ſi non confiterentur confeſſio non eſſet integra: ergò, &c. 10

Adducitur ratio Suar. & reijcitur.

Reſpondetur verum eſſe eum, qui peccat per horam grauius peccare ob circumſtantiam durationis, quæ eſt circumſtantia aggrauans: Non tamen indè ſequitur ipſam huiuſmodi circumſtantiam teneri ſpecialiter in confeſſione aperire, cùm talis circumſtantia nō efficiat peccatum numero, vel ſpecie diſtinctum, ſed tantummodò aggrauat inter eamdem ſpeciem: Circumſtantiæ autem, quæ neceſſariò explicandæ ſunt in confeſſione pro integritate ipſius, ſunt illæ, quæ pertinent ad numerum, vel ſpeciem diſtinctam, non verò, quæ inter eamdem ſpeciem aggrauant, vt patet ex Trid. ſupr. citato, & ex rationibus in ſecunda ſententia poſitis, ergò, &c. 11

Soluuntur rationes Suar.

Ad aliam tertiam rationem de inceſtu inter affines, & conſanguineas, 12

Soluuntur rationes de inceſtu.

Duplex ſententia de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis.

1. Sententia.

Reſpondetur in hac re duas eſſe opiniones: Aliqui enim tenent: Peccatum inceſtus eſſe ſpeciei ſubalternæ continens ſub ſe diuerſas ſpecies ſpecialiſſimas, non ſolùm in linea conſanguinitatis, & affinitatis deſcendentium, & aſcendentium, ſed etiam in gradibus ſingulis vtriuſque lineæ intra quartum gradum incluſiuè, vt quotquot ſunt gradus conſanguinitatis, & affinitatis, tot ſint ſpecies diſtinctæ inceſtus: Et ſecundum hanc opinionem dicunt iſti: Circumſtantiam perſonæ ſibi coniunctæ eſſe neceſſariò explicandam, quia ſpeciem peccati mutat, cùm inceſtus habeat rationem generis ſubalterni continentis diuerſas ſpecies in gradibus affinitatis, & conſanguinitatis vtriuſque lineæ.

Alij verò nonnulli etiam probabiliſſimè tenent: Diuerſitatem graduum, non facere diuerſitatem ſpecificam in inceſtu, ſed tantummodò eſſe circumſtantiam 13

2. Sententia.

aggra-

Digitized by Google

aggrauantem: Et ſecundum iſtos non eſſet de neceſſitate confeſſionis talem circumſtantiam eſſe aperiendam, quò ad gradus: prout tenet Diana p. 1 Reſolut. mor. tract. 7. de circumſt. peccat. Reſolut. 31. allegans pro ſua opinione, Nugn. in addit. 3. p. to. 2 q. 9. A. 2. d. 3. Gyptium tract. de caſib. reſer. c. 8. nu. 5. Megal. p. 1. lib. 5. c. 12. nu. 9. & multos alios DD. circa 38. quos ipſe ſequitur.

Diana. Nugn. Gyptius. Megala. cum alijs.

14 Vera reſolutio.

Vndè iſta opinio probabilis eſt: Verum eſt tamen, quod prima opinio mihi videtur eſſe probabilior, & ſecurior quo ad gradus conſanguinitatis præcipuè in primo, & ſecundo gradu: Quia ſicut ait Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. q. 5. ſect 2. p. 2. §. 3. diffic. 3. num. 9. & de Matrim. q. 4. p. 16. propoſitione 4. nu. 17. Perſona coniuncta, licet non ſit circumſtantia actus, eſt tamen obiectum ipſius, & quid pertinens ad circumſtantiam actus conſiderati in indiuiduo; Et ideò in praxi, talis circumſtantia inceſtus eſt explicanda propter deformitatem ſpecialem obiectus, licèt non propter ſolam circumſtantiam aggrauantem: vt dixi &c.

Bonac.

15 Concluſio.

Concludimus ergò: Optimum conſilium eſſe, quod circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, etiam inter eamdem ſpeciem in confeſſione fideliter aperiantur quando commodè fieri poteſt pro maiori ſecuritate conſcientiæ: Verùm eſt tamen, quod ſi aliquando non explicentur, non eſſet iteranda confeſſio, cùm ad hoc pœnitens non teneatur, ſequendo probabilem ſententiam tot Doctorum.

16 Circumſtantiæ mutantes ſpeciem explicandæ. Quid ſit aggrauare in infinitum. Soto. Victoria. Nauarr.

De circumſtantijs tamen aggrauantibus in infinitum, & mutantibus ſpeciem nulla eſt difficultas, quin neceſſariò ſint explicandæ: Et ratio eſt, quia peccatum habens circumſtantiam illam æquiualet rationi duorum peccatorum: Hoc enim eſt aggrauare in infinitum, quia tùm vna ſpecies non poſſit alterius naturam attingere dicuntur inter ſe infinitè diſtare: Pro vt Soto in 4. d. 18. q. 2. Art. 4. concl. 6. & alij communiter, vt Franciſcus à Vict. in ſum. nu. 176. Nauarr. in man. c. 6. num. 3.

17 Circumſtantiæ tripliciter dicuntur aggrauare in infinitum. Primo modo. Secundo modo. Tertio modo.

Circumſtantiæ ergò iſtæ, quæ dicuntur aggrauare in infinitum: Tripliciter eſſe poſſunt: Primò quando de veniali ratione illius circumſtantiæ peccatum efficitur, & redditur mortale: E. g. dicere verbum otioſum ad malum finem, ſiuè ex contemptu, ſiuè contra ſalutem animæ proximi ſpretam.: Secundò quando efficiunt, quod illud, qood erat mortale vnius ſpeciei fiat etiam, quod ſit alterius ſpeciei: E. g. Mæchari, ſiuè furari in loco ſacro, ſiuè habere rem cum coniugata, ſiuè moniali. Tertiò quando efficiunt, vt illud, quod erat mortale, ob vnam cauſam ſit etiam mortale propter aliam cauſam: Quod intelligendum eſt, quando ſub diuerſis rationibus tale opus erat prohibitum, ideſt, ratione præcepti, & voti: pro vt docet Nauar. in man. capit. 6. numer. 3. Quod clarius patebit, diſcutiendo, & declarando peccatorum ſpecies in particulari.

Nauarr.

DE CIRCVMSTANTIIS PECCATOrum in ſpecie.

CAP. III.

1 Circumſtantiæ peccatorum, quæ, & quot ſunt. D. Thom. 7. Circumſt. ſtæ continentur in verſu. Palud.

PEccatorum circumſtantiæ in confeſſione Sacramentali explicandę communiter à DD. reducuntur ad ſeptem ſpecies, ſiuè numerum, quæ comprehenduntur in verſiculo illo, relato à D. Tho. 1. 2. q. 8. Art. 3. & alij.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs: Cur, Quomodo, Quando.

Et quamuis nonnulli, vt Palud. in 4. D. 16. q. 3. A. 1. & Raym. citatus à Sylu. Verb. circumſtantia, addant octauam circumſtãtiam de Numero, addendo (Quoties) Hoc tamen non obſtante dicimus nos, quod licèt Numerus ſit de neceſſitate in confeſſione explicandus: Non tamen rectè, & propriè vocari poteſt Circumſtantia, ſed potius peccati ipſius multiplicatio, & peccati ad peccatum additio, & pertinet ad ſubſtantiam actus, & ità non eſſet circumſtantia, quæ eſt accidens actus humani: Vbi enim aliquod ſit bis eſt ſubſtantia actus geminati, & peccatum multiplex: Quod aduerterunt Syluest. cum Nauarr. d. cap. 6. numer. 2. de quo peccatorum numero dicendum eſt ſpecialiter in proprio loco in tractatu 4. agendo de integritate confeſſionis: In præſenti ergò Capitulo ſolum agimus de ſeptem prædictis circumſtantijs: Quarum

Raymund. Syluest. Numerus peccatorum non eſt circumſtantia, ſed peccati multiplicatio.

Syluest. Nauarr.

2 De prima circumſtantia, Quis. Perſona peccans tribus tantũ caſibus eſt explicãda. D. Thom. Armilla. Nauarr.

Prima eſt: (*Quis*) quæ denotat conditionem, & qualitatis perſonæ peccantis: quæ tantummodò in tribus caſibus eſt explicanda: Primò ratione voti: Secundò ratione præcepti, & tertiò ratione ſcandali: In alijs verò caſibus non opus eſt, vt perſona peccans explicetur ſecundum Diu. Thom. in 4. Diſt. 17. quæſt. 3. Armilla in verb. Circumſtantia, num. 6. Nauarr. d. cap. 6. num. 13. & Ratio huius eſt, quia qualitas perſonæ peccantis non facit, quod peccatum, quod erat veniale ratione illius fiat mortale, neque ex mortali vnius ſpeciei fiat mortale alterius ſpeciei, ſiuè alio reſpectu, & ideò in illis tantum tribus caſibus eſt explicanda, & non aliter.

3 De 2. circumſtantia, quid.

Circumſtantia ſecunda eſt (*Quid*) quæ propriè circumſtantia dici non poteſt, cum ſit ipſemet actus malus, quò ad ſubſtantiam operis, & pertinet ad peccati materiam explicandam, quæ ſemper eſt confitenda, iuxta qualitatem, & quantitatem delicti, quæ mutant ſpeciem, & numerum ſubſtantialiter: Et quando quantitas, & qualitas non adaugent in infinitum, & quò ad aliam peccati ſpeciem non attingunt: Tunc pœnitens non tenetur huiuſmodi circumſtantias explicare: Quia tunc ſufficit dicere quiditatem actus ſimpliciter, dicendo: Furatus ſum: Fornicatus ſum, &c. Ità Suar. d. to. 4. D. 22. ſect. 4.

Suar.

4 De 3. circumſtantia, vbi. Circumſtantia loci in quibus caſibus eſt explicãda.

Circumſtantia tertia eſt (*vbi*) per quam denotatur locus, in quo videlicet loco commiſſum fuit peccatũ: Talis autem circumſtantia, vt plurimum non eſt neceſſaria, niſi ratione ſcandali, ſiuè iniuſtitiæ: E. g. ſi ſuſpendatur aliquis, vel flagelletur in loco ſacro, ſiuè Eccleſia polluetur per voluntariam effuſionem ſanguinis, ſiuè ſeminis humani, aut ſi immunitas Eccleſiaſtica violaretur: Vel quando ſit ſacrilegium furti furando ſacrum de ſacro, vel in loco ſacro: Prout dicit Sylu. verb. ſacrilegium: & verb. Circumſtantia 2. quæſt. 5. Nauarr. d. cap. 6. num. 13. Quando autem non adſit aliqua ex prædictis cauſis ſcandali, videlicet, vel iniuſtitiæ, aut ſacrilegij: Tunc loci circumſtantia non eſt de neceſſitate explicanda, niſi ratione contemptus.

Syluest. Nauarr.

5 De 4. circumſtantia. Quibus auxilijs. Socij criminis quando ſunt in confeſſione explicandi. Suar.

Circumſtantia quarta eſt (*Quibus auxilijs*) hoc eſt, quibus inſtrumentis, ſiuè medijs commiſſum fuit peccatum: Hæc autem auxilia vocantur inſtrumenta, ſiuè cauſæ peccati: Quæ duplici modo eſſe poſſunt: Vel enim ſunt homines, vel alia inſtrumenta: Si ſunt homines, qui ſunt complices in delicto. Dicimus, quod ſi peccans induxit illos ad peccandum ſecum: Tunc huiuſmodi ſocij criminis in confeſſione ſunt explicandi, quia ibi intenditur malitia ſcandali actiui, cum factum ſit contra præceptum charitatis: Si verò tales ad peccandum non induxit, eò quia illi homines parati iam erant ad peccandum, non oportet in tali caſu hanc circumſtantiam declarare: An ſolus fuerit, vel habuerit alios ſocios in delicto, hoc enim non refert ad

decla-

Digitized by Google

declarandum peccatum proprium, & per ſe non auget, quia ille realiter non dicuntur cooperationes ad malum, cùm ſint abſque inductione: prout docet Suarez d. Diſtinct, 23. ſect. 4. numer. 16. cum alijs communiter.

Suar.

6
Inſtrumenta peccati, quando ſunt explicanda.

Si autem auxilia ſint cætera inſtrumenta, quibus vtuntur homines ad perpetranda peccata, non ſunt de neceſſitate explicanda, niſi in duobus caſibus: Quorum primus eſt quando vſus talis inſtrumenti per ſe prohibitus erat lege aliqua ſpeciali, quæ ad peccatum obligabat; quia tunc talis actus ex illo capite continet malitiam ſpecialem; Vel ſecundò quando ad explicandam grauitatem nocumenti illati, vel quid ſimile neceſſarium eſt explicare, quo inſtrumento factum fuit opus pernicioſum, prout dicunt omnes Summiſtæ; verb. Circumſtantia, quos refert Suarez loc. citat.

Summiſtæ, & Suar.

7
De 5. circumſtantia: Cur. Finis in peccato duplex intrinſecus, & extrinſecus.

Quinta circumſtantia eſt; (*Cur*) per quam denotatur finis intentus, ideſt, propter quid, & ad quem finem factum fuit peccatum, ſiuè iniquitas; Sed nota, quod: Circumſtantia iſta finis, quando finis peccati eſt intrinſecus ipſius actus, non eſt de neceſſitate explicanda, quia tunc potius eſt obiectum, quam circumſtantia. E.g. Si quis vtatur tactibus impudicis, oſculis, &c. vt ſe excitet ad conſummandum actum, quia ſi peruenit ad effectum, illo expleto, non oportet illa explicare, quia, & moraliter intelliguntur, & vnum ſunt, cùm ad actus ſubſtantiam pertineant: prout dicit Nauar. in man. c. 6. nu. 17.

Nauarr.

8
Finis extrinſecus tripliciter eſt explicandus.

Quando verò finis, ſiuè modus eſt extrinſecus; Tūc oportet explicare: Sed hoc in tribus caſibus, quorum primus eſt quando tam finis, quam medium ſufficiunt ad conſtituendum aliud peccatum mort. alterius ſpeciei e.g. Si quis furetur enſem ad occidendum, vel ad mœchandum: Secundus caſus eſt, quando talis finis habet malitiam mortalem, licèt actus, ſiuè medium huiuſmodi malitiam non habeat; E.g. Si quis pergat ad agrum ad occidendum, ſiuè furandum: Vel ſi dixerit verba amoroſa ad luxuriam faciendam: Tunc circumſtantia iſta finis propter malam intentionem operantis eſt explicanda, cùm fuerit ordinata ad finem malum: Ità Suar. to. 4. de Pœnit. D. 22. ſect. 4. nu. 8. Nauar. in man. c. 6. nu. 4.

Suar. Nauarr.

9
Finis vltimus quando eſt peccatum.

Tertius caſus eſt: Quando ponitur vltimus finis in aliqua actione, quæ in ſe eſt indifferens, tamen ratione vltimi finis in aliqua actione relinquendo Deum Optimum Maximum propter talem finem corruptibilem aſſequendum: Tunc ex doctrina D. Tho. 1. 2. q. 88 A. 5. peccatum veniale fit mort. quando in eius obiectu cōſtituitur vltimus finis: E. g. Quando auarus proponit cumulare pecuniam medijs omnibus, ſiuè licitis, ſiuè illicitis: Tunc enim videtur facere contra primum Decalogi præceptum, quia plus amat pecuniam, quam ipſum Deum: Et tunc intentio iſta ſiuè fuerit expreſſa, ſiuè tacita, neceſſariò eſt explicanda: Tunc enim non ſolum auget notabiliter, ſed etiam (regulariter loquēdo) confert malitiam ſpecie diſtinctam, & grauem. Quia talis res ſupra Deum amatur, cùm propter illam deleat diuinum præceptum, & ipſum Deum: Ità Caiet. in 1. 2. q. 88. A. 5. & Suar. to. 4. de Pœnit. d. 22. ſect. 4. num. 11.

D. Thomas.

Caiet. Suar.

10
De 6. Circumſtantia: Quomodo.

Modus in peccato duplex ſubſtantialis, & accidentalis.

Sexta circumſtantia eſt: (*Quomodo*) quæ duplici modo poteſt intelligi, primò modo ſubſtantiali, & per ſe; Secundò modo accidentali, & non per ſe, coniunctò tamen cum ipſo actu: Quapropter circa primum dicimus: Modum ſubſtantialem, & per ſe non pertinere ad iſtam ſextam circumſtantiam, ſed potius ad ſecundam; *Quid*, De qua ſupra dictum eſt: Vel potius ad quantitatem, vel numerum, quæ propriè loquendo, non eſt circumſtantia, ſed potius peccati multiplicatio (vt ſupra explicauimus) vt ſi quis infamaret proximum mentiendo, vel dicendo veritatem: Item ſi commiſit ſacrilegium vulnerando perſonam ſacram, vel in loco ſacro, vel cùm illa fornicatus eſt: Et ſic de cæteris: Tunc enim in caſu omnes iſtæ circumſtantiæ eſſēt explicandæ, cum ſint ſubſtantiales, & per ſe mutent ſpeciem peccati; aliter confeſſio nō eſſet integra: ideò &c. Ità docet Suar. d. to. 4. D. 22. ſect. 4. nu. 12. cum alijs communiter.

Suar.

11
Modus accidentalis in peccato qualis ſit.

Nauarr.

Circa ſecundum de modo accidentali, & non per ſe ſed coniunctò cum actu, dicimus primò: Secundum doctrinam Nauarr. in c. Conſideret de Pœnitent. d. 5. nu. 81. quod; Raro mutat ſpeciem, & ideò non ſemper eſt neceſſariò confitendus: Imò in hoc optimum conſilium eſt, vt modus in peccatis venereis taceatur, & parum, vel nihil in eo confitendo immoretur pœnitens, nec confeſſarius ſubtiliter interrogando, niſi tantùm ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſubſtantiam actus, & hoc ad euitandum vtriuſque periculum, ſed tantùm interroget de rebus neceſſarijs ad cognoſcendam delicti qualitatem, & quantitatem, & non vltra, vt ſupra dictum eſt.

12
In tribus caſibus modus accidentalis eſt explicandus.
Primus modus quo ad intenſionem.

Nihilominus ſecundò: Dicimus ſecundum doctrinam Suar. loc. cit. quod: Tria nobis conſideranda ſunt circa modum peccati commiſſi: Primò circa intenſionem; Secundò circa ignorantiam, & tertiò, circa conſuetudinem, de quibus omnibus ſpecialiter eſt agendum: Vndè quò ad primum de intenſione conſiderandum nobis eſt; Vtrum opus illud maxima cum intenſione, & malitia fuerit expletum, quod cognoſci poteſt ex ſollicitudine, & frequentia talium rerum, ſiuè actuum, vel ex diuturna duratione in talibus actibus; pro vt declarat exemplum illud, quo vtitur Soto de illo, qui occidit inimicum, & non contentus homicidio poſtea illum occiſum in fruſta ſecat, & multiplicat vulnera; Tunc enim facilè comprehenditur odium fuiſſe magnum, & intenſum: Vndè tunc ſecundum Suar. ſup. num. 31. omnia iſta ſunt aperienda per iſtam circumſtantiam de modo.

13
Secundus modus, quando contra conſcientiam.

Quo ad ſecundum de modo peccandi ex ignorantia, vel malitia, quia quando quis facit, quod ſibi non eſſet faciendum, putat agendo contra conſcientiæ dictantem; Tale opus eſſe peccat. mort. tunc pœnitens in caſu tenetur dicere: Non ſolùm tale opus feciſſe, ſed id feciſſe contra conſcientiam; hoc eſt exiſtimantem ſe mortaliter peccare: Ità Nauar. d. c. conſideret de Pœnit. D. 5. nu. 51. Vterque D. Tho. 1. 2. q. 19. A. 5. & 6. Adrian. in 4. de confeſſ. q. 4. column. 4. & alij: Et ſic de alijs modis peccandi, vt quando: Videlicet aliquod fit ex contemptu: Nam ſæpè ſæpiùs illud, quod in ſe erat veniale, vel nihil, ratione contemptus erit mortale, vel ſi erat mortale vno reſpectu, ratione contemptus erit etiam alterius, & ſic iſte modus erit explicandus: Pro vt docet Suar. ſup. nu. 14.

Nauarr. D. Thom. Caiet. Adrian.

Ex contēptu

Suar.

14
Tertius modus de conſuetudine quando eſt explicanda.

Quò ad tertium de conſuetudine peccandi, dicimus: Pœnitentem (per ſe loquendo) non teneri hoc explicare, quia conſuetudo peccandi non mutat ſpeciem peccati: Imò hoc eſſet valdè oneroſum pœnitenti: Nam ſæpè ſæpiùs obligaretur ad confitendum iterum peccata alias confeſſa, abſque rationabili cauſa: Dixi (per ſe loquendo) quia quandoque erit expediens: vt videlicet, confeſſarius percipiat ſtatum pœnitentis; An ſit in periculo recidendi impoſterum, & vt poſſit remedia opportuna, & neceſſaria illi præſtare. Ideoq; ſi à confeſſario pœnitens interrogatus fuerit de conſuetudine, debet pœnitens in caſu veritatem aperire: vt illi ſatisfaciat: Si verò non interrogetur, non tenebitur hoc explicare, niſi quantum neceſsè ſit, vt declaret confeſſario ſtatum conſcientiæ ſuæ: Ità Suar. ſupra num. 15.

Suar.

Vlti-

De ſeptima circumſtantia Quando. Tempus in peccato quando explicandum. Primus caſus.

15 Vltima, & ſeptima tandem circumſtantia eſt (*Quādo*) in qua deſignatur tempus, in quo peccatum commiſſum eſt: Et in hoc ferè omnes conueniunt, dicentes, Circumſtantiam iſtam non eſſe neceſſariò explicandam, niſi in duobus caſibus, quorum Primus eſt: quando præcepto ſpeciali tempus illud ſit præſcriptum, vel prohibitum ad talem actionem; tunc enim circumſtantia iſta temporis erit neceſſariò explicanda; v.g. ſi aliquis faciat opus ſeruile, vel non audiat ſacrum in die feſtiuo, vel non communicauerit in Paſchate, ſiuè non ieiunauerit in Vigilijs, & quatuor temporibus, ſiuè Quadrageſima.

Secundus caſus. Opinio Nauarri de duplici præcepto.

16 Secundus caſus eſt; Quando tempus illud duplici ſpeciali præcepto ad aliquod agendum fuerit præſcriptum; vt ſi eodem die eſſet duplex præceptum ieiunandi, ſiuè audiendi ſacrum, tunc ſecundum opinionem Nauarri in man. c. 11. nu. 4. & aliquorum Summiſtarum, transgreſſor tenebitur dicere in confeſſione; ſe eodem die ad id duobus præceptis ſpecialibus fuiſſe obligatum, & dant exemplum ieiunandi in Vigilia quando incidit in quatuor tempora, vel audiendi Miſſam in die Dominico, in quo occurrebat aliquod feſtum de præcepto, & non audiuit: putat enim Nauarrus in caſu duplex eſſe peccatum ratione duorum præceptorum in tali die.

Limitatur à recentiorib. Quando præcepta ſint diuerſarum rationum voti, & præcepti.

17 Sed opinio iſta nō eſt recepta à recentioribus Theologis, ità abſolutè dicta, ſed cum diſtinctione aliqualiter admittunt: Dicunt enim Hoc intelligendum eſſe; quando illa duo præcepta eſſent omnino diuerſarum rationum; v. g. quando quis ex voto, & ex præcepto Eccleſiæ tenebatur tali die ieiunare, vt ſunt profeſſores Regulæ D. Franciſci: qui tenentur ex vi voti ſiuè præcepti Regulæ, quam vouerunt obſeruare ieiunium in qualibet ſexta feria cuiuslibet hebdomadæ totius anni: Si eodem die occurrat aliqua vigilia, ſiuè aliquod ieiunium ex præcepto Eccleſiæ: Non ſatisfacit dicendo, ſe in vigilia non ieiunaſſe, ſed tenebitur, dicere quod talis trāſgreſſio ieiunij fuit in ſexta feria, in qua ex præcepto regulæ ad ieiunium tenebatur; Tunc enim in caſu duplex eſſet peccatum, Vnum contra votum, & alterum contra præceptum Eccleſiæ: Ideòque in caſu neceſſarium eſſet explicare circumſtantiam illam temporis, in quo occurrunt duæ obligationes diuerſæ.

Vera reſolutio de duplici præcepto.

18 Si verò præcepta eſſent eiuſdem rationis, vt ſunt exempla allata in prima opinione: Suarez d. d. 21. ſect. 4. num. 22. abſolutè dicit: Non eſſe neceſſariò explicanda, quia non differunt ſpecie, neque numero, & ità non ſunt duo peccata, vt dicebat Nauarrus: nam præcepta ieiunij, & audiendi Miſſam ſunt præcepta eiuſdem Eccleſiæ, & pertinent ad eandem virtutem; & ideò non conſtituunt duo peccata, ſed vnum tantum: Quàpropter in caſu talis circumſtantia non eſt neceſſariò explicanda; Ità etiam Filliuc. tom. 2. tract. 27. c. 5. num. 5. & 6. & Faguud. præcep. 4. lib. 3. c. 19. num. 7. Sanchez de Matrimon. tom. 3. lib. 9. diſt. 11. numer. 6. Suar. ſupra: Sequitur Diana p. 1. reſol. moral. tract. 6. & alij recentiores; & illa opinio videtur probabilior & ſecura.

Filliuc. Fagund. Sanch. Suar. Diana.

De circumſtantia diei feſti. An ſit neceſſario explicanda. Prima opinio affirmatiua. Nicol. de Lyr. Alenſ. Angelus. Roſella.

19 Sed circa circumſtantiam iſtam de tempore inſuper duo occurrunt dubiola explicanda; quorum primum eſt; An circumſtantia diei feſti ſit neceſſariò confitenda: An peccatum commiſſum ſit in die feſtiuo, ſiuè ieiunij.

Reſpondetur quod: Aliqui Doctores, vt Nicolaus de Lyra: Exo. c. 20. lit. 6. & Alenſ. 3 p. queſt. 72. memb. 5. Artic. 2. Angel. & Roſella; aliique à Nauarro citati in d. cap. Conſideret de Pœnit. D. 5. num. 21. putauerunt: Talem circumſtantiam eſſe de neceſſitate explicandam in omni peccato mortali commiſſo in ſolemnitatibus, quorum ratio eſt, quia omne peccatum mortale eſt contra Diuinum præceptum, & cultum Deo debitum: & per conſequens contra tertium præceptum Decalogi, & ideò neceſſariò debet explicari.

2. Sententia negatiua.

20 Contraria tamen ſententia eſt communior, & vera, quam tenent ferè omnes recentiores, aſſerentes: Talem circumſtantiam non eſſe confitendam, quia non mutat ſpeciem peccati, neque adauget in infinitum, & illud opus non eſt contra duo præcepta ſpecialia; Nam finis præcepti non cadit ſub præcepto, ſed materia eius; peccatum autem committere in die ieiunij, ſiuè alicuius ſolemnitatis, licèt ſit contra finem præcepti obſeruandi feſtiuitatem, non eſt tamen contra præceptum, & obſeruationem eius, cùm non ſit opus ſeruile: ergò &c. quàpropter peccatum committens in die feſtiuitatis, ſiue ieiunij, non tenetur hoc explicare, niſi quando peccatum ipſum eſſet opus ſeruile prohibitum in die feſto: Vel niſi ea mente quis peccauerit, vt feſtum ipſum, ſiuè ieiunium violaret, vel ratione contemptus, ſiuè ſcandali, aut conſcientiæ erroneæ, & huiuſmodi: Ità Caiet. 2. 2. q. 112. A. 4. Syluest. verbo confeſſio 1. q. 10. Soto in 4. D. 18. q. 2. A. 4. Nauar. in c. conſideret de Pœnit. D. 5 à nu. 22. vſque ad 44. qui de hoc plenè doctiſſimè tractat & in man. c. 6. num. 10. Suar. D. 21. nu. 21.

Finis præcepti non cadit ſub præcepto.

In quibus caſibus eſſet explicanda.

Caietanus. Syluest. Soto. Nauarr. Suar.

De duratione temporis in peccato. Duratio temporis non facit peccatum eſſe grauius.

21 Secundum dubium eſt de duratione actus: An ſit neceſſariò iſtam circumſtantiam durationis temporis confiteri.

Reſpondetur breuiter, quod: In actu exteriori regulariter includitur duratio ordinaria, & ideò non eſt neceſsè explicare, niſi contingeret eſſe ità extra ordinariam, vt nimium, & notabiliter aggrauaret, præſertim quando ex ea creſcit quantitas, ſeu nocumentum illatum: At verò in actu puro interiori hæc duratio eſt magis accidentaria, & ignota: Nihilominus ſi ſit notabilis explicanda eſt, non tam propter delicti grauitatem, quàm propter multitudinem actuum interiorum, qui (regulariter loquendo) eo tempore multiplicari ſolent; Et cùm non poſſint aliter cognoſci, & declarari, ſaltem eo modo ſunt confitenda peccata, ſic docet Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 22. ſect. 4. num. 20. & alij.

Suar.

DE QVIBVSDAM CASIBVS RESOLuendis circa prædictas circumſtantias.

CAP. IV.

QVoniam nonnulli occurrunt diſcutiendi caſus circa ſeptem prædictas circumſtantias ſuperius expuncatas: Ideò operæ pretium eſſe duxi in hoc quarto in ordine capitulo breuiter, quantum fas erit dictos caſus reſoluere: Quàpropter circa primam circumſtantiam perſonæ peccantis, quæ denotatur in Verbo: *Quis*.

1. Caſus de perſona peccante.

An circumſtantia prælaturæ in peccatis ſit neceſſariò explicanda? Reſolutio. Per ſe loquendo, non eſt neceſſaria.

1 Quæritur: Primò An Epiſcopus, ſiuè Prælatus regularis, quando mortaliter peccat teneatur in confeſſione manifeſtare circumſtantiam ſui ſtatus, ſiuè prælaturæ?

Reſpondetur (communiter loquendo) Ad hoc non teneri, maximè quando peccatum ſit occultum: & ratio iſtius eſt, quia peccatum à Prælato commiſſum non eſt alterius ſpeciei peccatorum ſubditorum, niſi peccatum ſit publicum, & ſcandaloſum: tunc enim aduerſus ſpecialem officij obligationem delinqueret: quia Prælatus tenetur ſubditos non ſolùm verbo, verum etiam exemplo paſcere: Quando autem peccatum

Digitized by Google

tum non eſt ſcandaloſum, tunc ſufficit, vt ſe accuſet ſimpliciter de peccato commiſſo, dicendo: Fornicatus ſum contra votum caſtitatis, & non eſt neceſsè, vt manifeſtet confeſſario, ſe eſſe Epiſcopum, ſiuè Prælatum; Ità in terminis docent Coninch. de Sacramentis D.7. d.4.nu.18. Filliuc. tom.2. tract.30.c.7. nu.125. Sanchez de matr.tom.2.lib.7.D.27. num.33. Henriq. lib.5.c.5.nu.6. & Diana p. p. tract. 7. Reſol.6. Quamuis Fagund. præcep. 2. lib.4. c.3. num. 8. & Nugn. in addit, tom.2. q. 9. A.8. d. 3. contrarium dicant: prima tamen ſententia videtur probabilior.

Coninch. Filliuc. Sanch. Henriq. Diana.

Nugnus, & Fagund. contrarium exiſtimant.

2

2. Caſus de correctione ſubditorum.

Quæritur ſecundò: An ſi Prælatus omittat facere correctionem ſubdito ſuo, quam ex Diuino præcepto facere tenebatur: ſatisfaciat, dicendo in confeſſione: Omiſi correctionem proximi, non explicando circumſtantiam prælaturæ?

Reſolutio. 1. Opinio.

Reſpondetur ſecundum opinionem multorum Doctorum, exiſtimantium teneri Prælatum ex officio, ratione prælaturæ corrigere ſuos ſubditos ex ſpeciali iure ſui muneris: Vndè ſecundum iſtos omittens correctionem neceſſariam ſpecialiter peccat, non ſolùm contra Diuinum præceptum de fraterna correctione: Verum etiam contra iuſtitiam, & ideò tenetur circumſtantiam prælaturæ explicare; Quod etiam intelligendum eſt de Patre, Tutore, & Domino, reſpectu mancipij, non autem reſpectu famuli ob ſalarium ſeruientis; Ità Ioann. Sancius in ſelect. D. 6. nu.9. Bannes in 2.2. queſt.33. Ver.3.d.1.& Villalob. in ſum.to.2. tractatu 4. diffic.c.6.num. 4. & alij aſſecli.

1. Affirmatiua.

Io. Sancius Bannez. Villalob.

Verum eſt tamen, quod: Pater Diana p. p. tract.7. de circum. Reſol.57. probabiliter exiſtimat talem circumſtantiam tantummodò eſſe aggrauantem, & non mutantem ſpeciem, & ideò non eſſe abſolutè de neceſſitate aperiendam, quamuis prima opinio ſit ſecurior, & probabilior.

2. Opinio.

Diana.

3. Caſus.

3

De duplici ſacrilegio in peccato carnis.

Quæritur tertiò: An mulieri peccanti cum Sacerdote Religioſo ſatis ſit dicere in confeſſione, ſe commiſiſſe ſacrilegium cum aliquo habente votum ſolemne caſtitatis, non explicando fuiſſe Sacerdotem, & Religioſum?

Reſpondetur quod, licèt nonnulli exiſtiment, in tali peccato eſſe duplex ſacrilegium ex duplici capite: nam Votum caſtitatis à Religioſo emiſſum alterius rationis eſt à voto ſimplici, ſiuè ſolemni implicito in Ordine ſacro, & ideò ſecundum iſtos tenetur dicere: non ſolùm ſe peccaſſe carnaliter cum aliquo in Ordine ſacro conſtituto, ſed etiam, quod erat Regularis profeſſus; Ità Soto in 4.D.18.q.2.A.4. Coninch. D. 2. d.3.nu.131. & Ledeſma in ſumm.tom.p. c. 19. d. 2. & alij aſſecli huius opinionis.

1. Opinio. Soto Coninch. Ledeſma.

2. Opinio.

4

Sufficit dicere, ſe eſſe Religioſum, vel in ſacris.

Contraria tamen opinio eſt communior, dicens: Obligationem circa caſtitatem eſſe eiuſdem rationis in Religioſo, & in Ordinibus ſacris conſtituto; quapropter pœnitens quæ, vel qui ſe accuſat in confeſſione dicendo: ſe habuiſſe copulã carnalem cum Sacerdote, vel cum aliquo in ordine ſacro initiato nõ tenetur dicere, illum Sacerdotem fuiſſe Religioſum: Ità ſimiliter Religioſus Sacerdos quãdò ſe accuſat in confeſſione non tenetur dicere, ſe eſſe Religioſum Sacerdotem, ſed ſufficit dicere; ſe eſſe Religioſum, vel Sacerdotem, ſiuè ſacris ordinibus initiatum. Ità Henriq. lib.5. de Pœnit. c.5. n.6. Sanch. de Mat. lib.7.c.27. Ioa. à Cruce p.p. in direct.conſ.præcep.6. A.6.d.8.concl.3. Leſſius de Iuſt. lib. 4. c.3.d. 12.nu.87. Pitig. in 4. to. 2. D.16. q.1.A.5. Villalob. in ſum.tom.1.tr.9.c.27.num. 13. quos ſequitur Diana p. p. tractat.7. Reſol.3.

Henriq. Sanchez. Ioa. à Cruce. Leſſius. Pitig. Villalob. Diana.

5

Peccata carnis Sacerdotis, & Regularis ad eamdem ſpeciem ſpectant.

Sic etiam dicimus de Religioſo profeſſo, ſi inciderit in lapſum carnis contra votum ſolemne caſtitatis non tenetur explicare, ſe eſſe Religioſum, vel Religioſam, ſed ſatis eſt dicere, ſe fregiſſe votum caſtitatis, & tacere circumſtantiam profeſſionis; quia votum ſolemne à ſimplici non differt ſpecie, neq; alterius rationis eſt vinculum, ſed ſolum accidentaliter differunt: Et idem etiam dicendum eſt de Sacerdote ſæculari: non enim in confeſſione tenetur dicere, ſe habere ſacros ordines, ſed ſatis eſt dicere, ſe habere votum caſtitatis, & contra illud toties peccaſſe: Ità Fagund. de præcept. Eccl. tract.2. lib. 4. c.3. numer.6. Llamas in ſum.p.3.c.8. §.14. Filliu. tom. 2. tract.30.c. 9.num. 124. Sanchez de Matrim. tom.2. l.7.D.27.nu. 18. Megal.p.p.lib.5.c.11.num.8.& Diana d. p. p.trac. 7.Reſol.4.

Fagund. Llamas. Filliuc. Sanchez. Megal. Diana.

6

Fœmina peccans cum Religioſo quomodò confiteri poterit.

Sic etiam dicendum eſt de Femina, vel viro ſæculari, ſi carnaliter ſe commiſcuit cum Sacerdote, vel cum Religioſo profeſſo cuiuſcumque Religionis: nam ſatis eſt dicere, ſe toties fornicatam eſſe, vel copulam ſodomiticam habuiſse cum viro voto caſtitatis adſtricto, non explicando, quod fuerat ſacerdos, ſiuè Religioſus: Ità Graff. de reſer. lib.3. c.10. in fine, & omnes Doctores ſupra citati.

7

Nouitius Religionis non facit ſacrilegium in peccato carnali.

Idem etiam dicimus de muliere, habente rem cum nouitio alicuius Religionis non dum profeſso, vel cum Clerico, non dum ſacris Ordinibus initiato, vel de ſæculari, habente rem cum nouitia alicuius Religionis, non dum profeſsa, vel cum tertiarijs, quæ profeſſionem cum voto caſtitatis non faciunt: non enim tenentur huiuſmodi talem circumſtantiam explicare, quia cùm hæc circumſtantia ſit tantùm aggrauans, & non mutans ſpeciem, non eſt de neceſſitate in confeſſione aperienda; Ità Megala: p. p. lib. 5.c.11.num.7. Llamas in ſum.p.3. c.8. §. 14. Diana d. p.p. tract.7. Reſol.7.

Megala. Llamas. Diana. Caſus 4.

8

An Virginitas ſit circumſtantia neceſſaria?

Quæritur Quartò: An circumſtantia Virginitatis ſit circumſtantia neceſsariò aperienda in confeſſione.

Reſpondetur quod non (licet de hoc ſit controuerſia inter Theologos) quidam enim affirmant: quidam autem negant: Probabilior autem ſententia multorum modernorum tenet non eſse de neceſſitate in confeſſione explicanda: Vndè non tenetur pœnitens, ſiuè ſit maſculus, ſiuè fœmina quandò confitetur peccatum carnis voluntariè conſumatum dicere, ſe in illo actu amiſiſse virginitatem: Ità communiter docent Suarez D.22.ſect.4. num.7. Filliuc. tom. 1.tract.19.c.7.nu.71. Azor.p.3.lib.3.c.11.q.2.& Ratio huius eſt, quia licèt amiſſio virginitatis ſit maximum nocumentum, non tamen mutat ſpeciem peccati, ſed tantùm aggrauat in eadem ſpecie, & ideò non eſt de eſsentia, vt explicetur.

Omiſſio Virginitatis non eſt circumſtantia neceſſaria.

Suar. Filliuc. Azor.

9

Difficultas de ſtupro.

Sed difficultas eſt, quandò quis, fornicando virginem ſtuprauit: An teneatur ſpeciem ſtupri ſpecialiter confiteri: Dicimus tamen, quod quandò virgo illa ſponte conſentit abſque vi non poteſt dici propriè peccatum ſtupri, ſed ſimplicis fornicationis, quia tunc in caſu virgo illa coram Deo reputatur iam ſtuprata, & ideò talis circumſtantia de virginitate mulieris conſentientis non eſt de neceſſitate confeſſionis: prout docent Leſſius lib.2. de Iuſt. c.10. D.6. nu.5. Sanchez de Matrim. tom. 1. lib.7. D. 4. n.5. Coninch. lib.7. D.4. num.19. Vaſq. p.2. D.112. nu.1. & in opuſc. de reſt. c.3. §.1. nu.6. Soto in 4. D.18. q.2. A.4. Megal. p.p. lib.5. c.11. num.10. Petrus Nauar. de reſt. lib. 2. c. 3. num. 419. ſequitur Diana p. p. tract. 7. reſol. 11. citans alios nonnullos. Et licèt ſint etiam multi alij Doctores oppoſitum exiſtimantes dicentes: Stuprum differre ſpecie à ſimplici fornicatione: Nos autem iterum primam opinionem ſequentes abſolutè dicimus: Peccatum ſtupri non differre ſpecie à fornicatione, quandò ipſa virgo ſine vi, ac violentia voluntariè ſe ſtuprari permittit, & hoc ſiuè ſit, ſiue non ſit ſub cura parentum, ſiuè tutorum; Vndè in caſu ſufficit confiteri,

Reſolutio.

Leſſius. Sanchez. Coninch. Vaſq. Soto. Megala. Nauar. Diana.

Digitized by Google

teri, ſe habuiſſe copulam carnalem cum muliere ſoluta, quia, vt diximus, quando virgo ſpontè conſentit peccatum ſtupri non differt ſpecie à ſimplici fornicatione: Quæ opinio eſt probabiliſſima, & tuta in praxi: pro vt docet Suarez d.D.22. ſectione 3.nu.7. cum omnibus alijs Theologis ſupra citatis.

Suar.

10 Ex quo ſequitur à fortiori: Nō eſſe neceſſariò explicandam in confeſſione ſodomiam, commiſſam fuiſſe cum Virgine, ſed ſufficit, ſi dicatur commiſſam fuiſſe cum fœmina: nam per hoc peccatū non violatur clauſtrum virginale: Ita Bonac. de matr. q.4.p.11.n.9. Similiter etiam dicēdum eſt de cogitatione moroſa, ſeu voluntario deſiderio peccandi cum muliere virgine ſine voluntate inferendi vim per raptum: non eſſe circumſtantiam explicandam pro confeſſionis integritate, vt rectè infert Diana d.reſol.11. ſequens DD. ſupra citat.

Sodomia cū virgine non variat ſpeciē.
Bonac.
Cogitatio moroſa ſupra virginem non variat ſpeciem.
Diana.

11 Quæritur 5. An Regularis profeſſus, ſiuè aliquis in ſacris conſtitutus, qui facit votum de non committenda pollutione voluntaria, ſiuè actum fornicationis: Si poſtea incidat in tale peccatum teneatur in confeſſione dicere: non ſolùm ſe eſſe profeſſum, ſed etiam habere tale Votum adiunctum de non ſe polluendo?

5 Caſus. Religioſus, vouens non ſe polluendi: An faciat duo peccata?

Reſpondetur: Negatiuè, & ratio huius eſt, quia per votum ſolemne caſtitatis in profeſſione emiſſum, ſiuè in ſuſceptione ſacrorum ordinum ad idipſum tenebatur, & multiplicatio noua votorum etiam nullam addit circumſtantiam aggrauantem, nec ſe obligauit de nouo, ſed veterem obligationem cum illo voto cōfirmauit: Inſuper (vt dicit Filliuc. to.2.tr.30.c.7.nu.26.) Aliquem habentem votum ſolemne, & ſimplex nō teneri vtrumque exprimere, quia votum ſolemne, & ſimplex differunt tantùm accidentaliter, & non eſt circumſtātia in confeſſione neceſſariò aperienda. Ità etiam Fagund. de præcep. Eccl. lib.4.c.3.n.11. & Sanch. cum Filliuc. loco citato, quos ſequitur Diana ſupra Reſol.9.

Reſolutio negatiua. Multiplicatio noua voti facti, non inducit nouam obligationē.
Votum ſolēne, & ſimplex accidentaliter differunt.
Filliuc. Fagund. Sanchez. Diana.

12 Quæritur 6. An confeſſarius, qui carnaliter cognoſcit pœnitentem ſuam, teneatur dictam circumſtantiā filij ſiuè filiæ Spiritualis confiteri?

6. Caſus. De peccato cum filia ſpirituali confeſſionis.

Reſpondetur: Negatiuè, ſecundum probabiliorem ſententiam plurimorum Theologorum dicentium: Per Sacramentalem confeſſionem non induci propriè cognationem ſpiritualem, cùm in nullo iure expreſsè reperiatur: Et licèt in Canone omnes 30.q.1. hoc videatur dici: Dicimus tamen Canonem illum intelligendū eſſe metaphoricè, & impropriè, quādo ibi confeſſarius appellatur Spiritualis pater, ſicut in Baptiſmo: Ità Filliuc. d.to.2.tr.30.c.5.n.105. Bonac. de matr. q.4.p.16.n.7. Vaſq.3.p.to.4.q.91.A.1.d.2.n.20. Rodriq. in ſum. to.1.c.200.n.1. Sancius in ſelect. D.11.n.3. Azor. p.3.lib.3. cap.9 q.5. Portella in dub. Reg. Verbo. Eligendum 3. & Pontius tract. de imped. Matr. cauſa 30.c.24 §.2.

Per Sacramētum Pœnit. non inducitur cognatio ſpiritualis.
Can. Omnes quos. quomodo intelligendus.
Filliuc. Bonac. Vaſq. Rodriq. Io. Sancius. Azor. Portella. Pontius.

Quamuis ſint etiam alij nonnulli oppoſitum opinantes, dicentes: Talem circumſtantiam eſſe neceſſariò explicandam, quia ſecundùm ipſos ſpeciem peccati variat, cùm ſit cognatio ſpiritualis inter confeſſarium, & pœnitentem: His tamen non obſtantibus dicimus: Primam ſententiam probabiliorem, eſſe, eò quod cognatio ſpiritualis non contrahitur, niſi per Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis: non verò per Sacramentum Pœnitentiæ, niſi metaphoricè, vt ſupra dictum eſt: Ità Diana d.p.1.tract.7.reſol.12. cum alijs: Et hæc de prima circumſtantia Perſonæ peccatis, quæ denotatur in ly verbo *Quis*.

Opinio oppoſita reijcitur.
Confirmatur prima ſententia.
Diana.

Circa ſecundam particulam in verbo *Quid* occurrunt etiam alij nonnulli caſus diſcutiendi, vltra ea, quę in ſuperioribus diſcuſſa ſunt.

De 2 particula Quid.

13 Quæritur ergò: Septimò: An peccatum Beſtialitatis differat ſpecie, ſi conſumetur cum maſculo ſiuè fœmina vnius vel alterius ſpeciei?

7. Caſus. An in peccato Beſtialitatis ſit differentia ſpecifica.

Reſp. Negatiuè: non enim eſt neceſsè explicare in peccato beſtialitatis: An beſtia illa fuerat maſculus, vel fęmina: Sed ſimpliciter ſufficit dicere: Peccaui toties in peccato Beſtialitatis: & hoc ſiue ipſe pœnitens fuiſſet agens, ſiuè patiens: In peccato enim Beſtialitatis omnis deformitas peccati carnalis abſorbitur, cum ſit crimē peſſimum, atque grauiſſimum inter peccata luxurię, quod Deo ſummopere diſplicet: Ità Tannerus in 2.2. to.3.D.3.q.3.p.6.n.49. Zanard. in direct. pract.2. pręcep.6.c.9 Caiet. in ſum. de cōfeſ. q.3. Diana ſup. reſol 2.

Reſolutio. Sexus in Beſtialitate non eſt explicandus.
Tannerus. Zanard. Caiet. Diana.

Quæritur 8. An qui committit carnale peccatum cum tribus fœminis numero diſtinctis teneatur numerum fœminarum in confeſſione aperire? 14

Caſus 8. Numerus perſonarum: an ſit explicandus?

Reſp. Negatiuè: Non enim tenetur dicere: ſe tres fęminas carnaliter cognouiſſe, ſed ſatisfacit, dicendo; Se ter fornicatum fuiſſe: Nam actus fornicationis, cęteris paribus, eamdem habent malitiam, ſiuè committantur cum vna, & eadem perſona, ſiuè cum diuerſis eiuſdem rationis, & conditionis: Ità docet Sancius in Select. D.1.nu.24. Bonac. to.1. de Sacram. D.5.q.5.p.2.§.3. diffic.4. propoſ.3.nu.14. Homob. de Exam. Eccl. p.1. tract.5.c.13.q.83. Azorius p.1.lib.5.c.4.q.6. & alij.

Reſolutio eſt negatiua.
Io. Sancius. Bonac. Homobon. Azor.

Quæritur 9. An quando in actu peccati carnalis, quis habeat ſecum Sanctorum reliquias, ſiuè Agnus Dei: teneatur hanc circumſtantiam explicare? 15

Caſus 9. An peccans ſecum habēs reliquias Sanctorum.

Reſpondetur quod ſi hoc fiat ſimpliciter, & inaduertenter, abſque contemptu, ſiuè temeritate non eſſe circumſtantiam neceſſariam in confeſſione aperiendam, quia in caſu non committitur peccatum Sacrilegij, cùm huiuſmodi reliquiæ concomitanter, & accidentaliter ſe habeant ad actum venereum, & non per ſe, & ideò non eſt circumſtantia neceſſaria, quamuis peccatum ſit grauius propter irreuerentiam: Ità etiam dicendum eſt, ſi dictæ reliquiæ præſententur amaſiæ ex gratitudine, & beneuolentia, non autem tanquam pretium peccati commiſſi: quia tunc in caſu eſſet peccatum Sacrilegij: non autem ſi dentur ſimpliciter propter amorem, vt dixi: Ità Filliuc. to.2.tract.30.c.7.nu.229. & Diana p.1.tract.7.reſol.18.

Reſolutio. Non eſt circūſtantia ſacrilegij.
Filliuc. Diana.

Quæritur 10. An qui contumelijs iniuriat Parentes, ſeu Superiorem teneatur hanc circumſtātiam de qualitate perſonæ iniuriatæ confiteri? 16

Caſus 10. De contumelijs in Parentes.

Reſpondetur affirmatiuè: Non enim ſatisfacit, dicendo ſimpliciter: Se iniuriam alteri intuliſſe, ſiuè blaſphemaſſe, & Ratio huius eſt, quia hoc peccatum ſpecialem habet malitiam ob reuerentiam ſpecialem debitam ſuperiori, ſiuè Parentibus, vt patet ex 4. Decalogi præcepto: Ità Nauar. in man. c.14.nu.11. Henriq. lib.5.c.6.nu.3. lit. E. & Bonac. to.1. de Pœnit. D.5. q.5. ſect.2.§.3. diffic.3. p.2. num.5. Ità etiam dicendum eſt quando huiuſmodi iniuriæ illatæ eſſent Sacerdotibus: nam ipſis Sacerdotibus ſpecialiter debetur honor, & reuerentia ex Diuina lege: ideò &c.

Reſolutio. Parentes contumelijs afficere ſpeciale peccatum eſt.
Nauarr. Henriq. Bonac.
Idem etiam de Sacerdotibus.

Quæritur 11. An ſi aliquis vnico impetu Iræ ter, aut pluries aliquem appellauit furem, ſiuè adulterum, ſiuè alijs cōtumelijs eiuſdem, ſiuè diuerſis rationibus ſatiſfaciat, dicendo: ſe aliquem grauibus, & diuerſis iniurijs toties effeciſſe, non explicando numerum iniuriarum. 17

Caſus 11.

Reſpondetur affirmatiuè: quando (vt dixi) omnes illæ iniuriæ dicerentur vnico actu iræ, ſiuè coleræ: & Ratio huius eſt, quia omnes huiuſmodi contumeliæ, ſiuè eiuſdem, ſiuè diuerſæ rationis procedunt ex vnico actu voluntatis: Et quamuis in numero iniuriarum diuerſitas videatur, conueniunt tñ in vna ratione formali, quę eſt intentio auferendi alteri ſuum honorem: Vndè ſatis eſt in confeſſione dicere toties cōtumelijs affeci meum proximum: Et non eſt neceſsè exprimere; Illum vocaui Ebrium, furem, adulterum: Ità Azorius tom.2.lib.13.c.5.d.1. Regin. tom.2.lib.24.cap.5. num.102. Caiet.2.2. q.72.A.1. Soto de Iuſt. lib.5.q.9. Art.1. Em. Sà Verb. Contumelia nu.1. Molina to.5.tract.4.D.19.nu.3. & Diana p.1.tract.7.reſol.28.

Azor. Reginald. Caiet. Soto. Em. Sà. Molina. Diana.

Quæritur 12. An delectatio moroſa voluntaria ſu- 18

Caſus 12.

mat malitiam à ſpecie obiectus; Ità vt in confeſsione aperiẽda ſit circũſtantia de obiectu ſpecifico: E.g. ſi fœmina de qua ſumpta eſt delectatio fuerit coniugata, ſiuè conſanguinea, ſiue monialis, aut libera?

De delectatione moroſa.

Reſolutio. Delectatio moroſa dup. ſpeculatiua, & practica.

Reſpondetur diſtinguendo; Vel delectatio moroſa eſt practica cum voluntate, & deſiderio perueniendi ad actum, quatenus coniugata eſt: Et tunc eſt circumſtantia neceſſariò explicanda: *Nam ſi quis viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, dixit Dominus. Matth. 5. numero 28. contra Dei præceptum: *Non concupiſces mulierem proximi tui*: Et ità intelligendi ſunt Doctores, dicentes: Hanc circumſtantiam eſſe explicandam; Vel 2. talis moroſa delectatio poteſt eſſe ſpeculatiua ſimpliciter, ratione pulchritudinis ſimpliciter, & non, vt talis perſona eſt: Et tunc dicimus, quod, Quando delectationes moroſæ conſiſtunt tantùm in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate omnes ſpecies, ſiuè circumſtantiæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & non differunt à ſimplici fornicatione, quia in tali caſu: E. g. non delectatur quis de coniugata, vt coniugata eſt, & de illo obiectu, quatenus eſt iniurioſum alteri, ſed quatenus eſt obiectum delectabile: Vndè in caſu huiuſmodi circumſtantiæ perſonarum non ſunt de neceſſitate confeſſionis, ſed ſufficit, vt pœnitens dicat: Toties moroſæ delectatus ſum de muliere, ſiuè de actu ſodomitico, ſine expreſſione: An talis mulier, fuerit Religioſa, ſiuè coniugata: Ità Vaſq. in 1.2. to. 2. D. 12. c. 2. Sayr. in Claui Reg. lib. 9. c. 7. num. 10. Regin. tom. 2. lib. 12. c. 2. num. 13. Filliuc. tom. 2. tract. 21. c. 8. num. 301. Bunac. de Matrim. q. 4. p. 8. num. 19. Leſſius de Iuſt. libr. 4. cap. 3. d. 15. nu. 123. Sequitur Diana p. 1. tract. 7. Reſol. 48.

Matt. c. 5.

2. Modo eſt explicanda.

Cogitatio ſpeculatiua de ſimplici pulchritudine non variat ſpeciem. In delectatione moroſa ſpeculatiua ſufficit dicere peccatum ſimpliciter.

Vaſq. Sayrus. Reginald. Filliuc. Bonac. Leſſius. Diana.

19 Quæritur 13. An in peccato ſodomiæ teneatur quis exprimere in confeſſione: An fuerit Agens, aut patiẽs, vel gradus cognationis carnalis?

Caſus 13. An actus agẽtis, ſiuè patiẽtis ſint explicandi. Reſolutio.

Reſpondetur quod licèt peccatum agentis grauius ſit quam patientis, non tamen variantur in ſpecie: vterque enim eſt actus Sodomiticus eiuſdem ſpeciei: Vndè ſi quis aliquando verecundiam haberet confitendi, ſe in actu Sodomitico fuiſſe patientem, ſufficiet, vt dicat: Toties Sodomiam exercui: Non eſt ergò de neceſſitate exprimendum: An fuerit agens, vel patiens: Quamuis enim ſit minus malum pati, quam agere, ſecundum Gloſſam in c. Adulterij 32. q. 7. Non tamen indè ſequitur eſſe diuerſatum ſpecierum, cùm magis, aut minus nõ variet ſpeciem peccati: Ità Alph. de Leone in tract. de Offic. Confeſſ. p. 1. Reſolut. 9. numer. 216. & 218. & Carolus de Baucio in praxi Confeſſ. pag. 334. num. 45. citans Martinum Fornarium Ieſuitam, & Alexandrum de Ruſſo, quos ſequitur Diana 3. p. tract. 7. Reſol. 159. & p. 5. tr. 14. miſcel. 2. reſol. 56.

Non eſt de neceſſitate explicandum, agentis, vel patientis. Magis, aut minus non variat ſpeciem. Alphonſus de Leone. Carol. de Baucio. Fornarius. Alex. de Ruſ. Diana.

20 Quo ad ſecundam verò partem dubij de circumſtãtia conſanguinitatis: An ſit neceſſariò explicanda in actu Sodomitico, ſiuè contra naturam.

An gradus cõſanguinitatis in actu Sodomitico ſint explicandi. Reſolutio eſt affirmatiua in 1. vel 2. gradu.

Reſpondetur quod; quamuis in peccato Sodomitico non contrahatur affinitas, quò ad impedimentum Matrimonij, & non ſit verè, & propriè inceſtus, cum non committatur intra vas debitum debiti ſexus: eſt tamen peccatum inceſtuoſum, eò quod ſit abuſus luxurioſus inter cognatos, iure naturali prohibitus propter pietatem, & reuerentiam debitam cognatis, & ideò communior eſt ſententia inter Doctores præcipuos, dicentes: Huiuſmodi circumſtantiam eſſe explicandam in Sacramentali confeſſione, maximè quando talis actus committitur inter cognatos in primo vel ſecundo gradu, tam conſanguinitatis, quam etiam affinitatis, pro vt dicit Caiet. 2. 2. quæſt. 154. Art. 11. & Azor. to. 3. lib. 3. c. 18. & Filliuc. loc. cit. & Bonac. de matr. q. 4. p. 11. n. 6. & Finellus de caſib. reſer. Caſu 10. n. 10.

Caiet. Azor. Filliuc. Bonac. Finellus.

21 Ex quo ſequitur etiam in peccatis Sodomiticis, & contra naturam exprimendam eſſe circumſtantiam perſonæ cum qua peccatum commiſſum eſt: An Videlicet commiſſum ſit a maſculo cum fœmina contra vſum naturale: Vel à maſculo cum maſculo, vel à fœmina cum fœmina in vera Sodomia, vel ſi commiſſum ſit cum perſona habente votum Caſtitatis: tunc enim vltra Sodomiam eſſet peccatum Sacrilegij: Vel quando commiſſum ſit cum violentia, quia tunc haberet rationem raptus, & iniuſtitiæ: Poterit etiam habere malitiam adulterij, ſaltem reductiuè, quando ſit cum coniugata, quia tunc fit iniuria Matrimonio, & ideò reducitur ad ſpeciem adulterij, modo ſuo.

Circumſtantia perſonæ explicanda, etiam in actu Sodomitico.

Si verò Sodomia commiſſa ſit cum muliere virgine 22
non eſt neceſsè, vt explicetur circumſtantia virginitatis; tunc enim ſufficit ſi dicatur: Sodomiam commiſſam fuiſſe cum fœmina ſoluta contra vſum naturale: Nam per hoc peccatum non violatur clauſtrum virginale: Ità Bonac. de Matrim. quæſt. 4. p. 11. nu. 9. Caiet. Azor. cum alijs ſupra citatis. Et hæc de 2. circumſtantia de qualitate peccati ſignificata in Verbo. *Quid*.

Circumſtãtia Virginitatis non eſt de neceſſitate explicanda. Bonac. Caiet. Azor.

Quo ad tertiam circumſtantiam de loco, quæ denotatur per ly Verbum: *Vbi*.

De circumſtantia loci.

Quæritur 14. An Tactus impudici, facti in Eccleſia 23
habeant ſpecialem malitiam peccati ſacrilegij, neceſſariò in confeſſione explicandi?

Caſus 14.

Reſpondetur: Negatiuè, ſecundum probabiliorem Theologorum ſententiam, dicentium: Tactus impudicos factos in Eccleſia non habere ſpecialem malitiam ſacrilegij, & ideò non eſſe de neceſſitate, vt in confeſſione talis circumſtantia loci ſacri explicetur, modò non adſit ſcandalum, vel periculum pollutionis in Eccleſia, & Ratio eſt quia deformitas ſacrilegij non conſurgit ex iure naturæ, ſed ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ, in quo decernitur Eccleſias tantummodò violari ex ſanguinis, vel ſeminis humani effuſione: Tunc enim loci circumſtantia ſacrilegium inducit, eò quod peccata huiuſmodi in Eccleſia commiſſa impediant Diuina officia poſſe ibi celebrari ante reconciliationẽ.

Tactus impudici in Eccleſia non variãt ſpeciem.

Sacrilegij deformitas ex quo cõſurgit.

Sed huiuſmodi tactibus impudicis non violatur Eccleſia, neque per illos impediuntur Diuina officia, ergò huiuſmodi tactus etiam turpes non erunt ſacrilegi, neque continebunt circumſtantiam neceſſariò in cõfeſſione aperiendam: Ità Sanchez de Matrim. to. 3. lib. 9. D. 15. nu. 21. Fagund. præcep. 2. lib. 4. num. 3. c. 3. Coninch. de Sacramentis D. 7. nu. 22. Henriq. in Sum. lib. 5. de Pœnit. c. 7. nu. 5. Vaſquez in 1. 2. p. q. 72. A. 6. D. 98. nu. 4. Caiet. to. 1. reſp. tract. 17. reſp. 12. nu. 1. Homobonus de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 12. q. 77. quos ſequitur Diana p. 1. tract. 7. reſol. 25. & alij. Quamuis Suar. de Relig. to. 1. lib. 3. c. 7. nu. 11. & Azorius to. 1. lib. 4. c. 6. q. 10. citans alios vt Rodriq. Ledeſm. & Cordub. & Syluest. contrarium dicant, putantes huiuſmodi tactus in Eccleſia factos eſſe neceſſariò confitendos propter reuerentiam debitam loco ſacro ex naturali iure (putant enim illi Doctores etiam circumſtantias aggrauantes eſſe explicandas) Nos autem ſequentes opinionem illorum dicentium: Non eſſe explicandas niſi mutantes ſpeciem: Ideò ſequimur primam ſententiam, tamquam probabiliorem: Nam licèt huiuſmodi tactus in Eccleſia ſint grauiora peccata propter indecentiam: non tñ mutant ſpeciem peccati, vt adaugeant in infinitum, & ideò non ſunt de neceſſitate explicãdi.

24 Eccleſia non polluitur per tactus impudicos. Sanch. Fagund. Coninch. Henriq. Vaſq. Caiet. Homobon. Diana.

Opinio oppoſita Suar. & aliorum in quo fundatur.

Opinio noſtra in quo fundatur.

Quæritur decimoquintò: An pollutio voluntaria 25
conſummata in Eccleſia, quãdo eſt occulta ſit ſacrilega, & circũſtantia neceſſaria in confeſſione aperienda.

Caſus 15. An pollutio occulta violet Eccleſiã. Reſolutio. 1. opinio negatiua.

Reſpondetur licèt nonnulli Doctores exiſtiment: non eſſe circumſtantiam neceſſariò in confeſſione explicandam: quorum fundamentum eſt, quia per fornicationem occultam in Eccleſia non violatur, niſi quando talis pollutio, ſiuè fornicatio fuiſſet publica, & manifeſta; pro vt determinatur per ſacros Canones: Ità exiſtimant Raphael. de la Torre in 2. 2. tom. 3.

Raph de Tor.

q. 96.

Vaſq. Pontius.

q.96.A.2.num.7. & Vaſq.in 1.1.to.p.quæſt.72.A.7.D. 98.c.3.nu.6.& Baſil.Pontius de Matrim.lib.10.cap.10. num.15.

26 2. Opinio affirmatiua.

Contraria tamen ſentẽtia verior eſt,& probabilior: licèt enim fornicatio occulta non violet Eccleſiam actu, & in foro Eccleſiæ,quamdiù occulta eſt,ſi poſtea tamen publicetur, tunc dicitur Eccleſia fuiſſe polluta: ergò à principio actus ille fuit culpabilis, & ſacrilegus contra Eccleſiæ prohibitionem: Nam culpa non pendet ex futuro euentu: An vid.fornicatio illa, ſit aliquãdo futura publica, nec ne; Nam actus ipſe talis de ſe polluit ſufficienter locum propter fœditatem actus, cuius turpitudo repugnat intrinſecè ſanctitati ipſius Eccleſiæ: & ideò eſt contra prohibitionem ſpecialem ipſius Eccleſiæ: pro vt docent Suarez de Relig.tom. 1.lib.3.cap.7.num.4. Sanch. de Matrim.tom.3.libr.9. D.15.num.11. Bonac. de Matrim.q 4. p.vltimo num. 7.Azot.tom.2.lib.9.cap.5.Filliuc.to.2.tract 30.n.133. Rodriq.in ſum.c.207. ſequitur Diana p.1.tract.7.Reſol.26.

Suar. Bonac. Sanch. Azor. Filliuc. Rodriq. Diana.

27 Caſus 16. De copula cõiugali occulta.

Quæritur 16. An copula coniugalis in Eccleſia conſummata,ſit ſacrilega,& neceſſariò confitenda,quando eſt occulta?

Copula carnalis cum vxore ſine neceſſitate eſt ſacrilega. Sanch. Vaſq. Nauarr. Tolet. Henriq. Azor. Bonac.

Reſp. quod ſi talis copula coniugalis fiat abſque neceſſitate, abſque dubio erit peccatum mortale ſacrilegij, cùm ſit contra prohibitionem ſacrorum Canonũ prohibentium actus carnales in Eccleſia fieri non poſſe abſque ſacrilegio, & hoc propter decentiam, & ſanctitatem loci ſacri: nam *Domum Dei decet ſanctitudo*: Ità communiter omnes Theologi,vt Sanch. Vaſq. Nauar. Tolet.Henriq. Azor. alioſque quos citat Bonacin. de Matr.q.4.p.vltimo nu.6.

Quando occurrerit neceſſitas permitteretur ſecretè.

Sed nota quod dixi: (Abſque neceſſitate) quia quãdoque poſſet eſſe excuſatio à peccato, quando ex aliqua legitima neceſſitate occultè fieret, vt accidere poteſt, quando aliquis propter delictum in Eccleſia detineretur, & non haberet aliquam commoditatem faciendi actum coniugalem,& propter longum ſpatium temporis eſſet morale periculum incontinentiæ in aliquo coniuge;tunc exiſtimant prędicti DD.quod ſi honeſtè, & ſecretè fiat nõ eſſet culpa mortalis:cùm actus ſecundum ſe non ſit illicitus.

28 Quando erit neceſſitas excuſans. Diuerſitas eſt opinionum circa tẽpus. Sanch. Leſſius. Fagund.

Sed difficultas eſt ad cognoſcendum: quod nam ſit tempus longum, quod talem neceſſitatem moraliter inducat;circa quod multi multa dicunt Sanch.enim de Matr.to.3.lib.9.D.15.c.12.exiſtimat: Vnum menſem eſſe longum ſpatium temporis pro tali neceſſitate iudicanda: Leſſius autem lib.4.c.3.d.12.nu.86.exiſtimat ſufficere viginti, ſiuè quindecim dies: Fagundez præcep.2.lib.4.c.4.num.21.reſtringit ad decem dies, plus, minuſue: Suarez verò attenta humana fragilitate, putat ſufficere ſpatium quinque dierum eſſe longum tẽpus ad excuſandum huiuſmodi à peccato: Ità Suarez 3.p.q.83.A.3.& D.81.ſect.4.§ 3. Ledeſ.in ſum.to.1.p. c.20.quos ſequitur Diana p.1.tr.7. reſol.19. Vndè hoc videtur commiſſum eſſe iuxta prudentis viri arbitrium propter neceſſitatem: Quàpropter ſi quæ mulier redderet aliquando debitum coniugale marito ſuo infra prædictum ſpatium temporis in Eccleſia detento, & dicenti, ſe amplius contineri non poſſe non peccaret mortaliter: Ità etiam dicit Megala p.1.lib.5.c.13.n.9. cum omnibus ſupradictis.

Suar. Ledeſma. Diana.

Concluſio.

29 Caſus 17. De Oratorio, ſiuè Sacriſtia.

Quæritur 17. An ſi quis in Sacriſtia, ſiuè in Oratorio alicuius domus, in quo ex licentia Epiſcopi celebrari poteſt Miſſa: quis haberet copulam carnalem: teneatur hanc circumſtantiam loci ſacri explicare?

Reſolutio negatiua. Sanch. Fagund. Megala. Diana.

Reſp. Negatiuè, pro vt apertè dicunt Sanch.de matri.3.to.lib.9.D.15.nu 39.& Fagun.p.2.de præc.Decal. lib.4.c.4.nu.34.& 39. Megal.p.1.lib.5.c.13.num.11.& alij dicentes: Huiuſmodi loca non reputari Eccleſia. Vndè ſi quis fornicaretur in Oratorio priuato, ſiuè in Sacriſtia,ſiuè in cellis religioſorum,licèt ſuperior conuentus ſingulis noctibus benedicat dormitorium, & aqua aſpergat benedicta, & ibi ſit altare ad celebrandum: non eſſet peccatum ſacrilegij reſpectu loci ſacri, quia huiuſmodi loca reputantur tanquam oratoria priuata, & ideò non eſſet huiuſmodi circumſtantia de neceſſitate confeſſionis: pro vt dicit Diana d. tr.7. reſol.20.ſequens omnes ſup.cit. Doct.

Peccare carnaliter in Oratorio, ſiuè Sacriſtia non variat ſpeciẽ.

De 4. Particula Quibus auxilijs.

Quo ad quartam circumſtantiam in ordine enumeratam, quæ denotatur per illam particulam (*Quibus auxilijs*) præter ea, quæ diximus in proprio loco, inſurgunt aliqua dubiola, breuiter à nobis elucidanda. Vndè.

30 Caſus 18. De defraudantibus in ludo an ſit circumſtantia.

Quæritur inſuper 18. in ordine caſuum: An ſi quis ludendo ludo taxillorum, ſiuè alearum fraudauerit aliquem in notabili quantitate, teneatur explicare hanc circumſtantiam de ludo taxillorum.

Reſolutio negatiua.

Reſpond. (per ſe loquendo) Non eſſe circumſtantiam neceſſariam; ſufficit enim quod pœnitens ſe accuſet de fraude furtiua contra proximum facta: quod autem defraudaſſet in ludo, ſiuè alio inſtrumento parum refert ad confeſſionis integritatem; ſed hoc intelligendum eſt, niſi talis ludus eſſet aliquando ſpeciali lege prohibitus ſub pœna peccati mortiferi; prout eſſe (ſolet vt plurimum) apud clericos,& Regulares,in quibus interdici ſolet ludus taxillorum, & alearum: Ità Filliuc.to.2. tr.37.c.4.nu.59. Tolet.in ſum.lib.5.c.27.n. 46 Molfeſ.in ſum.to.2.tract.12.c.21.num.41.& alios: Quamuis Megala par.1.lib.5. capit.14. num.8. etiam exiſtimet, quod ſi clericis, aut regularibus non ſit facta ſpecialis prohibitio per ſtatuta, ſiuè per Synodalia, ne taxillis, ſiuè aleis ludant: non peccare mortaliter, ſecluſo ſcandalo, & reſpondet ad ſacros Canones, vbi tales ludi clericis prohibiti inueniuntur.

An Regularibus prohibitus ſit ludus taxillorum? Filliuc. Tolet. Molfeſ. Megala.

32 Caſus 19. Deſpoliatione habitus Religionis.

Quæritur decimonono: An Regularis exuens ſe habitu ſuæ Religionis, in qua eſt profeſſus ad liberius fornicandum per vnam noctem. Ità dormiens cum amaſia peccet mortaliter peccato ſpeciali: ità vt teneatur in confeſſione non ſolùm dicere, ſe fornicatum fuiſſe,ſed etiam pro maiori delectatione hoc feciſſe ſine habitu Religionis?

Reſolutio. 1. Opinio Nauarri, & S. Rom.

Reſpondetur quod, licèt Nauarrus in conſ.de Apoſtol.exiſtimet; Religioſum,qui expoliatur habitu Religionis ſuæ ad liberius fornicandum peccare mortaliter, non ſolùm contra caſtitatis votum, verum etiam propter dimiſſionem habitus, quamuis excommunicationem non incurrat: Vndè ſecundum illum Doctorem tenebitur talis Regularis in confeſſione ſacramentali de hac circumſtantia ſe accuſare, quam opinionem ſecutus eſt Pater Sanctus Rom. in expoſit. Reg. Diui Franciſci c.3.

33 2. Sententia. Suar. Sanctarellus. Lezana. Fauentinus. Diana. Qui fornicatur ſine habitu ſuæ Religionis non facit duo peccata.

Contrariam tamen ſententiam tenet Suarez de Relig.tom.4. lib.1.c.5.num.18. & Sanctarell. de Apoſtaſ. cap.1.D.vnica num.5. & Lezana in quæſt. Regul. cap. 13.num.7. & Fauentinus in 4.D.15.de reſtitut. Diſtin. 45.quæſt.2. cap.4. num.88. quos ſequitur Diana part. 5.reſol.moral.tract.14.Miſcel.2.Reſol.72.abſolutè dicentes: huiuſmodi regularem non facere duo peccata mortalia, vt dixit Nauarr. ſed tantum vnum contra votum caſtitatis, & ideò non tenetur hanc circumſtantiam de habitus ſpoliatione ſe accuſare:Non enim ſunt multiplicanda peccata, vbi non apparet lex in contrarium.

34 Dormiens ſine habitu per vnam noctẽ non peccat mortaliter.

Sic etiam à fortiori dicimus: Si aliquis Religioſus, etiam profeſſus Regulæ fratrum minorum propter æſtum ad capiendum ſomnum dormiret aliqua nocte ſine habitu ſuæ Religionis, etiam ſine tunica

lanea, quam die, ac nocte fratres profeſſi vti ſolent ſecundum conſuetudinem ſuæ Religionis: Non peccare mortaliter, quia debitum, quod habet regularis geſtandi ſemper habitum, & tunicam eſt honeſtatis, & non neceſſitatis: Non enim per Regulam fratrum minorum præcipitur fratribus profeſſis, vt numquam poſſint prædicti fratres per vitam noctem relinquere habitum ad dormiendum, neque conſuetudo talem habet vim legis, obligantis ad mortale, ſed ſolum introducta eſt ratione deuotionis, & honeſtatis, & auſteritatis, & talis conſuetudo non eſt recepta, cum tanto onere, vt benè probat Fauentin. loc. ſup. citat. Quicquid dicat Graff. to. 1. dec. lib. 3. c. 5. nu. 75. dicens: Monachum in cella dormientem ſine habitu Monachali per multum tempus, vel iacentem in lecto ſine patientia, ſiuè haſta ſuæ Religionis, in qua conſiſtit forma habitus ſuæ Religionis peccare mortaliter: & fundatur in c. Vt periculoſa ne Clerici, vel Monac. in 6. & Can. Viduas: 20. q. 2. Verum tamen eſt: in illis Decretis non adeſſe verba obligantia ad peccatum mortale in hoc noſtro ſenſu, neque ibi eſſe verba rigoroſè præceptiua, vt per ſe conſtat, neque communi vſu, & conſuetudine ità eſſe interpretata, ſed loqui de temeraria dimiſſione habitus, ità per mundum vagantibus cum ſcandalo ſæcularium, vt benè aduertit Diana d. R. fol. 72. & in 3. p. tract. 2. Reſol. 15. de dubijs Regular. Verum tamen eſt, quod fratres minores Capuccinorum de more habent, & inuiolabiliter obſeruant, vt ſemper quilibet frater Capuccinus die noctuque ſuper geſtet habitum Religionis etiam tempore infirmitatis grauiſſimæ, & acutiſſimæ febris, adeò vt ita induti ſemper ſint cum habitu Religionis, & ità moriantur, ideòque ratione talis conſuetudinis, talem dimiſſionem habitus non conſulo, ſaltem per longum tempus, attendant docti, & viri conſcientiæ timorati, ne in foueam cadant.

Debitum geſtandi habitū eſt honeſtatis & deuotionis. — *Graff. opinio non admittitur.* — *Reſpondetur ad Canones.* — *Limitatio pro Capucc.*

33 De quinta autem circumſtantia ratione finis ſignificata in ly verbo: *Cur*.

De 5. particula Cur. Caſus 2.

Quæritur duodecimò. An qui furatur propter fornicationem teneatur hanc circumſtantiam finis explicare, dicendo: Furatus ſum ad mæchandum?

Circumſtantia finis quando, & quomodo explicāda. Bonac.

Reſpondetur Circumſtantiā finis, quando eſt mortalis explicandam eſſe in confeſſione: prout omnes communiter docent: vt Bonacina de Sacramentis: D. 5. q. 5. ſect. 2. diffic. 3. nu. 25. Verum eſt tamen, quod ſi pœnitens ſe accuſet primò de Furto facto ſimpliciter, & poſtea diſtinctè ſubiungat: Habui intentionem mæchandi, ſatisfacit obligationi ſuæ, vtrumq; enim aperit: nam malitia, quæ in furto deſumitur à mæchia, ad quam ordinatur non eſt alia ab ea, quæ reperitur in intentione mechiæ, ſimiliter malitia furti, quæ reperitur in intentione mechiæ non eſt diuerſa à malitia ipſius furti, ſecundum ſe ergò qui confitetur furtum, & mæchiam licèt non explicet ſe ordinaſſe vnum ad alterum ſufficienter explicat ſuum ſtatum, & ideò ad illud non tenetur: Ità Angelus in verb. interrogatio §. 6. Nauar. in Man. c. 6. nu. 2. & Diana d. tract. 7. reſol. 23.

Angel. Nauarr. Diana.

34 Quæritur 2. An ſi quis peccauit alias non peccaturus ex confidentia facilè obtinendi abſolutionem, ſiuè per iubilæum, ſiuè aliter: Teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire?

Caſus 21. An peccans ſpe confitendi ſit circumſt. Reſolutio negatiua. Fagund. Pirg. Diana.

Reſpondetur negatiuè: ſufficit enim confiteri peccatum commiſſum, pro vt communiter dicunt omnes: vt Fagund. p. 2. de præcep. Eccl. lib. 4. c. 5. num. 8. & Pirig. in 4. t. 2. D. 16. q. 1. Art. 5. quos ſequitur Diana p. 1. tract. 7. reſol. 25. & alij: pro vt etiam à nobis plenius explicabitur in materia de Iubilæo in 2. p. noſtræ Theol. Moral.

De 6. particula Quomodo.

Circa ſextam circumſtantiam de modo peccandi, quæ ſignatur per verbum: *Quomodo*.

Quæritur duodecimò, An circumſtantia modi in copula coniugali, ſit in confeſſione aperienda, quando facta ſit modo extraordinario? 35

Caſus 22. De modo cōiugali extraordinario. Reſolutio.

Reſp. Negatiuè: Non enim peccat mortaliter vir, qui vult habere copulam cum vxore vel à latere, vel ſedendo, vel præpoſtere, aut ſubiacendo, niſi adſit periculum ſeminandi extra vas naturale; quia licèt iſti modus carnales ſint abuſus, ac naturalis ordinis peruerſio, non eſt tamen ſubſtantialis, & modus prohibitus, cùm tantum ſit quid accidentale, dum tamen vas legitimum ſeruetur pro generatione prolis; ſecus autem ſi extra vas effunderit ſemen: Ità Sanch. de Matr. to. 3. d. 9. D. 16. nu. 3. citans multos alios; ſequitur Diana p. 1. tr. 7. Reſol. 35. Vndè quando talis peruerſio fiat propter maiorem delectationem, erit ad ſummum peccatum veniale, ſi verò fiat ex legitima cauſa, nullū eſſet peccatum: pro vt melius explicabitur in tract. de Matrimonio.

Sanch. Diana.

Quæritur 23. An qui fornicatur cum homine ſuper cubans, ſicut ſuper mulierem, & ità ſe polluit inter coxedes ipſius patientis, teneatur hanc circumſtantiam diſtinctè explicare in confeſſione? 36

Caſus 31. De pollutione in 2. perſona. Reſolutio.

Reſp. quod in caſu pœnitens ſufficienter ſe accuſat, ſi dicat: *Tactibus alterius pollutus ſum, oſculando &c.* Non enim hæc circumſtantia mutat ſpeciem peccati mollitiei, in 2. perſona, dum tamen non poſuiſſet membrum in ano, quia tunc ratione enormitatis deberet circumſtantiam illam aperire: Ità dicit Sanchez cum Diana loc. ſup. cit.

Sanch. Diana.

Vltimò tandem circa ſeptimam circumſtantiam de tempore, quæ denotatur in ly verbo (*Quando*) vna difficultas remanet ſoluenda: præter ea, quæ dicta ſunt, ideòque 37

De 7. particula Quando.

Quæritur vltimò: An qui commiſit aliquod peccatum carnale in die Iouis Sancti, vel eo die, quo communionem recepit teneatur poſtea in cōfeſſione aperire hanc circumſtantiam de tempore?

Caſus 34. An peccatum commiſſum in ſolemnitatibus mutet ſpeciem? Reſolutio.

Reſp. Circumſtantiam peccati commiſſi in die Iouis Sancti, vel alterius magnæ feſtiuitatis non eſſe circumſtantiam neceſſariam in confeſſione aperiendam, eſt enim circumſtantia tantum aggrauans peccatum, non autē mutat ſpeciem, & ideò ſi peccatum cōmiſſum ſit in hebdomada Sancta, vel alterius ſolemnitatis, ſiuè in eodem die, quo Sanctiſs. Sacrament. Euchariſt. per communionem ſumpſit, non tenetur hanc circumſtātiam explicare: Ità Henriq. lib. 5. c. 6. nu. 6. & Filliuc. to. 2. tr. 21. c. 9. num. 347. Vaſq. in 3. p. tom 4. q. 91. A. 1. d. 4. nu. 24. Bonac. to. 1. de Sacr. D. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2. §. 3. diffic. 3. nu. 29. Coninch. de Sacr. D. 7. d. 4. nu. 27. & Diana p. 1. tr. 7. reſolut. 32. & alij; Et hæc de circumſtantijs dicta ſufficiant.

Henriq. Filliuc. Vaſq. Bonac. Coninch. Diana.

DE EFFECTIBVS PECCATI Mortiferi.

CAP. V.

QVoniam mali effectus cauſati à peccato in Animas hominum innumerabiles ſunt, iuxta Dauidicum illud Pſalm. 39. *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehēderunt me iniquitates meæ:* Omnia enim mala, quæ ſunt in mundo ſunt effectus cauſati à peccato. Nam omnia, quæ fecit Deus erant valdè bona, & ſine ipſo factum eſt nihil: quod eſt peccatum, vt ait D. Auguſt. *Quod audis homo ipſe Deus fecit, quod autem audis peccatum, ipſe homo fecit: Deus enim intentator malorum eſt*, pro vt dicit Iacobus Apoſt. in Epiſt. canon. 1

Effectus peccati molti ſunt. Pſal. 39. D. Auguſt. Iacob. Apoſt.

Attamen ad ſeptē principalia capita reduci poſſūt: 2

pro

Reducuntur ad ſeptē principalia mala D. Bonau. pro vt notauit D. Bonau. to. 1. Opuſ. p. 3. Breuiloq. c. 9. & ideò per ſeptem mala, in quæ incurrit Anima noſtra per peccatum vniuerſitas malorum comprehenditur, quæ ad hæc cætera omnia reduci poſſunt: Quod figuratum venit in Apoc. c. 13. (Apoc. 13.) in Beſtia illa, aſcendente de mari, habente capita ſeptem, & cornua decem, cui dedit Draco virtutem ſuam: Nam per monſtrum illud, quod de mari mundi huius aſcendebat figuratũ eſt peccatum, quod in hoc mundo ab hominibus commiſſum eſt, à quo omnia mala deriuantur; tanquam à ſeptem capitibus, ex quorum quolibet Anima hominis mortifera plaga ſauciata eſt, ex quibus vulneribus, tanquam à decem cornibus reliqua mala deuenerunt, cui dedit Draco, ideſt Diabolus virtutem ſuam, hoc eſt mortiferum venenum ſuæ iniquitatis: *Nam inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum, imitantur autẽ illum, qui ſunt ex parte ipſius:* Sap. 2. nu. 24. (Sapient. 2.)

3 De primo effectu peccati. Eſt ergò primum malum, ſiuè vulnus per peccatum incurſum, quo mediante priuatur anima peccantis gratia, & filiatione Dei, & fit ipſius inimica, & gratia, ac filiatione ſpoliata, & conſtituitur filia, ac ſerua Diaboli, & ipſius peccati, quod maximum malum opprobriumque eſt: Eſt enim Anima iuſti per Dei gratiam, ſanctificantem filia ipſius Altiſſimi, pro vt dicit Scriptura Pſal. 81. (Pſal. 81.) *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi, omnes,* quod D. Ioannis intelligens, ait in ſua Epiſt. 1. c. 3. (Io. ep. 1. c. 3.) *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus:* & Paulus ad Rom. c. 8. (Rom. c. 8.) rationem aſſignat, dicens: *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei:* quapropter ipſa veritas dixit in Euang. Mat. c. 5. (Mat. c. 5.) *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, & cum oratis, dicite: Pater noſter, qui es in cælis.*

Amittitur Dei filiatio per peccatum & quomodo. At è contra (quod maximè dolendum eſt) per Peccatum mortale amittitur Dei illa filiatio, vnà cum gratia, & amicitia ipſius, ſecundum illud D. Ioa. in d. Ep. 1. cap. 3. (4 Io. ep. 1. c. 3.) dicentis: *In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij Diaboli, qui facit iuſtitiam Sanctus eſt, ſicut & ille (ideſt Deus) ſanctus eſt: Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, quoniam ab initio Diabolus peccat,* & ipſe Dominus dixit quibuſdam peccatoribus: *Vos ex patre Diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere,* & Ioan. capit. 8. (Io. in Euang. c. 8.) *Omnes, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati:* ex quibus locis Sac. Script. manifeſtè patet, quod quilibet peccator eſt Dei inimicus, eius gratia priuatus: pro vt in lib. Sap. cap. 4. (Sap. c. 4.) ſcriptum eſt: *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius:* Dei enim gratia cum peccato ſtare non poteſt.

5 De ſecundo effectu peccati. Secundum malum, eſt Priuatio hæreditatis Regni cæleſtis, & ſummæ beatitudinis, ad quam fruendam, & poſſidendam Anima noſtra creata fuit; Dicit enim D. Auguſt. (D. Auguſt.) *Deus creauit hominem, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur.* Quapropter ipſe Dominus in die Iudicij Vniuerſalis dicturus eſt hominibus iuſtis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi:* Matt. c. 25. (Matt. c. 25.)

6 Peccatum priuat homines Regno Dei. At per peccatum amittitur iſta hæreditas, (quia pro vt ait Apoſt. 1. Co. c. 6.) (1. Cor. c. 6.) *Iniqui Regnum Dei non poſſidebunt: Non enim intrabit in eo aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium:* Apoc. 21. nu. 27. (Apoc. c. 21.) & in lib. Pſalm. ſcriptum eſt: *Conuertantur peccatores in Infernum omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum:* Pſalm. 9. (Pſal. 9.) Et ideò audituri ſunt tremendam illam ſententiam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius:* Matt. 25. (Matt. c. 25.) *Pars enim iniquorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Apoc. 21. nu. 8. (Apoc. 21.) Ratio iſtius effectus. Et hoc rationabiliter: Nam ſicut per peccatum homo auertit ſe ab ipſo Deo bono incommutabili, & conuertit ſe ad creaturam corruptibilem per illicitam delectationem peccati: Ità duplex

erit pœna ratione peccati commiſſi: Vna damni, per priuationem ſummi boni, & viſionis Diuinæ eſſentiæ: & per conuerſionem ad creaturam erit pœna ſenſus, ideſt perpetuus cruciatus in igne æterno cum Diabolo, & Angelis eius. (Dup. Malum correſpondet peccato.)

7 De tertio effectu peccati. Amiſſio pulchritudinis. Tertium malum, ſiuè effectus peccati eſt macula, per amiſſionem pulchritudinis: Anima enim hominis iuſti pulcherrima eſt inter omnes creaturas, cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, facta ad imaginem, & ſimilitudinem ipſius Dei: *Ad imaginem, quippe Dei factus eſt homo:* Gen. c. 1. (Gen. c. 1.) quapropter mediante gratia habituali (Pulchritudo animæ.) habet pulchritudinem, nitorem, & ſanctitatem dicente Ierem. in Tre. c. 4. (Ier. in Tre. c. 4.) *Candidiores Niue Nazaræi eius, nitidiores lacte: rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores:* & in Cant. c. 4. (Cant. c. 4.) dicitur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* Vndè: *Iuſti in Regno Dei fulgebunt, ſicut ſol.*

8 Macula peccati, quæ. Quæ quidem pulchritudo animæ amittitur mediante peccato mortali: Nam ſicut gratia habitualis, eſt quædam pulchritudo, nitor, & ſanctitas, ità peccatum mortale vendicat ſibi nomen maculæ quatenus priuat animam hominis peccantis nitore, & pulchritudine gratiæ; ſicut dicit Seraph. Bonau. in Opuſc. (D. Bonau.) plurimis in locis: ſequitur Bonac. (Bonac.) tom. 2. de legib. D. 2. quæſt. 2. p. 2. & ideò Ierem. c. 2. (Ierem. c. 2.) num. 22. dicebat: *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te: quoniam amarum eſt tibi, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem eius apud te: quoniam maculata es: coram me dicit Dominus:* Quod deplorans ipſemet Propheta in Lamen. c. 4. (Lament. c. 4.) dicebat: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus: Et qui vexebantur in Croceis, amplexati ſunt ſtercora: Denigrata eſt enim ſuper carbones vultus eorum, & non ſunt cogniti in plateis:* Hinc D. Bonau. (D. Bona.) in Opuſ. 3. c. 1. Soliloq. loquens cum Anima hominis peccatoris, dicebat: *Vidiſti Anima Chriſtiana, quam gratioſa formata fuiſti per naturam, & ornata per gratiam: Vide nunc quam vitiosè deformata ſis per culpam: Quænam eſt iſta ſubita conuerſio, & repentina mutatio tua? Eras filia Dei hæres Regni Cæleſtis, & pulcherrima inter creaturas, ad imaginem quippe Dei fuiſti condita: Nunc vero per peccatum facta es filia Diaboli, hæres Inferni, & denigrata eſt ſuper carbones facies tua: Inuidia enim Diaboli peccatum in hunc mundum intrauit, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte eius:* Sap. 2. (Sap. 2.) & in Pſalm. 134. (Pſalm. 134.) dicitur: *Similes illi fiant, qui faciunt ea. Heu, heu miſerabilis* (dicit Bern.) (D. Bernard.) *quod Dæmonis imaginem ſuper impoſuiſti ſuper imaginem Dei Memento propter quid vendidiſti decorem tuum: propter quid abieciſti honorem tuum, pro quo tam turpiter fœdaueris vultum tuum: quæ tanta bona pro tali vili pretio vendidiſti? O quam vilis, & deformis* (ait Ieremias cap. 2.) (Ierem. c. 2.) *facta es, iterans vias tuas in peccatis tuis.*

9 De quarto effectu peccati. Opera bona mortificata remanent. Quartum malum, ſiuè Vulnus animæ peccantis eſt: Amiſſio bonorum operum, & meritorium, ante factorum, iuxta illud Ezechielis c. 18. n. 24. (Ezech. c. 18.) dicente Domino: *Si autem auerterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua, & faciet iniquitatem: omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur:* Remanet ergo Anima per peccatum ſpoliata gratia Dei, & virtutibus, ac donis gratuitis infuſis mediante gratia, priuatur inſuper donis Spiritus Sancti, & fructibus eiuſdem: quæ enumerantur ab Apoſtolo ad Galat. cap. 5. (Ad Gala. c. 5.) *Quoniam in maleuolam animam non intrabit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim Sanctus corripietur à ſuperueniente iniquitate,* & vbi non adeſt Spiritus Domini, neque dona ipſius Spiritus inueniri poſſunt, neque fructus ipſius conferuntur: (Dona Spiritus Sancti amittuntur.) Naturalia autem dona, quamuis totaliter non amittantur per peccatum, remanent tamen vulnerata: (Naturalia remanent vulnerata.) nam intellectus obſcuratus remanet: eſt enim pœna peccati obſcurare intellectum pec-

Pſal. 68. Pſal. 30. Iacob. c. 1. Luc. c. 10. Beda.

catoris, ne videat periculoſiſſimum ſtatum, in quo repetitur: *Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua*; Pſalm. 68. Voluntas deprauatur in malum per affectionem ad malitiam: Iraſcibilis potentia infirmatur, iuxta illud Pſalm. 30. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt;* Potentia concupiſcibilis à peccatis fomite exardeſcit in malum, quia: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus, deindè concupiſcentia parit peccatum:* Teſtante Iacobo c. 1. Quapropter omnes vires Animæ, & corporis debilitatæ, & vulneratæ ſunt mediante peccato, iuxta illud, quod legitur in Euang. Luc. 10. *Qui incidit, in latrones, qui deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto:* Qui enim incidit in peccatum mortale ſpoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus; pro vt expoſuit Beda in dicta Ho. Euang. Vndè Dauid dicebat: *Miſer factus ſum, & curuatus ſum, tota die contriſtatus ingrediebar:* ſcilic. propter peccatum.

10 De quinto effectu peccati. Eſt ſterilitas. Opera mortua non reuiuiſcunt.

Quintum vulnus, ſiuè malum, quod recipit anima peccans, eſt ſterilitas, quia non ſolùm omnia bona amittit, ſed fit ſterilis, & infecunda adeò vt nullũ opus bonum, ac meritorium facere poteſt, quod Deo ſit gratum; Imò addunt communiter Theologi, quod dicta opera extra gratiam facta non poſſunt reuiuiſci poſtea quam per pœnitentiam homo peccator in gratiam redeat, cum illa opera dicantur mortua priuatiuè; Nam vt opera noſtra ſint meritoria, neceſsè eſt, vt fiant ab homine, exiſtente in gratia pro vt dicit Sacr. Trid. Conc. ſeſſ. 6. c. 16. ſed opera, quæ fiunt extra gratiam dicũtur mortua priuatiuè, ideò nullo modo poſſint eſſe Deo grata, neque poſſunt reuiuiſci per ſubſequentem gratiam; Dicit enim Apoſt. 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: Non enim poteſt arbor mala fructus bonos facere:* Mat. 16. & ipſemet Dominus in Ioan. c. 15. dixit; *Vos ſine me nihil poteſtis facere;* Cùm ergò peccator ſit extra Dei gratiam nullo modo poteſt mereri, eò quod; Odio ſit Deo impius, & impietas eius, Sap. c. 14. Nam peccatores Deus non exaudit, neque opera illorũ reſpicit; Vndè Dauid dicebat Pſal. 21. *Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.* Et Chriſtus Dominus in Euang. Matt. 7. dicit: *In illa die multi dicent mihi Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; quia numquam noui vos; Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis:* Sic etiam apud Ierem. c. 17. legitur: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum: & à Domino recedit cor eius: Erit enim quaſi myrice in deſerto, & non videbit cum venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto:* Concordant omnes Theologi, vnaniter, dicentes; Opera, quæ fiunt extra gratiam eſſe mortua priuatiuè, neque per pœnitentiam poſſe amplius reuiuiſci; Ità D. Tho. 3. p. q. 86. A. 6. Vaſq. & Suar. ibidem in Commentario; Coninch. d. 2. de Pœnit. lib. 20. nu. 178. Bonac. tom. 1. de pœnit. D. 2. q. 6. ſect. 6. p. 1. nu. 2. & alij communiter.

Conc. Trid. Ad Cor. c. 13. Matt. c. 16. Ioan. c. 15. Sap. 14. Pſal. 21. Matt. c. 7. Ierem. c. 17. D. Thom. Vaſq. Coninch. Bonac.

11 De ſexto effectu peccati. Deprauatio voluntatis in malum.

Sextum Vulnus; eſt Deprauatio voluntatis animæ peccatoris, quæ mediante mortali culpa fit prona ad multiplicanda peccata; Nam ſicut iuſti, mediante gratia, ibunt de virtute in virtutem; Ità peccatores cadunt de peccato in peccatum, quatenus homo peccans, amiſſa ſemel gratia, & timore Dei, & verecundia retrahente à peccato faciliter in aliud prolabitur; pro vt dicit D. Greg. hom. 11. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur ſuo pondere ad aliud trahit:* & Eccl. dicit c. 3. *Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator, adijciet ad peccandum: Nam iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur,* Prou. c. 5. num. 22. *& ipſemet Dominus dixit,* Ioan. c. 8. *Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati,* & in libro Pſalmorum ſcriptum eſt: *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos,* Pſal. 34. & in alio dicitur, *obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* Pſal. 68. quod exponens Incognitus ait: Obſcuratur intellectus peccatorum, vt ſint in tenebris interioribus, ne intelligant periculoſiſſimum ſtatum, in quo ſunt: Et dorſum eorum, ideſt mens, ſeu voluntas eorum incuruetur in malitia, & de vno peccato in aliud cadat: Quapropter ſubiũxit Propheta: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam, deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.*

D. Greg. Eccl. c. 3. Prou. c. 5. Ioan. c. 8. Pſal. 34. Pſal. 68. Incognitus. Pſal. 68.

12 Peccatum, quomodo ſit pœna alterius peccati. Permiſſio Dei in peccatum, quæ ſit.

Quamuis autem peccatum, ſecundum ſe, & formaliter conſideratum, quatenus dicit culpam, non poſſit eſſe pœna alterius peccati, ità vt Deus velit per culpã præcedentem peccatorem prolabi in aliud peccatum, prædeterminando, & impellendo voluntatem eius ad malum eligendum: Nam hoc falſum eſt: Deus enim intentator malorum eſt. Permittit tamen Deus peccatorem cadere in peccatum per ſubtractionem gratiæ, non dando illi auxilia, & ideò: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, deindè concupiſcentia parit peccatum;* Vndè in Pſal. 80. dicitur: *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis:* Permittit ergò Deus in pœnam peccati, quod ipſa voluntas per ſuam malitiam ſe determinet, ſuppoſito generali concurſu cauſæ primæ: pro vt docet Vaſq. in tract. de peccatis, & gratia: Suar. lib. 2. de auxil. & Bonac. to. 2. D. 2. nu. 5. & alij: Et hoc eſt peſſimum malum, quod cauſat peccatum, de quo lamentantur Damnati in Inferno dicentes: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis; in malignitate noſtra, conſumpti ſumus: & iuſtitiæ lumen non luxit in nobis.* Sap. c. 5.

Pſal. 80. Volũtas quomodo ſe prædeterminat ad peccatum. Vaſq. Suar. Bonac. Sap. 5.

13 De ſeptimo effectu peccati. Eſt mors Animæ, & corporis.

Septimum vulnus, ſiuè effectus cauſatus in anima peccante eſt mors, pro vt dicit Apoſt. Ro. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt; ſtipendium enim peccati mors eſt,* non ſolum corporis, verum etiam Animæ, quæ eſt pœna peccati actualis mortiferi, ſecundum illud D. Iacobi in ſua Cano. c. 1. dicentis; *Peccatum cum conſummatum fuerit generat mortem:* Et in Ezech. c. 18. dicitur; *Anima quæ peccauerit ipſa morietur;* Cuius ratio eſt, quia vita ipſius Animæ eſt Deus, qui dat illi eſſe, & viuere per gratiam ipſius inhabitantem; At per peccatum amittitur Dei gratia, & ideò: In quacumque hora peccauerit morte morietur; Vndè Anima peccatoris exiſtimatur tamquam mortua coram Deo.

Ad Rom. c. 5. Iacob. c. 1. Ezech. c. 18.

14 Concluſio.

Habemus itaque ſeptem mala capitalia, in quæ incurrit peccatoris Anima per peccatum mortale, ad quæ cætera omnia mala innumerabilia reducuntur: Quapropter Apoſt. ad Ro. c. 6. dixit. *Quem ergò fructus habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis: nam finis illorum mors eſt;* & ideò rationabiliter dixit Salom. in Eccl. c. 21. *Fili peccaſti, non adijcias iterum: ſed de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quaſi à facie Colubri fuge peccatum, & ſi acceſſeris ad illa ſuſcipient te: Dentes Leonis dentes eius, interficientes Animas hominum: quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas; Memento ergo vndè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris:* Dixit Dominus per Angelum ſuum, vt in Apoc. c. 2. legitur.

Ad Rom. c. 6. Eccleſ. c. 21. Apoc. c. 2.

DE PECCATI MALITIA.

CAP. VI.

1 *An peccati malitia ſit infinita? 1. Opinio.*

PRo huius Tractatus complemento, dicendum aliquid ſupereſt de malitia peccati: An videl. iniuria, quæ Deo fit per mortale peccatum ſit finita, vel infinita? & Ratio dubitandi eſt, quia ſunt multi Theologi, qui dicere videntur: Peccati malitiam eſſe infinitam, eo quod, peccando offenditur Deus ſummè, & infinitè bonus, quod intrinſecè eſt malum: Nam illud eſt infinitè malum, quod eſt infiniti boni deſtructiuum, ſed peccatum mortale eſt deſtructiuum Infiniti boni, cùm per peccatum auertatur homo à ſummo bono, & conuertatur ad creaturam, & ideò peccatum eſt malum infinitô, ergò habet infinitam malitiam, quia includit quandam formalitatem intrinſecam infinitam malitiæ: Ità videntur dicere D. Bona. in 3. ſent. D. 20. quæſt. 3. §. ſed contra; & Ricchar. qu 4. A. 5. Maior D. 14. q. 2. ad 3. dubium, Medina C. de pœnit. tract. 3. q. 1. D. Anſelm. lib. Cur Deus homo c. 21. & D. Thom. 3. part. q. 1. A. 2. ad 2. Qui agnoſcunt quamdam infinitatem in peccato: Verum eſt tamen, quod hi Doctores vidētur ſentire de infinitate extrinſeca, non autem de intrinſeca.

D. Bonau. Riccard. Maior. Medina. D. Anſelm. D. Thom.

2 *2. Opin. Scoti. Peccatum intrinſecè non eſt infinitum formaliter. Vaſqu. Palud. Bonac. 1. Ratio Scoti.*

Scotus autem cum ſuis aſſeclis: in 3. D. 2. qu. Vnica §. Contra etiam: & in 4. D. 15. qu. Vnica §. Quantum adhæc, cum omnibus Scotiſtis, & ſequuntur Vaſqu. in 3. p. D. 2. q. 2. & Paludan. in 3. D. 20. quæſt. 2. A. 3. Concordat Bonacina tom. 2. de legibus D. 2. q. 2. p. 5. cum multis alijs oppoſitum tenent; dicentes: Malitiam peccati, & iniuriam, ſiuè offenſam Dei, quæ in mortali peccato reperitur, nō poſſe eſſe infinitam formaliter, & intrinſecè, ſed finitam: & Ratio eſt manifeſta, quia tanta eſt malitia peccati, & tanta eſt iniuria, ſiuè offenſa Dei, quanta eſt bonitas debita actui. Priuatio enim alicuius formæ commenſuratur formę, cuius eſt priuatio: Sed bonitas debita actui non eſt infinita, ergò peccati malitia, ſiuè iniuria non eſt infinita, ſed finita. Tum quia ſi in peccato eſſet malitia infinita, etiam in actu dilectionis Dei bonitas deberet eſſe infinita intrinſecè, cum actus dilectionis magis circa Deum verſetur, quam actus peccati: Sed falſum eſt in actu dilectionis Dei reperiri infinitam bonitatem: ergò, &c. Tum etiam, quia grauitas, & iniuria offenſæ deſumitur ex maiori, vel minori cognitione circa perſonam, cui fit iniuria: Sed Deus non poteſt à nobis infinito modo cognoſci, ergò non poteſt modo infinito offendi, & iniuria infinita affici, ergò grauitas iniuriæ, & offenſæ in peccato non eſt intrinſecè infinita.

2. Ratio.

3. Ratio.

3 *Confirmatur rationes Scoti.*

Et confirmatur: Quia ſi peccatum eſſet infinitum, quatenus, priuat nos à Deo, vt ipſius offenſiuum, ſequeretur, quod charitas, vel contritio, quæ nos iterum Deo coniungit deberet eſſe infinita formaliter, quod eſt, pluſquam falſum: Tunc enim non daretur alius alio Sanctior, neque in domo Dei eſſent multæ manſiones, conſequentia eſt manifeſta, quia tanta eſt conuerſio in Deum, quanta prior fuit auerſio, ergò, tantæ virtutis debet eſſe, quæ nos Deo coniungit, quantæ malitiæ fuit peccatum, quod à Deo nos auertit.

4 *2. Confirmatio. Infinitum in eodem genere excedi nō poteſt.*

Confirmatur 2. quia: Si malitia, & iniuria in peccato eſſet infinita, ſequeretur omnia peccata eſſe æqualia, cùm vnum infinitum, non ſit maius alio; Non enim infinito datur infinitiuus in eodē genere ſecundùm omnes Philoſophos: ergò iniuria, ſeù offenſio Dei, facta per peccatum non poteſt eſſe infinita, ergò intrinſecè, & formaliter eſt finita.

5 *Notandum. Tria conſiderantur in peccato. 1. Auerſio à Deo.*

Notandum autem (pro maiori intelligentia doctrinæ Scoti:) In peccato mortali tria poſſe conſiderari: Primùm auerſio à bono incommutabili, ſecūdùm conuerſio ad Creaturam: & tertium vt eſt offenſiuum Dei propter iniuriam Deo factam, mediante ipſo peccato.

6 *Peccatum nō priuat nos à Deo immediatè, ſed mediatè.*

Primò modo peccatum non priuat nos à Deo immediatè, ſed mediatè, non enim priuat nos ab ipſo Deo, à quo auertimur, tāquam forma oppoſita: Nam peccatum non opponitur, Deo, tamquam forma formaliter oppoſita, vel qualitas, cui opponitur: Deus enim non eſt qualitas: Priuat ergo peccatum nos gratia, & charitate formaliter, cui formaliter opponitur, tamquam habitui oppoſito, quæ formaliter in nobis ſunt finitæ entitatis: Eſt autem charitas: & gratia quoddam ligamen, quod vnit nos Deo, & quoddam glutin ſupernaturale, quo Deo aglutinamur, & vnimur, tamquam proprio: & vltimo fini noſtro. Itáque immediatè, & formaliter priuat nos iſto ligamine: mediatè verò priuat nos a Deo, cui tanquam vltimo fini ligabamur: Et ſic priuat nos, non tanquam forma oppoſita ipſi Deo immediatè, ſed mediatè, vt dixi, & ideò, vt ſic, non poteſt eſſe infinitum. ergò, &c.

Gratia eſt ligamen. quod vnit nos Deo.

7 *2. Vt eſt conuerſio ad creaturas.*

Secundò modo, pro vt eſt conuerſio ad creaturam, neque poteſt eſſe infinitum, quia talis conuerſio eſt ſimpliciter finita, & licèt per hanc conuerſionem ad creaturam priuet nos peccatum ſimilitudine Deifica per amiſſionem gratiæ (licèt enim aſſimilemur illis, quæ diligimus) ſecundùm illud Oſeæ cap. 9. nu. 10. *Abominabiles facti ſunt, ſicut ea, quæ dilexerunt*: Non tamen indè ſequitur, peccati malitiam eſſe infinitam cum talis ſimilitudo, & gratia in nobis ſint finitæ entitatis, ergò, &c.

Oſea c. 9.

8 *3. Vt eſt offenſiuum Dei. Peccatum nō eſt contra iuſtitiam ſpecialem. Eſt contra Diuinū præceptum.*

Si verò conſideretur 3. modo, quatenus eſt offenſiuum Dei: Et tunc etiam dicimus, vt ſic, neque poſſe eſſe infinitum, quia peccatum non eſt cōtra iuſtitiam ſpecialem, ſicut fit inter homines, quandò quis offendit alium hominem in bonis, famæ corporis, & fortunæ tenetur ad reſtitutionem: Quandò autem inferior: E.g. facit contra præceptum ſuperioris, peccat quidem contra præceptum, non verò contra iuſtitiam: Hinc eſt, quod re vera peccata contra Deum ſunt offenſiua ipſius, quatenus tranſgrediuntur præcepta ipſius, non autem cōtra iuſtitiam: quia per peccatum non priuatur Deus Gloria, & Beatitudine aliquo pacto cum ſemper in ſe Beatiſſimus ſit. Licèt enim quandò quis aliquem iniuriando offendit, peccet magis, ac minus, ſecundùm quod dignior eſt perſona offenſa, & creſcit iniuria, ſecundùm quod creſcit dignitas perſonæ offenſæ: Et Ratio huius eſt, quia re vera læditur fama, & tollitur honor perſonæ offenſæ: quandò autem fit contra præceptum, non dicitur vniuocè, & ſimpliciter creſcere peccatum, ſecundùm dignitatem præcipientis, ſed tantùm eſſe contra legem: ergò peccatum quomodocumque conſideretur, non poteſt eſſe eius malitia intrinſecè, & formaliter infinita, ſed finita, & tanta quantus eſt habitus oppoſitus, quo priuat, ſicut tanta eſt cæcitas, quanta eſt viſio, qua priuat.

Peccatum non priuat Deum gloria.

Concluſio.

9 *Obiectio contrariorum.*

Nec valet argumentum contrariorum, dicentium: Peccatum mortale punitur in Inferno pœna infinita, ergò iniuria, & offenſio Dei fuit infinita, aliter Deus non eſſet iuſtus iudex.

Solutio. Non dantur gradus infiniti pęnę intenſiuè. Mala voluntas ardet in Inferno æternaliter. D. Gregorius.

Reſpondetur. Negando antecedens: Non enim peccatum punitur pœna infinita intrinſecè, & formaliter, quia non dantur gradus infiniti pœnæ intrinſecè, in duratione: & ratio eſt, quia: Mala voluntas dānatorum eſt oſtinata in malum, quæ ſecundùm D. Gregorium *eſt materia, & pabulum, quibus cibatur ignis in Inferno*: quia ergò illa ſemper durat oſtinatè in malum,

malum, & ideò ſemper durat ignis, puniens in æternum; non autem pœna eſt infinita, ſed æterna, vt dixi in duratione.

10 Vndè ad Doctores pro prima opinione poſitos, dicimus, quod, Si intelligant; Peccatum dici infinitum extrinſecè, obiectiuè, & terminatiuè, quatenus eſt offenſiuum infiniti, poſſumus aliquo modo cum illis concordare, (quod ità credo voluiſſe dicere D. Tho. & D. Bona. cum alijs in prima opinione) Intrinſecè tamen, & formaliter, eſt finitum; Verum eſt tamen, quod eſt ordinis ſuperioris iſta finitas, ità vt neque aliquis poſſet ſatisfacere pro ſua culpa mortali, niſi per Christi Domini merita, ſecundùm Diuinam miſericordiam & pietatem; Sic etiam Viſio beatifica obiectiuè eſt infinita, extrinſecè tamen, quatenus eſt de obiecto infinito; Intrinſecè tamen, & formaliter eſt finita; Vndè datur, & minor, & maior in Beatis.

Satisfit Doctoribus in 1. opinione. Peccatum dici poteſt infinitum obiectiuè, & extrinſecè.

Viſio Beatifica intrinſeca, & extrinſeca finita, & infinita.

Et hæc de peccatis, quatenus ſunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, non quidem amplectanda, ſed reijcienda per actum contritionis, confeſſionis, ac ſatisfactionis; quæ ſunt partes Sacramenti, tanquam materia proxima; ſupra quæ fundatur abſolutio Sacramentalis, de quibus omnibus ſingillatim dicendum eſt in ſequentibus.

TRACTATVS XX.

De Sacramentis.

Et de Contritione. Tract. III.

PROOEMIVM.

Remota iam Pœnitentia Sacramenti expedita materia; Rectus doctrina petit ordo, vt de proxima ipſius materia, quæ neceſſaria ſunt dicamus; Eſt autem materia proxima ipſius actus pœnitentis, in quos abſolutio Sacramentalis cadere debet; qui ſunt Contritio, & Confeſſio, & ſatisfactio, qui quidem actus ad Sacramenti integram perfectionem in pœnitente ad peccatorum remiſſionem ex Dei Omnipotentis inſtitutione copulatiuè requiruntur iuxta doctrinam Sacri Concilij Tridentini: ſeſſ. 14. cap. 3. dicentis: Sicut tribus modis Deum offendimus, cogitatione, loquutione, & opere; vt contraria contrarijs curentur; Delectationi cogitationis opponitur contritio, locutioni Confeſſio, Delectationi operis ſatisfactio; *Quapropter D. ait Chryſoſtomus.* Perfecta pœnitentia cogit peccatorum omnia libenter ſufferre; In corde eius contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas, ideſt ſatisfactio, ac toleratio punitionis: hæc eſt fructifera pœnitentia. *pro vt refertur in Sacris Canonibus cap. Perfecta de Pœnit. D. 1. Nam, vt Doctor, ait Toletus:* Peccatum contritum, confeſſum, & ſatisfactum eſt Sacramenti huius propinqua materia. *Quapropter de tribus iſtis partibus per ſe accuratè eſt agendum: ac primo de Contritione; de qua primò de eius Quiditate. Secundo de Materia. Tertiò de Quantitate, & Qualitate ipſius; Quartò de Neceſſitate: Quintò de Effectibus: & tandem Sexto de Attritione, quæ etiam Contritio imperfecta dici ſolet, quæ neceſſaria ſunt explicabimus.*

Concil. Tri.

Io. Chryſoſt. Hom. de Pœnit.

C. Perfecta de Pœn. D. 1. Tolet. in ſū. l. 1. c. 4. nu. 2. Diuiſio trac.

DE CONTRITIONIS, ETIMOLOGIA, *Significatione, ac Definitione.*

CAP. I.

Contritio deriuatur à verbo contero, quod ſignificat aliquod comminuere, & totaliter frangere, ac quaſi in puluerem aliquid reducere. Vndè contritio in præſenti propriè ſignificat: Cor habere tritum, & quaſi in puluerem redactum: vt colligitur ex Catech. Rom. pag. 303. & ex Sylu. Verb. Contritio. num. 1. Eſt autem huius vocis metaphora ex eo, quod ſicut lapis durus, dum cōteritur in minutiſſimas partes diuiditur, ſic cor hominis obduratum per peccatum, dum conteritur humili deteſtatione peccati emolitur, & quaſi in puluerem reducitur, ſecundùm illud Ezech. cap. 11. Dicente Domino: *Auferam à vobis cor lapideum:* Videlicet obduratum per peccatum, *& dabo vobis cor carneum:* Videlicet ſciſſum à peccato, & emolitum per contritionem: At quia in Sacris litteris nomine cordis Voluntas hominis deſignatur, eò quod ſicut Cor initium eſt corporei motus, ita Voluntas eſt omnium potentiarum motrix: Quapropter rectiſſimè peccatorum perfecta deteſtatio Contritio cordis eſt appellata: Contritio enim ſi attentè conſideretur, idem eſt, quod afflictio cordis, qua Cor miſerum maceratur, & reſoluitur; Ità Soto in 4. D. 17. A. 1. & Suarez tomo 4. de Pœnitentia D. 4. ſect. 1.

1 Etymologia contritionis.

Catech. Rō. Sylu. Metaphora.

Ezech. c. 11. Cor accipatur pro voluntate. Cor eſt principium vitæ.

Voluntas eſt omnium potentiarum motrix.

Soto. Suar.

Sed Notandum, quod Contritio varijs multiſque modis à Sanctis Patribus eſt appellata; apud enim Chryſoſt. & Auguſt. lib. de compunct. cordis dicitur: *Compunctio,* iuxta Dauidicum illud Pſalm. 4. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* & hoc ex duplici metaphora: Vel quia ſicut Cirugicus ferro pungit apoſtæma, vt virus exeat, ità dolore, pungitur Cor, vt peccati venenum exeat mortiferum; Vel ſicut Equus infixus in luto, adhibito calcari ſurgit, ſic etiam homo à peccato mortali. Dicitur etiam: *Sciſſio cordis.* Secundùm illud Ioelis cap. 2. dicentis; *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra:* Nō nunquam dicitur: *Mentis renouatio;* aliquandò: *Hominis humiliatio:* apud aliquos etiam dicitur; *Reuerſio, ſiuè Conuerſio:* nam ſicut peccando auertimur à Deo, ità per contritionem reuertimur ad ipſum; Legite Vnald, in Candel. Aur. de Contrit. numer. 7. Graff. p. deciſio. libr. 1. cap. 7. Soto in 4. D. 17. A. 1. concl. 3.

2 Cōtritio varijs nominibus eſt appellata. Compunctio cordis à Chryſoſt. & Auguſt. Dup. metaphora.

Sciſſio cordis. Ioel c. 2. Mentis renouatio. Hominis humiliatio. Conuerſio. Candelab. Aureum. Graff. Soto.

Contritio autem Duplex eſt: Vna dicitur: Perfecta, altera Imperfecta.; Contritio perfecta eſt illa, qua purè, & principaliter de peccatis noſtris dolemus, quatenus ſunt offenſa Dei, licèt etiam ſecundariò propter alium reſpectum etiam de illis doleamus non obuiat contritioni, vt benè notauit Nauarr. cap. 1. nu. 8. Contritio Imperfecta, quæ à Theologis dicitur; Informis, eò quod ſecundùm ſe, ſit abſque gratia: Communiter autem dicitur; Attritio, & eſt illa, quæ licèt propter ipſum Deum dolorem de peccatis commiſſis concipiamus, non tamen ità feruidè, & perfectè, ſuper omnia ipſum diligimus, ſicut in perfecta contritione.

3 Contritio dup. Perfecta, & Imperfecta. Nauar.

Attritio quæ.

Quapropter inter contritionem, & attritionem in rebus materialibus hoc intereſt, quod frangi, ſiuè atteri dicitur, quandò aliquod in magnas partes diuiditur; Sed comminui, vel conteri, quandò in minutiſſimas reducitur partes, quod in ſe erat ſolidū; Vndè vocamus contritionē illam perfectam peccati deteſtationem, & quaſi in puluerem reductionem veteris hominis cū actibus ſuis, iuxta illud Iſa. c. 30. dicentis: *Et comminuetur quemadmodum conteritur lagena figuli contritione perualida vt non inuenietur de fragmentis eius teſta,*

4 Differentia inter contriti, & Attritio.

Iſaia c. 30.

Digitized by Google

teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut haurietur parum aqua. Sic in ſpiritualibus homo perſeuerans in peccato, in ſenſu ſuo, dicitur rigidus, & durus, quandò verò propter ſpeciale Dei auxilium perfectè conteritur, adeo vt nulla aff.ctio remaneat ad illud, ſed ita vetus cor conteritur, vt nihil inueniat Diabolus in eo, vbi ponat igniculum praui deſiderij, aut nec modicum aquæ, ideſt noxiæ voluptatis huius mundi, & tunc dicitur Contritus, ideſt perfectè tritus.

5 Contritio informis, ſiuè Attritio quæ.

5 Quandò verò imperfectè deteſtatur peccatum, non tanquam Dei offenſam principaliter, ſed propter Inferni pœnas fugiendas, aut huiuſmodi: deteſtatio illa, quia non ſufficit eradicare peccatum de corde hominis, dicitur: Attritio, ſiuè contritio informis, ideſt non informata per gratiam, & ideò appellatur: Contritio imperfecta: pro vt docent D. Tho. in 4. d. 17. q. 2. A. 1. & Soto ibi: De qua contritione imperfecta poſtea loco ſuo in vl.imo capitulo huius tractatus ſpecialiter eſt agendum.

D. Thom. Soto.

6 Contritio ità definitur à Magiſtro.

6 Contritio perfecta multifariam, multiſque modis à Doctoribus definiri. ſeù deſcribi ſolet. Primò enim à Magiſt. in 4. D. 17. cap. 2. ſic definitur: *Contritio eſt dolor de peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi*. Ex quò enim proponit peccator, mente compunta, ſe confeſſurum, Deus dimittit illi peccata commiſſa: iuxtà illud Pſalm. 13. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; Ità etiã ſimiliter omnes ferè Theologi in eodem loco, ſequendo Magiſtrum definiunt, quibuſdam verbis additis, ſiuè accõmodatis, ſic etiam Toletus in ſum. lib. 5. c. 4. Sylu. Angel. & Tabien. in verb. contritio.

Pſalm. 13. Tolet. Syluest. Angelus. Tabien.

7 Definitio cõtritionis tradita à Trid.

7 Sed inter omnes prætermittenda non eſt illa, quam tradidit Concilium Triden. ſeſſ. 14. cap. 3. dicens: *Contritio eſt animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo cũ propoſito non peccandi de cætero*: ità etiam ſimiliter ab aliis Doctoribus deſcribi ſolet.

8 Definitio tradita à Nau.

8 Doctor tandem Nauarrus in manu. cap. 1. num. 2. latiſſimè, & clariſſimè ipſam contritionem definit dicens: *Contritio eſt pœnitudo voluntaria, cum dolore maximo actuali, vel virtuali, peccati proprij iam commiſſi. quatenus eſt offenſa Dei, ſuper omnia dilecti, cum ſpe veniæ, & propoſito non peccandi amplius, ſaltem mortaliter, & confitendi, & ſatisfaciendi (vt minimum) virtuali*: Quæ definitio optima eſt, continet enim omnes eſſentiales partes, quæ requiruntur ad cõtritionem perfectam, quæ definitio ab ipſomet Doctore in eodem capitulo pleniſſimè explicata eſt: Nos verò ex eis, quæ dixit Nauarrus, alijque Doctores ſex conditiones, ad eamdem contritionem pertinentes, ex eadem definitione collectas explicabimus: pro perfecta cognitione ipſius quiditatis.

Sex conditiones requiruntur ad contritionem perfectam.

9 De prima cõditione, quæ eſt Pœnitudo.

9 Dicitur ergò Primò, *Contritio eſt pœnitudo*, quia peccator, cupiens peccatorum ſuorum à Domino remiſſionem obtinere, oportet primò vt ſe illorum pœniteat, aliter enim non poterit redire in gratiam Dei, eò quod ſicut peccans auerſus eſt ab incommutabili bono, conuertendo ſe ad creaturas, ſic neceſſè eſt, vt abhorreat peccatum, & cõuertatur ad ipſum Deum; quàpropter neceſſè eſt, vt peccata commiſſa, & committenda ſuper omnia abhorreat, & deteſtetur, & animi dolore dicere: (*Pœnitet me peccaſſe*) & talis deteſtatio propriè dicitur; Pœnitudo: & quamuis alii dicant: Contritionem eſſe dolorem, alij, pudorem, alij, peccatorum deteſtationem, alij, Charitatem, & alij aliud ipſa tamen, quò ad ſuam eſſentiam propriè eſt pœnitudo, ideſt: actus pœnitendi, ſeu nolendi peccaſſe: quàpropter rectè à Nauarro dicitur: Contritio eſt pœnitudo, cùm pœnitudo ſit proprium genus contritionis. Omnis enim contritio eſt pœnitudo, ſed non è contra: Ità Caiet. tom. 1. opuſc. 4. q. 1.

Pœnitudo eſt proprium genus conditionis.

Caiet.

10 De ſecunda conditione Voluntaria. Contritio debet eſſe actus virtutis.

Secunda conditio eſt, quod talis pœnitudo debet eſſe *voluntaria*, proueniens ex libera voluntate: non 10
enim contritio debet eſſe actus neceſſitatis, ſed actus virtutis: quàpropter pœnitentia, violenta, qualis eſt illa damnatorum, non ſufficit, neque illa, quæ repentè, ac naturaliter, ſine vlla deliberatione prouenit, quia huiuſmodi non eſt voluntaria: Nam contritio debet eſſe virtutis actus ſpontaneus, ac ſupernaturalis, qui in noſtra ſit poteſtate, poſito tamen Diuino auxilio: & ideò voluntariè peccator pœnitere debet, ſicut voluntariè peccauit: vt eſt doctrina Scoti in 4. D. 17. A. 1. q. 3.

Scotus.

11 De tertia cõditione cum dolore. Scotus. Dolor ſenſitiuus non eſt neceſſarius, ſed rationalis.

Tertia conditio eſt, quod ſit cum dolore ideſt diſplicentia: Contritio enim in hac vita ſine animi do- 11
lore eſſe non poteſt, cùm deteſtatio ipſa ſit cauſa doloris; pro vt dicit Scotus in 4. D. 17. A. 1. Concl. 2. iuxta definitionem illam Concil. Trid. dicentis: *Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio peccati commiſſi*: Sed hic eſt aduertendum, quod ſenſitiuus dolor, vt ſunt ſingultus, plantus, lacrymæ, & ſuſpiria, & id genus alia non ſunt ad contritionem neceſſaria, pro vt notauit Nauar. ſupra num. 20. ſufficit enim dolor voluntatis rationalis, ex pœnitudine manans: & Ratio huius eſt, quia dolor ſenſus non eſt in manu noſtra, licèt vtile ſit ipſum habere: Si poſſit.

Nauar.

12 Beati in Cœlo habent cõtritionem ſine dolore. Nauar. D. Thom.

Dicitur etiam: *Cum dolore*, ad differentiam illius 12
perfectæ contritionis, quam habent Beati in Cœlo, qui ſine vllo dolore ſuorum commiſſorum peccatorum meminerunt, & illa nollent commiſiſſe: quod aduertit Nauar. d. cap. 1. nu. 3. & D. Tho. in 4. D. 17. qu. 2. A. 5.

13 Dolor maximus appretiatiuè non intenſiuè.

Illud autem, quod dicitur: Dolorem: debere eſſe 13
maximum, intelligendum eſt appretiatiuè, non quidem quò ad intenſionem, ſed quò ad exiſtimationem, ideſt, quod malit perpeſſum fuiſſe omnia mala, quàm mortiferè peccaſſe, Verum eſt tamen, non debere comparationem ad mala temporalia ſpecialiter facere, ſed ſufficere in genere hanc voluntatem habere: ſecundùm Toler. lib. 3. c. 4. nu. 2.

Toletus.

14 Sufficit dolor virtualis.

Nota ſecundò. Sufficere dolorem iſtum eſſe virtua- 14
lem, quandò defectus temporis, aut inculpata conſideratio peccatorum fuit in cauſa: quominus formaliter pœniteret: Qualis eſt actus peccatoris, quo propter Dei amorem vult ſubire martyrium, ſibi oblatum repentè abſque ſuorum memoria peccatorum, ſecundùm Scotum in 4. D. 14. quæſt. 1. Nam ſecũdùm Theologorum ſententiam; Verus amor Dei, eſt contritio virtualis, Et hoc credo voluiſſe dicere Bonacinam tom. 1. de Pœnit. D. 5. qu. 5. p. 1. dicendo: *Contritionem eſſe actum charitatis, quo quis deteſtatur peccata, quatenus, ſunt offenſa Dei*. Nam amor Dei eſt perfecta contritio: pro vt dicit Ioan. Medina C. de Pœnit. qu. 2. & alii communiter.

Scotus. Amor Dei eſt virtualis contritio. Bonac. Io. Medina.

15 De quarta conditione. Quatenus eſt offenſa Dei.

Conditio 4. (*quatenus eſt offenſa Dei*) non enim ſuffi- 15
cit dolor peccati proprij iam commiſſi propter quemcumque motiuum, ſed principaliter debet eſſe, propter Deum: Nam ad perfectam contritionem neceſſariò requiritur, quod talis dolor ſit maximus propter offenſam factam ipſi Deo: Vndè quandò quis alio reſpectu, puta, metu pœnæ Inferni, infamiæ, & ſimilium principaliter pœniteret, non eſſet verè, & perfectè contritus, niſi principaliter doleat propter offenſam Dei. Et ratio huius eſt, quia actus perfectus Charitatis eſt diligere Deum ſuper omnia appretiatiuè, vt pro eius amore, & mandatorum obſeruantia poſtponantur omnia temporalia bona quæcumque ſint illa.

16 Super omnia dilecti.

Ideò additur (*ſuper omnia dilecti*) quia niſi amor 16
Dei ſit ſuper omnia, ſaltem quò ad exiſtimationem,

non

Digitized by Google

Graff. Sine Dei amore nemo vnquã gratiam inuenit. D. Auguſt. Luc. c. 7.

non ſufficit, quò ad veram contritionem: cùm contritio ſit actus perfectus Charitatis vt dicit Graff. tom. 1. deciſ. lib. 1. cap. 3. num. 7. & alij, Quod ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. colligitur, & D. Auguſt. libr. de vera, & falſa pœnitentia cap. 9. & 17. dicit: *Sine amore nemo vnquam gratiam inuenit, neque veniam aſſequutus eſt.* Et ideò in Euang. Luc. cap. 7. quamuis Maria Magdalena, & amauerit, & doluerit, nihilominus amori tribuitur peccatorum remiſſio, dicente Domino: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ergò non poteſt dici Vera cõtritio, niſi peccata principaliter deteſtentur propter Deum ſummè dilectum, in qua dilectione conſiſtit vera contritio.

17 Cum ſpe veniæ. Spes veniæ eſt neceſſaria. Graff. Ad Hebr. c. 11.

Additur etiam in definitione (*cum ſpe veniæ obtinendæ*) quia ſine iſta ſpe, ſaltem virtualiter nõ datur peccatorum venia: & Ratio eſt, quia ſi peccatum infidelitatis in ipſo actu committatur, nec contritio, nec confeſſio eſſet vera. Ità Graff. d. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 3. Vndè in Trid. ſeſſ. 6. c. 6. refertur ſcriptura illa Apoſt. ad Hebr. cap. 11. vbi dicitur; *Accedentes ad Deũ oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* ergò ſpes veniæ eſt ad contritionem neceſſaria: Quàpropter dixit Dominus cuidam peccatori: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. capit. 9.

Matt. c. 9.

18 De quinta Conditione cum propoſito non peccandi de cætero. Conc. Trid. Ratio neceſſitatis illius conditionis.

Conditio quinta eſt, quod ſit (*cum propoſito non peccandi de cætero, ſaltem mortaliter*) nam ſi aliquis, quamuis doluerit de peccatis commiſſis, & non haberet firmum propoſitum amplius non peccandi non verè contritus eſſe dici poteſt: vt patet per Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. dicens: *Ad veram contritionem requiri dolorem de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero*, & vnum ſine altero nihil valere: cuius Ratio præcipua eſt: quia non poteſt eſſe vera pœnitentia ſine charitate, neque hæc poteſt eſſe, & haberi, niſi in omnibus Deo placeamus, ſed Deo placere non poſſumus, niſi propoſitum amplius non peccandi habeamus, ergò propoſitum non peccandi de cætero eſt de neceſſitate contritionis. Ità Soto in 4. D. 17. quæſt. 2. A. 1. Bonacin. tomo 1. de Pœnitent. D. 5. quæſt. 5. ſectio. 1. p. 8. Nauarr. in manu. cap. 1. num. 9. & omnes communiter.

Soto. Bonac. Nauar.

19 Difficultas. An tale propoſitum debeat eſſe formale? 1. Sententia.

Sed difficultas eſt: An tale propoſitum debeat eſſe formale, vel ſufficiat virtuale: Nam multi ſunt DD. aſſerentes ſufficere propoſitum virtuale, quod in efficaci, & perfecta deteſtatione includitur: Dari enim poteſt caſus, vt quis deteſtetur peccata, nihil aduertens ad futuram vitam, & tamen iſte talis dici poteſt verè contritus, ergò ſufficit, tale propoſitum eſſe implicitum: Ità exiſtimant Medina C. de Pœnit. tract. 1. quæſt. 3. Gregor. de Valent. tom. 4. D. 7. quæſt. 8. p. 6. Soto in 4. D. 17. q. 1. A. 2. Bellarm. lib. 2. de Pœnit. ca. 6. & 7. Petr. à Soto lect. 17. de Pœnit. Reginald. libro 5. num. 8. quibus etiam videtur fauere Nauar. in cap. Conſideret de Pœnit. D. 5. & Bonac. tomo 1. de Pœnitent. D. 5. qu. 5. ſect. 1. p. 8. probabilem exiſtimat opinionem iſtam maximè, quia Concil. Trid. non diſtinguit expreſsè inter propoſitum formale, vel virtuale: Verum eſt tamen, quod probabilius eſt, & ſecurius, & magis Concil. Trid. conſonum, quod tale propoſitum debeat eſſe formale: Ideò nos ſecundam tenendo opinionem hanc concluſionem, tanquam ſecuriorem, & probabiliorem ſtatuimus, dicentes:

Medina. Valentia. Soto. Bellarm. Petrus de Soto. Reginal. Nauar. Bonac. 2. Sententia.

20 Concluſio. Probatur 1. ex ſcriptura.

Propoſitum non peccandi amplius, ſaltem mortaliter debet eſſe formale in actu veræ contritionis, quia ſicut dolor, & deteſtatio debet eſſe actualis, ſic etiam & propoſitum: quia ponitur in eadem definitione: Patet autem noſtra concluſio ex multis locis ſacræ ſcripturæ. Vbi quandò agitur de pœnitentia ſemper fit mentio nouæ vitæ, ad quam faciendam requiritur formale propoſitum non peccandi amplius: Vndè dixit Dominus mulieri illi adulteræ: Ioan. cap. 8. *Vade, & noli amplius peccare*: ſic etiam in Ezech. c. 18. & 33. Apoc. cap. 2. & Iſa. cap. 1. expreſsè dicitur: *Quieſcite peruersè agere, & diſcite benefacere*: ideſt per propoſitum formale, &c.

Ioan. Euang. c. 8. Ezech. c. 18. Apoc. c. 2. Iſaiae. 1.

21 2. Probatur ex Cõc. Tri. ſeſſ. 6. c. 6. Seſ. 14. c. 4.

Probatur ſecundò ex Concil. Triden. ſeſſ. 6. capit. 6. vbi in diſpoſitione ad gratiam hoc propoſitum non peccandi, & inchoandi nouam vitam, vt diſtinctum ab amore, & deteſtatione peccati ponitur: & ſeſſ. 14. cap. 4. concluditur: *Contritionem eſſe deteſtationem cum propoſito non peccandi amplius*: Nomine autem propoſiti, actualem intentionem ſeruãdi legem Dei ſonat: Cùm enim pœnitentia ſit vitæ mutatio, non minus requirit propoſitum futuræ vitæ, quàm deteſtationem præteritæ vitæ: Ità docent Soto in 4. D. 17. qu. 2. A. 1. Chamer. lib. de Sacramentis tract. de contrit. nu. 1. Henriq. lib. 4. c. 24. nu. 2. Suarez to. 4. de Pœnit. d. 4. ſect. 3. num. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 6. cap. 7. qu. 5. nu. 176. & alij ab ipſis citati.

Soto. Chamer. Henriq. Suar. Filliuc.

22 3. Probatur ratione.

Probatur tertiò. Ratione, ità. Ad perfectam, & vltimam diſpoſitionem ad gratiam requiritur contritio, ſed propoſitum vitandi peccata requiritur ad vltimam, & perfectam diſpoſitionem gratiæ, ergò propoſitum vitandi peccata requiritur ad contritionem: probatur minor, quia omnis diſpoſitio ad gratiam debet eſſe per conuerſionem perfectam voluntatis: Non conuertitur autem perfectè per ſolùm receſſum à malo niſi etiam conuertatur ad bonum, quod fit per formale propoſitum non peccandi: ergò, & cæter. Quod autem hoc propoſitum debeat eſſe formale: probabilius tenent Bonacina, & Suarez, locis citatis cum alijs.

Bonac.

23 Notandum 1. Quandò tale propoſitum eſt neceſſarium. Aliquando non eſt neceſſarium.

Notandum autem: Tale propoſitum formale vitandi, &c. neceſſarium eſſe, quandò pœnitens habet aliquod tempus vitæ præſentis: Nam ſi in ipſo mortis articulo pœnitentiam agat, non eſt ratio, propter quam de propoſito vitæ futuræ ſit ſollicitus, neque obligandus eſt ad habendum tale propoſitum ſub cõditione: Si vixero, &cet. quia iſti actus conditionales circa futura per ſe, & abſolutè non ſunt neceſſarij ad ſalutem, vt benè aduertit Suarez d. D. 4. ſect. 3.

Suar.

24 Notandum. Limitatur concluſio.

Notandum ſecundò. Noſtram concluſionem non habere locum, quandò pœnitens perfectè conteritur, & propter defectum temporis, vel propter perfectũ, & obedientialem Dei amorem, in quo adiuncta eſt voluntas placendi Deo in omnibus, eiuſque adimplendæ voluntatis: Tunc enim Voluntas illa eſt ſufficiens propoſitum non peccandi: Quandò autem talis amor Dei non eſt huiuſmodi: debet facere propoſitum formale: vt ſupra dictum eſt.

Notandũ 3.

25 Notandum tertiò quod: Quandò propter defectũ temporis, ſiuè conſiderationis propoſitum vitandi contineatur in ipſo actu contritionis: tunc non eſt de eſſentia, vt formaliter talis actus ſit diſtinctus à deteſtatione perfecta: cùm in vnico actu pœnitens habere poſſet: Vndè Dauid tantùm dixit: *Peccaui Domine*, & ſubito audiuit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: lib. 2. Reg. in cap. 12. num. 13. Et ità intelligendi ſunt Doctores in prima opinione poſiti, quod benè aduertit Nauarr. d. cap. 1. num. 11. quandò dixit: Quod intelligo, quandò defectus temporis, vel quædam inculpabilis inconſideratio fuit in cauſa, quominus haberet formale propoſitum: Sic etiam dicit Suarez: vbi ſupra num. 6. & Bonacina loco ſupra citato.

Lib. 2. Reg. c. 12. Nauar. Suar. Bonac.

26 Notãdum 4. Credere, ſe amplius non peccaturum non eſt neceſſe.

Notandum 4. Non opus eſſe, quod pœnitens credat ſe amplius non eſſe mortaliter peccaturum, ſed ſufficere habere propoſitum, & voluntatem non amplius peccandi: & Ratio eſt, quia contritionis actus ſubſt-

ſubſiſtere poteſt, etiam ſi pœnitens non exiſtimet ſe amplius non eſſe peccaturum: poterit enim deteſtari peccata ſuper omnia deteſtabilia cum propoſito amplius Deum non offendendi, licèt timeat propter ſuā fragilitatem iterum cadendi in peccatum; Tum quia credere ſe non amplius eſſe peccaturum ſapit quandam ſuperbiam: Satis ergò eſt, quod nolit amplius peccare, & proponat id facere ope Diuina adiutus: Nam facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat auxilium ſuum; pro vt aduertit Nauarr. d.cap.1.num.9. & Toletus lib.8. cap.4. num.2.& Bonac. d.tom. 4. D. 5. qu.5.ſect.1. p.8. num. 3. & Suarez d. D. 5. ſectio. 3. numer. 5.

Nauar.
Tolet.
Bonac.
Suar.

27 Vltima tandem, & ſexta conditio eſt, quod ſit (*cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.*) Et quamuis tale propoſitum ante legem gratiæ non fuiſſet neceſſariū ad contritionem perfectam: Nam ante Sacramenti huius inſtitutionem abſque tali propoſito confitendi Sacerdoti peccata remittebantur, vt remiſſa fuerunt peccata, Dauidis, Mariæ Magdalenę, & Petri: Poſtquam autem inſtitutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ, propoſitum confitendi tempore debito, & ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ eſt ad contritionem neceſſarium, quia hodiè adeſt præceptum Domini de confeſſione Sacramentali facienda. Quapropter qui tale propoſitum non haberet remiſſionem peccatorum non obtineret, quia in caſu non eſſet verè contritus, cum contritio includat confeſſionem ſaltem in voto: pro vt dicit Soto in 4. D.17. q.2.A.1. concordant Nauar. d.c.1. num.10.& Toletus d.lib.3.cap.4. nu.3.cum alijs communiter.

De ſexta conditione cum propoſito confitendi.
Quando neceſſarium fuit tale propoſitum.
Soto.
Nauarr.
Tolet.

28 Verùm eſt tamen, quod tale propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi ſufficit, quod ſit virtuale, pro vt dixerunt Tolet. & Soto loc. ſupr.citat. A.3.§. finali: Vbi dicit: Tale propoſitum non oportere eſſe expreſſum in illo momento, quo homo conteritur, ſed ſatis eſſe habere propoſitum confitendi tempore debito, quod etiam dicit Caiet. in ſum. Verbo confeſſio conditione 12. Nauar. ſupra, & alij communiter.

Sufficit tale propoſitum eſſe virtuale.
Caiet.
Nauarr.

29 Circa autem propoſitum ſatisfaciendi, dicimus, (& clarius infra dicemus in tract. de ſatisfactione:) quod Duplex eſt ſatisfactio, Vna dicitur Reſtitutoria, vel medicinalis, altera Satisfactoria tantùm pro pœna luenda pro peccatis commiſſis: Vndè quò ad primam, quæ appellatur Reſtitutoria, quæ in ſatisfactionem tertij eſt facienda, ſic etiam Medicinalis, quā confeſſarius in remedium peccatorum iniungit, dicimus: Pœnitentem teneri habere propoſitum ſubmittendi ſe præcepto confeſſarij, & implendi illam ſatiſfactionem, quam claue non errante, imponet confeſſarius: pro vt dicitur in Can. ſatisfactio de Pœnit. D. 6. & Concil. Trid. ſeſſ.14. c.8. Legite Nauar. in manu. c.26. nu.20.

Propoſitum ſatiſfaciendi.
Satisfactio dup Reſtitutoria, & ſatisfactoria.
Satisfactio medicinalis.

30 Quò ad alteram, quæ dicitur ſatisfactoria pro pœna debita luenda hic, vel in Purgatorio ſatis eſt: quod pœnitens propoſitum habeat ſatisfaciendi Deo operibus ſatisfactorijs; vel in hac vita, vel ſaltem in Purgatorio: pro vt docent Scotus in 4. D.17. & Soto D. 20. qu.2. A. 2. Nauarr. ſupra citans Medin. Gabr. & Hoſtien.

Pœnitentia ſatisfactoria ſufficit in propoſito.
Scotus.
Soto.
Nauar.
Gabr.
Hoſtien.

31 Ex qua definitione, & explicatione clarè colligitur, quod vt pœnitens, verè, & perfectè contritus dicatur, opus eſt, vt voluntariè ſe pœniteat peccatorum ſuorum, & quod huiuſmodi pœnitentia ſit doloroſa, ideſt, cum animi diſplicentia, & quod ſit cum propoſito non peccandi de cætero, ſaltem mortaliter cum Diuina gratia, & confitendi tempore debito, & ſatisfaciendi, vt ſupra dictum eſt, & quod talis pœnitentia. ſiuè deteſtatio ſit principaliter, quatenus eſt offenſa Dei, ſummè dilecti: Nam ſi aliter pœniteret, non diceretur verè contritus, ſed attritus, vt infra videbitur.

Collectio.

DE MATERIA CONTRITIONIS.

CAP. II.

POEnitentiæ Sacramenti prima parte proxima, quæ eſt contritio, ſecundùm ſuam quiditatem, 1
triplici via ipſam indagando, Etymologia, videlicet Deſcriptione, ac Definitione; Quibus iam explicatis, dicendum venit de materia ipſius contritionis, quod eſt obiectum materiale deſtruēdum, circa quod verſatur contritionis actus: Ideò ſciendum eſt: Materiam cōtritionis eſſe omnia, & ſingula peccata actualia iam commiſſa, non ſolùm mortalia, verùm etiam venialia, cùm hac tamen diſtinctione, quia hæc dicuntur legitima: Illa verò dicuntur propria, & neceſſaria, quatenus ſunt Dei offenſa.

Introductio cap.
Materia cōtritionis, quę.
Materia contritionis duplex neceſſaria, & legitima.

Dicimus ergò: *Materiam propriam, & neceſſariam eſſe omnia, & ſingula peccata mortalia, propria actualia, præterita:* In his enim locum habet contritio, in qua abſolutio ſacramentalis fundatur, tamquam forma partis ſacramenti ſenſibilis, quod eſt fundamentum totius Sacramenti, vt ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & Can.1. 2. & 3. colligitur, & eſt communis Theologorum ſententia, vt docent Soto in 4. D. 17. quæſt 2. A.2. concl.1. Graff. tom. 1. deciſ. libr. 1. cap.4. de Contrit. Nauarr. in man.c.1. Bonacina, to.1. D.5. q 5. ſect. p.p.4. & alij. 2

Materia neceſſaria ſunt peccata mortalia.
Concil. Tri.
Soto.
Graff.
Nauar.
Bonac.

Dixi (*Omnia peccata mortalia*) quia illa ſunt materia propria, & principalis, circa quæ verſatur contritio: Propria quidem, quia illorum nos pœnitere debet, quæ propria voluntate commiſimus: (Et principalis) quia propter peccata mortalia principaliter conteri tenemur, cum per illa auertamur à Deo: Sic habetur ex D. Tho. in 4. D.17. A.2. ad 2. & Soto D.14. q.1. A.2. in 3.arg. 3

Quare mortalia ſunt materia propria, & principalis.
D. Thom.
Soto.

Dixi (*Mortalia*) quia licèt peccata venialia poſſint eſſe, & ſint vera, & legitima materia cōtritionis, quatenus ſunt offenſa Dei, non tamen de his eſt neceſſaria contritio perfecta, pro vt docent Medin. C. de Pœnit. q.7. & Caiet. in ſum. ver. Contritio, num.2. Nam peccata venialia remitti poſſunt etiam per contritionem imperfectam, quæ non habet omnes requiſitas, & ſuper enarratas circumſtantias, cum ſufficiat diſplicentia ſimplex, pro vt docent Soto in 4. D 15. q.2. A.1. concl.5. Nauarr. in man. c.1. n.24. Chamer. tract. 6. d.5. de Contritione. 4

Peccata venialia, quare dicūtur materia legitima.
Medina.
Caiet.
Soto.
Nauar.
Chamer.

Dixi (*Omnia, & ſingula*) quia non ſolùm omnia peccata ſimul iuncta, ſed etiam vnumquodque peccatum per ſe abſque excluſione aliorum eſt ſufficiens contritionis materia, vt loco ſuo dicetur. 5

Vnumquodque peccatū eſt materia contritionis.

Dixi (*Propria*) quia vnuſquiſque de proprijs peccatis, iam commiſſis tenetur conteri, & non de alienis: Nam licèt de alienis debeat quis dolere quatenus sūt offenſa Dei, non tamen talis dolor eſt contritio, niſi quandò tale peccatum efficeretur proprium, vel per imitationem, ſiuè per perſuaſionem, vel per conſenſum, aut diſſimulationem, iuxta illud D. Pauli ad Roman. cap.1. dicentis: *Non ſolum, qui faciunt ea digni ſunt morte, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus:* Et hoc maximè intelligendum eſt de Prælatis, quorum eſt Animarum cura; vt benè notauit Graff. tom.1. deciſ. cap.4. num.7. Tunc enim non dicitur: Peccatum alienum, ſed proprium, quia talis in illo fuit particeps, iuxta illud Eccleſ. cap.13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea:* De peccato verò alieno, in quo quis non habet culpam, non poteſt conteri, quia propria voluntate illud non contraxit. Ita Soto in 4. D.17. qu.2. 6

Peccata propria nō aliena ſunt materia contritionis.
Quatrup peccatum aliorum efficitur proprium.
Ad Rom. c. 1.
Graff.
Eccleſ. c. 13.
Soto.

A.2.

[Caiet. Bonac.] A.2. ad tertium, Caiet. in ſum. verb. contritio, nu. 3. & Bonac to. 1. de Pœnit. D. 5. q. 5. n. 9.

7 [Originale peccatum nō poteſt eſſe contritionis materia.] Dixi (*Actualia*) ad differentiam peccati originalis, quia illud eſſe non poteſt contritionis materia, neque propria, neque principalis: Non principalis, cum peccatum originale tollatur per Baptiſmum: Neque propria, cum illud nō propria voluntate noſtra commiſſum ſit: Et ideò non poſſumus illius pœnitere, ſed benè tædere, & diſplicere, quatenus fuit offenſa Dei ex propria voluntate primi parentis, mediante quo nos etiam iuſtitiam originalem amiſimus, & contraximus illud per virtutem ſeminalem, & naſcimur natura filij iræ, ſicut dictum eſt in præcedenti tractatu capit. 1. [Concluſio.] Quàpropter concludimus; Tantum peccata actualia, quæ propria voluntate commiſimus materiam eſſe contritionis, iuxta definitionem pœnitentiæ, quæ refertur in Can. Pœnitentia D. 3. [Can. pœnit. D. 3. Soto. Graff.] *Nam Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*: Ità Soto in 4 D. 17. qu. 2. A. 2. ad 1. Graff. d. c. 4. num 2. & alij.

8 [De peccatis futuris non poteſt eſſe contritio.] Dixi (*Præterita*) quia contritio tantum poteſt eſſe de peccatis præteritis, iam commiſſis, & non de futuris, cum hæc nondum commiſſa ſint, & ideò non poteſt homo habere diſplicentiam, & contritionem de non commiſſis: Nam de futuris Potius dicitur cautio, quam contritio, cum hæc propriè reſpiciat peccata commiſſa, licèt ex conſequenti reſpiciat futura, quatenus debet habere propoſitum non peccandi amplius, quod quidem propoſitum non eſt contritio, ſed pars contritionis: [Nauar. Bonac.] Ità Nauarr. in manu. cap. 1. num. 11. & Bonacin, d. tomo 1. D 5. qu. 5. p. 4. ſect. 1. num. 8.

9 [Obiectio.] Sed objiciet aliquis, dicendo: Ad præterita nulla eſt potentia; Ergò impoſſibile eſt, quod aliquis velit determinatè non peccaſſe, & opus, quod factum eſt, non eſſe factum, cum hoc ſit impoſſibile; ergò, &c.

[Solutio.] Reſpondetur: Talem deteſtationem eſſe conditionatam, ſcilicet velle non peccaſſe ſi eſſet poſſibile: Sed quia hoc impoſſibile eſſe cognoſcit, contriſtatur, & conteritur de offenſa Dei: [Caiet.] Ità Caietan. 1. 2. quæſt. 13. A. 1.

10 [Actu peccans non poteſt eſſe cōtritus.] Hinc infertur primò, quod: De peccatis præſentibus contritio eſſe non poteſt: Et ratio huius eſt, quia in eodem inſtanti non poteſt quis habere complacentiam ſimul, & diſplicentiam de peccato, quod actu committit, & ità ſimul peccare, & eſſe contritus, quia eſſet contradictio manifeſta, pro vt dicit Chamer. lib. de Sacram. tract. 6. d. 6. de contritione. [Chamerot.]

11 [Quæſt. 2. De peccatis commiſſis ante Baptiſmum poteſt conteri.] His itaque prænotatis; Quæritur primò; An peccata commiſſa ante ſuſceptionem ſacramenti Baptiſmi, poſſint eſſe contritionis materia in adultis?

Reſpondetur, quod ſi loquimur de peccatis illis commiſſis antequam Baptiſmum ſuſcipiatur: Clarum eſt, quod ſint contritionis materia in adultis: Nā adulti tenentur conteri de peccatis commiſſis antequam ad Baptiſmi gratiam accedant: Et Ratio huius eſt, quia vt ait D. Auguſt. libr. de Medicina pœnit. [D. Auguſt.] cap. 2. *Nullus poteſt nouam vitam inchoare, niſi veteris ſe prius pœniteat*; iuxta illud Apoſt. Petri Actor. 2. [Act. cap. 2.] dicentis; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*, ergò peccata ante Baptiſmum commiſſa ſunt vera contritionis materia; [Soto. Medina.] Ità Soto in 4. D. 14. quæſt. 1. A 2 & D. 17. quæſt. 2. A. 2. Medin. Cod. de Pœnit. qu. 3.

12 [Peccata, ante Baptiſmum commiſſa nō ſunt materia neceſſaria contritionis.] Dico ſecundò: Peccata illa etiam ante Baptiſmum commiſſa etiam poſt Baptiſmum poſſe eſſe contritioni materiam, licèt non neceſſariam ad ſalutem, cum de illis poſt Baptiſmum non ſit amplius contritio neceſſaria, eò quod per Baptiſmi gratiam omnia peccata totaliter fuerunt remiſſa; Talis tamen contritio etiam formalis prodeſt, tam ad maiorem cautelam, & gratiam conſequendam, quam ad cauendum facilius à futuris: [Ledeſma. Chamerot.] Ità Ledeſma 2. p. q. 4. A. 3. & Chamer. d. tract. 6. d. 5. Non eſt enim inconueniens, vt de peccatis remiſſis rurſus contritio habeatur, ſicut de peccatis alias ritè confeſſis, & abſolutis, vt poſteà dicetur: [Bonac.] Ità Bonac. d. D. 5. q. 5. ſect. 1. p. 4. nu. 3.

13 [Quæſt. 2. An de ſingulis peccatis ſpecialiter ſit producenda contritio? 1. Opinio affirmatiua.] Secundò quæritur: An de ſingulis peccatis mortalibus opus ſit habere diſtinctas contritiones, vel an ſufficiat vna de omnibus in generali?

Reſpondetur: Hanc quæſtionem non ſolum eſſe neceſſariam propter vſum pœnitentium, ſed etiam deciſione, non facilem: Sunt enim aliqui Doctores, qui videntur dicere: Ad perfectam contritionem requiri ſpecialem, ac diſtinctam contritionem de ſingulis peccatis ſpecialiter recognitis, iuxta illud Iſa. cap. 38. num. 15. dicentis: [Iſaia c. 38.] *Recogitabo tibi Domine omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: Et ità videtur ſentire: [Alenſis. Riccard. Durand. Palud. Coninch. Angel. Syluest. Soto.] Alenſ. 4. p. qu. 69. membr. 8. A. 2. Ricch. in 4. D. 16. A. 4. quæſt. 2. Durand. D. 17. q. 2. & Palud. q. 1. A. 2. Coninch. D. 2. d. 8. num. 80. Angel. & Sylu. in verb. Contritio: Quamuis hi Doctores, & aliqui ex ſupradictis concedant in caſu neceſſitatis, ſufficere generalem contritionem de omnibus in confuſo, quatenus ſunt offenſa Dei, vt videre eſt apud Soto D. 17. quæſt. 2. A. 3. conc. 2.

14 [2. Opinio. Sufficere generalem cōtritionem de omnibus. Caiet.] Communis tamen ſententia affirmat: Satis eſſe contritionem generalem de omnibus peccatis: Ità quod ſaltem virtualiter extendatur ad vniuerſa mortifera, tam quæ meminit, tam quæ non meminit: Sic docet Caiet. tom. 1. Opuſc. 4. qu. 2. & in 3. p. quæſt. 87. A. 1. dicit: *Ridiculum eſſe de ſingulis peccatis ſingulas exigi contritiones*, ſiuè contritio ſecundùm ſe ipſa conſideretur, ſiuè in ordine ad Sacramentalem confeſſionem; [Valentia. Suar. Reginald. Henriq. Filliuc. Bonac. Nauar.] Sic etiam; Gregor. de Valent. to. 4. D. 7. qu. 8. p. 6. Suarez de Pœnit. D. 4. ſect. 3. n. 3. Regin. lib. 5. n. 51. Henriq. lib. 4. c. 7. n. 2. Filliuc. to. 1. tr. 6. c. 9. q. 1. Bonac. tom. 1. D. 5. q. 5. ſect. 1. Nauarr. cap. 1. n. 22. & alij. Et ratio iſtorum eſt, quia, aliàs non poſſet homo quocumque momento conteri: [Ratio iſtorū Doctorum.] (Quod quidem falſum eſt:) Cum homo iuſtificetur quotieſcumque contritionis actum eliciat, iuxta illud Ezech. cap. 18. vbi dicitur: [Ezech. c. 18.] *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: ergò, & cæter.

15 [Quæſtionis ſenſus. Quæſtio tripliciter intelligi poteſt.] Pro ſolutione huius difficultatis: Duo ſunt notanda: Primum quod quæſtio iſta dupliciter poteſt intelligi, vel de contritione in ordine ad confeſſionem, vel extra. Secundò eſt notandum, quod: Iſta quæſtio vtroque modo intellecta triplicem ſenſum habere poteſt: [1. Secundum numerum.] Primus An requirantur diſtinctæ contritiones ſecundùm numerum; Ità vt decem adulterijs: E. gr. debeant correſpondere decem contritiones ſecundùm numerum decem peccatorum commiſſorum; [2. Secundum ſpecies.] Secundus An ad ſingula peccata ſecundùm ſpeciem, ſingulæ requirantur contritiones; Vt E. gr. Si quis cōmiſit decem furta, & decem adulteria debeat habere duas diſtinctas contritiones, vnam de furtis, & alteram de adulterijs: [3. an ſufficiat contritio generalis de omnibus.] Tertius ſenſus; An ſufficiat habere vnam tantum contritionem generalem, quæ virtualiter feratur ad ſingula peccata, etiam ſi ſint diuerſarum ſpecierum?

16 [Deciſio quæſtionis. Quò ad primū ſenſum, & ſecūdum.] His itaque prænotatis: Dico primò, quod: Si loquimur de contritione extra ſacramentalem confeſſionem: Non eſt neceſſaria contritio particularis de ſingulis peccatis, nec ſecundùm numerum, nec ſecūdùm ſpeciem, ſed ſufficit vniuerſalis, quia per Ezechielem Prophetam ca. 18. promittitur remiſſio peccatorum, quandocumque ingemuerit peccator, id eſt, in quocumque momento; Et Chriſtus Dominus de

Maria

Maria Magdalena dixit: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*, & non dixit quoniam dilexit multoties: Ità Caietan. in ſumm. verb. Contritio: Et in hoc ferè omnes DD. cōueniunt, tam primæ, quàm ſecundæ opinionis: Præter Durand. & Palu. qui etiam in hoc videntur diſſentire, ſed abſque fundamento.

17 Quò ad tertium ſenſum. Cōtritio generalis ſufficit, quæ extendatur ad omnia.

Dico ſecundò, circa tertium ſenſum huius quęſtionis, quòd probabilius eſt in lege gratiæ, ad remiſſionem peccatorum ſufficere vnam contritionem generalem, quæ virtualiter feratur ad ſingula, pro vt tenent citati DD. pro ſecunda opinione: Quia ad veritatem contritionis videtur ſufficere: Et hoc eſt fauorabilius: Nam ſi quis diceret, Singulas contritiones eſſe neceſſarias, pro ſingulis peccatis, imponeret iugum graue legi Dei, Prout doctiſſimè probauit Caiet. tomo 1. Opuſc. 4. q. 2.

Caiet.

18 Peccata oblita in generali contritione includuntur.

Hinc infertur primò, ad remiſſionem peccatorum oblitorum, ſufficere generalem contritionem: Et in hoc omnes conſentiunt, & D. Tho. 1. 2. p. 113. A. 5. ad 3. expreſsè concedit, quia ſi tunc de illis recordaretur, etiam de illis contritionem haberet.

19 Nec tenetur amplius de illo formaliter conteri.

Infertur ſecundò: Quod etiam peccatum mortale oblitum, quod per generalem contritionem remiſſum fuit, ſi poſteà in memoriam veniat, non tenetur formaliter illud iterum deteſtari, (dum tamen illo voluntariè non delectetur: tunc enim nouum committeret peccatum) Sufficit ergo ſemel feciſſe generalem illam contritionem de omnibus: ſic docet Caietan. d. tomo 1. Opuſc. 4. quæſt. 2. & Chamer. d. tract. 6. d. 4.

Caiet. Chamer.

20 Aduertentia, & limitatio.

Sed hic eſt aduertendum, quod ſi peccatum oblitum dimiſſum eſt ex virtuali contritione in actu charitatis, & non pœnitentiæ formalis, tunc opus eſt de eo habere contritionem: Et ratio huius eſt, quia in illo actu charitatis non fecit actualem, nec generalem, nec particularem contritionem, pro vt docet Medin. C. de Pœniten. qui dicit eſſe communem Theologorum ſententiam.

Medina.

21 In ordine ad confeſſionē. Etiam ſufficit contritio generalis.

Si autem loquimur de ſecundo modo, videlicet de contritione, quæ eſt in ordine ad confeſſionem faciendam. Dicimus, quod (propriè loquendo) etiam contritio relata ad ſacramentalem abſolutionem, non exigit, quod terminetur formaliter ad ſingula peccata mortalia, ſed ſufficit, quod terminetur ad illa virtualiter, pro vt docet Caietan. d. tom. 1. Opuſc. 4. quæſt. 2. §. Et ſi dicatur: Non eſt enim neceſſe, vt ait Nauar. d. cap. 1. num. 22. vt pœnitens, recogitans, confitenſue peccata ſua de vnoquoque peccato mortifero ſingularem, & ſpecialem eius pœnitudinem concipiat, ſed ſatis eſt, vt generalem eiuſdem concipiat pœnitudinem, quæ virtute ſe extendat ad omnia mortifera, ſiuè id faciat ab initio cùm incipit reuocare in memoriam peccata confitenda, ſiuè inter reuocandum, ſiuè quouis alio tempore, vel temporis momento: Et in hoc omnes Doct. ſecundæ opinionis conueniunt.

Caiet.

22 Aduertētia.

Notandum tamen eſt, quod licèt talis generalis contritio ſufficiat ad omnium peccatorum remiſſionem, non tamen ſufficit ad eximendum pœnitentem ab obligatione reuocandi in memoriam, & deteſtandi tempore debito omnia genera, & ſpecies illorum peccatorum commiſſorum, enumerando illa numero certo, ſiuè veriſimili in ſacramentali confeſſione facienda: Quia hoc ad confeſſionis integritatem pertinet. Nam confeſſio debet eſſe integra: Et ità credo intelligendos eſſe DD. in prima opinione poſitos: Quod benè aduertit Nauarr. d. cap. 1. num. 22. & Suar. d. tom. 4. D. 4. ſect. 6. num. 8. & Bonac. D. 5. quæſt. 5. ſect. 1.

Nauar. Suarez. Bonac.

DE QVANTITATE, ET QVALITATE Contritionis.

CAP. III.

1 Materia, & forma contritionis explicata, quæ ad quiditatem, & eſſentiam rei pertinent: Sequitur modò, vt tertio loco de qualitate, & quantitate ipſius contritionis dicamus vt rectus ordo doctrinę ſeruetur.

2 1. Quæſitum, An dolor cōtritionis debeat eſſe maximus?

Ideò primò quæritur: An dolor contritionis debeat eſſe maximus omnium dolorum: An quilibet dolor, licèt remiſſus ſufficiat ad dimittenda peccata per contritionis actum.

Dolor contritionis duplex rationalis, & ſenſitiuus.

Pro ſolutione huius difficultatis: Sciendum eſt, quod Dolor contritionis dupliciter poteſt intelligi: Primò, vel ſecundùm exiſtimationem intellectus, & rationis, qui dolor dicitur intellectualis, ſiuè rationalis, eò quod ſit diſplicentia voluntatis: Vel ſecundò ſecundùm ſenſum, qui dolor dicitur ſenſualis, ſiuè ſenſitiuus, eò quod ſit in parte ſenſitiua, & cauſatur, vel ex primo dolore, vel ex neceſſitate naturæ, ſecundùm quod vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum: Ità D. Thom. in addit. 3. p. qu. 1. A. 2. & quæſt. 3. A. 2.

D. Thom.

3 Dolor ſenſitiuus non eſt ad contritionem neceſſarius.

Quapropter dico primò, quod iſte dolor ſenſus, qui eſt in parte ſenſitiua, ex quo procedunt lacrymæ, ſingultus, & ſuſpiria, quæ non requiruntur de neceſſitate ad eſſentiam contritionis: Nam iſta magis procedunt ex læſione corporea, quam ex iis, quæ minus ſunt proportionata ſenſui, vt ſunt ſpiritualia, quamuis optimum eſſet, & valdè vtile, tum quia conſeruat, & auget dolorem voluntatis: Tum quia ad id nos ſcripturæ ſæpius exhortantur: Tum etiam quia veri pęnitentes ità à Domino veniam ſuorum peccatorum obtinuerunt: Vt Petrus, qui fleuit amarè, & Maria Magdalena rigabat lacrymis pedes Domini, & Dauid per ſingulas noctes lauabat lacrymis lectū ſuum, Pſ. 6. Non tamen talis dolor eſt de neceſſitate cōtritionis, & per conſequens non oportet eſſe ſummè intenſus: Rarò enim, & difficillimè habetur, & nullus dolor eſt, qui nō poſſit magis intendi, vt omnes ſentiunt, & experientia docet: Legite D. Thom. in addit. 3. p. q. 3. A. 1. Sylueſt. ver. contritio, n. 2. Nauarr. in man. c. 1. nu. 4.

Lacrymæ nō ſunt neceſſariæ, ſed valdè vtiles.

Pſalm. 6.

D. Thom. Syluest. Nauarr.

4 Dolor rationalis debet eſſe ſummus appretiatiuè.

Dico ſecundò, quod ille dolor, qui dicitur rationalis, qui nihil aliud eſt, quam animi dolor, & peccatorum deteſtatio, iuxta definitionem Concil. Trid. ſupra poſitam debet eſſe maximus ſecundùm doctrinam Nauarri, d. cap. 1. num. 4. Non quidem ſenſitiuè, ſed exiſtimatiuè, ſiuè appretiatiuè: Et talis dolor omnes dolores alios excedere debet, pro vt dicit D. Bonau. in 4. d. 16. q. 1. A. 2. ad 2. & D. Tho. 3. p. in addit. quæſt. 3. A. 1.

D. Bonau. D. Thom.

5 Notandum. Dolor rationalis ſūmus dupliciter in tenſiuè, & appretiatiuè.

Sed notandum eſt, quod dolor iſte rationalis, qui ſecundùm DD. maximus, & ſummus eſſe debet: Dupliciter intelligi poteſt, vel intenſiuè ſummus, vel appretiatiuè ſummus: Ille dolor dicitur intenſiuè ſummus, qui plures habet gradus doloris, vel maiorem radicationē in ſubiecto, id eſt, quandò augetur actum in ſuis gradibus intenſiuè.

An dolor intenſiuè ſummus ſit neceſſarius.

Et talis dolor voluntatis intenſiuus, An requiratur ad eſſentiam contritionis perfectæ, non parua eſt inter Doctores controuerſia: Sunt enim variæ opiniones, & multi multa dicunt.

6 1. Sententia. Adriani. Alenſ.

Prima opinio fuit Adriani in 4. D. 17. q. 2. de Pœnit. & in Quolib. 5. A. 3. cui videtur fauere Alenſ. 4. part. quæſt. 17. qui dicunt: Ad veram contritionem neceſſariam eſſe ſummam intenſionem, & virtutem actus, quam peccator exhibere poteſt per totum conatum

de intenſione illa ſecundùm exiſtimationem, qua pęnitens dolet de peccato, & illud deteſtatur ſuper omnia deteſtabilia, & potius vellet incurriſſe quodcumq; malum, quam Deum offendiſſe: Dicimus non eſſe verum, quod illa deteſtatio non requiratur, nam talis ſuper omnia deteſtatio eſt de eſſentia contritionis, vt ex ſupradictis apertè declaratum eſt.

18 Ad tertiam verò opinionem, quam Dominicus à Soto, tribuit Scoto, & ab illo acerrimè reprehenditur: Dicimus nos: Scotum non eſſe intelligendum, vt Soto putabat, quod ſcil. ad veram contritionem requiratur extenſio vſque ad aliquod tempus, quia ſic eſſet cōtra ſcripturam illam Ezech. c. 18. *In quacumque hora ingemuerit peccator*; ſed mēs Scoti eſt, quod aliquandò, dolor, & deteſtatio peccatorum ità remiſſus eſſe poſſet, vt ſubſtantiam contritionis non haberet, ſed potius eſſet quædam velleitas non peccandi, aut non peccaſſe, vt eſſe ſolet, quædam attritio vſurariorum, & meretricum, quos quamuis pœniteat peccatorum ſuorū, vellentque non peccaſſe, non tamen omninò ſtatuunt à peccatis ſuis abſtinere, quæ deteſtatio imperfecta dici ſolet, quæ ad remiſſionem peccatorum obtinendā non ſufficit: Et hoc eſt, quod dixit Nauar. d. c. 1. n. 33. & Chamer. d. tr. 6. d. 2. niſi aliquo tempore duret, quia vt dixit Caiet. to. 1. Opuſc. tr. 4. q. 1. ad 1. argu. Contritio acquiſita, quæ à principio non eſt meritoria poteſt in ſui proſecutione fieri meritoria ſuperueniēte charitate, & ità Scotus eſt intelligendus, quia actus contritionis, vt ſit contritio nulla indiget temporali duratione, ſed ſimul, ac fit eſt vera contritio, vt eſt doctrina Suar. d. to. 4. D. 4. ſect. 5. n. 4.

3 Reſp. ad 3. opinionem.
Scoti mens qualis fuerit declaratur.
Ezech. c. 18.
Velleitas nō eſt ſufficiens.
Nauar.
Chamerot.
Caiet.
Mens Scoti declaratur.
Suar.

19 Secundò quæritur: An debeat eſſe maior contritio de vno peccato, quam de alio.

2. Quæſtio.
An de grauioribus peccatis debeat eſſe maior contritio?

Reſpond. ſecundùm doctrinam Nauarri d. c. 1. n. 31. quod licèt de grauiori peccato maior contritio, & pęnitentia requiratur. Hoc intelligendum eſt de conſilio, & honeſtate, non autem de neceſſitate: ſecundùm D Thom. in 4. D. 17. q. 1. A. 1. q. 1. & D. 14. qu. 1. Imò, vt doctiſſimè explicat Io. Maior: communiter receptus in 4. D. 14. qu. 1. Pęnitudo circumamicta debitis circumſtantijs, quantumcumque ſit minima, & breuiſſimo tempore duret, etiam in inſtanti concepta ſatis eſt ad delenda crimina quantum ad culpam, & cōmutandam pęnam æternam in temporalem Purgatorij: Et ità intelligendus eſt locus ille Diui Auguſtini dicentis: *Grauiora crimina grauioribus lamentis ſunt abluenda*, vt ſcilic. plenariè fiat remiſſio, & ſatisfactio: Quàpropter dicimus, quod, Ad remiſſionem peccatorum obtinendam, ſatis eſt de omnibus actualiter dolere in genere: ſi enim de peccato dolet, vt eſt offenſa Dei, ergò & de maiori offenſa magis dolebit: Ità enim habetur in addit. 3. p. q. 3. A. 3. D. Tho. ad ſecundum, & ſequitur Tabien. Verbo contritio in fine, & ferè omnes communiter.

Reſolutio.
D. Thom.
Maior.
Contritio perfecta poteſt concipi in inſtanti.
Grauiora crimina grauioribus lamentis eſſe abluenda quomodo intelligendū.
D. Thom.
Tab.

DE NECESSITATE CONTRITIONIS.

CAP. IV.

1 Contritionis neceſſitatem inquirimus, poſtquam de eſſentia, & quiditate, quantitate, & qualitate locuti ſumus; ideò in præſenti capitulo: primo loco Quærimus: An ſit aliquod ſpeciale præceptum de cōtritione. Vndè, pro tituli huius capituli intelligentia eſt primò ſciendum: Hanc quæſtionem duplicem membrum habere poſſe: Vnum de contritionis præcepto, alterum de tempore, quo talis occurrit obligatio: & ideò circa primum membrum;

2 Quæritur, Primò: An ſit aliquod contritionis præceptum naturale Diuinum, obligans ad contritionem habendam?

1. Quæſtio
An ſit aliquod contritionis præceptum?

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Reſpondetur Affirmatiuè: ſuppoſito enim peccato mortali, contritio cadit ſub præcepto ſpeciali; Ità vt ſi quis poſt peccatum mortale commiſſum numquam velit de illo contritionem habere nouum peccatum mortale impœnitentiæ finalis committeret, quod dici ſolet, Peccatum obſtinationis, ſiuè in Spiritum Sanctum, quod maximum crimen erit prout docent omnes Theologi in 4. D. 17.

Contritio eſt neceſſaria ex ſuppoſitione.
Peccatū impœnitentiæ grauiſſimū.

3 Sed hoc intelligendum eſt, tam de contritione perfecta, quam etiam de imperfecta, quæ alio nomine vocatur Attritio, ſiue contritio informis, quæ ex coniunctione ad Sacramentum confert gratiam, vt ſuo loco videbitur: Aliter enim eſſet contradictio, ſi poſt Sacramenti inſtitutionem contritio perfecta eſſet ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria, cum attritio perfecta ſufficiat ad Sacramentum ſuſcipiendum, & per conſequens ad recipiendam gratiam: Hæc eſt communis Theologorum ſententia: vt videre eſt apud Suarez d. to. 4. D. 15. ſect. 1. nu. 2.

Attritio cum Sacramento, ſufficit ad gratiam conſequendam.
Suar.

4 Secundò quæritur: An tale præceptum ſit Diuinum naturale, ſiuè poſitiuum?

Quæſtio 2.

Reſpondetur ſecundùm doctrinam Soti in 4. D. 17. qu. 2. A. 6. concl. 1. Nullum dubium eſſe, quin contritionis præceptum non ſit Diuinum, iuxta illud Matt. cap. 4. *Pœnitentiam agite*, & Luc. c. 13. *Niſi pœnitētiam habueritis omnes peribitis* de quo loco Matt. D. Tho. 3. p. q. 85. A. 1. dicit eſſe præceptum diuinum de pœnitētiæ virtute, quæ idem eſt, quod Contritio, & tandem Suar. d. to. 4. D. 15. ſect. 1. nu. 2. Concludit: Præceptum hoc eſſe Diuinum, & de hoc nulla eſt dubitatio, quoniam (vt ait Nauar. in man. c. 1. nu. 25.) Contritio ſemper fuit, & eſt, eritque neceſſaria (intellige ſemper) ſuppoſito peccato mortali.

Præceptum contritionis eſt diuinum.
Soto.
Matt. c. 4.
Luc. c. 13.
D. Thom.
Suarez.
Nauarr.

5 Hoc verò præceptum ex doctrina ipſius Suarez d. ſect. 1. num. 8. ex triplici cauſa procedit: Prima ex lege iuſtitiæ, qua tenetur vnuſquiſque ſatisfacere iniuriæ factæ: Sed per peccatum mortale Deo facta eſt iniuria, ſaltem obiectiuè, & terminatiuè, ergò, vt ſic tenetur peccator Deo per contritionem ſatisfacere, cum aliter hoc facere non poſſet.

Ex triplici capite procedit hoc præceptum.
1. ex lege Iuſtitiæ.

6 Secunda, ex lege charitatis Diuinæ, quæ ſicut obligat ad diligendum Deum ſuper omnia, ità etiam obligat hominem, vt faciat quod in ſe eſt ad recuperandam amicitiam Diuinam, ſi illam per peccatum amiſit: Ac denique ad habendum Deum pro vltimo fine, ſed hoc poſt peccatum commiſſum, nō poteſt fieri, niſi per contritionem, ergò.

2. Ex lege charitatis Dei.

7 Tertia, ex lege propriæ Charitatis, quatenus homo tenetur curam habere ſalutis propriæ, & conſequenter adhibere media neceſſaria ne in æternum pereat. Si enim Charitas proximi obligat, vt vnuſquiſque prouideat alteri in neceſſitate Spirituali, ſi vnus poteſt, & alter grauiter indigeat, multò magis Charitas propria obligabit, vt vnuſquiſque prouideat ſibi ipſi, prout dicit D. Thom. 3. p. q. 84. A. 5. ad 2.

3. Ex lege charitatis propriæ.
D. Thom.

8 Hoc ſuppoſito: Videndum eſt primò de tempore, quo obligat tale contritionis præceptum: Quod eſt tertium Dubium occurrens, & ideò Quæritur: An homo poſtquam peccatum mortale committit, teneatur ſtatim contritionem cōcipere de peccato ſuo, vt præceptum contritionis adimpleat, iuxta illud Eccl. c. 5. dicentis: *Ne tardes conuerti ad Dominum Deum tuum, nec differas de die in diem.*

De tempore obligationis præcepti huius.
Quæſt. 3.
An poſt peccatum quis ſtatim conteri teneatur.
Eccl. c. 5.

Reſpondetur ex doctrina Theologorum, & præcipuè Dominici à Soto in 4. D. 17. qu. 2. A. 6. concl. 2. Non teneri hominem præcepto ſpeciali ſtatim poſt peccatum commiſſum illius pœnitere, ſed tempore debito: Nam ſi ſtatim reſipiſcere teneretur ſingulis momentis peccatum eius impœnitentiæ augeretur, quod eſt abſurdum, & grauiſſimum iugū imponeretur

Reſolutio eſt negatiua.
Soto.

Digitized by Google

Vaſqu. Filliuc. Bonac. Valentia. Filliuc.

hominibus. Itá Vaſq.3. p.qu.86 A.2.d.5. nu.9.Bonac. tom.1.de Penit.D.5.q.5.p.2.nu.8.Filliuc.to.1. tract.6. c.8.q.5. num.198. & alij communiter: Ad illud Eccleſiaſtici dicimus; Non eſſe præceptum, ſed conſilium, vt dicunt Greg. de Valent. to.4. D.7. q.8.p.4. Bonac. & Filliuc. locis ſupra cit.

9 Difficultas.

Sed difficultas eſt; An quotieſcumque peccatum memoriæ occurrit teneatur illud homo deteſtari, ſiuè nunquam fuerit alia contritione deletum, ſiuè fuerit iam remiſſum?

Reſolutio. Peccata dup. repræſentantur practicè vid. & ſpeculatiuè.

Reſpondetur: Duobus modis peccata memoriæ occurrere poſſe: Practicè Videlicet, & ſpeculatiuè: Peccata tunc occurrunt practicè, quandò potentiæ rationali ſe offerunt, vel tanquam opere exequenda, & amplectanda, aut tanquam delectabilia: Speculatiuè verò occurrunt, quandò quis de illis cogitat, vel ad tractandum, vel dum audit confeſſiones, aut repræſentantur memoriæ, aut Intellectui tanquam conſiderabilia, non autem delectabilia, vitanda, aut amplectanda: Tunc enim nulla eſt difficultas, quod non tenetur homo de illis contritionem concipere, neque etiam illa deteſtari, dum tamen non adſit periculum conſentiendi, aut delectandi: &c. Et ratio eſt, quia peccata illa non ſunt in voluntate, ſed tantùm in intellectu; pro vt docent omnes Theologi.

Quandò repræſentantur ſpeculatiuè, non tenetur.

10 Quandò occurrunt practicè eſt dup. opinio. 1. Opinio.

Quandò verò occurrunt practicè Diſſentio eſt inter Theologos; ſunt enim multi, exiſtimantes, & dicentes: Peccata commiſſa quotieſcumque memoriæ ſe practicè offerunt teneri hominem de illis dolere, etiam ſi illa iam remiſſa fuiſſent: & Ratio iſtorum eſt, quia tunc occurrunt tanquam Dei offenſiua, Vndè contemptus eſſe videtur, niſi illa deteſtaretur, & illorum pœniteret; Itá docuerunt Alex.de Ales 4.p.q.68. mēb.2.A.2 Richard. in 4.D.14.q.1. A.9.D.Bona. in 4. D.16. A.3.q.2. Gabr.q.3. A.3.Palud. d.17.qu.1. A.3. & Sylu. Verb. contritio qu.2. & pro hac opinione citari etiam ſolet Nauar. in man.c.1.n.27. quatenus dicit, quod: Homo non tenetur præcepto ad nouum peccatum mortale obligante reſurgere, & pœnitere, quandò ſe cognoſcit lethali peccato mortuum, niſi ea temporis parte, qua memoriæ occurrit, quò ad vſum ideſt cupiendum, & tenuendum, committendum, aut omittendum; Ex quibus verbis non videtur inſinuare Nauarr. quod teneatur conteri ratione præcepti contritionis, ſed ratione periculi: Imò enim 28. totum oppoſitum tenet, vt poſteà dicemus.

Alenſis. Richard. Gabr. Palud. Sylu. Tribuitur Nauarro, ſed immeritò.

11 1 Sententia. De peccatis ſemel remiſſis non tenetur ſtatim pœnitere.

His tamen non obſtantibus, dicimus cum Soto in 4. D.17. quæſt.2.A.6. concl.5. & 6. quod de peccato ſemel remiſſo, nunquam (moraliter loquendo) neceſſaria eſt contritio, & noua pœnitudo, niſi forſitan eſſet periculum conſentiendi, aut illo delectandi, dum aliter vitari non poſſet. Et Ratio eſt, quia: *Dominus non iudicat bis in idipſum*; Nahum.c.1. Et hæc eſt expreſſa ſententia Nauar. cap.1.nu.28. ſic etiam docent Caiet. in ſum. & Armilla Verb.contritio nu. 3. alijque recentiores communiter.

Nauarr. Caiet. Armilla.

12 Neque etiā de non remiſſis.

Nec etiam ſi peccatum nondum remiſſum fuerit protinus ſecum affert neceſſitatem contritionis, niſi tempore debito, vt eſt articulus mortis, &cet. Et ratio eſt, quia nulla videtur ratio ſufficiens, quæ talem obligationem inducat; Tum quia præceptum contritionis, & pœnitentiæ non eſt præceptum negatiuum, ſed affirmatiuum, quod obligat pro certo tempore determinato: Tum quia durum eſſet obligare peccatorem ad habendam obligationem conterendi de peccatis quoties illorum recordatur: *Iugum enim Chriſti ſuaue eſt, & leue*: Itá D.Thom.3.p.q.84.A.8. & 9.& Caiet. to.1. Opuſc.tr.17.q.1. Medin.C. de Penit. qu.6. D.2.Soto in 4.D.14. A.9.& D.17.q.2.A.6. Nauar.c.1. n.23.& 28. Suarez d.to.4.D.15. ſect.4.num.5. Regin. lib.5. nu.19. Vaſq. q.86.A.2.D.6. n.3. Filliuc. to.1. tract.6.c.8. q.4. num.195.& Bonac. tom.1.D.5. qu.5. p.2. num.9.

D.Thom. Caiet. Medina. Soto. Nauar. Suar. Reginal. Vaſq. Filliuc. Bonac.

13 Reſpond. ad 1. opinionē.

Ad fundamentum autem primę opinionis dicimus: Nullum ibi videtur eſſe contemptum, ſi tunc non cōteratur, cùm non occurrat præceptum dilectionis, eſſet enim importabile, quod toties homo teneatur Deum diligere formaliter, quoties peccatis reſiſtere tenetur: Vndè colligitur: Nullum ibi eſſe præceptum, nullum tunc habere actum complacentiæ, vel diſplicentiæ, vti prima opinio ſupponebat: Sufficit enim, quod peccato non conſentiat.

14 Quæſtio 4. An in diebus feſtiuis habenda ſit contritio?

Quartò: Videndum eſt: An ſaltem in diebus feſtiuis teneatur homo ſpeciali præcepto contritionem habere de peccatis, ſuis nondum remiſſis, & memorię occurrentibus: & ratio dubitandi eſt, quia feſtorum cultus eo fine præceptus eſt, vt Deus ipſe dilectione, & amore ſpecialiter coletur: ergò tunc teneretur homo mandato dilectionis, quod abſque contritione impleri non poteſt.

Reſolutio eſt negatiua.

Reſpondetur. Nihilominus, ſecundùm communem Theologorum ſententiam: Non teneri Chriſtianum ad contritionem producendam de peccatis in diebus feſtiuis, quia præceptum ſanctificandi Sabbata non obligat ad contritionem habendam: vt nos ſupra probauimus in tract.2. c.3. nu.20. ſic etiam tenent Medina C. de Pœnit. tract.1. q.6. A.1. Soto in 4. D.17. q.2.A.6. concl.6. Caiet. 2.2.q.122. A.4. Nauar. in man.c.17. nu.17. Graff.to.1.deciſ.c.5.nu.29. Et ad rationem ſuperius factam dicimus: quod finis præcepti, non cadit ſub præcepto: pro vt docet Suarez d.to. 4.D.15. ſect.6. nu. 11.

Medina. Soto. Caiet. Nauar. Graff. Finis præcepti non cadit ſub præcepto.

15 Quæſtio 5. Quo tempore obligat hoc præceptum.

Quintò videndum eſt: Quo tempore obliget hoc præceptum contritionis: ſi enim præceptum hoc non obligat ſtatim, poſt commiſſum peccatum, nec quandò peccatum memoriæ occurrit, neque in diebus feſtiuis: Quandò igitur erit obligatio iſta?

Duobus modis poteſt cōſiderari hoc præceptum.

Reſpondetur duobus modis talem obligationem poſſe conſiderari, primò ex ſe, & ex ſua inſtitutione, ſiuè intrinſeca ratione: ſecundò ex aliquo fine extrinſeco, ſiuè accidentario.

Vndè circa primum dicimus, quod: Etiam hæc talis obligatio ſecundùm ſuam naturam, Duobus modis poteſt intelligi: primò ex natura rei, ſeu talis præcepti; ſecunda ex aliquo præcepto poſitiuo, & ideò 16

17 Præceptum contritionis ex ſe tantùm pro articulo mortis adſtringit.

Quò ad primum, ſecundùm communem opinionem dicimus: Hoc præceptum per ſe, & ex ſua intrinſeca natura tantùm obligare pro articulo mortis: Nā ſi hoc præceptum non obligat ſtatim; nulla videtur eſſe ratio deſignandi illud in toto diſcurſu vitæ, niſi in articulo mortis: Et de hoc nulla eſt dubitatio: Nam ſi præceptum contritionis nondum fuerit adimpletum, tunc ſaltem adimplere erit neceſſarium, alioquin conſumabitur trāſgreſſio præcepti, quia elapſum erit totum tempus intra quod impleri poterat, & debebatur: Itá Nauar. in man.c.1. num.27.Filliuc. to.1. tr. 6.c.8. qu.7. Bonac.d. to.1. D.5. q.5.p.2. nu.5. & Suar. d.to.4.D.15. ſect.4. nu.19.

Nauar. Filliuc. Bonac. Suarez.

18 De præcepto poſitiuo contritionis. An obliget in ſingulis annis?

Quò ad ſecundum ſenſum huius obligationis de præcepto poſitiuo, & Eccleſiaſtico dicimus, quod: Vnuſquiſque fidelis ſaltem ſingulis annis tenetur peccatorum ſuorum pœnitere, vt præceptum annuæ confeſſionis adimpleat: Itá communiter omnes?

19 Opinio Soti affirmatiua.

Dominicus autem á Soto in 4. D.17. quæſt.2.A.6. concl.5. §.Poſtremum dicit, quod: Si quis debito tempore annuæ confeſſionis confiteri non poteſt, quia non habet copiam confeſſarij, tenetur producere actū contritionis, vt præceptum adimpleat, quia licèt in caſu excuſetur ab eo, quod facere non poteſt, non excuſatur ab illo, quod facere per ſe poteſt, & ideò putat,

Digitized by Google

putat, ſi ſemel in anno quis confiteri non poſſet tenebitur ſaltem in Paſchate actum contritionis elicere, ne nouum peccatum committat: Hæc dicit Soto.

20 Impugnatur à Suar.

Hæc tamen opinio non admittitur à Suar. d. tomo 4. D. 15. ſect. 6. num. 13. vbi dicit: Præceptum annuæ confeſſionis differre à præcepto Diuino contritionis; & ideò contritio ſemel in anno eſt neceſſaria, quatenus includitur tanquam pars confeſſionis, ſed contritio perfecta non eſt abſolutè neceſſaria ad Sacramentum abſolutionis recipiendum, cum ſufficiat attritio, ſeù imperfecta contritio, ergò ſi hoc daretur, non eſſet neceſſaria annua contritio, ſed ſufficeret attritio.

21 Ceſſante obligatione actus externi ceſſat & interni.

Deindè dicit, quod: In illo caſu, neque ad attritionem tenetur homo ex vi illius præcepti, quia quandò Eccleſia præcipit aliquem actum externum principaliter, & conſequenter præcipit internum ad illum neceſſarium; ceſſante autem obligatione exterioris actus, ceſſat etiam obligatio actus interioris: Cùm ergò contritio, ſiuè attritio ſit actus internus, ceſſante obligatione actus exterioris ceſſat etiam obligatio actus interioris: Et ideò ſi quis non haberet commoditatem adimplendi præceptum annuæ confeſſionis, non tenebitur ad contritionem concipiendam: vt dicebat Soto.

Non tenetur tamen contritionẽ concipere in Paſchate: quandò confiteri non poteſt.

22 Varij caſus, in quibus cõtritio videtur neceſſaria.

Circa verò ſecundùm modum primæ diſtinctionis, nempè de modo extrinſeco, & accidentario, Dicimus, quod: A Theologis varij caſus aſſignantur, in quibus aſſerunt teneri hominem ad contritionem cõcipiendam, quorum Primus eſt: Executio cuiuſcumque actus, exigentis neceſſariò hominem eſſe fine peccato mortali, vt eſt adminiſtratio, ſiuè receptio cuiuſcumque Sacramenti, quia niſi homo tunc conteratur nouum peccatum mortale committeret, pro vt docent omnes communiter, vt Suarez D. Tho. Filluc. Nauarr. & alij ſupra citati; Sed nota, quod (vt benè aduertit Suarez d. ſeſſ. 6. nu. 5.) Hoc potius procedere ex obligatione dignè tractandi, & recipiendi res ſacras, quam ex præcepto ſpeciali contritionis.

1. caſus eſt pro adminiſtratione Sacramenti.

Suar. D. Thom. Filluc. Nauarr.

23 2. Caſus eſt neceſſitas cõmunitatis. Adrian. Nauarr. Graff.

Secundus caſus eſt: Quandò inſtat aliqua magna neceſſitas populi, cui abſque contritionis feruore prouideri non poſſet, tunc ſecundùm Adrianum libro 4. de confeſſione quæſt. 3. & Nauarr. d. cap. 1. num. 27. & Graffium d. cap. 5. num. 27. alioſque tenetur homo contritionem concipere peccatorum ſuorum, vt conſulat bono publico per orationem feruentem in ſtatu gratiæ, vt mereatur exaudiri à Deo, & gratiam pro Populo impetrare, & præcipuè Sacerdotes, & Regulares, qui comedunt peccata populi: &c. Ità Suar. ſupra num. 9.

24 3. Caſus. Quando adeſt vehemens tentatio.

Tertius caſus, qui addi ſolet à nonnullis eſt: Quãdò occurrit vehemens tentatio, & occaſio peccandi, ad quam ſuperandam cenſeatur eſſe moraliter diuina gratia neceſſaria; tunc enim (ſecundùm iſtos,) tenetur homo ratione propriæ ſalutis, ſaltem contritionem concipere de peccatis ſuis commiſſis, vt poſſet Diuino auxilio tentationi ſuperuenienti reſiſtere, ne in nouam culpam cadat.

25 Limitatur à Suar.

Verum eſt tamen, quod talis caſus non admittitur ſimpliciter à recentioribus Theologis, vt dicit Suarez d. ſeſſ. 6. num. 7. qui dicit (per ſe loquendo;) Non teneri hominem ratione præcepti contritionis ſpecialis ad hoc, cum poſſet alijs medijs ſe adiuuare, niſi tamen dictamen conſcientiæ ignorantis, vel timidæ hoc dictaret: Iſti itaque ſunt caſus, qui communiter à Doctoribus aſſignantur circa cõtritionis præceptum, tam intrinſecum, quam extrinſecum.

DE EFFECTIBVS CONTRITIONIS.

CAP. V.

1 Effectus principalis contritionis eſt remiſſio peccatorum. Ezech. c. 18. Magiſt. in 4. D. 15. c. 1.

Effectus proprius principalis contritionis eſt omnium peccatorum, poſt Baptiſmum commiſſorũ remiſſio ex communi conſenſu omnium Theologorum in 4. D. 15. quæſt. 1. iuxta illud Ezech. cap. 18. & 13. dicentis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt non recordabor.* Itaque proprius contritionis effectus eſt dimittere omnia peccata, poſt Baptiſmum commiſſa: Ità Mag. in 4. D. 15. lib. 4. cap. 1. & 2. Nam ſicut per Baptiſmum originale peccatum dimittitur, ità per pœnitentiam ſubſequentia mortalia, (pœnitentiã intelligo) ipſum actum pœnitudinis, quæ pœnitudo, & contritio dici ſolet.

2 Differentia inter effectũ Baptiſmi, & contritionis.

Aduertendum tamen, quod Baptiſmus pleniſſimè delet omnia peccata, tam quò ad culpam, quam etiam quò ad pœnam totam: Contritio verò licèt dimittat peccata omnia, quò ad totam culpam, non tamen ſemper, quò ad totam pœnam: pro vt dicitur in Can. Dixi: de Pœniten. D. 1. Nam vſu ſæpè venit, vt remiſſa culpa reatus pœnæ luendæ relinquatur per ſatisfactionis pœnitentiæ fructus expurgandæ: remanet enim pœna ſenſus perſoluenda in Purgatorio, vel hic, vel per pęnas ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptas, vel Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitas, vel etiam per temporalia flagella, à Deo inflicta, & à nobis patienter tolerata, pro vt dicitur in Trid. Concil. ſeſſ. 13. c. 8. & 9. ſic etiam docent omnes Theologi communiter: legite Graff. to. 1. decil. lib. 1. c. 17.

Can. Dixi de Pœnit.

Concil. Trid. Graff.

3 Tota pœna non ſemper remittitur per cõtritionis effectum. D. Thom. Soto. Nauarr.

Itaque ex his colligitur: Effectum contritionis eſſe peccatorum remiſſionem, quò ad totam culpam: quia non poteſt vnum peccatum ſine altero remitti ſecundùm D. Thom. in addit. 3. p. quæſt. 8. A. 3. Soto in 4. D. 15. quæſt. 1. A. 3. & hoc etiam ante Sacramentum actu ſuſceptum, quia frequenter accidit, (quemadmodum dicit Nauar. in man. c. 1. nu. 24.) per ſolam contritionem, etiam ante Sacramentum ſuſceptum condonari omnia peccata, Nam facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam, iuxta illud Pſal. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domine: & tũc remiſiſti impietatem peccati mei*, quod refertur in Can. Dixi de Pœnit. D. 1.

Pſalm. 31.

Can. Dixi.

4 Conc. Trid. Votum confitẽdi ſemper includitur in contritione.

Sciendum eſt tamen (pro vt docet Trid. ſeſſ. 14. ca. 4.) *Quamuis: contritionem iſtam aliquandò charitate perfectã eſſe contingat, hominemque Deo reconciliari priuſquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramẽti voto, quod in illa includitur non eſſe adſcribendam:* Nã contritio vera non eſt, niſi habeat propoſitum confitendi tempore debito.

5 2. Dubitatio. An aliquàdò remittatur tota pœna per contritionem?

Secundò videndum eſt: An effectus contritionis perfectæ aliquandò, ſit peccatorum remiſſio, quò ad totam pœnam luendam?

Reſolutio affirmatiua. Gloſſ. in cap. Menſura. Ratio contritionis poteſt intendi dup. Ex parte charitatis, & ex parte doloris.

Reſpondetur, Affirmatiuè: nam contritionis actus ità perfectus aliquandò eſſe poteſt, vt per illum Deus etiam totam pęnam dimittat, vt docet Gloſſa in Can. Menſura de Pœnit. D. 1. & Ratio eſt, quia intenſio cõtritionis poteſt attendi dupliciter, vel ex parte charitatis, quæ diſplicentiam cauſat, & poteſt tantùm intendi charitas in actu dilectionis, quod contritio inſequens non ſolùm merebitur culpæ remiſſionem, ſed etiam abſolutionem ab omni pœna: Vel ſecundò ex parte doloris ſenſibilis, quem voluntas in cõtritione excitat, & quia illa etiam eſt quædam pœna, quæ tantùm poſſet intendi, quod ſufficiat ad deletionem

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Can. Pęnitē. c. Deus qui. Graff. Tabien. D. Thom.

pœnæ, & culpæ, vt dicitur in Can. Pęnitentia D. 3. & Gloſſa in c. Deus qui de Pęnit. & remiſs. vide Graff. to. 1. deciſ. c. 7. n. 5. Tabien. verb. contritio num. 16. & D. Tho. 4. contra Gent. c. 72. & in 4. D. 17. q. 2. A. 3.

6 Dolor ex parte charitatis poteſt habere valorem infinitū Syncathegorematicè.

Et quamuis dolor contritionis ſit finitus, quantum ad intenſionem, ſicut etiam pœna peccato mortali debita finita eſt Cathegorematicè, habet tamen infinitam virtutem extrinſecè, & Syncathegorematicè ex charitate, qua infinitatur, & ſecundùm hoc poteſt valere ad deletionem culpæ, & pœnæ ſecundùm quantitatem, & qualitatem ipſius perfectæ contritionis, iuxta illud Domini Luc. capit. 7. dicentis Mariæ Magdalenæ: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: Et tunc quandò fuiſſet deleta tota pœna per contritionem, confeſſio, & ſatisfactio augent gratiam, pro vt docent D. Thom. & Soto in 4. D. 14. q. 1. A. 3. §. Quod ſi: & Tabien. Verb. contritio num. 16.

Luc. c. 7.

D. Thom. Soto. Tabien.

7 Tenebitur tamen tempore debito peccata confiteri. & quare.

Et quamuis in caſu, per actum contritionis perfectæ homo ſit pleniſſimè abſolutus tenebitur tamen Sacramentaliter confiteri, quia contritio vera non eſt, niſi propoſitum confitendi habeat annexum: tum propter incertitudinem, tum etiam, vt humilitas exerceatur, & vt ſatisfaciat Eccleſię, quæ ſcandalizata eſt, pro vt dicit Gloſſa in c. ſicut primi: de Pęnit. D. 1. Si autem iſte talis non confiteretur tempore debito, quamuis non redirent eadem peccata, nec eadem pęna, ſi iam fuit remiſſa, peccaret tamē de nouo propter tranſgreſſionem præcepti confeſſionis, dati in c. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & remiſ. D. Tho. D. 17. q. 2. A. 3. Graff. tom. 1. c. 7. nu. 5.

Gloſ. in c. ſicut primi.

C. Omnis vtriuſque ſexus. D. Thom. Graff.

8 3. Dubitatio. An peccatorum reliquię tollantur per contritionē?

Tertiò videndum eſt: An per effectus contritionis perfectè tollantur omnes peccatorum reliquiæ, ideſt, diſpoſitiones, ſiuè inclinationes illæ in peccatum ex inordinatione habita ad creaturas, quæ ex frequentatis actibus creſcunt in habitum, quę à Theologis peccatorum reliquiæ appellantur.

9 In peccato duo conſiderātur Auerſio & conuerſio. D. Thom.

Pro huius dubij ſolutione eſt notandum, quod (vt colligitur ex doctrina D. Thom. 1. 2. qu. 87. A. 4.) In peccato duo inueniuntur, quorum vnum eſt Auerſio ab incommutabili bono, alterum eſt Conuerſio ad Creaturas: Primum igitur totaliter tollitur per conuerſionem perfectam, qui eſt effectus contritionis per gratiæ infuſionem: Secundùm verò non: quia peccatum mortale ex parte conuerſionis inordinatæ ad creaturas cauſat diſpoſitiones quaſdam in Anima, vel etiam habitum, ſi actus frequententur: peccatum .n. non ſolùm reatus pœnæ comitatur, verùm etiam quędam debilitates ſubſequuntur, quæ dicuntur peccatorum reliquiæ: vt ait D. Tho. 3. p. q. 86. A. 5. & Soto in 4. D. 15. q. 1. A. 5. & alij.

Peccatorum reliquiæ quę dicuntur.

D. Thom. Soto.

10 Remiſſa culpa remanent peccatorum reliquiæ.

Quapropter dicimus: Nihil prohibere, quin remiſſa culpa remaneant diſpoſitiones ex præcedentibus actibus effectæ, quæ peccatorum dicuntur reliquiæ, quia ſicut reatus pœnæ, ità & reliquiæ remanere poſſunt, quæ ex inordinata conuerſione ad bonum commutabile, cui homo peccando afficitur cauſantur, remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ità quòd non ità prædominentur in homine, ſicut prius, & hoc magis per modum diſpoſitionum, quam per modum habituum, veluti poſt Baptiſmum remanet fomes, ideſt, pronitas illa ſenſualitatis ad bona ſenſibilia, non expectato rationis ordine: Ità D. Thom. & Soto, loc. cit.

D. Thom. Soto.

11 4. Dubitatio. An peccata, cōmiſſa per cōtritionem redeant per ingratitudinem? Reſolutio.

Quartò Videndum eſt: An effectus contritionis cōſecutus per conſequens peccatum tollatur, ideſt, An peccata iam per contritionem remiſſa per ſequens peccatum redeant?

Reſpon. Secundùm Theologorum doctrinam in 4. D. 22. quod: Reditus peccati remiſſi dupliciter poteſt conſiderari: Vel de reditu eiuſdem maculæ, & reatus pœnæ æternæ, qua ratione oriebatur ex peccatis prius dimiſſis: Vel de reditu pœnæ temporalis per ingratitudinem, & ideò

Quò ad primum: Dicimus cum Soto in 4. D. 16. quæſt. 1. A. 1. concl. 3. quod: Nullo modo eſſe poteſt, quod macula, & reatus præcedentium peccatorum, ſecundùm quod ex ipſis procedebat redeant: Nam ſi cauſæ non redeunt, non eſt cur effectus redeat; E. gr. ſi quis vel homicida, vel ſacrilegus fuerat, & poſt adeptam gratiam remiſſionis committat peccatum mortale minus: Ex. gr. Furtum; non redit tanta macula, quanta habuerat per homicidium, & ſacrilegium, nec itidem fit reus peccati dimiſſi, ac ſi non eſſet dimiſſum, quia opus Dei per opus hominis irritari non poteſt: Remiſſio autem priorum peccatorum fuit opus Diuinæ miſericordiæ, ergò irritari non poteſt per ſubſequens peccatum hominis: D. Thom. 3. p. qu. 88. A. 1. in Corp. Redit tamen eadem pœna damni, Scilicet priuatio gratiæ Dei, quæ communis eſt omnibus peccatis; quia per quodlibet peccatum mortale homo auertitur à Deo, & ideò meretur pęnā æternam per gratiæ ipſius priuationem: Et ſic intelligendum eſt illud D. Iacobi c. 2. dicentis: *Qui offendit in vno factus eſt omnium reus.* 12

Eadem macula, & pęna non redit. Soto.

D. Thom. Redit tamen eadem pœna damni ideſt priuatio gratiæ.

Iacob. c. 2.

Quò ad ſecundum verò, Dicimus, quod: Per ſequens peccatum redit quodammodò reatus peccatorum prius dimiſſorum, non quatenus ex illis peccatis prius dimiſſis cauſabitur, ſed in quantum cauſatur ex peccato vltimo de nouo perpetrato, quod ratione remiſſionis peccatorum, prius dimiſſorum aggrauatur, & hoc propter ingratitudinem, quia multò magis contemnitur Dei bonitas, dū poſt remiſſionem prioris peccati homo relabitur in ipſum, vel in aliud, quia tantò maior eſt ingratitudo, quantò maiori beneficio opponitur, & maius eſt beneficium Dei, peccatum remittentis, quàm peccatorem ſubſtinentis: vt ait D. Tho. cum Soto, locis ſupra cit. 13

Quomodò dicantur redere ex peccato vltimo propter ingratitudinē.

D. Thom. Soto.

Talis tamen ingratitudo non ſemper eſt ſpeciale peccatum, neque circumſtantia ità aggrauans, quod ſemper ſit neceſſariò confitenda, licèt ſit valdè vtile, niſi tali animo ſubſequens peccatum fuerit commiſſum: Vt Videlicet Deo ſit inobediens, & eius legibus: tunc enim ratione contemptus, & ingratitudinis erit ſpeciale peccatum, & tunc talis circumſtantia confitenda eſſet: Secundùm Sotum: num. 4. D. 26. quæſt. 1. A. 4. §. fin. 14

Ingratitudo quandò eſt peccatum ſpeciale.

Soto.

At verò quandò ingratitudo non eſt ſpecialiter intenta, ſed eſt generalis conditio; Secundùm doctrinam Scoti in 4. D. 22. quæſt. 1. A. 3. poterit recidiuus in confeſſione explicare ingratitudinem ſuam, confitendo in genere peccata præterita, tanquam circūſtantias aggrauantes illa, quæ tunc confitetur, dicendo generaliter: De his, & multis alijs peccatis alias pœnitui, & credo, quod Deus mihi remiſerat, & ideò nunc fui magis ingratus, &c. Verum tamen hoc potius eſt magis de conſilio optimo, quam de neceſſitate, vt patet, &c. 15

Ingratitudo propter recidiuum, quomodò confitenda. Scotus.

Quintò. & Vltimò videndum eſt: An effectus contritionis ſit reſtituere hominem in priſtinam dignitatem, & meritum, ideſt, An obtenta remiſſione peccatorum omnes virtutes infuſæ cum priſtina dignitate, & opera per peccatum mortificata reſtituantur per recuperatam gratiam? 16

Dubitatio 5. An opera mortificata per peccatum reuiuiſcant?

Reſpondetur ſecundùm doctrinam Angelici 3. p. quæſt. 89. A. 1. Si loquimur de virtutibus infuſis: Nullam eſſe dubitationem, quin obtenta peccatorum remiſſione per contritionis effectus reſtituantur: Et ratio eſt, quia effectus perfectæ contritionis eſt remiſſio omnium peccatorum: (vt ſupra iam dictū eſt:)

Reſolutio. D. Thom.

Virtutes infuſæ per ſe reſtituuntur.

Remiſſio

Remiſſio autem peccatorum eſſe non poteſt, niſi per infuſionem gratiæ, ergò per contritionem homini infunditur gratia, ſed ex gratia conſequuntur virtutes gratuitæ, ergò per contritionem omnes virtutes gratuitæ reſtituuntur: Ità D. Thom. in 4. D. 14. & 22.

D. Thom.

17
Non ſemper inæquali gratia, reſurgit quandoque magis & minus.

Sed aduertendum eſt: Non ſemper hominem inæquali virtute conſurgere, ſed ſecundùm quantitatem, & qualitatem perfectæ pœnitudinis, quia pœnitens, quandoque conſurgit in maiori gratia, quàm prius habuerat, ſed quandoque in æquali, & aliquandò in minori, ſecundùm quod motus liberi arbitrij eſt intenſior, & remiſſior, & ſecundùm hunc motum conſequitur maiorem, vel minorem gratiam: ſic docet Soto in 4. D. 16. q. 2. A. 2. & eadem eſt ratio de virtutibus, quę ex gratia conſequuntur.

Soto.

18
Gratia, & filiatio Dei reſtituitur ſicut prius.

Si autem loquimur de dignitate priſtina, in qua homo exiſtebat ante Deum priuſquam peccaſſet: Dicimus: quod dignitas principalis, qua homo computatus erat inter filios Dei, exiſtens in gratia per effectum contritionis recuperatur, ſecundùm illud, quod legitur in Euangel. Luc. cap. 15. de filio prodigo, cui dixit pater: *Date illi ſtolam primam, & cet.* Quemadmodum etiam dixit Dauid in Pſalm. 81. *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes:* (loquebatur enim de omnibus exiſtentibus in gratia Dei,) & in hoc nulla eſt controuerſia.

Luca c. 15.

19
Innocentia per contritionem recuperari non poteſt.
Nahum. c. 1.

Dignitas verò ſecundaria, Scilicet: Innocentia, quæ conſiſtit in hoc, vt homo nunquam peccauerit, nullo modo per conſequentem virtutem contritionis reſtituitur ſecundùm illud Nahum cap. 1. dicentis: *Mundans non faciet innocentiam:* Et ratio eſt, quia cùm illa ſit iam per commiſſionem peccati mortalis abolita, recuperari nullatenus poteſt, quia contradictionem implicat, quod illud, quod iam commiſſum fuit non ſit commiſſum, in quo innocentia illa conſiſtebat: Similiter etiam dicimus de Virginitate, quæ recuperari non poteſt: Recuperatur autem quandòque aliquod nia: ſs.aut minus ſecundùm intenſionem Charitatis, & [illegible]nnudinis: quia (vt ait Dominus Matth. cap. 15.) *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente.*

Matth. 15.

20
Opera mortificata reuiuiſcunt.

De operibus verò meritorijs, in Charitate factis, & poſteà per peccatum mortificatis, dicimus etiam: Nullam eſſe dubitationem, quod per contritionis effectum reuiuiſcant, & ratio eſt, quia licèt opera illa in Charitate facta, & poſteà per peccatum Mortificata dicantur, non tamen ſunt mortua, nec omninò abolita, & annullata, ſed tantummodò impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis: Amoto autem impedimento, quod erat ex parte ſubiecti, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur: D. Tho. 3. p. q. 89. A. 5. & alij.

D. Thom.

21
Opera mortificari, quid ſit.

Deindè opera bona mortificari non eſt omninò tolli, & aboleri, ſed indigna præmio reputari, ad quod accepta erant, & hoc propter indignitatem perſonæ, quæ per peccatum fit Dei inimica: quare cùm poſteà fiet amica opera per Dei miſericordiam reuiuiſcent. Ità docet Soto ſupra q. 2. A. 5.

Soto.

22
Opera mortificata, per pœnitentiam relucent.
D. Gregor.
Soto.

Inſuper, ſicut opera bona priora per peccatum obſcurantur, ità per pœnitentiam iterum relucent, & reuiuiſcunt: ſic ait D. Gregor. in expoſitione Can. Intermittentes de Pœniten. D. 4. & tandem concludit Soto ſupra qu. 2. A. 5. Non ſolùm temerarium, ſed erroneum eſſe negare: mortificata opera reuiuiſci non poſſe.

23
Opera extra gratiam dicuntur mortua, & reuiuiſci non poſſunt.

De operibus autem mortuis, quæ fiunt extra gratiam, dicimus: Non poſſe omninò per contritionis effectum reuiuiſci, quia (vt ait D. Thom. 3. p. qu. 89. A. 6.) *Impoſſibile eſt, quod opera mortua, iterum fiant viua per pœnitentiam:* Opera enim ſine Charitate facta, dicuntur mortua propter defectum Chatitatis, & gratiæ, vt dicit Apoſtol. 1. Cor. cap. 13. & in Can. Nihil de conſ. D. 5. & ideò reuiuiſci non poſſunt, Ità communiter omnes Theologi: in 4. D. 22. & Soto D. 16. quæſt. 2. A. 6.

D. Thom.
Ad Cor. c. 13.
Can. Nihil.
Soto.

24
Collectio breuis ſupradictorum.

Itàque ex dictis colligitur: Effectum præcipuum contritionis eſſe remittere omnia peccata, quò ad totam culpam & aliquandò, quò ad totam pœnam, ſecundùm quantitatem, & qualitatem contritionis, ſecundùm magis, & minus. Item reſtituere omnia opera bona in Charitate facta, quæ ratione peccati mortalis commiſſi erant mortificata: Reſtituit hominem ad priſtinam dignitatem quò ad gratiam: Reliquiæ peccatorum, licèt omninò non auferentur remanent tamen debilitatæ: Ità vt homo facilius Diuina ope illis reſiſtat: Reſtituit virtutes infuſas, & facit peccatorem redire in gratiam Dei.

DE CONTRITIONE IMPERFECTA, ſiuè de Attritione.

CAP. VI.

DIximus in primo capitulo huius tractatus: Duplicem eſſe contritionem: Vnam perfectam, alteram imperfectam: De contritione perfecta hactenus in præcedentibus locuti ſumus: Opere pretiũ eſt, vt de altera, quæ dicitur Attritio dicamus.

1
Attritio dicitur imperfecta contritio.

Quàpropter dicimus, quod contritio iſta, quæ à Canoniſtis appellatur Imperfecta, eò quod hominẽ ad gratiam conſequendam ſine Sacramenti virtute actu ſuſcepti inſufficienter diſpoſitus quamuis Sacramento adiuncta gratiam Sanctificantem conferat, quàpropter à Theologis vocatur contritio Informis, eò quod ſit abſque gratia informata: Communiter autem dicitur, Attritio, quia Cor hominis per ipſam non perfectè conteritur, iuxta illud, quod canit Eccleſia: *Cor contritum quaſi cinis:* Sed tantùm atteritur, vel ex metu Gehennæ, vel ex peccati turpitudinis conſideratione, ſiuè mortis timore, aut quandò peccator de peccato commiſſo imperfectè dolet; ideſt, non eo modo, quo requiritur pro gratia Diuina conſequenda: Quàpropter huiuſmodi pœnitens dicitur: Attritus, quaſi imperfectè tritus: Ità Angel. ver. Contritio, & Graff. to. 1. deciſ. c. 2. & alij communiter.

Attritio, ſiuè contritio Informis idem ſunt.
Attritio quomodò cauſatur.

Angelus.
Graff.

2
attritio quid ſit ſecundum Etymologiã nominis.

Vndè ex hac Etymologia, ſiuè vocis metaphora liquidò patet, quid nomen attritionis importet: Cùm enim contritio dolorem perfectum indicet: Attritio, quæ imperfecta contritio appellatur, ſignificat omnem dolorem peccati, qui ad illam perfectionem non peruenit.

3
Attritio duplex naturalis, & Chriſtiana.
Concil. Trid.
Donum Dei, m. uentis appellat.

Hæc autem attritio, Duplex eſt: Vna dicitur Chriſtiana, quæ iuxta Sacri Triden. Concil. doctrinam: ſeſſ. 14. cap. 4. *Donum Dei dicitur, & Spiritus Sancti impulſus non quidem inhabitantis, ſed mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat:* Altera dicitur attritio naturalis, quæ ex proprio cauſatur amore, vel ex aliquo turpi motiuo, vt infrà videbitur: Non enim omnis dolor imperfectus nomen veræ attritionis meretur, ſed tantùm ille, qui ad obtinendam Dei gratiam poſſit deſeruire, quem nos Chriſtianam attritionem vocamus. Ità Suar. D. 5. ſect. 1.

Suar.

4
Attritio Chriſtiana, quæ.
Concil. Trid.

Eſt autem huiuſmodi Chriſtiana attritio, pro vt Triden. ait Conc. ſeſſ. 14. cap. 5. *Illa imperfecta contritio, quæ procedit ex timore ſeruili, & paratur per diſcuſſionem, collectionem, & peccatorum deteſtationem, qua quis recogitat omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ,*

quæ

quæ licèt ex ſe non ſit ſufficiens ad impetrandam gratiam, ad illam tamen ſufficienter diſponit: Vnde addita Sacramento confert gratiam: Ex hac ergò deſcriptione attritionis, aſſignata à Tridentino, ſic ipſam definire poſſumus.

5 Attritionis vera definitio. In quo differat attritio à vera côtritione.

Attritio (Chriſtianam intelligo) *eſt pœnitudo voluntaria cum dolore peccati proprij, iam commiſſi, cum propoſito non peccandi de cætero, ſpeque veniæ, diuinitus obtinendæ:* Ex qua definitione habita, liquidò patet: multa deſiderari in hac definitione, ex illis, quæ in definitione contritionis perfectæ dicta ſunt: In illa enim dolor debet eſſe maximus appretiatiuè, & quatenus eſt offenſa Dei, ſuper omnia dilecti: Quæ omnia in attritione Chriſtiana neceſſaria minimè ſunt, & ideò rectè talis peccatorum deteſtatio: Imperfecta appellatur contritio.

Declaratur definitio.

6 Pœnitudo eſt genus vtriuſque.

Diximus ergò in hac noſtra definitione: (*Attritio eſt pœnitudo*) quia pœnitudo eſt genus, quod de pluribus differentibus ſpecie prædicatur: cõprehendit enim ſub ſe contritionem ſimul, & attritionem: Ideò non eſt mirandum, quia diximus: Contritionem eſſe pœnitudinem, & idem de attritione affirmamus, quia pœnitudo eſt genus vtriuſque ſpeciei: Omnis enim contritio eſt pœnitudo, non tamen è contra, quia poteſt eſſe etiam attritio, vti diximus, &c.

7 Propoſitum non peccandi neceſſariò requiritur.

Diximus ſecundò (*Voluntaria, & cum dolore proprij peccati*) quia ſi huiuſmodi attritio non ſit pœnitudo voluntaria per actum virtutis meritoriæ, & cum dolore, & diſplicentia peccati proprij, iam commiſſi, nullo modo Chriſtianæ attritionis nomen habere poteſt, ideò, &c.

8 Diximus tertiò (*Cum propoſito non peccandi de cætero*) quia niſi talis pœnitudo voluntatem peccandi excludat, Non eſt Chriſtiana attritio, de qua loquitur Tridentinum Concil. De neceſſitate enim requiritur, vt pœnitudo illa voluntatem peccandi excludat, ideſt, vt eo animo non concipiatur, quod à peccando non ceſſaret, ſi neque mors, neque Infernus eſſet: Tunc enim eſſet nouum peccatum adiungere: vt dicitur in cap. Si cui de Pœnitent. D. 1. & Graff. d. tom. 1. deciſ. capit. 1. num. 7.

Can. ſicui. Graff.

9 Spes veniæ eſt neceſſaria ad gratiam conſequendã & quid ſignificet. Conc. Trid. Bonac. Graff.

Et tandem quartò dicimus (*Cum ſpe veniæ*) hoc eſt, vt pœnitens exiſtimet huiuſmodi pœnitentiam ſufficientem eſſe, vel ſaltem, quod non videatur ei non ſufficere ad impetrandam veniam, & petendam ſacramentalem abſolutionem: Hoc enim eſt, ſub ſpe veniæ, vt Trid. Conc. docet: Non enim ſperaret veniam, qui ſe non habere ſufficientem dolorem putaret: Ità Bonac. to. 1. de Pœnit. D. 5. q. 5. ſect. 3. nu. 9. & Graff. loco ſup. citato.

10 Timor formidine pœnæ quomodo intelligitur. Conc. Trid.

Hic tamen eſt aduertendum, quod licèt motus attritionis Chriſtianæ concipi poſſet ex turpitudine peccati, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu, vt Concil. Trid. ſupra docet: Nomine tamen pœnarum intelligi debet, non quæcumque pœna, quomodolibet inflicta per homines, ſed vt à Deo illata in vindictam peccatorum; Nam pœnæ quatenus hoc modo conſiderantur, ideſt, à Deo inflictæ, & illatæ excitant ipſum peccatorem ad ipſius Dei timorem; & tunc talis timor ſufficienter auertit voluntatem peccatoris ab affectu peccati, & habet rationem attritionis veræ, quod probat Concilium exemplo Niniuitarum, qui tali timore concuſſi ſufficienter ſe ad iuſtificationem diſpoſuerunt, & veniam à Deo impetrarunt: Tali enim timore timemus Deo, quoniam vindex eſt, & punitor peccatorum.

Exemplum Niniuitarũ.

11 Aduertentia.

Si autem talis pœnitudo procederet ex metu Gehennæ, vel aliarum pœnarum, non vt à Deo inflictarum in pœnam peccati, & per conſequens, niſi eſſet Gehenna, & alia pœna non pœniteret, nec doleret peccator, talis timor non mereretur nomen attritionis Chriſtianæ, & per conſequens non ſufficeret ad remiſſionem obtinendam: Hæc enim omnia ex doctrina Suarez d. tom. 4. de Pœnitent. Diſt. 5. ſect. 2. colliguntur.

Suarez.

Item turpitudo peccati, quæ motiuum eſſe ſolet attritionis, intelligenda eſt, quatenus propter aliquam rationem ſupernaturalem deteſtandum eſt peccatum, quia deteſtari peccatum propter aliquam tantum rationem naturalem, non eſſet motiuum veræ attritionis, quod eſt donum Dei; Debet ergò conſiderari turpitudo peccati, vel quia auertit nos à Deo, vel quia eſt contra honeſtatem, vel quia eſt contra rectam rationem: Vel quia eſt contra bonum ſpirituale animæ: & tunc talis conſideratio eſt ſupernaturalis, & motiuum attritionis Chriſtianæ. 12

Turpitudo peccati quomodo eſſe poteſt attritionis motiuũ.

Vndè ſequitur primò: Veram, & Chriſtianam attritionem non poſſe ex aliquo turpi motiuo procedere: E. g. pœnitet, me peccaſſe cum matre, quia cupiebam peccare cum filia ipſius, &c. 13

1. Inferentia.

Secundò ſequitur: Dolorem, qui in ſolo temporali, & humano motiuo fundatur, non mereri nomen attritionis Chriſtianæ: E. g. Pœnitet me peccaſſe, quia amiſi pecuniam: Pœnitet me feciſſe furtum, quia habui infamiam: Et huiuſmodi pœnitentia à D. Auguſt. lib. de Catechum. c. 7. *Inutilis, ficta, & ſine ſpe veniæ* appellatur. 14

2. Inferentia. Pœnitentia inutilis. D. Auguſt.

Tertiò ſequitur: Dolorem purè naturalem, quamuis honeſtum, non attingere gradum attritionis, quia attritio eſt donum Dei ſupernaturale, vt ex Trid. clarè patet: & Diu. Thom. dicit, 3. par. quæſt. 85. Art. 5. ad 3. *Omnem veram pœnitentiam eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus*. Nam pœnitentia merè naturalis potius philoſophica dici poteſt, quam Chriſtiana: Ità Suar. d. tom. 4. D. 5. ſect. 1. num. 4. contra Sot. qui putabat: Attritionem tantum ex viribus naturalibus elici poſſe, vt ipſe docuerat in 4. D. 17. q. 2. A. 5. in 3. differentia. 15

3. Inferentia. Attritio eſt donum Dei ſupernaturale. Concil. Trid. D. Thom. Suar.

Quartò ſequitur: Attritionem eſſe debere deteſtationem peccati ità efficacem, vt ſaltem virtualiter includat propoſitũ non peccandi, & ratio huius eſt, quia attritio Chriſtiana debet tollere, ſaltem obicem, qui poſitus eſt per effectum peccati. 16

4. Inferentia.

Quintò infero: Attritionem, & contritionem perfectam in aliquibus differre, & in aliquibus conuenire: Differunt enim primò; quia attritio eſt dolor imperfectus: Contritio verò eſt dolor perfectus: vt aiunt D. Auguſt. quem ſequitur Sylu. ver. Contritio nu. 1. & alij Theologi. 17

Attritio, & contritio in quo differẽt. 1. Differẽtia. D. Auguſt. Sylueſt.

Secundò contritio ex ſua intrinſeca virtute diuinitus recepta eſt informata per gratiam, etiam ante ſacramentum, actu ſuſceptum: Attritio verò ſine ſacramenti virtute per ſe ad iuſtificationem peccatorem perducere non poteſt, licèt ad Dei gratiam in ſacramento Pęnitentiæ impetrandam diſponat, vt docet Trident. ſupra: Vndè attritio eſt dolor ſine gratia: contritio verò cum gratia: Ità Angel. & Sylueſtr. 18

2. Differẽtia. Angelus. Sylueſt.

Tertiò contritio eſt dolor de offenſa Dei propter Deum: Attritio verò concipitur ex metu pœnarum: Vndè contritio oritur ex timore filiali, Attritio verò ex timore ſeruili: Ità Soto in 4. Diſt. 17. quæſt. 2. Art. 5. ſequens Diu. Thom. D. 17. q. 2. A. 3. ex doctrina Trid. ſupra. 19

3. Differẽtia. Soto. D. Thom.

Nihilominus huiuſmodi attritio vtilis eſt, & laudãda, cùm ſit donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus, non quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis: Quàpropter timor iſte ſeruilis comparatur ſetæ ſutoris, quia ſicut ſeta introducit filum: Ità timor introducit charitatem; creſcit enim charitas, & minuitur timor. 20

Vtilitas attritionis, quæ.

& q

Digitized by Google

Can. Sicut ſeta. Ioann. epiſt. c. 4. & è conuerſo; Can. Sicut ſeta: de Pœnitent. diſt. 2. *Nam timor non eſt in Charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*: Pro vt dicit Ioann. epiſt. 1. capit. 4. num. 18.

21 Attritio, & contritio, in quibus conueniunt. Conueniunt verò in multis: Primò: Vtraque eſt deteſtatio, & odium peccati: Secundò vtraque debet eſſe actus, efficaciter auertens voluntatem à peccato, & includens ſaltem implicitè propoſitum non peccandi: Tertiò vtraque debet eſſe deteſtatio, non de aliquo peccato, ſed de omnibus peccatis commiſſis: Et quartò vtraque debet eſſe actus ſupernaturalis, & ideò debet eſſe ſub ſpe veniæ.

22 Septē ſpecies attritionis. Quatuor vtiles. & 3. inutiles. Ex dictis itàque colligitur: ſeptem eſſe ſpecies attritionis, ex quibus quatuor ſunt perfectæ, quia cum ſacramento ſufficiunt ad peccatorum remiſſionem obtinendam, & recuperandam gratiam, tres verò aliæ ſunt inſufficientes, & inutiles, quia etiam cum ſacramento non tranſeunt ad contritionis effectum conſequendum: vt videbitur.

23 P. ſpecies attritionis vtilis. Victoria. Graff. Prima: Itàque ſpecies attritionis vtilis eſt: Quando quis dolet peccatorum, commiſſorum cum propoſito non peccandi de cætero: Sed talis dolor, & deteſtatio, non eſt ità feruidus, & perfectus, vt par erat: Franciſcus à Victoria in ſum. nu. 121. & Graff. tom. 1. Deciſ. c. 2. nu. 18.

2. Species. Secunda quando concipitur dolor propter Deum, credendo ſe habere ſufficientem dolorem, ſed in rei 3. Species. veritate non eſt ſufficiens: & 3. Quando quis putans ſe dolere propter Deum, in veritate tamen dolet propter 4. Species. metum pœnarum Inferni: Et quarta quando concipitur dolor ex metu diuini iudicij, ſiuè timore mortis, aut ex conſideratione fœditatis peccati (modò peccandi voluntas excludatur, ſub ſpe veniæ diuinitus acquirendæ) iuxta Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Ità Soto Diſt. 17. d. 2. Art. 5. Concil. Trid. Soto.

24 Species attritionis inutilis. P. Species. Attritiones verò imperfectæ, quæ etiam cum ſacramento non tranſeunt ad effectum gratiæ conſequendum ſunt tres, quarum Prima eſt: Illorum quos pœnitet quidem, peccaſſe mortaliter, vellentque non peccaſſe; ſed non omninò ſtatuunt à peccatis ſuis abſtinere: Et hæc eſt illa attritio impœnitentium, de qua loquitur textus: in can. Quod quidam de Pœnitent. & remiſſ. Et huiuſmodi attritio à Nauarro c. 1. nu. 3. & Soto in 4. D. 17. q. 2. Art. 5. appellatur Velleitas impœnitentium, quæ non ſufficit ad recipiendam ſacramentalem abſolutionem. Can. Quod quidem. Velleitas qd. Nauarr. Soto.

25 2. Species inutilis. Secunda eſt: Illorum, qui tantum ex proprio amore moti dolent de peccatis, & hoc timore mortis, vel infamiæ, ſiuè aliarum pœnarum, non tamquam à Deo inflictarum, ſed pro vt in ſe ſunt contra ſe ipſum: Et talis pœnitudo ſimiliter non ſufficit, quia ortum habet ex proprio amore, & non eſt propter Deum.

26 Tertia ſpecies inutilis. Tertia eſt: Quando concipitur dolor præcipuè propter metum, hac tamen voluntate, quod non ceſſaret à peccato, ſi pœnas non timeret: Vndè in his caſibus ſic attriti, non ſolùm non conſequuntur gratiam mediãte abſolutione ſacramentali, verùm etiam peccant mortaliter ſic petendo abſolutionem, propter indiſpoſitionis defectum: Ità Nauarr. d. c. 1. nu. 34. & Graff. ſupra, & omnes communiter. Nauarr. Graff.

27 Quæſtio. An attritio poſſet fieri cõtritio. P. Opinio. Hoc ſuppoſito: Quæritur modò: An illa Chriſtiana attritio poſſit aliquando fieri contritio, & quomodò? Et ratio dubitandi eſt, quia hæc quæſtio videtur valdè celebris apud Theologos: Sunt enim nonnulli, dicentes: Nullo modo attritionem poſſe fieri contritionem; Quia attritio, & contritio ſunt actus eſſentialiter diſtincti, & differentes, ergò vnus non poteſt fieri alter, ſiuè tranſire in alium, cùm vna ſpecies non poſſit in aliam tranſire.

Alij verò dicunt: Attritionem poſſe fieri contritionem per additionem alicuius perfectionis accidentalis: quia ſuperueniente gratia, illa attritio, ſiuè contritio informis informatur gratia, & charitate, & ſic attritio illa fit contritio: Ità docuit Scotus in 4. diſt. 17. quæſt. 2. Art. 1. quem etiam ex parte ſequitur Caietan. tom. 1. Opuſc. 4. quæſt. 1. Angel. ver. Contritio: Solent etiam alij quam plurimi citari pro iſta opinione; Vndè hæc diuerſitas opinionum potius eſt in voce, quàm in re, ideoque ſi velint faciliter poſſint iſti DD. concordari. 28 2. Opinio. Scotus. Caiet. Angelus.

Notandum ergò, pro deciſione veritatis: Duplicem eſſe attritionem, quarum vna dicitur talis intrinſecè, quia eſt dolor peccati non quatenus eſt offenſa Dei, ſed ſolùm, aut tantùm, ſiuè principalius propter damnum, quod peccanti ex eo contingit: Altera dicitur attritio extrinſecè, quia licèt ſit dolor de offenſa Dei, caret tamen gratia, quia non eſt ſufficiens ad illam. 29 Notandum. Attritio duplex intrinſecè, & extrinſecè.

Vndè prima opinio, quæ videtur eſſe Diu. Thom. in 4. Diſtinct. 17. quæſt. 2. Art. 1. quæſt. 3. Loquitur de attritione propriè dicta, quæ ſcilicet debet habere, & id habet intrinſecè ex obiecto, & ſic dicit: Nullo modo poſſe fieri attritionem, quia attritio id habet intrinſecè ex obiecto. Et ratio eſt clara, quia actus ſpecificantur ex obiectu, ſed attritio, & contritio, vt ſic, habent diuerſa obiecta, ergò differunt ſpecie, ob id neuter illorum poteſt fieri alter, & de hoc non eſt difficultas. 30 1. Opinio loquitur de intrinſeca attritione, quod habet intrinſecè ex obiectu.

Scotus verò, eiuſque ſequentes loquuntur de illa pœnitudine. quæ eſt attritio, & non contritio, non ob defectum illum intrinſecum, qualis eſt defectus ex parte obiecti, ſed ob aliquam cauſam extrinſecam, qualis eſt defectus gratiæ, & in hoc ſenſu: Scotus etiam benè dicit: pro vt dicit Soto D. 17. q. 2. A. 5. & Nauar. in man. c. 1. num. 38. 31 Secunda opinio loquitur de attritione extrinſeca.

Dicimus ergò nos: Aliud eſſe attritum fieri contritum, aliud verò attritionem fieri contritionem: Vndè licèt ipſa attritio, ſi in rigore, & propriè ſumatur non poſſit fieri contritio; poteſt tamen benè attritus fieri contritus virtute ſacramenti effectiuè, ideſt, vt homo, qui eſt attritus recipiat effectum hominis cõtriti, ideſt, remiſſionem peccatorum: Sicut etiam frigidum poteſt fieri calidum per mutationem ſubiecti, tranſeuntis à forma imperfecta ad perfectam, ſeu ab vno ſtatu ad alium, quamuis ipſa frigiditas non poſſit fieri caliditas cum implicet, pro vt benè docet Suarez d. tom. 4. diſt. 5. ſect. 3. 32 Concluſio. Attritus poteſt fieri contritus virtute ſacramenti. Suar.

Igitur ex dictis breuiter colligi poteſt: Tribus modis poſſe hominem ex attrito fieri contritum: Primò per mutationem doloris ex imperfecto ad perfectum: Secundò per additionem amoris ipſi dolori imperfecto: E. g. Si quis prius habebat dolorem de peccatis ex mera virtute pœnitentiæ abſque vllo actu elicito charitatis, erat tunc tantùm attritus, ſi verò vltra hunc actum addat alium actum amoris Dei ſuper omnia, in quem referat illum eumdem dolorem, tunc incipit eſſe contritus, quia iam dolet de peccato propter Deũ, ſummè dilectum, & ſic eſt contritus: Tertiò tandem, virtute ſacramenti, quia ſine mutatione actus illi infunditur gratia, & charitas: Tunc enim ſolùm dicitur homo fieri ex attrito contritus, quaſi æqualiter recipiat effectum hominis contriti, ideſt gratiam, & peccatorum remiſſionem, & hoc virtute operis operati: Et ità intelligendum eſt illud commune dictum: *Sacramentum Pœnitentiæ facere ex attrito contritum*: pro vt explicat Suarez D. tomo 4. Diſtinct. quinta, ſect. 3. 33 Tribus modis fit ex attrito contritus. P. Per mutationem doloris. 2. Per additionem amoris. Tertiò virtute ſacramẽti, per infuſionẽ gratiæ. Suar.

Vltimò tandem quæritur: An attritio cognita ſufficiat ad ſacramentum abſolutionis recipiendum? ideſt, 34 Alia quæſtio.

An

An attritio cognita ſit ſufficiens ad abſolutionem recipiendã?

An pœnitens teneatur putare ſaltem ſe eſſe contritũ; Et ratio dubitandi eſt, quia ſpeciali præcepto tenetur vnuſquiſque ſancta ſanctè pertractare, & præterea non accedere ad ſacramentum recipiendum ſcienter cum peccato mortali; Qui autem eſt tantùm attritus, adhuc manet in peccato, ergò indignè recipit abſolutionem ſacramentalem.

1. Opinio.

35 Vndè in hac re eſt opinio multorum Doctorum, exiſtimantium, & dicentium quod, licèt virtute ſacramenti attritus fiat contritus, neceſſarium tamen eſt, vt pœnitens in caſu ſaltem habeat contritionem putatam, vt bona fide accedat ad ſacramentum, putans ſe eſſe contritum: Ità Victoria de poteſtate Eccleſiæ: q.2. Soto lib.2. de Nat.& grat.cap.15.& in 4.D.18.q.3.A.2.5. Nihilominus, Ledeſma 2.p.4.q.20.A.1. Vega in Trid.lib.13.cap.34.ad 3.obiectionem,& ſi qui ſunt alij: Solet etiam opinio iſta tribui Nauarro; Qui in man.c.1.num.37.videtur conſentire in hoc: Sed num.42. ità explicat ſuam opinionem, dicens; *Attritionem ſolam non ſufficere ad iuſtificationem, niſi vel putetur eſſe contritio, vel ſaltem futura talis, munita valore abſolutionis ſacramentalis:* Vndè potius videtur dixiſſe: Etiam attritionem cognitam ſufficere ad abſolutionem petendam, dum tamen probabiliter exiſtimetur: Illam per ſacramentum eſſe ſufficientem ad gratiam conſequendam.

Victoria, Soto, Ledeſma, Vega.

Tribuitur etiam Nauarro, ſed immeritò.

Secunda opinio affirmatiua. Concluſio, Suar.

36 His tamen non obſtantibus, dicimus cum Suarez d.tom.4.D.20.ſect.1.nu.10.& 20 quod: Vt ſacramentum Pœnitentiæ conferat effectum ſuum ſufficit vera, & integra attritio peccatorum, ſiuè illa ſit cognita, ſiuè non: Et ratio eſt, quia poſt inſtitutionem huius ſacramenti nullum extat præceptum negatiuum non accedendi ad illud cum conſcientia peccati mortalis, niſi poſt veram, & perfectam contritionem: Imò totum oppoſitum habetur: vt Trid.ſeſſ.14.cap.4. expreſsè declarat, dicens: *Attritionem chriſtianam eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam conſequendam in ſacramento Pœnitentiæ:* Quod autem illa attritio exiſtimetur contritio nulla apparet ratio ſufficiens, quæ talem obligationem inducat: Deindè ſacramentum hoc inſtitutum eſt ad viuificandos mortuos: Non eſt enim ſacramentum viuorum, ſed mortuorum, cùm ſupponat peccatum; Ergò hoc ipſo ex ſe non requirit talem diſpoſitionem, quæ mortem expulerit, ſed talem, quæ ſufficiat, vt ſacramentum ipſum mortem peccati expellat, conferendo gratiam iuſtificantem.

Concil. Trid. probatur cõcluſio. Secundæ ſententiæ,

Reſpondetur ad fundamentum primæ opinionis.

37 Quàpropter non valet ratio primæ opinionis dicẽtis: Illum talem indignè accedere ad ſacramentum, eò quod in peccato accedat.

Reſpondetur enim, quod venit ità diſpoſitus, vt in gratia conſumetur virtute ſacramenti abſolutionis, facientis ex attrito contritum, & ità non indignè tractat, quæ ſancta ſunt. Ità D.Tho.in 4.D.17.q.3.Art.5. quæſtiunc.3. Vbi in hoc æquiparat Sacramentum Pœnitentiæ Baptiſmo: Et expreſſius in 3.p.q.80.A.4. ad ſecundum: Vbi conſtituit diſcrimen inter Baptiſmum, & Pœnitentiam ex vna parte, & Euchariſtiam ex altera: Et illa duo, (vt ipſe ait) ſunt quaſi medicina purgatiua, quæ dantur ad tollendam febrim peccati; Euchariſtia verò eſt medicina confortatiua, quæ non datur niſi liberatis à febri peccati.

D. Thom.

Attritio etiã cognita ſufficit ad abſolutionem petẽdam. Scotus. Palud. Durand. Capreol. Adrian. Suar. D. Ant. Syluest. Nauar.

38 Ex quo patet D.Thom. plenè ſentire; Pœnitentem eſſe abſoluendum, etiam ſi conſtaret nondum eſſe liberatum à peccato, dummodò ſit per attritionem ſufficienter diſpoſitus: Ità etiam intelligit Scotus in d.4. Diſt.14.quæſt.4. Art.3. & Paludan. Capreol. Durand. Adrian.& alij citati à Suar. Diu. Ant.3.par.tit.14.§.5.c.19 Syluest.ver.contritio, q.1. Nauar.in man.cap.1.nu.42. Vndè reſolutoriè dicimus: Veram, & integram attritionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad effectum huius ſacramenti, quamuis ſit cognita, neque oportere illam exiſtimare contritionem, vt effectus conferat.

TRACTATVS XXI.
De Sacramentis.
Et de Confeſſione Sacramentali.
Tract. IV.

PROOEMIVM.

SEcunda pars Sacramenti Pœnitentiæ eſt confeſſio ſacramentalis, quæ etiam vocalis, ſiuè auricularis appellatur, eo quod voce, & aure ſecretè fiat ex inſtitutione Domini Ieſu, qui poſt Reſurrectionem ſuam ligandi, atque ſoluendi peccata Apoſtolis ſuis facultatem reliquit: Vndè omnibus in Chriſto credentibus, poſt Baptiſmum lapſis ex Diuina inſtitutione peccatorum commiſſorum confeſſio, vel in re, vel in voto neceſſaria eſt. Licet enim perfecta contritio ex ſe ad gratiam conferendam eſſet ſufficiens: talis tamen contritio, vt Trid. Conc. ſeſſ.14. c.4. declarauit, ſine ſacram. confeſſione, & abſolutione in re, vel in voto neceſſaria ad effectum gratiæ conſequendum non valet: Hæc enim eſt veluti propinqua materia, in qua ſacramentum Pœnitentiæ perficitur: Nam abſolutio, quod eſt principale huius Sacramenti fundamentum, abſque peccatorum confeſſione impendi non poteſt: Vndè poſtequam de contritione in ſuperiori tractatu locuti ſumus, operæ pretium eſt, vt de ipſa confeſſione ſpecialiter tractemus: Et vt ordinatim procedamus: Primò de ipſius quiditate, deindè de qualitate, & poſtremò tandem de neceſſitate ipſius dicemus, Quæ omnia in pluribus capitulis diuidemus.

Conc. Trid.

Diuiſio tractatus.

DE CONFESSIONIS ETYMOLOGIA, & Quiditate.

CAP. I.

Etymologia vocis confeſſionis.

COnfeſſio, ſecundum Sylu.& Angel.in verb.Confeſſio ex Direct. & Raymun. dicitur à Con, & faſſio, quaſi ſimul, & ex toto, vel vndique faſſio, idest locutio: Vndè ille confitetur, qui totum fatetur, ideſt, integrè; At quoniam vox iſta confeſſio multifariè accipitur, ideò neceſsè eſt, vt ipſam in ſua ſignificata diſtinguamus, antequam quiditatem ipſius per definitionem explicemus, ne in æquiuocis laboremus: Quapropter

Dico primò: Confeſſionem Tripliciter accipi poſſe; quarum prima dicitur: Confeſſio laudis, iuxta illud, quod dixit Dominus: Matt. cap.11. *Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ,* ideſt, laudo te, non accuſo me; Prout dicit D.Aug.in dicta Hom. Euang. Secunda dicitur: Confeſſio Fidei: Vndè Apoſt.ad Rom.c.10. ſcribens ait: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio, fit ad ſalutem:* Et ipſe Dominus dixit: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Tertia appellatur: Confeſſio criminis, de qua dicit Eccl. cap.4. *Non confunderis confiteri peccata tua, vt iuſtificeris;* Et de iſta confeſſione loquimur in præſenti. 1

1 Aſſertio. Confeſſio tripliciter accipitur. Confeſſio laudis. Matt c. 11. D. Auguſt. Confeſſio Fidei. Rom.c.10. Confeſſio criminis. Eccl. c.4.

Sed quia confeſſio iſta criminis, Duplex eſt, vna dicitur interna, altera externa: Prior eſt illa, quæ 2

fit

2 Confeſſio criminis duplex interna, & externa.

Digitized by Google

Pſal. 31.

fit Deo ipſi ſoli, quandò homo peccator, recogitans peccata ſua in amaritudine animæ ſuæ coram Deo ſe accuſat: iuxta Dauidicum illud, Pſalm. 31. *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Et de iſta in præcedenti tractatu de contritione loquuti ſumus.

3 Confeſſio externa: Triplex eſt, Iudicialis, Extraiudicialis, & Sacramentalis.

Externa eſt illa, quæ voce, & ore fit: Quæ etiam triplex eſt. P. dicitur; Iudicialis confeſſio, quæ fit à reo coram iudice interrogante. Secunda dicitur: Extraiudicialis, qualis eſt illa confeſſio generalis, quæ quotidiè ante Miſſam fieri ſolet, & huiuſmodi: Et ſpecialis, quæ ſolet fieri in communi hominum locutione: Tertia dicitur; Sacramentalis, quæ fit proprio Sacerdoti, & de hac nos dicturi ſumus: Ipſa enim tantùm ad hoc pertinet ſacramentum, & non aliæ.

4 Variæ deſcriptiones de ſacramentali confeſſione. D. Aug. D. Gregor. Raymund. Alij communiter.

Quapropter ſciendum eſt: Multipliciter à Theologis Sacramentalem confeſſionem deſcribi ſoleri, ac definiri: Vndè D. Auguſt. libr. de Ver. & falſ. pœnit. dicit: *Confeſſio eſt, per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur*: D. autem Gregor. dixit, *Confeſſio eſt peccatorum deteſtatio, & ruptio vulneris*. Quidam verò dixerunt: *Confeſſio eſt coram Sacerdote legitima peccatorum declaratio*: Ità Raymun. cum ſuis aſſeclis: Alij tandem dicunt: *Confeſſio eſt ſacramentalis delinquentis accuſatio ex erubeſcentia, & per claues Eccleſiæ ſatisfactoria, obligans ad pœnitentiam iniunctam peragendam.*

5 Declaratio. Dictarũ definitionum. D. Thom. Quinque conditiones pro qualitate confeſſionis explicantur.

Quæ deſcriptiones declarantur à D. Thom. in 4. Diſt. 17. quæſt. 3. Art. 2. dicente: In Sacramento Pœnitentiæ in actu confeſſionis plura eſſe conſideranda: Primo ipſam ſubſtantiam actus, ſiuè genus eius, quod eſt quædam manifeſtatio. Secundò de quo fit, ideſt, de peccato. Tertiò, Cui fiat, ſcilicet Sacerdoti: Quartò cauſa eius, ſcilicet ſpes veniæ, & Quintò effectus eius, ſcilicet abſolutio à parte pœnæ, & obligatio ad pœnitentiam ſoluendam.

6 In prima igitur definitione: D. Auguſt. tangitur ſubſtantia actus in apertitione, & materia, de qua fiat confeſſio, cum dicitur: Morbus latens, & cauſa, in ſpe veniæ: Et in aliis definitionibus tanguntur aliqua ex illis quinque aſſignatis: Nec oportet, vt dicit Angelicus Doctor, quod in qualibet definitione omnia tangantur, quæ ad rem definitam concurrunt: Vndè quædam aſſignantur in vna, & quædam in alijs, & ſic concludit omnes prædictas definitiones eſſe legitimas, re vera tamen potius deſcriptiones, quam quiditatiuè definitiones dici poſſunt.

7 Definitio quiditatiua confeſſionis, quæ.

Quapropter, vt clarius quiditas ipſius confeſſionis intelligatur, tali pacto, ipſam definimus, dicendo: *Confeſſio eſt legitima, ſecreta, & ſacramentalis accuſatio de proprijs peccatis, iam commiſſis, coram proprio Sacerdote, in eum iuriſdictionem habente, ad eorum veniã virtute clauium obtinendam*: Ità enim ex mente omnium Theologorum in 4. libr. ſentent. D. 17. & præcipuè Soto D. 18. quæſt. 2. A. 1. Suarez d. tom. 4. D. 21. Nauarr. in manu. cap. 2. num. 1. Graſſ. tom. 1. deciſ. lib. 1. cap. 9. Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 1. & aliorum colligitur: Quæ quidem definitio clariſſima, & optima eſt, vt eius partes declarando patebit: Continet enim omnia, quæ ad ipſam explicandam, & intelligendam ſunt neceſſaria.

Soto. Suar. Nauar. Graſſ. Bonac.

8 Explicatur definitio. Primò confeſſio eſt accuſatio.

Dicitur ergò primò: (*Confeſſio eſt accuſatio*) in qua particula tangitur genus, & ſubſtantia ipſius actus confeſſionis: Omnis enim confeſſio eſt accuſatio, non tamen è contra.

9 Secundò ſacramentalis, & legitima. Secreta.

Dicitur ſecundò (*Sacramentalis, & legitima*) ad differentiam accuſationum, & confeſſionum iudicialiũ, vel quæ accidunt extra iudicium, & ità definitio conſtat ex genere, & differentia, ex quibus omnis optima definitio conſtare debet: Dicitur etiam (*ſecreta*) tum ad excludendas confeſſiones generales, quæ fiũt in publico, tum etiam ad inſinuandum non eſſe neceſſarium, vt confeſſio ſacramentalis fiat publicè, vel etiam alio tertio audiente: Licèt tamen etiam ſi publicè aliquandò fiat, valeret confeſſio, quod benè aduertit Nauar. d. c. 2. nu. 4. Nauar.

Dicitur tertiò (*De peccatis proprijs, iam commiſſis*,) quia accuſatio non debet eſſe de alienorum peccatis, neque de non commiſſis, neque de virtutibus proprijs, (vt nonnulli facere aliquandò ſolent.) Et in hoc tangitur materia, de qua facienda eſt accuſatio in confeſſione. 10 Tertiò de peccatis proprijs, iam cõmiſſis.

Dicitur quartò (*Coram proprio Sacerdote iuriſdictionem habente*) quia non per nuncium, neque per Epiſtolam, ſed in Sacerdotis præſentia facienda eſt confeſſio: Quapropter confeſſiones illæ, quæ non fiunt coram Sacerdote, Sacramentales minimè ſunt: vt Concil. Triden. ſeſſ. 14. cap. 6. declarauit: Et in hoc oſtenditur, cui facienda eſt confeſſio, ideſt, Sacerdoti, tanquam cauſæ efficienti miniſteriali ſacramentalis abſolutionis. 11 Quartò Corã proprio Sacerdote. Concil. Trid.

Dicitur quintò (*Proprio Sacerdoti*) ad inſinuandũ: Confeſſionem illam, quæ fit alij, quam proprio Sacerdoti, iuriſdictionem non habenti, non eſſe Sacramẽtalem, cùm abſolutio data ab illo, qui non eſt Sacerdos, vel non eſt proprius, non ſit Sacramentalis, pro vt docuit Nauarr. in Manu. capit. 22. num. 1. Nam confeſſarius debet eſſe Sacerdos, iuriſdictionem habens, ſiuè ordinariam, ſiuè delegatam, ſupra pœnitentem abſoluendum: Et ideò addita fuit particula illa (*In eum iuriſdictionem habente*) ſiuè talis iuriſdictio delegata ſit confeſſario, ſiue conceſſa ſit facultas ipſi pœnitenti eligendi confeſſarium per particularem diſpenſationem à Prælato, vt loco ſuo videbitur. 12 Iuriſdictionem habenti. Nauarr. Iuriſdictio in confeſſario neceſſaria.

Dicitur tandem (*Ad peccatorum veniam obtinendam*) vt oſtendatur cauſa finalis ipſius confeſſionis, quæ eſt abſolutio, & remiſſio culparum: Vndè confeſſio illa, quæ fit propter alium finem, ſacramentalis eſſe non poteſt; cum eſſentia confeſſionis in abſolutione conſiſtat, pro vt docuit Nauar. in C. Sacrificium de Conſecrat. D. 2. 13 Sextò ad peccatorum veniam obtinendam. Nauarr.

Et ideò vltimò addita fuit particula illa (*Virtute clauium*) vt oſtendatur effectus, videlicet abſolutio à parte pœnæ, & obligatio ad pœnitentiam ſoluendam: Virtus enim clauium eſt non ſolum abſolutio, ſed etiam ligatio, iuxta illud Matth. cap. 16. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ſolueris ſuper terrã, & quodcumque ligaueris erit ligatum, ſiuè ſolutum & in Cœlis*: Et hæc de Etymologia, diuiſione, & quiditate confeſſionis, pro nunc dicta ſufficiant, plura in explicandis conditionibus, & qualitatibus ipſius in ſequentibus dicentur. 14 Septimò virtute clauiũ. Matt. c. 16.

DE, CONDITIONIBVS, ET QVAlitatibus Confeſſionis Sacramentalis.

CAP. II.

QViditate ſacramentalis confeſſionis per definitionem ipſius explicata, accedimus modò ad videndas conditiones, & circunſtantias, quæ à DD. requiri ſolent ad perfectionem ipſius, quæ ſunt ſexdecim, quæ ratione memoriæ in ſequentibus verſiculis continentur, videlicet. 1 Sexdecim conditiones pro confeſſione facitẽda.

Sit Simplex, Humilis confeſſio, Pura, fidelis,
Atque Frequens, Nuda, Diſcreta, Libens, Verecunda,
Integra, Secreta, Lacrymabilis, Accelerata,
Fortis, & Accuſans, & ſit Parere parata.

Quæ quidem ſexdecim circunſtantiæ à D. Thom. in 4. D. 17. quæſt. 3. & D. Anto. 3. p. tit. 14. cap. 19 §. 2. & Nauar. in cap. Fratres de Pœnit. D. 5. nu. 2. & communiter Explicãtur à D. Thom. D. Antonino Nauarro, & ſummiſtis.

muniter ab omnibus Summiſtis in Verbo confeſſio explicantur: Nos autem dicimus: Non omnes iſtas conditiones eſſe ſimpliciter neceſſarias ad confeſſionis eſſentiam, ſed alias eſſe neceſſarias ſimpliciter, alias ſecundum quid, alias de congruitate, alias denique de conſilio, vt in ſingulis explicandis patebit.

Non omnes iſtæ conditiones ſunt neceſſariæ.

2 *1 Conditio. Simplex.*

Prima itaque conditio eſt: (*Simplex*) ideſt, non artificioſè compoſita, vt ea ratione aliquid occultetur: Eſſet enim compoſita, ſi artificioſè narrentur commiſſa, ità vt non ponderentur à confeſſario, vel vt delectent ſuauitate vanæ eloquentiæ: Tunc enim ſecundum Caietan. in ſum. cond.p. de Confeſſione: pœnitens manifeſtum peccatum committeret, vel contra integritatem, vel ſaltem vanæ eloquentiæ: (*Vel ſimplex*) ſi ſecundum vocem intelligatur, denotat non eſſe admittendas hiſtorias, aliaue impertinentia, ità vt nihil dicatur in confeſſione, quod non ſpectet ad ipſius pœnitentis peccatorum quantitatem, & qualitatem declarandam: ſic docent Angel. Sylu. & Armilla cum alijs Doctoribus, loquentibus de hac prima circumſtantia.

Caiet. — Alia interpretatio illius vocis. — Angelus. Syluest. Armilla.

3 *Aduertentia.*

Verumtamen, ſi huiuſmodi impertinentia admiſceantur, vt fieri ſolet, ab idiotis, qui confitendo peccata ſua in confeſſione ſæpè ſæpius admiſcere ſolent nonnulla impertinentia cum intentione melius ſe declarandi, in tali caſu non vitiatur confeſſio, cùm hæc conditio non ſit neceſſaria, ſed conueniens: Prudens autem confeſſarius debet huiuſmodi defectus reſecari quantum po eſt: pro vt notauit Bonac.to.1. D.5.q.5. ſect.2.p.2.§.2. & Regin.lib.6.nu.62.

Bonac. Reginald.

4 *2. Conditio. Humilis.*

Secunda conditio eſt:(*Humilis*)& hoc tam interius, quàm exterius. Exterius quidem, vt flexis genibus, & aperto capite, ſi eſt vir, mulier autem velato capite propter Sacramenti reuerentiam: Omiſſo ſiquidem huiuſmodi, per ſe loquendo, ſine peccato eſſe non poſſunt, niſi rationabilis cauſa ab his exterioribus actionibus excuſet: Non enim iſti actus exteriores ſunt de neceſſitate, ſed de congruitate, quando commodè ſeruari poſſunt: Nam aliquando, & iacendo, & ſedendo, atque etiam ambulando quis poterit confiteri, pro vt dicunt D.Aut.3.p.tit.14.c.19 §.13.& Bonac.ſup.num.2. & alij communiter.

Non eſt neceſſe, vt confeſſio fiat flexis genibus. — D.Anton. Bonac.

5 *Alia interpretatio.*

Debet etiam confeſſio eſſe (*Humilis*) in modo confitendi, ne dicat cum iactantia mala opera, quæ fecit: maximè autem neceſſaria eſt humilitas interna ex recogitatione, & dolore peccati commiſſi: Nam ſi quis cum ſuperbia, iactantia, & complacentia formalis peccata ſua confiteretur, non eſſet huiuſmodi verè pœnitens, & per conſequens in caſu nulla eſſet confeſſio ex defectu integritatis, eò quod in tali actu peccatum committeret, de quo in tali confeſſione non ſe accuſet: Ità Bonacin.d.tom.1.Diſtinct.5.quæſt.5.p.2 ſect. 2.num 3.

Bonac.

6 *3 Conditio. Pura.*

Tertia conditio eſt (*Pura*) ideſt cum bona pura, & recta intentione facta, vt Eccleſiæ obediat, & Deum placare poſſet, & non per hypocriſiam, aut per alium finem malum, quia tunc peccaret, & non eſſet confeſſio vera, ſed ſimulata: pro vt docent Armilla cum Tabiena, & omnes communiter: (*Vel Pura*) ideſt non miſta rebus ad confeſſionem non pertinentibus; & hoc maximè ſpectat vt vnuſquiſque propria peccata ſua, & non aliena confiteatur: Nam, vt dicit Suar. d.to.4.D. 21.ſect.1. Pœnitens in confeſſione debet eſſe ſui ipſius accuſator, & non alterius.

Armilla. — Alia interpretatio. — Suar.

7 *4. Conditio. Fidelis. — Mentiri in confeſſione de p.m. eſt culpa mortalis.*

Quarta conditio eſt (*Fidelis*) ideſt vera, & ſine mendacio, quia nec dici debet, quod factum non eſt, neque negari, quod commiſſum eſt, imò nec taceri, ſi tale ſit, vt ad confeſſionis integritatem pertineat: Nam mentiri in confeſſione de peccato mortali ex ſuo genere peccatum mortale eſt, cùm ſit mendacium pernicioſum in Sacramentali iudicio, ſecundum omnes, vt videre eſt apud Sotum in 4. Diſt. 18. quæſt. 2. Artic. 4. concluſ. 3. Nauarr. in d. cap. Fratres de Pœnitent. D.5. num.15. Caietan. 2.2. quæſt. 110. A.4. ad quintum, & alios.

Soto. Nauarr. Caiet.

8 *Mentiri in confeſſione quale ſit peccatum. — Soto.*

Licèt autem vnuſquiſq; ſit dominus famæ ſuæ, quapropter infamando ſe ipſum per ſe non ſit peccatum mortale (Dixi per ſe) quia ſi adſit ſcandalum, mortale peccatum erit. pro vt dicit Soto de Iuſt. & Iur. lib.5.q. 10.c.2. In confeſſione tamen hoc non valet, quia eſſet decipere iudicem in foro Dei, atque adeò occaſionem illi offerre abutendi claue ſcientiæ inimicum Dei, ipſum iudicando, & à reatu, quem non habet mortale abſoluendo, & ideò in caſu mortaliter peccaret, pro vt dicit Soto in 4. Diſt. 18. quæſt. 2. Artic. 4. & Bonacina loc. cit.

Soto. Bonac.

9 *Mentiri de rebus venialib. eſt tantũ peccatũ veniale.*

Quapropter concludendo dicimus, quod, Mentiri in confeſſione de rebus grauibus in materia mortali, ſiuè dicendo, quod non fecit, ſiuè negando, quod fecit, peccatum mortale eſt: De Venialibus autem, ſiuè de rebus leuioribus non eſt peccatum, vel ſaltem veniale peccatum eſt: Ità Bonacin. Diſt.5. quæſt.5. ſect. 2. part.2. num.7. Reginald. libr.6. num.68. Coninch. D. 6. de Pœnitent. num.1. Suar. tom.4. Diſtin.22. ſect.10. alioſque.

Bonac. Reginald. Coninch. Suar.

10 *Opinio Caietani.*

Et quamuis Caietan. in ſumm. cond.4. de confeſſione dicat, quod, Si pœnitentis intentio ſit facere peccata venialia confeſſionis materiam: tunc mentiri etiam circa venialia eſſet peccatum mortale, quia in caſu tale veniale eſt materia, pertinens ad iudicium, & quia mendacium dicit in actu iudicij circa materiam ipſius, ideò iniuriam facit iudici Chriſti vices gerenti: Nam ex hoc, quod aſſumit pœnitens veniale illud, vt confeſſionis materiam, facit tale veniale illius Sacramenti materiam, & iudicij, quapropter tenetur facere actum illum confeſſionis veracem, alioquin iniuriam inferet Sacramento, & ità concludit ipſe Caietan. quod in caſu mortaliter peccaret.

11 *Reijcitur à Soto, & Nauarro.*

Sed hoc non admittitur à Soto, & Nauarro, alijſque recentioribus, locis ſupra citatis: Omneſque ferè concludunt contra Caietanum, dicentes: Etiam ſi pœnitens habuiſſet intentionem efficiendi materiam confeſſionis ex venialibus, dicens mendacium circa illa, non peccat mortaliter, ſed tantùm venialiter: E. g. ſi dicat: Non fuiſſe mentitum, vel quid ſimile in materia leui non peccare mortaliter, quia per hoc, quod noluit dicere, mutatur prima intentio, & iam non manet materia confeſſionis: etiam ſi non habuerit reflexionem illam: Nolendi peccatum illud, quod tacet eſſe materiam confeſſionis, quia iam eſt implicita: ſic etiam dicit Victoria in ſum. de confeſſione nu.131. & Bonac. d.to.4. D.5.q.5. ſect.2.p.2. nu.10. Ità etiam dicimus de mortalibus aliàs ritè confeſſis, & abſolutis, & à fortiori de impertinentibus ad confeſſionẽ: Quod etiam ipſe Caietanus concedit: Vide Bonacin. ſupra num. 12.

Victoria. Bonac.

12 *5 Conditio. Frequens.*

Quinta conditio eſt (*Frequens*) ideſt quod ſæpè fiat confeſſio; vt qui frequenter cadit frequenter ad confeſſionem accedat cap. Septies de Pœnitent. D.3. Verumtamen eſt, hoc non eſſe de neceſſitate, ſed de conſilio propter magnas vtilitates, & vberes fructus, qui ex frequentatione Sacramenti confeſſionis conſequuntur, niſi quando conſcientia aliter dictauerit, vel confeſſionis præceptum occurrerit, vt ſuo loco videbitur, quia tunc tenebitur homo confiteri: Caietan. condit. 5.

Caiet.

13 *Conditio. 6. Nuda.*

Sexta conditio eſt (*Nuda*) ideſt, non veſtita coloribus, aut iocis cooperientibus peccati grauitatem, &

& multò minus obſcurantibus peccatum, vt vel non percipiatur (hoc enim eſſet non confiteri) vel vt minus peccati grauitas, aut turpitudo conſideretur: Ideò confeſſio debet eſſe aperta, nuda, & clara, & non palliata: Vnumquodque peccatum, ſicuti eſt proferendo, vel probabiliter exiſtimetur: Nam ſi obſcurè confiteatur pœnitens multoties confeſſio eſſet inualida, quia confeſſarius peccati qualitatem, & grauitatem multoties non percipiet: Ità Suarez, Diu. Antoninus, Soto, Bonacina, & Caietan. aſſerunt locis ſupra citatis.

(Suar. D. Ant. Soto. Bonacina, & Caiet.)

14 (Conditio. 7. Diſcreta.) Septima conditio eſt: (*Diſcreta*) ideſt prudenter facta, vt verbis honeſtis explicentur peccata cum circumſtantijs neceſſarijs, & maximè in materia venerea, & quantum ad modum narrandi, ne confeſſario tædio afficiat: pro vt dicit Armilla (Armilla.); Vel (*Diſcreta*) ideſt, vt fiat à pœnitente diſcreto; Sciente quid facit, vt ſit actus humanus: Nam ſi fatuus, aut ebrius, ſiue alius neſciens, quid faciat peccata ſua coram Sacerdote propalaret, non eſſet talis confeſſio (Alia interpretatio.), pro vt dicit Soto in 4. Diſt. 18. quæſt. 2. (*Vel diſcreta*) quantum ad quærendum idoneum confeſſarium (Alia interpretatio.), qui habeat Scientiam, authoritatem, & probitatem; hoc eſt, quod credatur eſſe in Dei gratia, atque ſui muneris idoneus: Ità Caiet. de confeſſ. cond. 7. (Caiet.) (*Vel Diſcreta*) ideſt prudenter facta (Alia interpretatio. Nauarr.), ne per pœnitentis imprudentiam manifeſtetur, ſine cauſa complex delicti: Ità Nauar. & Caiet. ſupra.

15 (Conditio. 8. Libens.) Octaua conditio eſt (*Libens*) ideſt voluntaria, & non contra voluntatem facta: hoc enim pertinet ad diſpoſitionem voluntatis, eò quod pœnitudo voluntaria eſſe debet, vt ſupra iam declaratum eſt: (Alia interpretatio.) (*Vel Libens*) vt pœnitens voluntariè propter Deum, ſaltem principaliter confiteatur, quamuis minus principaliter propter alium finem confiteatur, Videl. propter bonam famam, vel timorem, &c. tunc enim in caſu confeſſio eſſet valida: Secundum Nauarr. in c. Fratres de Pœnitent. D. 5. num. 54. Tabien. Verb. confeſſio 2. num. 31. (Nauarr. Tabiena.)

16 (Conditio. 9. Verecunda.) Nona conditio eſt (*Verecunda*) ideſt erubeſcens apud ſemetipſum, dum peccata ſua recogitat, conſiderando, fœditatem propriæ Animæ: (*Vel Erubeſcens*) apud confeſſarium, dum confitetur, quia ſi confitendo peccata ſe de illis pœnitens iactaret, aut quaſi hyſtoriam narrando nulla ex parte erubeſcens, non ſatisfacit confeſſioni, quia tunc videretur carere contritione debita (Non dicimus tamen, quod per erubeſcentiam taceat aliquod peccatum.) Verum eſt tamen, non eſſe neceſſarium, vt pœnitens quando peccata ſua confitetur erubeſcat, ſed ſufficere, vt ſe accuſet cum pœnitudine, & dolore: Ità Bonacin. d. D. 5. quæſt. 5. ſect. 2. p. 2. num. 19. Soto in 4. D. 18. quæſt. 2. A. 2. Nauar. C. Fratres num. 57. (Bonac. Soto. Nauarr.)

17 (Conditio. 10. Integra.) Decima conditio eſt (*integra*) ideſt, vt nihil ſubtrahat pęnitens dè neceſſarijs manifeſtandis in confeſſione quantum ad mortalia certa, vel dubia, quæ habet in memoria, de quibus aliàs non ritè confeſſus fuit, cum debitis circumſtantijs: aliàs enim confeſſio non eſſet integra, quando Scilicet, voluntariè diuideretur confeſſio, quia tunc non eſſet vera confeſſio, ſed potius confeſſionis ſimulatio, ſecundum D. Thom. in 4. Diſt. 17. quæſt. 3. Art. 4. & Armillam Verb. confeſſio nu. 22. (D. Thom. Armill. Limitatio.) Sed hoc intelligendum eſt, quando confeſſio per ſe Videlicet voluntariè, aut negligentia culpabili confeſſio non eſſet integra: Quandoque enim per accidẽs confeſſio dimidiari poteſt, vel propter caſus reſeruatos, aut ſi probabiliter timetur aliquod graue peccatum, ſiuè ſibi, ſiuè alteri: vt quia confeſſarius ſollicitabit pœnitentem ad malum, vel huiuſmodi, & non habet talis pœnitens alium idoneum confeſſarium: non peccaret in caſu talis pœnitens tacendo peccatum illud, nec dicitur confeſſionem dimidiare formaliter, niſi tantum materialiter, quod eſt per accidens: pro vt docent Caietan. in ſumm. cond. 10. de confeſſione, Armilla, & Tabien. Verb. confeſſio 2. num. 38. & alij: (Caiet. Armilla. Tabien.) At quoniam de integritate confeſſionis multa alia neceſſariò ſunt dicenda, ideò de ipſa integritate in ſequenti cap. plenius dicetur, cùm ſit conditio neceſſaria.

18 (Conditio 11. Secreta.) Vndecima Conditio eſt: (*Secreta*) quæ conditio, vt dicit Nauarr. in cap. Fratres de Pœnit. Diſt. 5. num. 85. Tripliciter intelligi poteſt (Trip. ſecreta intelligi poteſt. Nauarr.): primò: Neminem teneri confiteri peccata ſua publice, ſiuè alio audiente, vt patet in verbo illo, Solus in cap. Omnis de Pœnitent. & remiſſ. (C. omnis vtriuſque.) ſecundò. Non licere pœnitenti, etiam ſi velit hoc regulariter facere: *Secreta enim peccata ſecreta confeſſione, & occulta ſatisfactione purgantur*, c. Aliquando (C. Aliquãdo.) de Pœnit. D. 1. & hoc ad euitandum ſcandalum, vel infamiam, ſiuè propriam, ſiuè alienam: Si autem aliquando velit (An aliquando liceat peccata publicè confiteri?), quis ex magna contritione peccata ſua publicè confiteri licitè poſſet, & confeſſio eſſet valida, dummodò ex hoc non reſultaret ſcandalum, vt alij audientes ſumerent occaſionem peccandi, pro vt dicit Tabien. Verb. Confeſſio 2. num. 39. Nam quilibet dominus eſt famæ ſuæ, vt probat Soto lib. 5. de Iuſt. & Iure; quæſt. 10. cap. 2. (Tabien. Soto.) & tertiò: Tandem confeſſionem fieri debere à pœnitente ſoli Sacerdoti, & ideò dicitur: (*Secreta*) quia non per procuratorem (An aliquando faciẽda ſit confeſſio per procuratorẽ?), neque per nuncium, neque per Epiſtolam facienda eſt confeſſio, & abſolutio, vt dicitur in c. Quem pœnitet de Pœnit. (C. quem pœnitet.) D. 1. Nauar, in c. Fratres num. 94. Quod etiam patet ex forma abſolutionis per ly *Ego te abſoluo*, nam ly te denotat perſonam præſentem; pro vt ait Caiet. cond. 11. de confeſſione. (Nauar. Caiet.)

19 (Conditio 12. Lacrymabilis.) Duodecima conditio eſt (*Lachrymabilis*) ideſt cum diſplicentia peccatorum commiſſorum ſuper omne deteſtabile, ſaltem cum attritione Chriſtiana, quia virtute clauium pœnitens ex attrito fit contritus: Non enim requiritur de neceſſitate tantus dolor in confeſſione, quantus in Contritione perfecta extra Sacramentum, pro vt dicit Nauar. in d. cap. Fratres numer. 96. Armilla, & Caietan. vbi ſupra: (Nauar. Armilla. Caiet.) Si verò vox illa (*Lacrymabilis*) referatur ad Lacrymas ſenſibiles, & exteriores (Lacrymæ exteriores non ſunt neceſſariæ.), non eſt conditio neceſſaria ſimpliciter ad confeſſionem, cùm hoc non ſit in poteſtate hominis: Sed ſi referatur ad Lacrymas mentis (Lacrymæ interiores neceſſariæ.), vt ſit deteſtatio doloroſa, & voluntaria, talis conditio dicitur neceſſaria, pro vt benè declarat Soto in 4. Diſtinct. 18. quæſt. 2. Artic. 2. (Soto.)

20 (Conditio 13. Accelerata.) Tertiadecima conditio eſt (*Accelerata*) hoc eſt poſt commiſſum peccatum, ne dilatetur confeſſio, ſi commoditas confitendi adſit, ne ſubitò peccator præoccupatus die mortis non habeat ſpatium pœnitendi, & ne grauedine peccati commiſſi ad aliud trahatur peccatum: Verum eſt tamen hoc non eſſe de præcepto, ſed tantùm de conſilio optimo: Non enim inuenitur præceptum de acceleratione confeſſionis (Nõ adeſt præceptum de acceleratione confeſſionis.); Niſi tantum ſemel in anno, aut in periculo mortis, aut quando ſumenda eſt Euchariſtia, & habetur copia confeſſarij ſecundum omnes Doctores, vt videre eſt apud Sotum, Nauarrum, & Armillam, locis ſupra citat. (Soto, Nauar. & Armilla.)

21 (Conditio 14. Fortis.) Quartadecima conditio eſt, (*Fortis*) hoc eſt, conſtans virili, & forti animò, ne propter verecundiam, atq; timorem celetur peccatum aliquod commiſſum, ſiuè circumſtantia neceſſariò explicanda contra confeſſionis integritatem: Et in hoc ſenſu talis conditio eſſet neceſſaria: Secundum D. Ant. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 10. (D. Anton.) Si verò ly. (*Fortis*) intelligatur, quod virili animo, ac ſtrenuò fiat; tunc dicimus talem conditionẽ eſſe

ornamentum, & non neceſſariam conditionem: Secundum Sotum in 4. D. 18. q. 2. A. 2. *Soto.*

22 *Conditio 15. Accuſans.* Quintadecima Conditio eſt (*Accuſans*) Et talis eſt conditio neceſſaria cùm ſit eſſentialis forma confeſſionis: eſt enim confeſſio iudicialis actus, quàpropter debet eſſe accuſans, & non ſe excuſans, aut laudans, pro vt dicunt Suarez, Caiet. & Soto, locis citatis: Imò ſecundum omnes, pœnitens impurare debet peccata ſua ſibi ipſi, & non alijs: Criminis enim non parum eſt reijcere peccata propria in alias cauſas: Similiter (*Accuſans*) quia proprio ore pœnitens ſe accuſare debet, non alieno, ſecundum illud Eccl. cap. 4. numer. 31. dicentis: *Non confunderis peccata tua confiteri, vt ſuſſiceris.*

Suar. Caiet. & Soto. — Proprio ore facienda eſt confeſſio non alieno. Eccleſ. c. 4.

23 *Conditio 16. Parere parata.* Decimaſexta conditio eſt, (*Parere parata*) hoc eſt quod pœnitens paratus eſſe debet ad obedientiam cõfeſſarij in illis, quæ ad confeſſionem pertinent, tam pro ſatisfactione tertij, quam pro ſatisfactione iniungenda, quam etiam ad occaſionem peccati relinquendam, iuxta præceptum diſcreti confeſſarij, quod claue non errante impoſuerit: Et talis conditio, vt ſic eſt neceſſaria: pro vt dicunt Soto, Nauar. & Armilla. & alij locis ſupra citatis. *Soto, Nauar. & Armilla.*

24 *Concluſio. Quinque conditiones neceſſariæ. Accuſans.* Vndè ex dictis colligitur: Non omnes prædictas conditiones eſſe ſimpliciter neceſſarias, ſed quaſdam ex illis eſſe de intrinſeca ratione confeſſionis, & ſimpliciter ad illam neceſſarias, quia ſine illis confeſſio non eſſet valida, & hæc ſunt quinque: Vid. (*Accuſans*) hæc eſt enim eſſentialis forma confeſſionis; ſecundò debet eſſe *integra, tertiò Fidelis, & quartò nuda*, cum debitis circumſtantijs, aliàs enim eſſet confeſſio ficta, & inualida, & quintò tandem (*Parere parata:*) nam cùm ſit actus iudicij debet pœnitens, cùm ſit reus parere iudicij, claue non errante: Ità Soto in 4. Diſtinct. 18, q. 2. A. 2.

Integra. Fidelis. Nuda. Parere parata. Soto.

25 *Secreta eſt neceſſitas ſecundum quid ex ſuppoſitione. Suar.* Alia conditio quod ſit: (*Secreta*) eſt tantummodò neceſſaria ex ſuppoſitione; hoc eſt, non eſt ad ipſius valorem neceſſaria, ſed tantum ad ſubſtentationem confeſſionis: Si enim confeſſio non eſſet ſecreta humano modo ſubſtentari non poſſet: Ità Suarez, cum Soto, locis ſupra citatis.

26 *Conditiones 8. Neceſſariæ ſecũdum quid.* Aliæ verò 8. Conditiones: Videlicet, *Simplex, Humilis, Pura, Diſcreta, Libens, Verecunda, Lacrymabilis, & Fortis:* ſunt tantum neceſſariæ ſecundum quid: hoc eſt aliquo modo intellectæ neceſſitatem quandam afferunt, non tamen ſi in rigore vocis intelligantur, vt in earum expoſitionibus ſupradictis clarè patet: Aliæ tandem duæ Videlicet: *Frequens, & Accelerata*, ſunt tantum de conſilio, & congruitate ſecundum omnes; Et hæc de ſexdecim conditionibus confeſſionis &c.

Fortis, & Accelerata ſunt de conſilio.

DE INTEGRITATE CONFESSIONIS,

CAP. III.

1 *Integritas cõfeſſionis, in quo conſiſtat. Quid eſt eſſe in conſciẽtia pœnitentis.* Integritas Sacramentalis confeſſionis ex parte materiæ remotæ, ſeu peccatorum, quæ in confeſſione dicuntur ſumenda eſt: Integritas ergò confeſſionis conſiſtit in hoc, vt omnia peccata mortalia cum omnibus circumſtantijs, & numeris neceſſariò explicandis, quæ poſt diligentem diſcuſſionem in conſcientia ſunt pœnitentis in confeſſione aperiantur, quæ poſt ſuſceptum Baptiſmum fuerunt commiſſa, & nondum per aliam Sacramentalem confeſſionem fuerunt ritè clauibus Eccleſiæ ſubiecta: Hoc enim eſt eſſe in conſcientia pœnitentis: Nam illa, quæ per aliam confeſſionem remiſſa creduntur, licèt ſint in pœnitentis memoria; non tamen propriè dicuntur eſſe in conſcientia, quia iam, vt omninò extincta, & remiſſa creduntur, & conſiderantur.

Alia vero peccata mortalia, quæ nondum ſunt ritè in alia confeſſione explicata, licet contingat per veram contritionem apud Deum eſſe remiſſa, in præſenti adhuc cenſentur in conſcientia pœnitentis, quia nondum ſunt per claues Eccleſiæ remiſſa: Ità Suarez tom. 4. de Pœnitent. Diſtinct. 22. ſect. 1. numer. 1. Vndè ſi aliquod à pœnitente de ijs, quæ neceſſaria ſunt dicenda, ſiuè per verecundiam, ſiuè per timorem, vel malitiam in confeſſione occultentur, confeſſio non eſſet integra, & ſic eſſet inualida, & ſacrilega, & per conſequens iteranda, quod clarè patet ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. dicente: *Oportere à pœnitentibus, omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum poſt diligentem diſcuſſionem memoriam habet in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint: Qui verò ſcienter aliquid retinet nihil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit:* Omnia igitur mortalia vni de neceſſitate ſunt dicenda: Quædam enim impietas infidelitatis eſt ab illo, qui iuſtus eſt dimidiatam veniam ſperare, iam enim foret ſine pœnitentia inuenire gratiam: cap. Sunt plures de Pœnit. D. 3. C. Conſideret §. Cautus D. 5. 2

Peccata non adhuc abſoluta ſunt in conſcientia. Suar. — Confeſſio nõ integra inualida eſt. — Concil. Trid. — Can. Sunt plures. Can. Conſideret.

Vndè clarè patet: confeſſionem non integram per ſe eſſe nullam, & conſequenter confeſſionis integritatem eſſe de neceſsitate Sacramenti, & de Iure Diuino, quod de fide tenendum eſt, vt in Can. 7. eiuſdem Trident. ſeſſ. 14. definitum eſt: Et de hoc nulla eſt dubitatio; conueniunt enim omnes Theologi, & Canoniſtæ: Dixi (per ſe integritatem eſſe neceſſariam) quia quandoque per accidens poteſt confeſsio eſſe non integra, & tamen valida, vt in ſequentibus explicabitur. 3 *Integritas cõfeſſionis eſt de Iure diuino.*

Sed Notandum eſt: Non ſolùm pertinere ad integritatem confeſsionis, vt omnia, quæ in conſcientia pœnitentis ſunt vni Sacerdoti confiteantur, verum etiam, vt ea peccata, quæ nullo modo ſunt, neque vnquam fuerunt in conſcientia pœnitentis non fingantur, aut fictè dicantur, quia: Mentiri in confeſsione de rebus pertinentibus ad ipſam eſt pernicioſum mendacium: vt ſupra iam in conditione 4. de confeſsione diximus: Et quia de tali mendacio non confitetur huiuſmodi confeſsio non eſſet integra, & per conſequens nulla, & iteranda: pro vt dicunt Franciſcus à Victoria in ſum. nu. 130 & Armilla conditione 4. & Suarez d. to. 4. D. 20. & alij. 4 *Notandum. Fingere alia peccata non commiſſa pernicioſum eſt. — Victoria. Armilla. Suar.*

Notandum ſecundò: Integritatem iſtam non eſſe intelligendam de peccatis venialibus neque de mortalibus aliàs ritè confeſsis, & abſolutis, ſed tantum de mortalibus, quæ numquam per claues Eccleſiæ fuerunt remiſſa: Nauarr. in c. conſideret §. Cautus de Pœnit. D. 5. D. Anton. 3. p. tit. 14. c, 19. §. 6. 5 *Notãdum 2. Integritas intelligitur de p. m. non abſolutis. Nauarr. D. Anton.*

Notandum tertiò, Integritatem iſtam non ſemper eſſe abſolutè neceſſariam, ità vt nullo modo poſſit eſſe non integra, quia quandoque ex rationabili cauſa confeſsionem dimidiare licebit, & tunc in caſu ſufficeret tantum integritas formalis. 6 *Notãdum 3. Aliquando confeſſio dimidiare licet.*

Vndè pro declaratione: Sciendum eſt, quod: Integritas iſta confeſsionis: Dup. intelligi poteſt: materialiter Vid. & formaliter: Integra materialis, eſt illa, quæ de omnibus peccatis, quæ in conſcientia ipſius pœnitentis ſunt, pro vt in re ipſa fuerunt commiſſa, abſque diuiſione facta, ſed totaliter integrè confiteantur: Formalis dicitur illa, quæ fit de omnibus peccatis, de quibus nulla intercedit legitima excuſatio; poteſt enim aliquando eſſe aliqua legitima cauſa tacendi aliquod peccatum in confeſsione: Et tunc licèt in caſu materialiter integra non ſit confeſsio, eſt tamen integrè formaliter. 7 *Integritas cõfeſſionis dup. materialis, & formalis.*

Dupliciter autem contingere poteſt confeſsionem non eſſe integram, primò per ſe, ſecundò per accidens: Tunc confeſsio dicitur per ſe non integra, quando 8 *Integritas formalis dup. Per ſe, & per accidens.*

Digitized by Google

do ex intentione, & voluntariè abſque legitima cauſa dimidiatur confeſſio: Quando autem inuoluntariè, ſiuè ex cauſa rationabili, non fit integra, tunc dicitur: Per accidens, & tantum materialiter non integra.

9 Notand. 4. Integritas formalis, directè, & indirectè violari poteſt. Vtroque modo confeſſio facta nulla eſt, & facrilega.

Notandum autem quartò: Confeſſionis integritatem formalem, dupliciter violari poſſe, directè Videlicet, & indirectè: Directè eſt quando pœnitens voluntariè tacet aliquod peccatum neceſſariò in confeſſione explicandum, ſiuè ex verecundia, ſiuè malitia, ſiuè ex alia illicita cauſa, vel malitioſè faciat: Indirectè autem quãdo per obliuionem aliquod peccatum neceſſariò confitendum non explicetur, & hoc quia pœnitens, vel quia parui fecit diſcutere conſcientiam ſuam notabiliter, & propter hoc peccatum, quod de neceſſitate confitendum erat reliquit: Et tunc licèt directè confeſſio dimidiata non ſit eſt tamen nulla: & talis pœnitens in caſu à mortali peccato non eſſet excuſatus, quia non fecit id, ad quod tenebatur: & talis confeſſio dicitur dimidiata indirectè; pro vt docent Armilla Verb. confeſſio numero 22. Caietan. de confeſſ. cond. 10. & omnes communiter.

Armilla. Caiet.

10 Integritas materialis, per ſe, & per accidens. Dimidiata confeſſio materialiter, per accidens aliquando licita.

Sic etiam Integritas materialis, & per ſe, & per accidens dimidiata eſſe contingit: Primò modo, ideſt per ſe, numquam licet, quia integritas materialis per ſe ſemper eſt neceſſaria, vt diximus ſupra ſecundum Suarez: per Accidens autem, & indirectè aliquando dimidiari licebit, atque etiam directè, quando ex legitima cauſa dimidiatur confeſſio, non ex verecundia, ſed ex cauſa rationabili; tunc enim licèt directè materialiter integra non ſit, hoc non eſt per ſe, ſed per accidens: tunc enim ſufficit eſſe formaliter integra.

11 Integritas per accidens non violat confeſſionẽ.

Indirectè autem eſt, quando per obliuionem inculpabilem, vel per ignorantiam inuincibilem, ſiuè probabilem pœnitens in confeſſione aliquod mortale peccatum reliquit: tunc enim in caſu, quamuis confeſſio non ſit integra, eſt tamen valida, quia ignorantia illa inuincibilis, ſiuè inaduertentia inculpabilis fuit in cauſa, & quando peccati omiſſi recordabitur non tenebitur confeſſionem factam reiterare, ſed tantum peccatum illud confiteri in alia confeſsione: pro vt omnes communiter docent.

12 Caſus quibus aliquando licet dimidiare confeſſionẽ.

Hoc ſuppoſito: Videndum eſt, quæ ſint iſtæ legitimæ cauſæ, & rationabiliter per quas pœnitens poterit aliquando ſine culpa confeſsionem dimidiare materialiter, & directè, licèt per accidens: Quapropter dicimus: Multos, ac varios caſus aſsignare Doctores, in quibus confeſsio dimidiata tenet, quorum

13 P. Caſus eſt Inſtante periculo mortis.

Primus eſt: Inſtante periculo mortis, quando pœnitens non poteſt omnia peccata ſua integrè confiteri propter inſtans periculum mortis; tunc enim ſecundum omnes moribundus eſt abſoluendus, quia ſi eſt aliqua cauſa legitima dimidiandi confeſsionem, nulla eſſe poteſt magis, quam impoſsibilitas, quæ à natura procedit, pro vt benè docet Soto in quinto, Diſtinct. 18. quæſt. 2. Artic. 5. ad primum: Iſta tamen neceſsitas ex tribus capitibus ſecundum doctrinam Suarez in 4. tom. de Pœnit. Diſt. 23. ſectione 1. poteſt procedere.

Soto. Trip. contingere poteſt iſta neceſſitas ſecundũ Suar.

14 P. ex defectu vitæ pœnitẽtis.

Primò ex defectu vitæ propriæ: vt ſi quis confiteri incipiat, & inſtante morte, non poſſet confeſsionem perficere; tunc in caſu pœnitens eſt abſoluendus: Ad impoſsibile enim nemo tenetur, pro vt in hoc omnes Theologi conueniunt; vt refert Suarez loco ſupra citato.

Suar.

15 Secundò ex conſortio aliorum, exiſtentium in ſimili periculo: E.g. in naufragio, vel huiuſmodi, tunc Sacerdos poteſt omnes ſimul abſoluere, confitendo quilibet vnum, vel alterum peccatum.

2. Ex periculo aliorum.

16 3. Ex parte ipſius Sacerdotis.

Tertiò ex parte ipſius Sacerdotis, quia vel eius mors etiam imminet, & non adeſt alius miniſter, vel etiam, quia timet graue contagium, & mortis periculum, ſi longo ſpatio temporis talem audiat ægrotum: Et in his omnibus, (ſi vera neceſsitas intercedat) poterit dari abſolutio Sacramentalis ante conſummatam integram confeſsionem materialem; tunc enim ſufficit formaliter eſſe integram.

17 Aduertentia.

Aduertendum tamen eſt: neceſſarium eſſe, quò ad fieri poterit, vt detur materia certa, in quam poſsit cadere abſolutio Sacramentalis: Et præcipuè ſi pœnitens, habet mortalia dicat pœnitens aliquod ex illis, vt ſaltem præceptum confeſsionis adimpleat, quod eſt de mortalibus: pro vt dicit Suarez loco ſupra citato.

Suar.

18 Difficultas. An poſſit aliquando dari abſolutio, quando moriens loqui non poteſt?

Sed difficultas eſt: quando moribundus loqui non poteſt, & vix aliquid ſentire, ità vt nullum peccatum, nec ſigno, nec verbo confiteri poſsit: An in eo caſu ſufficiant ſigna contritionis, præcipuè ſi habeatur teſtimonium aſſerens, talem confeſsionem ante petijſſe? In hac ergò difficultate duæ ſunt opiniones oppoſitæ.

19 P. opinio. Soto. Ledeſma. Nauarr. Abulenſ. negatiua.

Prima opinio eſt Dominici Soto in 4. D. 18. q. 2. A. 5. ad primum. Ledeſm. 2. 4. p. q. 9. A. 5. ad ſecundum. Nauar. in man. c. 26. num. 27. & c. 27. num. 268. & aliorum ſequentium Abulenſ. ſuper Matth. c. 16. q. 79. aliorumque dicentium: Sacerdotem nullo modo in tali caſu poſſe, nec debere abſoluere Sacramentaliter huiuſmodi infirmum, licèt ſit in mortis articulo, qui verbis, aut nutibus non fuerit ei aliquod peccatum confeſſus, licèt antequam obmuteſceret, aut iudicium amiſiſſet vocaſſet confeſſarium quantalibet voluntate confitendi. & ſigna contritionis, & pœnitentiæ oſtendiſſet alij, ſiuè alijs qui de hoc teſtimonium reddant: & Ratio præcipua iſtorum eſt, quia oſtendere ſigna contritionis tantùm, non eſt confeſſio: Vbi autem non eſt confeſsio, neque Sacramentalis abſolutio eſſe poteſt, cùm confeſſio peccatorum ſit pars propinqua Sacramenti abſolutionis.

Rationes iſtius opinionis. P. ratio.

20 2. Ratio.

Secundò, quia Sacramentalis confeſsio debet eſſe actus iudicialis, vt Sacerdos iudicare poſsit de conſcientia pœnitentis: Iudicium autem eſt actus prudentiæ, ideòque fieri non poteſt, niſi re in particulari cognita: ergò generaliter illa confeſsio non ſufficit ad abſolutionem, quæ eſt forma Sacramenti, & debet cadere ſuper materiam particularem.

21 3. Ratio.

Tertiò confeſsio immediatè facienda eſt Sacerdoti, quæ eſt actio perſonalis: illud autem, quod ægrotus dixit ante alios prius, quàm ſenſus amitteret non valet, quia aliàs ſequeretur: confeſsionem fieri poſſe per internuncios, quod eſt abſurdum; Ità Soto, loco ſupra citato.

Soto.

22 4. Ratio.

Vltimò tandem dicunt; Non debere Sacerdotem exponere ſe periculo irritum faciendi Sacramentum; quia tunc Sacrilegium committeret; non enim ſunt facienda mala, vt indè veniant bona: Sed conferre Sacramentum alicui ſine neceſſarijs requiſitis eſt intrinſecè malum, cùm ſit peccatum Sacrilegij: ergò &c. Et iſtæ ſunt præcipuæ rationes iſtorum.

23 2. Opinio. Affirmatiua.

His tamen non obſtantibus, contraria opinio, mihi magis placet, & communiter verior, probabilior, & ſecura in praxi exiſtimatur, quæ docet: In caſu tali, quamuis moribundus confiteri non poſſet aliquod peccatum, nec verbo, nec ſigno, dum tamen ſigna oſtendit contritionis in ordine ad claues: hoc eſt, ſi ante petierit confeſsionem ad teſtimonium eo-

rum ; qui audierunt illum pœnitentem petiſſe, ſiuè confeſſarium, ſiuè confeſſionem: dari illi debetur Sacramentalis abſolutio, & Ratio huius eſt, quia contritio quatenus informat confeſſionem aliquam, iam eſt materia ſufficiens ad Sacramentum abſolutionis recipiendum: Ità docent D. Anton. 3. part. titul. 10. cap. 2. circa medium; Angel. Verbo. Confeſſor 4. num. 8 Syluest. quæſt. 13. Paludan. in 4. Diſt. 23. quæſt. 2. Artic. 2. Medina C. de confeſſione tractat. 2. Corduba lib. 5. de Indulgent. quæſt. 47. Henriq. in ſumm. lib. 3. de Pœnitent. cap. 10. num. 7. ſequitur Suar. d. tom. 4. Diſtinct. 23. ſect. 1. num. 2. qui conſtantiſſimè talem defendit ſententiam, & probat: Imò dicit, quod ſi huiuſmodi ægrotus nullum ſignum exhibere poſſet in Sacerdotis præſentia, vel quia iam nihil ſentit, vel quia eſt effectus fræneticus, ſiuè amens, ſi de ſignis contritionis exhibitis, vel petitione confeſſionis ante factis habeatur teſtimonium, Sacerdos ſuperueniens poteſt, imò debet in tali caſu moribundum abſoluere Sacramentaliter, & ad maiorem cautelam debet concipere conditionem illam, quæ ſemper ſubintelligitur: *Quantum poſſum, vel ſi materia eſt ſufficiens, Vel ſi capax es abſolutionis, Ego te abſoluo.* Et hanc ſententiam nouiſſimè tenet Pater Diana in 3. par. reſol. 1. 2. 3. & 4. qui varijs rationibus ſuam confirmat ſententiam, citando pluſquam 40. Doctores, in quibus eſt Diu. Thom. Coninch. Reginald. & Filliuc. Vndè ad rationes primæ opinionis.

Ratio iſtius ſecundæ ſententiæ. Contritio ſignis oſtenſa in ordine ad confeſſionem eſt materia ſufficiens. D. Anton. Angel. Syluest. Palud. Medina. Corduba. Henriq. Suar.

Conditione in mente concepta: ſi capax es abſolutionis. Sequitur Diana Caiet. D. Tho. Coninch. Regin. Filliucius. & alij 40.

24 Reſpondetur: Ad primam enim dicimus, quod licèt exhibere ſigna contritionis non ſit confeſſio, quia contritio, ſiuè manifeſtatio eius per ſe non ſit ſufficiẽs materia Sacramenti Pœnitentiæ; Tamen petitio illa confeſſionis, ſiuè confeſſarij ante factam informat confeſſionem aliquam, cum qua perficit accuſationẽ Sacramentalem, & ſic contritio illa in ordine ad claues eſt vera, & legitima confeſſio, ſuppoſita illa extrema neceſſitate.

Soluitur 1. ratio prioris ſententiæ.

25 Ad ſecundam dicimus, quod: Confeſſio illa ità generalis facta eſt vera confeſſio, quia nihil ibi deeſt de vera ratione accuſationis, & licèt illa confeſſio, quò ad materiam remotam dicatur Generalis, quò ad proximam tamen eſt particularis: Nam hic, & nunc cum talibus circumſtantijs fit, & eſt vera confeſſio, quàpropter optimè exerceri poteſt iudicium prudentiæ, quia peculiaris perſona abſoluitur, iuxta confeſſionis, & conſcientiæ indicia ab ipſo moriente data, quantum hic, & nunc dari potuerunt, ergò confeſſio illa ſic generaliter facta in tali caſu exiſtimatur ſufficiens: ergò, &c.

Soluitur 2. ratio.

26 Ad tertium dicimus, quod licèt confeſſio facta in abſentia Sacerdotis non ſit ſacramentalis, tamen in tali caſu eſt materia ſufficiens, quia ille ſic pœnitens intendit facere quantum poteſt, & debet in ordine ad ſuam ſalutem, & ideò dum abſolui petit in actu exercito confitetur ſe eſſe peccatorem, & clauibus Eccleſiæ ſe ſubijcit, quàpropter talis eſt vera confeſſio, & in tali caſu eſt integra, quia maior fieri non poteſt.

Soluitur, Tertia ratio.

27 Deindè confeſſio illa, & abſolutio non perficitur in abſentia Sacerdotis, cum Sacerdos præſentialiter abſoluat infirmum, qui aliter confiteri non poteſt: Vndè in tali caſu, credo optimum Conſilium eſſe ſemper addere, ſeu concipere in mente conditionem illã, quam ſupra notauimus ex doctrina Suarez! *Si capax es abſolutionis, &c.*

Confirmatur ratio. Suar.

28 Ad vltimum Reſpondetur: Nullum eſſe periculum iniuriæ Sacramenti, tam propter dictas rationes, tam etiam, quia per adiunctam illam conditionem omninò tollitur difficultas; Sicut in alijs caſibus dubijs fieri ſolet: Et hanc opinionem veriorem, atque ſecuriorem eſſe exiſtimamus, quia alioquin non abſoluendo moribundum exponeretur proximus periculo æternæ damnationis, quia fortaſſe huiuſmodi abſolutus ex vi operis operati ſaluaretur: Ergò ſaltem ex charitate tenebitur Sacerdos in tali periculo conſtitutum abſoluere, eo modo, quo dictum eſt. Legite Suar. cum Diana locis ſup. cit.

Soluitur, Quarta ratio. Concluſio pro ſecunda ſententia. Suar. Diana.

Secundus caſus eſt rationabilis cauſa periculi, ſiuè famæ, ſiuè vitæ corporalis, ſiuè ſpiritualis, ſiuè propriæ, ſiuè alterius: Quia pœnitens non tenetur confiteri aliquod peccatum cum morali periculo alicuius grauis nocumenti ipſius, vel alterius: Tunc enim in caſu (ſecundum communem Theologorum ſententiam) poteſt tacere peccatum illud, quod in tali confeſſione detectum, ſibi vel confeſſario probabile damnum animæ, vel corporis adferret: E. g. ſi pœnitens confeſſarij fratrem occidiſſet: At ſi confiteretur ſe aliquem occidiſſe, ſtatim comprehenderet confeſſarius, ſuum fratrem ab illo fuiſſe occiſum: Aut ſi cognatam ſuam, quæ filia eſſet confeſſarij, ſiuè Sororem carnaliter cognouiſſet; Et ſi circumſtantiam illam cognationis explicaret confeſſarius ſuſpicaretur fuiſſe ſuam filiam, ſiuè ſororem: Tunc in caſu huiuſmodi pœnitens non tenebitur circumſtantiam illam explicare. 29

29 Secundus caſus. Quando timetur aliquod graue periculum ipſius, ſiuè alterius. Exemplificatur.

Quàpropter in his, & ſimilibus caſibus poteſt pœnitens tacere tale peccatum: ſiuè circumſtantiam, donec habeat copiam confeſſarij, cui ſine tali periculo poſſit liberè tale peccatum in alia confeſſione aperire, vel curare ſibi concedi facultatem confitendi alteri: Si verò impetrare non poſſet, & pœnitens neceſſitatem habeat confitendi, vel ratione præcepti, vel ratione ſcandali, ſiuè ratione propriæ ſalutis, & non poſſet cõfeſſionem ſuam differre: Tunc in huiuſmodi caſibus pœnitens poteſt, & debet omnia alia peccata exponere, & vnum illud tacere cum propoſito illud aperiendi, quando tale ceſſauerit impedimentum: Tunc enim in caſu, licèt confeſſio illa materialiter, & directè integra non ſit, hoc tamen eſt per accidens, & non per ſe, ſed ratione illius neceſſitatis: Sic docent omnes Theologi, vt videre eſt apud Sotum D. 18. q. 2. A. 5. ad tertiũ Nauar. in man. cap. 7. num. 3. Suarez d. to. 4. D. 23. ſect. 2. & Dianam loc. ſupra citat. qui allegat DD. plurimos pro ſua opinione. 30

30 Quando, & quomodo in tali caſu permittitur peccatum non cõfiteri. Soto. Nauar. Suar. Diana.

Tertius caſus eſt, quando probabiliter timet pœnitens ex ſua confeſſione occaſionem dare peccandi mortaliter ipſi confeſſario: E. g. Si eſſet aliqua puella, quæ impudicè ipſum Sacerdotem amaret, maximè ſi ſolus eſſet in Oppido, ſi huiuſmodi puella confiteretur ipſi tale mentale ſacrilegium: Sacerdos facilè comprehenderet ſe eſſe illum, de quo talis confitetur puella, quod præſentaneum eſſet periculum, vt ipſe etiam cõſentiat. 31

31 Tertius caſus. Ne detur confeſſario occaſio proximæ ruinæ.

Similiter etiam ſi timet probabiliter pęnitens, quod dicendo aliquod peccatum, ſeu circumſtantiam, Sacerdotem fore ſcandalizandum, & ad aliquod graue peccatum inducendum: Tunc enim ſecundum omnes, tenetur pœnitens ex charitatis præcepto peccatum illud tacere, ne occaſionem illi daret mortaliter peccandi: Quod erit contra charitatem: Vndè eſt illud Diu. Bernard. de præcept. & diſpenſ. *Quod propter charitatem introductum eſt, contra eamdem charitatem exercere non debet:* Ità docent omnes Theologi ſupra cit. 32

32 Ne confeſſarius ſcandalizetur, & occaſionem acciperet peccandi. D. Bernard. Quod propter charitatem introductum eſt, non debet contra charitatem exerceri.

Aduertendum tamen eſt; Quod ſi ſcandalum illud ſit paſſiuum ex malitia tantum confeſſarij: Non ità tenetur pœnitens illud tacere, & vitare: Sed ſi commodè poſſet etiam illud vitare debet ratione charitatis: Quando autem aliter fieri non poteſt, non debet pœnitens confeſſionem ſuã dimidiare ratione ſcandali paſſiui proprij ſacerdotis, quia hoc procedit ex illius mali- 33

33 Aduertentia de ſcandalo paſſiuo.

malitia, pro vt aduertit Suarez Diſtinct. 23. ſect. 2. numero ſecundo: Quando autem ſcandalum eſt actiuum, & procedit ex infirmitate Sacerdotis, tunc tenetur pœnitens occaſionem illi deuitare, ſecundum omnes.

34
2. Aduertētia Timor debet eſſe probabilis, & nō imaginarius.

Secundò aduertendum eſt: Oportere in his caſibus timorem eſſe probabilem, & (vt ità dicam) cadentem in prudentem virum, quia cùm admittenda ſit excuſatio legis grauiſſimæ de integritate confeſſionis non ſine magno fundamento, & ratione fieri debet: Nam aliter daretur occaſio hominibus faciliter diuidiandi confeſſionem peccatorum propter quamcumque leuem cauſam: Pro vt docet idem Suar. d. to. 4. de Pœnit. D. 23. ſect. 2. nu. 2.

Suar.

35
Quartus caſus. Ratione ſigilli, ne reueletur etiam indirectè.

Quartus caſus eſt, quando confeſſarius nullo modo poſſit confiteri peccatum ſuum, quod in audiendo confeſſionem alicuius commiſit, niſi manifeſtando peccatum ſui pœnitentis contra ſigillum confeſſionis: Tunc enim ſecundum omnes, non tenetur confeſſarius, nec poteſt confeſſionem illius pœnitentis detegere, & ſic manente tali neceſſitate, non tenetur ad materialem integritatem ſuæ confeſſionis, vt dicetur poſtea loco ſuo, agendo de ſigillo confeſſionis.

36
Caſus quintus. Pro conſeruatione famæ complicis. Duplex eſt opinio. 1. Opinio. Nauarr. Innocentij. Hoſtienſis, & aliorum.

Quintus caſus eſt, quando peccatum à pœnitente dici non poteſt, niſi reuelando perſonam, quæ fuit ſocia criminis: Tunc enim nonnulli dicunt: Licere in tali caſu peccatum illud, ſiuè circumſtantiam talem tacere, ne proximus diffametur: Ità docuit Nauarr. in c. Conſideret de Pœnit. D. 5. & in man. cap. 7. numer. 3. ſequens Innocentium in c. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ. col. 2. & Hoſtienſ. ibid. col. 4. qui extremiſſimè defendit, & abſolutè tenet, quod quando circumſtantia neceſſariò explicanda non poteſt explicari, abſque reuelatione tertiæ perſonæ: E. g. ſi aliquis commiſiſſet inceſtum cum propria matre, ſiuè filia, vel vnica ſorore, vel extitiſſet mediator, vt ab alio tale ſcelus cum illis commiſſum eſſet: Et quia pœnitens, & mater, & filia confeſſario noti ſunt, non poterit pœnitens cognationis gradum exprimere abſque mulieris infamia: Tunc dicit Nauar. cum ſuis aſſeclis teneri pœnitentem circumſtantiam illam cognationis tacere, & complicem delicti non infamare, quia in caſu ad confeſſionis materialem integritatem non tenetur, cum nullo modo liceat proximum etiam in cōfeſſione infamare, cuius etiam opinionis fuit Marſilienſis in 4. q. 12. A. 1. diſt. prima, quos nonnulli alij ſequuntur.

Marſil.

37
Fundamentū, ſiuè ratio iſtorum Doctorum.

Fundamentum, & ratio iſtorum eſt, quia lex de non infamando proximum Diuina naturalis eſt: Lex autem, quæ iubet confeſſionis integritatem eſt poſitiua: Ergò illa fortior eſt iſta, quia concurrentibus duabus legibus contrarijs, minor cedit maiori, vt ex text. Cap. Paſce diſtinct. 86. colligitur, ergò, &c.

Can. Paſce D. 86.

38
2. Ratio fundamentalis. 1. ex parte ſacramenti.

Ratio ſecunda eſt, quia tunc nulla cauſa legitima adeſt diffamandi proximum, tam ex parte ſacramenti, quam ex parte pœnitentis: Primò ex parte ſacramenti, quia confeſſio illa in tali caſu, licèt materialiter integra non ſit, formaliter tamen integra dici poteſt, cum in illo caſu pœnitens circumſtantiam illam confiteri non teneatur, tanquam ille, qui non habet copiam confeſſarij: Secundò ex parte ipſius pœnitentis, qui pœnitens in caſu recipit verum ſacramentum, quamuis circumſtantiam illam non aperiat, & per conſequens indirectè recipit omnium peccatorum remiſſionem, ergò quantum ſpectat ad ſalutem, & vtilitatem pœnitentis non multum refert, ergò non adeſt legitima cauſa diffamandi proximum in confeſſione, tam ex parte ſacramenti, quàm ex parte pœnitentis, quàpropter circumſtantiam illam explicare non licet: Concludit ergò Nauarr. In caſu non obligare præceptum de integritate confeſſionis, niſi quando confeſſarij copiam habebit.

Secundò ex parte ipſius pœnitentis.

Contraria tamen ſententia communior, & probabilior, atque ſecurior eſt, affirmans: Non ſolum licere, verum etiam teneri pœnitentem in tali caſu ad integritatem confeſſionis, etiam ſi confeſſarius cogniturus ſit perſonam complicis in particulari, quando tamen aliter fieri non poteſt, & nullum adeſt morale periculum, tam contra ſe ipſum, quam contra complicem: Ità docent ferè communiter omnes Theologi: (Illis tamen exceptis) ex quibus eſt D. Thom. Opuſc. 12. quæſt. 6. & in 4. D. 16. quæſt. 3. A. 2. q. 5. & D. Bonau. tom. 1. Opuſc. cap. 1. de modo confitendi, & in 4. D. 21. 2. p. d. A. 2. & 3. num. 55. Vbi dicit, quod: Si peccatum explicari non poteſt, ſine manifeſtatione perſonæ determinatæ: Vtpotè: Si mulier à viro ſuo inordinatè cognita fuit, tunc ſi dicat de marito; Non peccat, pro eo quod aliter culpam ſuam ſine rubore confiteri non poteſt: Ità etiam docent Alenſ. 4. p. q. 18. m. 4. A. 2. Rich. in 4. D. 16. A. 5. quæſt. 2. D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. Sylu. ver. Confeſſio, 1. q. 24. num. 18. Angel. num. 3. Roſella, num. 6. Caiet. in ſum. cond. 3. de confeſſ. & to. 1. opuſc. tract. 31. reſponſ. 5. Soto in 4. D. 18. q. 2. A. 5. ad 4. Durand. D. 16. q. 4. Palud. q. 3. A. 3. & D. 17. quæſt. 2. & D. 21. q. 3. A. 2. Suarez, tom. 4. de Pœnit. D. 36. ſect. 2. n. 3. multique alij ab ipſo citati, vt Maior. Adrian. Almain. Medin. & Corduba.

39
Secunda ſententia probabilior.

D. Thom. Bonau.

Alenſis. Riccard. D. Anton. Syluester. Angelus. Roſella. Caiet. Soto. Durand. Palud. Suar. Maior. Adrian. Almain. Medina. Corduba.

Ratio autem iſtorum eſt, quia vnuſquiſque debet ſalutem propriam præferre famæ alterius: Secunda quia vnuſquiſque poteſt vti iure ſuo, etiam ſi aliquid incommodi alteri ſequatur, dum aliter fieri non poteſt: Tertia quia hoc incommodum parum eſt reſpectu complicis, cum eius peccatum ſub eodem ſigillo permaneat, & 4. deniq; quia ipſemet complex huic ſe periculo expoſuit, quando voluit eſſe ſocius criminis: Iſtæ itàque ſunt rationes iſtorum Doctorum, quæ fuſius explicabuntur, reſpondendo ad contrarias rationes primæ opinionis, quàpropter

40
Rationes, in quibus fundatur ſecunda ſententia.

Ad primam Reſpondetur: Non eſſe verum, quod tunc duæ leges contrariæ concurrant; quia confitendo pœnitens peccatum ſuum, ſiuè circumſtantiam illam cum manifeſtatione complicis non facit contra ius Diuinum naturale (pro vt prima opinio ſupponebat) cum ibi nulla ſit formalis infamatio, ſiuè detractio contra proximum, ſed tantùm materialis, quæ in ſe non eſt prohibita omninò; pro vt docet D. Tho. 2. 2. quæſt. 73. in corp. eò quod reuelatio illa non ſit facta animo proximum infamandi, neque etiam ſine cauſa, ſed ex cauſa honeſta, & licita, cauſa videlicet propriæ ſalutis ſpiritualis, ex quo manifeſtè ſequitur: Talem detractionem non eſſe per ſe malam in tali caſu, & per conſequens eſſe licitam, ergò &c.

41
Soluitur primum fundamentum prioris ſententiæ. Diffamatio duplex materialis, & formalis. D. Thom. Diffamatio materialis aliquando eſt licita.

Confirmatur reſponſio: Nam Sacramentum hoc inſtitutum eſt per modum iudicij, & ideò quicquid debetur perfectioni iuſti iudicij, debetur, & confeſſioni: Sed in iudicio quis iuridicè interrogatus tenetur confiteri delictum ſuum integrè, etiam ſi ex tali confeſſione complex delicti manifeſtetur, ergò idem dicendum eſt de confeſſione ſacramentali, cùm confeſſarius in illo actu, ſit iudex competens in illo foro, & Ratio huius eſt, quia complex voluntariè ſe fecit ſocium illius criminis, ergò voluntariè ſe ſubdidit, quantum in ipſo eſt cognitioni talis iudicij, & ſententiæ in eum ferendæ, ſi ad perfectionem talis iudicij, & ſententiæ neceſſaria ſit talis manifeſtatio, quia voluntariè ſe fecit circumſtantiam talis delicti, quàpropter nulla ei fit iniuria, ſi ad illud iudicium hoc modo aſ-

42
Confirmatur reſponſio.

Ratio præcipua, quia voluntariè complex ſe fecit talem circumſtantiam.

feratur, & ſic pœnitens vtitur in caſu iure ſuo, & non facit contra ius Diuinum naturale confitendo integrè peccata ſua, vt prima opinio ſupponebat.

43 Soluitur Secunda ratio, & negatur aſſumptum.

Ad ſecundam rationem Reſpondetur: Non eſſe verum illud, quod dicebat: ibi non eſſe cauſam ſufficientem manifeſtandi complicem in confeſſione, quia tunc adeſt cauſa legitima, & rationabilis, tam ex reuerentia ſacramento debita, quam ex vtilitate pœnitentis: Quod verò hoc pertineat ad bonum ipſius ſacramenti per ſe manifeſtum eſt, quia confeſſionis integritas ad perfectionem iudicij huius neceſſaria eſt, & ad bonum ipſius ſacramenti, quia aliter ſequeretur magnum inconueniens, quod homines ſæpè ſæpiùs peccando mortaliter, & talibus occurrentibus circumſtantijs occaſionem dimidiandi confeſſionem ſumerent, & multa tacerentur peccata: Vndè non poſſet vir, & vxor confiteri peccata, quæ inter ſe quotidiè committerent, quando confeſſario ſint noti, & cogniti, & ſic de cæteris innumeris caſibus, quotidiè occurrentibus, quod certè magnum incommodum, & inconueniens erit præter ipſius ſacramenti inſtitutionem.

Ex neceſſitate ratione ſacramenti.

44 Confirmatur ratio.

Inſuper Confirmatur ratio: Nam praui homines ſæpè ſæpius poſſent ex hoc occaſionem ſumere committendi multa, & grauiſſima peccata, ſciendo, quod vterque ratione alterius mutuo excuſabitur ab obligatione illa confitendi, ergò, ne tale daretur inconueniens talis opinio admitti non poteſt: Quàpropter huiuſmodi complicis detractio in confeſſione appellanda, non eſt formalis detractio, ſed tantùm materialis propter ſacramenti reuerentiam, vti iam explicatum eſt, ergò &c.

Non eſt detractio formalis, ſed materialis.

45 Secundò ex parte ipſius confitentis.

Secundò reſpondetur, & probatur noſtra ratio ex parte ipſius confitentis, & ſpiritualis vtilitatis ipſius. Vndè dicimus: Talem manifeſtationem complicis licitè fieri poſſe: Nam fructus ſpiritualis eſt, quia confitendo pœnitens circumſtantiam illam, recipiet remedium opportunum à ſuo confeſſario, ne impoſterum reincidat.

46 Confirmatur iterum ratio noſtra.

Inſuper ex tali integra confeſſione cum omnibus circumſtantijs neceſſarijs explicatis (moraliter loquendo) creſcit pudor, & dolor de tali peccato: Vndè etiam moraliter ſperari poteſt, vt creſcat fructus ex opere operato, qui certè eſt maioris momenti, quam fama complicis circa vnum confeſſarium ſub tali ſigillo minuetur: Tum etiam quia ipſe pœnitens ab onere bis idem delictum confitendi eximeretur, quod graue incommodum ipſi pœnitenti apportabit: Idcircò vnuſquiſque magis ſibi prouidere tenetur, quam alteri: ergò, &c.

47 Concluſio.

Quàpropter ex validis iſtis rationibus concludendo dicimus: *Licitum eſſe pœnitenti omnia peccata ſua cum debitis circumſtantijs integrè confiteri, etiam ſi perſona complicis in notitiam confeſſarij deueniat, quando aliter commodè fieri non poteſt*: Nam ſi pœnitens poſſet alteri confeſſario confiteri, qui in notitia complicis deuenire non poſſit, debet illi confiteri: Vndè in tali caſu procurare debet pœnitens quantum poteſt, vt alteri confiteatur: Si verò hoc ſine nota, aut ſcandalo facere non poſſet, debet omnia peccata ſua integrè, & liberè confiteri, quando tamen nullum aliud detrimentum amplius ſequeretur præter notitiam illam, quæ confeſſario detur ſub ſigillo confeſſionis.

Limitatio cõcluſionis.

Si verò eſſet aliquod morale periculum, confeſſarium fore complicem illum offenſurum, vel illum ad aliquod malum ſollicitaturum, vel aliquod nocumentum illaturum, tunc certum eſt non licere, nec etiam poſſe illum manifeſtare, quia tunc non obligat ratio integritatis; Et in hoc omnes citati DD. conueniunt ex vtraque parte; & ideò quando nullum huiuſmodi adeſt periculum tenetur pœnitens omnia peccata ſua cum circumſtantijs neceſſarijs integrè confiteri, vt ex omnibus rationibus ſupra dictis clarè patet, vt benè probatum eſt: Imò etiam Nauar. in d. cap. conſideret nu. 96. in hoc omninò non videtur diſſentire, dicens, quod quando confeſſarius poteſt prodeſſe, & nõ obeſſe licitum eſt complicem propter bonum ipſius manifeſtare: ergò &c. Et hæc de integritate confeſſionis, pro modò dicta ſufficiant.

Quando confeſſarius eſt profuturus, & non obfuturus. Nauar.

DE PECCATORVM NVMERO.

CAP. IV.

P. Quæſtio.

DIximus hucuſque de Integritate confeſſionis, quò ad circumſtantias neceſſariò explicandas: Modò dicendum venit de numero peccatorum neceſſariò explicando, quatenus pertinet ad ipſius confeſsionis integritatem, & ideò primò quæritur,

1 Oportet numerum peccatorum in confeſſione explicare.

An ad integritatem confeſsionis neceſsè ſit peccatorum numerum diſtinctè explicare?

Reſpondetur breuiter Affirmatiuè: Neceſſarium enim eſt (per ſe loquendo) peccatorum numerum diſtinctè quantum poteſt in confeſsione aperire: Licèt enim numerus peccatorum in eadem ſpecie peccati non ſit circumſtantia, pertinet tamen ad ſubſtantiam actus, & dicitur peccati ad peccatum additio, atque multiplicatio, pro vt dicit Caiet. 1.2.q.7.A.1. Cum autem confeſſio ſit actus iudicij, & iudex incognita cauſa munus ſuum exercere non poteſt; ideò ſequitur: Oportere omnia, & ſingula peccata non ſolùm ſecundum genera, & ſecundum ſpecies, ſed etiam, ſecundũ numerum explicare: Ità enim habetur ex doctrina Sacri Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. in illis verbis, in quibus additur particula illa: *De omnibus ſingillatim*, declarans per ly, *ſingillatim*: Confeſſionem faciendam eſſe de ſingulis peccatis, ideſt, quò ad numerum: pro vt intelligit Suar. D. 22. ſect. 5. Cuius ratio eſt, quia interdum magis variat iudicium multitudo peccatorum in eadẽ ſpecie, quàm diuerſitas ſpecifica.

Caiet. Concil. Trid. Suar.

2 Si per negligentiam culpabilẽ numerus non explicetur, confeſſio eſt nulla.

Quàpropter concludendo dicimus: Pœnitentem teneri ad peccatorum numerum confitendum, ſi eum nouerit explicare, dicendo: *Hoc peccatum commiſi ſepties &c.* Quod ſi certum numerum cognoſcere non valeat, exponere debet numerum veriſimiliorem, eo modo, quo infrà dicetur: Aliter enim ſi per negligentiam ſuam culpabilem, vel quia noluit cogitare, vel quia parui fecit, numerum non exprimere, confeſſio non eſſet integra, & per conſequens nulla, pro vt dicunt Nauar. in man. c. 6. nu. 15. Graff. lib. 1. deciſ. c. 20. nu. 18. & omnes communiter.

Nauar. Graff.

3 Quomodo ſit explicandus peccatorum numerus.

Et ideò dicendum nobis eſt: Quomodo pœnitens talem numerum præcognoſcere, & declarare debet, & vndè diſtinctio illa numerica peccatorum ſumenda eſt, quorum multitudo in ſacramentali confeſſione neceſſariò eſt explicanda.

4 Peccata, alia interna, alia externa.

Quàpropter ſciendum eſt primò: Peccata dupliciter committi, & multiplicari poſſe; Primò per ſolam voluntatem internam: Secundò per voluntatem prodeuntem ad externum actum: Vndè circa primum de peccatis merè internis in voluntate, dicimus, quod: Quamdiu voluntas durat in illo actu, vnicum peccatum eſt: Si autem voluntas illa ſiuè praua cogitatio erit interrupta, toties numerus multiplicabitur, quoties voluntas illa renouabitur: Ità Nauar. d. c. 6. nu. 16. Graff. d. c. 20. num. 11. & Suar. d. to. 4. D. 22. ſect. 5. & in hoc omnes Theologi conueniunt.

Peccatum internum multiplicatur per interruptionem voluntatis. Nauar. Graff. Suar.

5 Difficultas.

Sed Difficultas eſt: Quanta interruptio, ſiuè ceſſatio neceſſaria ſit ad prædictam multiplicationem nume-

Quanta interruptio requiratur ad multiplicationem numericam. 1. Opinio. Ratio iſtius opinionis.

numericam conſtituendam: In qua re diuerſitas eſt opinionum, quarum prima tenet: Quamcumque ceſſationem etiam minimam, ſiuè voluntariam, ſiuè ex quacumque diſtractione naturali, ſiuè ſomni, ſiuè modici temporis eſſe ſufficientem ad peccatum multiplicandum numericè in peccatis merè internis, quæ ſolo animo conſummatur: Et Ratio eſt, quia peccatum illud non poteſt eſſe vnum, niſi continuatione aliqua voluntatis: Sed tunc non eſt continuatio, cum aliqua intercedat ceſſatio (loquimur enim de peccatis interni,) ergò nihil eſt, in quo illi duo actus continuentur ad vnum conſtituendum peccatum, ergo ſunt plura, & ideò, vt plura ſunt confitenda. Ità Io: And. de Regul. iur. in 6. Mercur. in Reg. delicti col. penult. & alij aſſecli.

Io. Andreas Mercur.

6 2. Opinio oppoſita.

Alij verò dicunt: Peccata interna non multiplicari numero, donec prima voluntas per actus contrarios contrariæ volūtatis interrumpatur, & poſtea ad priorem voluntatem iterum redeatur; Ità ſentire videtur Cano. in Relat. Pœnit. p. 5.

Cano.

7 Limitatur iſta opinio.

Sed iſta ſecunda opinio, ſimpliciter intellecta, ſi nihil amplius ipſi addatur admitti non poteſt, quia licèt verum ſit, interruptionem illam per contrariam voluntatem ſufficientem eſſe ad peccatum multiplicandum in numero, iuxta actus contrariæ voluntatis, non tamen ſemper eſt neceſſaria, quia ſi ſic, ſequeretur quod is, qui habuit nunc prauum conſenſum circa talem rem, vel per ſomnum, & cet. & ab illo ceſſauit per aliquod tempus ſine vlla retractatione, vel contraria voluntate, & poſt aliquod tempus repræſentato eodem actu, & obiectu, iterum eūdem habuit conſenſum, non committeret nouum peccatum, ſed eſſet vnum tantum, quod dicendum non eſt.

8 Limitatur. 1. Opinio, tamquam nimis rigoroſa. Interruptio mentis non conſideratur phyſicè, ſed moraliter.

Prima autem Opinio nimis videtur eſſe rigida, & rigoroſa: Nam licèt verum ſit, quod actus illi interni, quocumque modo, & quocumque tempore interrupti phyſicè, & coram Deo ſint numero diſtincti in genere entis, nihilominus tamen in genere moris, & in ordine ad confeſſionem, in qua iudicium humano more exercetur, illa interruptio non eſt moralis, ſed tantùm phyſica, & conſequenter non ſufficit ad diſtinctionem numericam conſtituendam in ordine ad confeſſionem, quia interruptio illa, quandò eſt nimis breuis, & naturalis, abſque ſpeciali aduertentia, vel voluntate, humano modo vix cognoſci, & explicari poteſt, neque variat ſemper morale iudicium.

9 Vera reſolutio, medians inter vtramque.

Quapropter in hac ſententiarum diuerſitate, media via tenenda eſt nempè, quod: Interruptio debet eſſe moralis, ità vt humano modo poſſit cognoſci; Nō phyſicè (vt dicebat prima opinio) nec ità diſtinctè per actus contrarios (vt dicebat ſecunda) putans, quod neceſſariò requiratur voluntas interrupta, & renouata per contrarios actus, ſed ſufficit, vti diximus, moralis interruptio, licèt parua, dum tamen humano modo poſſit cognoſci: Hæc enim ex doctrina Suar. tom. 4. de Pœnit. D. 22. ſect. 5. colliguntur.

Suar.

10 Concluſio.

Concludimus ergò: Illa peccata eſſe diſtincta numero, quæ cum interruptione fiunt, & pœnitentem teneri ad confitendam omnem multitudinem peccatorum numericam, eo modò, quo poteſt: quapropter quandò interruptio eſſet ità breuis, vt humano modo cognoſci non poſſet debet pœnitens totam illam interruptionis multitudinem confiteri, per modū vnius moræ in peccando, vt patet de exemplo cogitationis moroſę in illo videlicet, qui per horam, ſiuè per diem, & cet. permaneat in delectatione moroſa circa idem obiectum: Numquam enim, aut rarò id fit ità continuè, quin iterum cogitatio ad alia rapiatur, licèt ſtatim ad eamdem cogitationem redeat: Tunc enim difficillimum eſſet obligare pœnitentem ad illam varietatem explicandam: Vndè tunc ſatis erit confiteri totum illud tempus per modum vnius dicendo videlicet: Per horam, vel per diem fui in tali praua cogitatione: Tunc enim non confitetur peccata illa per modum vnius, ſed per modum vnius confuſæ multitudinis, in illa mora incluſæ, quæ aliter moraliter explicari, & cognoſci non poteſt: Ità Suarez ſupra numer. 11. Et hæc de peccatis internis, quæ ſolo animo committuntur.

Exemplum de cogitatione moroſa.

Sufficit confiteri totum tempus per modū vnius confuſę multitudinis.

Suar.

11 De peccatis, quæ procedunt ex actione externa. Non multiplicatur, niſi totaliter voluntas ceſſet per actū contrarium.

Circa ſecundum autem de peccatis, quæ opere exteriori perficiuntur, vt Furtum, Fornicatio, Homicidium, & cet. Dicimus: Non multiplicari, manente tamen opere exteriori, niſi per intentionem interruptam contrariæ voluntatis, aut per cōſummationem operis peccati perpetrati, & non per ſolam voluntatem, & cogitationem interciſam alijs cogitationibus, durante tamen opere exteriori: Cuius ratio eſt, quia habent iam cogitationes illæ, in quo vniantur, & ex illo interiori, & exteriori actu conſurgit vnus actus humanus, compoſitus, quaſi (vt ità dicam) ex materia, & forma: Et licèt formalis voluntas ceſſet, & interrūpatur alijs cogitationibus, virtualiter tamen ſemper continuatur.

12 De actionibus præambulis ad peccatum.

Et ſimiliter dicimus, ſi manente eadem voluntate, opus multiplicetur exterius, antequam delictum finiatur per interruptionem actuum exteriorum, qui ſunt veluti quædam via ad vnum actum perpetrandum, aut veluti partes ipſius præambulæ, dum tamen non mutetur propoſitum opus illud conſummandi, quia tunc quoties propoſitum multiplicabitur, toties peccatum multiplicabitur numero: Ità docent Caietan. 2. 2. quæſt. 66. A. 3. & tom. 1. Opuſc. tractat. vltim. reſp. 15. D. 2. Nauarr. in cap. Conſideret in principio num. quadrageſimo octauo, & in man. cap. 6. num. 16. Graff. d. capite 20. numero 11. concordat Suarez d. tom. 4. D. 22. ſectio. 5. numer. 20. & omnes communiter.

Caiet. Nauarr. Graff. Suar.

13 Explicato opere cōſummato intelliguntur omnia præambula ad ipſum.

Ex quo infertur primò: Omnes actus interiores, & exteriores, qui tantummodò ſunt veluti quædam via ad vnum peccatum perpetrandum: Vnicum tantum peccatum efficere, etiam ſi actus illi fuerint interrupti, quales ſunt paſſus itineris, præparatio Equi, aliorumque armorum, vna cum deſiderijs varijs vicibus interruptis verbo, eſu, aut ſomno renouatis, eius qui vadit ad occidendum inimicum triginta, aut quadraginta milliaribus diſtantem: Ratio huius eſt, quia hæc omnia ſunt via, aut præambula ad delictum: Sic etiam dicimus de colloquijs, oſculis, & amplexibus, quæ præcedunt actum fornicationis: Similiter etiam de apparatu, & voluntatibus ad furandum: Vndè tūc ſecundùm opinionem communem, ſufficit vltimum actum confiteri dicendo: Furatus ſum, Fornicatus ſum, Interfeci hominem, & ità de cæteris. Ità Nauar. & Graff. loc. ſupra cit.

Ratio aſſertionis.

Nauarr. Graff.

14 Quæ nō ſunt via ad idem peccatum, non valet aſſertio.

Sed nota, quod dixi (de actibus, qui ſunt quædam via, vel præambula ad vnum peccatum perpetrādum) quia ſi non eſſent viæ, & præambula ad idem peccatum, tunc diuerſa eſſent peccata: Veluti ſiquis, cum iret ad occidendum per viam occaſione habita, fornicaretur, ſiuè furaretur, vel blaſphemaret, &c. quia tunc tot peccata committeret, quot eſſent ibi in ſe actus mali, & quot fines diuerſi mali, in quos dirigitur: Ità Nauarr. d. cap. 6. num. 17. in fine Graff. d. c. 20. num. 17. & Ratio eſt, quia neque furtum, neque fornicatio, neque blaſphemia ſunt via ad homicidium perpetrandum.

Nauar. Graff.

15 Iniuriæ diuerſæ, diuerſa efficiunt peccata.

Similiter etiam dicimus: Si quis eodem impetu dicat alter quatuor, vel quinque verba iniurioſa, ſignificantia diuerſas iniurias: Videlicet iniuriando aliquē: Furem, falſarium, Hæreticum, & cet. cenſendus eſt

peccare

peccare diuerſa peccata, ſecundùm numerum diuerſarum iniuriarum. Et ratio huius eſt, quia altera iniuria diuerſa non eſt via, nec includit alteram, neque omnes ſunt vnum, tendentes ad vnum principale, neque vnius ſpeciei Secundùm Nauarr. d.c.6. nu.18. & Suar. ſupr.

Nauarr. Suar.

16 Blaſphemiæ diuerſæ multiplicant peccata.

Similiter etiam dicimus: Si quis blaſphemauerit Beatiſſimam Virginem, D. Petrum, D. Franciſcum, &c. tot peccata committeret, quot ſanctos ſpecialiter blaſphemauerit, ſicut ille, qui vno impetu, aut etiam vnico ictu tres ferit Clericos, in tres incidit excommunicationes, & tripliciter eſt excommunicatus; Secundùm Io. Andr. in Mercur. cap. Delictum de Reg. iur. in 6.

Io. Andr. Mercur.

17 Limitatio de numero collectiuo.

Nota autem, quod dixi (ſpecialiter). Quia ſi quis blaſphemauerit D. Petrum, & vndecim Apoſtolos, duo tantum peccata videtur committere, quia ly vndecim Apoſtolos non ſpecialiter maledixit, ſed generaliter, & ly vndecim Apoſtoli collectiuè ſumpti, vnam tantum perſonam collectiuè repræſentant. Ità Nauarr. d.c.6. num.18.

18 Quoties contraria voluntas renouatur, toties peccata multiplicantur.

Sic etiam, ſi eodem impetu, & in eodem peccato conſummando fuit interruptio contrariæ voluntatis, vel quia pœnitur, vel quia ſeſius mutauit propoſitum, aut perueniendi ad concubinam, vel pecuniæ alienæ ſurripiendæ, vel homicidij perpetrandi, & incitatus à ſuperueniente furore, ſiuè tentatione alia, iterum præponit ire, aut vadit; tunc duo ſubindè peccata committet, & tot ſubindè peccata confiteri tenetur, quot interruptiones, aut renouationes voluntatis habuit, cuius ratio eſt, quia alterum fuit terminatum, & non permanſit tanquam via ad alterum; Ità Nauarr. in d.c. Conſideret de Pœnit. D.5. num.48. & Graff. d. c.20. nu. 16.

Nauar. Graff.

19 Vna fornicatio nõ eſt via ad alteram.

Similiter etiam, ſi vna fornicatione expleta, iterum coiret, licèt quantumcumque immediatè, duo committeret peccata diſtincta, cũ vna fornicatio ad aliam via eſſe non poteſt: Ità omnes communiter.

20 An in peccato mollitiei multiplicentur peccata per deſideria.

Sic etiam, ſi quis in eodem actu carnali, vt puta Mollitiei, vel huiuſmodi pro maiori ſua delectatione inducit ſibi ſucceſſiuè in memoriam diuerſas perſonas, nuptam videlicet, monialem, cognatam, ſiuè maſculum, ſiuè beſtiam, tot committeret peccata diſtincta, quot ſpecies diuerſas concupiſceret, cùm virtualiter cum vnaquaque per voluntatem commiſceatur, vel eis mortiferè delectetur, & nulla illarum ad aliam ſit via; Ità communiter docent Azor. 1. p. lib.4. c. 6. q. 3. Sanchez in ſum. to.1. lib.1. c.2. nu.11. Caiet. 2.2. qu. 154. A.4. & Nauar. loc. cit. & alij.

Azor. Sanch. Caiet. Nauarr.

21 De cogitatione moroſa eſt eadem ratio ſecũdùm iſtos Doctores.

Ità etiam dicunt iſti Doctores de cogitatione moroſa: Nam moroſæ delectationes in re venerea non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſæ pro diuerſitate ſpecifica operis, de quo ſunt delectationes, & ità diſtinctè explicandæ ſunt in confeſſione, & hoc ſecundùm mentem Nauarri, omniumque ſupra dictorum Doctorum.

22 Limitatio. Delectatio moroſa dupl. ſpeculatiua, & practica.

Hæc tamen ſententia limitatur à Diana 1. p. reſolut. moral. tractat. 7. de circumſtan. peccat. reſol. 48. vbi dicit, quod: Si talis delectatio perſonarum diuerſarum fuiſſet tantùm ſpeculatiua in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate cum talibus perſonis diſtinctis commiſcendi, ſed tantummodò delectatus fuit pulchritudine pro maiori delectatione pollutionis, ſiuè cogitationis moroſæ, non tenebitur tales circumſtantias in confeſſione explicare: In caſu enim non delectatur de coniugata, moniali, &c. vt cognata, aut moniali, & de illo obiectu, quatenus eſt iniurioſum alteri, ſed quatenus eſt obiectum delectabile ſpeculatiuè, & non practicè.

23 Quàpropter exiſtimat ipſe Pater Diana probabiliter in tali caſu: tales circumſtantias perſonarum, ſecundùm ſpecies non eſſe in confeſſione neceſſariò explicandas, quia huiuſmodi delectationes ſpeculatiuæ non differunt ſpecie à ſimplici fornicatione, & ideo ſufficere, vt pœnitens dicat: Toties in actu pollutionis voluntariè delectatus ſum obiectu diuerſarum perſonarum pro maiori delectatione, ſine expreſſione, & circumſtantia perſonæ imaginationi obiectæ: An Videlicet fuiſſet monialis, coniugata, vel libera, quam etiam opinionem tenuerunt Vaſquez in par. 2. tomo 2. D.112. cap. 112. num.2. Sayr. in Claui Reg. libr.9. cap.7. num.10. Reginald. tom.2. lib.12. c.2. nu. 13. & concordant Filliuc. tom.2. tract.2. cap. 8. num. 301. & Bonac. de Matrim. qu.4. p.8. nu. 19. & Leſſius de Iuſt. lib.4. c.3. d. 15. num. 123. & hanc opinionem probabilem exiſtimant.

Delectationes ſimpliciter ſpeculatiuæ non ſunt neceſſariò explicandæ.

Vaſqu. Sayr. Reginal. Filliuc. Bonac. Leſſius. Diana.

24 Oſcula, & colloquia præcedentia fornicationẽ non ſunt explicanda.

Hic tamen nota: Non teneri pœnitentem in confeſſione explicare colloquia amoroſa, oſcula, tactus impudicos, & amplexus, quæ præcedunt actum fornicationis, tanquam præparatoria ad actum: ſufficit enim dicere ſimpliciter: Fornicatus ſum toties cum muliere, &c. Omnia enim illa præcedentia ſunt via illius fornicationis, & ſunt quaſi partes copulæ conſumandæ, & ad illam per ſe ordinantur, & veluti ex natura rei præcedunt in illo actu: Ità Nauar. c. 6. nu. 18. V.7. Quod etiam dicit de ſubſequentibus oſculis, tactibus, & colloquijs, quæ ſequuntur, & ſequi ſolent poſt actum fornicationis, &c.

Nauarr. An etiã idem dicendum ſit de ſubſequẽtibus. Nauar. affirmat.

25 Alij negant. Suar. Vaſqu. Coninch.

Hoc autem non admittitur à Suarez d. tom.4. D. 22. ſect.5. num.26. & Vaſqu. 3. p. tom. 4. quæſt. 91. A. 1. d.5. num. 35. & Coninch. D.7. d.7. num.59. cum alijs aſſeclis, dicentibus: Actus ſubſequentes non eſſe partes prioris actus conſummati, neque ex natura rei includi in illo, cum illi non ordinentur ad copulam præcedentem, ſed ſubſequentem, & ideò exiſtimant citati Doctores explicandos eſſe huiuſmodi actus in Sacramentali confeſſione, tanquam actus diſtinctos.

26 Limitatur ad Sententia. Henriq.

Verum eſt tamen, ſententiam Nauarri, etiam de ſubſequentibus eſſe probabiliſſimam, & in praxi ità communiter obſeruatur: Ità expreſsè docet Henriq. in ſumm. lib.5. cap. 5. nu.5. in Gloſſa lit. V. aſſerens. Vnicum tantùm eſſe peccatum quandò quis ante fornicationem, & poſt illam continuat actus libidinoſos, etiam extraordinarios, oſculando, tangendo, amplexando, etiam cum gaudio, aut collocutione ſubſequente, iterum tangit concubinam, & oſculatur etiam, propter delectationem de nouo, dummodò hæc non faciat ad iterandam nouam fornicationem; non tenetur illa confiteri, ſed ſufficit dicere: Toties fornicatus ſum. Et ratio huius eſt; quia huiuſmodi oſcula, amplexus, tactus, &cet. coniunguntur cum actu, & effectu principali, & cum eo conſtituũt vnum peccatum: Vndè, explicato actu principali, etiam cẽſentur huiuſmodi actiones explicatæ: Ità præter Nauarrum, docent hanc ſententiam Henriq. & Sancius in ſelectis D.6. num.3. & Azor. 1. p. lib.4. cap.4. in fin. Zerola in praxi de Pœnit. cap. 13. qu. 47. Zanard. in direct. Theolog. de Pœnitent. c. 18. & ſequitur Diana 1. p. tract. 7. reſolut. moral. de Circumſt. peccat. Reſolut. 42.

Ratio limitationis.

Io. Sancius. Azor. Zerola. Zanard. Diana.

27 De illo, qui poſt homicidium, &c. Laudatur, & delectatur. Concluſio eſt negatiua.

Similiter dicendum eſt de illo, qui poſt homicidium conſummatum delectatur, vel ſe de tali actu laudat, cum complacentia delicti perpetrati, ſi id faciat quaſi in flagranti delicto, & ex ipſo feruore peccati perpetrati, non eſt nouum peccatum neceſſariò explicandum: Cuius ratio eſt, quia totum hoc fit ſine interruptione voluntatis, atque adeò per modum vnius: Tum quia actus ſubſequentes includuntur in actu principali, & ideò, explicato principali actu, ſicut pœnitens non tenebatur cõfiteri numerum actuum præceden-

Digitized by Google

cedentium, itá nec ſubſequentium: Itá expreſsè docent Nauarr. d.cap.6. num.17. & Caiet. tom.1. Opuſc. cap.5. quæſt.3. Tùm quia pauci inueniuntur, qui poſt vindicatam iniuriam, poſt furtum, & dolum commiſſum non velint, dicant, vel faciant aliqua inordinata, gaudendo, comedendo, bibendo, & ridendo, &c. iuxta illud Prouerb.2. *Lætantur cum malè fecerint.*

Nauar. Caiet.

Prouerb.c.2.

28 Quamuis autem ſinguli ſupra dicti ſint per ſe ipſos peccata mortifera, & circumſtantiæ aggrauantes peccatum quò ad iudicium Dei exactum: & licèt oporteat, vt contritio, per quam ſunt remittenda formaliter, vel virtualiter perueniat ad omnia illa præcedentia, & ſubſequentia, quò tamen ad iudicium ſalutare pœnitentiæ, & huius vitæ, quod facere debet confeſſarius, ſatis eſt, vt numerus eorum ſic patefaciat, vt ſtatus pœnitentis ſatis pateat confeſſario ad iudicandam, qualem ei debeat exhibere medicinam: Itá Nauarr. (Quicquid dicat Suarez,) putans huiuſmodi actus ſubſequentes eſſe neceſſariò explicandos in cõfeſſione, tanquam circumſtantias notabiliter aggrauantes peccatum commiſſum: At quia nos exiſtimamus, quod tantùm circumſtantiæ illæ, quæ ſpeciem peccati mutant ſunt de neceſſitate explicandæ, ideò rationabiliter oppoſitum tenemus, ſecundùm probabiliorem ſententiam.

Circumſtantię aggrauãtes neceſſarię ad contritionem, non autem ad confeſſionem.

Nauarr. Contra Suarez.

Circumſtantię aggrauãtes nõ ſunt de neceſſitate confeſſionis.

29 Aduertendum tamen, quod quandò adeſt interruptio voluntatis ex noua malitia, tunc debent explicari, cum ſint peccata diſtincta: ſimiliter etiam dicimus de præambulis: Nam licèt præambula, quæ ſunt via ad ipſum peccatum perpetrandum non ſint neceſſariò explicanda in confeſſione, vt dictum eſt.

Aduertentia.

30 Hoc tamen non valet quandò habeant malitiam aliquam numero diſtinctam, & quaſi totalem propter quam debeant explicari: E.g. Quandò quis ex intentione occidendi inimicum inducit alium, vt ſit ſocius criminis, Vel ex intentione Adulterij mittit lænam, ſiuè nuncium, qui fœminam inducat ad conſentiendum: tunc enim & in ſimili caſu peccatum illud reſpectu illius tertiæ perſonæ, quæ ad peccandum inducitur, nouum peccatum eſt, & diſtinctum, vt nos diximus ſupra in tractat.2.c.2. de circumſtantijs peccatorum n.10. His itaque declaratis.

2. Aduertẽtia quandò adeſt alia malitia numero diſtincta.

31 Quæritur ſecundò. Quomodò peccatorum numerus in confeſſione ſit explicandus?

Quomodò peccatorum numerus ſit explicandus.

Reſpondetur primò: Numerum peccatorum in Sacramentali confeſſione de neceſſitate eſſe explicãdum: aliàs enim confeſſio non eſſet integra, & ideò tenetur pœnitens omnia, & ſingula peccata ſua, commiſſa integrè confiteri, non modò ſecundùm ſpecies, verum etiam ſecundùm numerum: Vndè quandò pœnitenti conſtat de numero certo, ſic illum confiteri tenetur, non minuendo, neque augendo, vt per ſe conſtat; ſi quis enim voluntariè affirmando dixerit: pluries ſe peccaſſe, quam peccauit, peccatum nouum committeret contra confeſſionis fidelitatem, ſe ipſum in loco veritatis infamando: Si verò pauciora confiteretur, quam fecit, peccaret etiam contra confeſſionis integritatem.

Omnia, & ſingula ſunt in confeſſione explicãda.

Nec augendo, nec minuendo.

32 Quapropter ad euitandum vtrumque extremum diſcretio facit, vt pœnitens dubia pro dubijs, certa pro certis confiteatur, dicendo: Toties feci hoc peccatum, paulò pluries, vel paucioribus vicibus; pro vt docent Soto in 4. D.18.q.2. A.4. concl.1. & 2. Suarez D.22. ſect. 5. num.3.

Dubia pro dubiis certa pro certis.

Soto. Suar.

33 Et tunc ſi poſteà recordabitur pœnitens ſe peccaſſe pluries, quam explicauit, ſi talis error non fuit notabilis in numero; Exemp. gr. ſi dixerit, ſe peccaſſe decies in tali ſpecie, & poſteà comperiet, ſe peccaſſe duodecies non tenebitur duo illa oblita reconfiteri, quia cum dixiſſet ſub dubio, paulò pluries, illa duo etiam implicitè confeſſus eſt; Si autem error fuiſſet notabilis, quia comperit, ſe peccaſſe vicies, tenebitur exceſſum relictum confiteri, quia numerus denarius ſupra numerum in confeſſione explicatum eſt numerus notabiliter maior, & non cenſetur in prima confeſſione explicatum ſufficienter. Itá Reginald. libr.6. num.126. Bonacin. tomo 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect.2.p.2. diffic.2. nu.6. Filliuc. tom.1. tract.7.c.4.nu.82. Suar.to.4. de Pœnit. D. 22. ſect. 5. num.38. & alij communiter.

Paruus numerus quãdò comprehenditur in dubio.

Error notabilis numeri non comprehenditur.

Reginald. Bonac. Filliuc. Suar.

34 Si autem determinatè dixiſſet: Peccaui decies, & poſteà recordatus fuerit, ſe peccaſſe duodecies; tunc tenebitur confiteri illa duo, quæ numerum prius dictum excedunt. Itá Victoria in ſum.n.179.

Nota pro numero determinato. Victoria.

35 Quandò verò certi numeri non recordatur pœnitens inueſtigare debet, ſecum recogitans, quoties in die, vel hebdomada, ſiuè menſe plus, minuſue potuiſſet committere, & in confeſſione numerum veri ſimiliorem exponere, pro vt conſcientia ipſius pœnitentis dictauerit. Itá Nauarr. in man.c. 6.nu.15. Nec ſufficit dicere: Peccaui ſæpè, ſiuè multoties, cum verbum illud ſæpè, tam in binario, quam in ternario, ac in centenario inueniri poterit: Itá Graſſ.to.1. deciſ.libr.1.cap.20. nu.20. Nauar.c.Conſideret de Pœniten. D. 5. num.44.

Quandò de numero certo non recordatur, quid faciendum?

Nauar.

Non ſufficit dicere peccaui pluries.

Bonac. Graſſ.

36 Poterit tamen pœnitens ſecundùm doctrinam eiuſdem Nauarr. in manu. cap.6. num.19. Vnico verbo millia peccata mortalia confiteri, dicendo: Millies blaſphemaui, Millies furatus ſum: Centies occidere feci, ſiuè ſtatui, Centies feci contra votum, vel iuramentum: Hoc autem illud feci decies ad finem malum, plus, minuſue: quoniam itá faciens, nihil deficit de his, quæ ad confeſſionis integritatem faciunt: Si verò ſint aliquæ circumſtantiæ, mutantes peccati ſpeciem tales ſpecialiter confitendæ ſunt: Secundum Suarez ſupra num.38.

Poterit pœnitens millia peccata vnico verbo cõfiteri.

Circumſtantiæ autẽ ſunt explicandæ.

37 Sed hic eſt aduertendum: Non oportere pœnitentem nimis eſſe anxium, & ſcrupuloſum in exactè cogitando, & confitendo peccatorum numerum, ſed ſufficere bona fide exprimere certum numerum, ſi de illo recordetur, alioquin veriſimiliorem, puta: Vigeſies in circa plus, minuſue, ſic centies in circa, & itá de ſimilibus, Nam dummodò parum, vel plus attingit numerum, licèt non determinatum nihil impedit confeſſionis integritatem: Sufficit enim, vt quis numerum craſſo modo declaret parum plus, ſiuè minus, pro vt ſua conſcientia dictauerit, vt confeſſarius ſtatum conſcientiæ pœnitentis percipere poſſet ad faciendum rectum iudicium abſolutionis: Itá Caietan. tomo 1. Opuſc. cap. 18. quæſt. 3. de confeſſione Nauar. d. c. Conſideret num. 42. & Victoria in ſum. num. 1.

Sufficit bona fide confiteri numerũ veroſimiliorẽ.

Peccatorum numerus craſſo modo poteſt explicari.

Caiet. Nauar. Victoria.

38 Imò dicunt prædicti Doctores: Aliquandò poſſe pœnitentem abſque expreſſione numeri ſtatum ſuum ſufficienter explicare; Ex. gra. ſi quæ publica meretrix, quæ per biennium, aut decennium parata fuit ad ſui copiam omnibus hominibus cuiuſcumque conditionis: quæ difficillimè recordari, & cognoſcere poterit de numero peccatorum commiſſorum: Tunc in caſu ſatis eſt, ſi dicat tanto tempore huic turpitudini fui expoſita, & quotidiè parata eram in loco publico, & ſæpè cum varijs hominibus, tàm ſolutis, quam coniugatis, ſiuè Clericis ſiuè Regularibus opere, & cogitatione peccaui: Et hoc circa fornicationẽ, ſufficit, quia ſic ſufficienter aperit confeſſario ſtatum conſcientiæ ſuæ: Itá omnes.

Sufficit aliquandò pœnitentem explicare ſtatũ ſecum confuſè.

39 Sed aduertendum eſt hoc: Quod diximus grano ſalis eſſe intelligendum; Nam quamuis hoc verum ſit, quò ad peccata interna nihilominus tamen, tanta

Aduertentia.

eſſe

Digitized by Google

Multitudo peccatorum plus eſſe poteſt in vna meretrice, quā in altera.

eſſe poteſt frequentia in opere, vt ſaltem craſſo modo in ſpecie, ſpecialiter facienda ſit huiuſmodi confeſſio; Quamuis enim ſint duæ mulieres eodem tempore manentes ad turpitudinem paratiſſimæ; Vna tamen illorum poterit eodem tempore decies in re peccare, & altera centies ſiuè millies, & ſemper augetur peccatorum multitudo, & ideò dicere oportet quantum poterit; Toties, aut quaſi, ſiuè pauló pluties, &c. mihi in die accidebat, aut in hebdomada, & menſe, &c, vt ſufficienter explicet ſtatū conſcientiæ ſuæ, quod benè aduertit Soto in 4. D. 18. q. 2. nu. 20.

Quod faciendum circa hoc.

Soto.

40 Idem dicendum eſt de ſimilibus.

Similiter etiam dicendum eſt de publicis latronibus, Concubinarijs, & de ijs, qui peruerſa conſuetudine ducti quotidiè peccant blaſphemando, periurando, aut prauis cogitationibus ſemper conſentiendo, & ſimilibus; ità Regin. lib. 6. c. 121. & alij.

41 2. Aduertentia. Debet fieri interrogatio particularis de alijs peccatis ſpecialibus, quæ in genere non comprehenduntur.

Secundò etiam eſt aduertendum: confeſſarium debere huiuſmodi perſonas pœnitentes ſpecialiter interrogare de alijs peccatis particularibus, quæ huiuſmodi veroſimiliter perpetrare potuiſſent: E. grat. de meretricibus: Si vna cum altera fuiſſet turpiſſimè coniuncta: Si ne ſequeretur conceptio prolis ſemen foras, emiſerint; ſi procuraſſent abortum: Si contra naturam miſerabiliter cognoſci permiſerunt. Si alios mulierum amatores feciſſent interficere: ſi iuramenta falſa feciſſent: ſi contra Deum, aut Sanctos blaſphemaſſent, & alia huiuſmodi: Similiter ſi coniugatos, ſiuè religioſos admiſiſſent, aut conſanguineos, ſiuè affines vſque ad 4. gradum cognationis, &c. Tenentur enim illa explicare eodem modo, quo poſſent: prout docent Bonac. tom. 1. de pœnit. D. 5. qu. 5. ſectio. 2. num. 21. & Graff. to. 1. deciſ. cap. 20. nu. 21. & ſic de alijs ſupra dictis.

Bonac. Graff.

42 An habere duos cōfeſſarios ſit cōtra confeſſionis integritatē?

Tertiò videndum eſt: An ſit contra confeſſionis integritatem habere duos confeſſarios, vnum familiarem, cui omnia commiſſa integrè, & fideliter confitetur, & alterum timoratum, & probum, cui leuia dumtaxat peccata poſteà confitetur, & hoc, ne apud alterum confeſſarium probum exiſtimationem bonam amittat.

43 Reſolutio eſt negatiua. Quomodò hoc fieri debet.

Reſpondetur (per ſe loquendo.) Hoc non eſſe cōtra confeſſionis integritatem (ſupponimus enim ambos legitimos eſſe confeſſarios) & dummodò pœnitens primò confeſſario omnia peccata mortalia, quæ ſunt in conſcientia ipſius integrè aperiantur, ne dimidiatam faciat confeſſionem, poſteà verò poterit, ſi voluerit aliqua peccata leuia, etiam confeſſa, iterum confiteri, producendo nouum actum contritionis: vt à ſecundo confeſſario iterum de illis abſoluatur: Et ratio huius eſt, quia huiuſmodi pęnitens quandò confitetur peccata ſua facit de illis nouam materiam abſolutionis; ea verò, quæ ſemel legitimè confeſſus eſt, non tenetur iterum confiteri: ergò, per ſe loquendo, talis confeſſio non eſt illicita: ſic docent Nauar. in manu. cap. 22. nu. 40, Concordat Suar. D. 22. ſect. 1. n. 31. & alij.

Ratio aſſertionis.

Nauarr. Suar.

44 Aliqui Doctores hoc nō admittunt.

Diſſentio tamen eſt, quod Sylueſt. Verbo confeſſio 1. quæſt. 6. dicit: Licèt hoc non eſſe directè contra confeſſionis integritatem, eſſe tamen virtuale mendacium, quia pœnitens in caſu decipit ordinarium confeſſarium, & ratione hypocriſiæ poſſet talis confeſſio eſſe fictitia, & per conſequens illicita, atque ità fit, dum ipſum peccatum tacet, etiam in integritate deficere: Quod etiam dicit Victoria in ſumm. num. 196. Imò ipſe putat; Hoc eſſe pernicioſum ſacrilegiū, cum ſit magna fictio, & irriſio confeſſarij, faciens eum credere, quod ſit probus, cūm talis nō ſit, quapropter concludunt iſti Doctores, non licere.

Sylueſter, & Victoria.

45 Contraria tamen opinio, verior eſt, quam docuit Pater Suarez, cum Nauarro, dicentes; Hoc (per ſe loquendo) non eſſe peccatum mortale; cūm ibi nullum ſit mendacium: nōn enim pœnitens in caſu falſum dicit; Quod autem decipiat ſecundum confeſſarium, dicimus, quod; ſi finis non eſt talis illa deceptio non eſt pernicioſa, cūm fiat bono animo (vt ſupponimus) ne Vid. exiſtimationem honeſtam apud illum perdat, quod per ſe non eſt malum: Si autem finis eſſet venialis, peccatum eſſet veniale: Si autem mortalis, tunc erit mortale: Si autem finis erit bonus, vel indifferens, qualis frequenter eſſe poteſt, licitum erit: (quicquid dicat Sylueſter.)

2. Sententia admittitur contra Syluestrum.

Nota tamen, quod dixi (per ſe loquendo) nam ſi per illam cauſam talis perſona maneret in aliqua occaſione peccandi mortaliter, quam occultaret ordinario confeſſario, ex eo capite poſſet eſſe peccatum mortale ex defectu integritatis, vt per ſe clarum eſt. Legite Suar. loc. citat, Et ità credo intellexiſſe Sylueſtrum cum alijs. 46

Limitatio.

Vltimò tandem videndum eſt: An ratione obliuionis confeſſio dimidiata teneat? præcipuè quando ſit notabilis, in materia graui? 47

An obliuio notabiliter vitiet confeſſionis integritatem. Reſolutio. Obliuio culpabilis non vitiat confeſſionem.

Reſpondetur, quod: Si talis obliuio fuit inculpabilis, vel quia facto diligente examine, poſteà confitendo oblitus eſt alicuius peccati mortiferi, circumſtantiæ, vel numeri neceſſariò explicandi, ſiuè hoc contingat ex inaduertentia, ſiuè ignorantia, ſiuè iuris, ſiuè facti, dum tamen ſit inuincibilis, Et breuiter quomodòcumque contingat præter intentionem confitentis, facta iuxta conditionem ſuam diligentia, quæ ſecundùm Scotum tanta eſſe debet, quanta quis apponeret in re ardua, quæ ſibi multum eſſent cordi, quē ſequitur Graff. d. c. 20. num. 21. & alij: Vel ſecundùm Franciſcum de Victoria num. 161. Diligentia in examine debet eſſe moralis, ità vt pœnitens probabiliter credat, quod ſi etiam per aliquod tempus amplius examinaret, non recordaretur amplius, ſufficiens eſt ad confeſſionem faciendam.

Quanta diligentia faciēda ſit, ſecundum Scotū, & Graffium. Opinio. Victoriæ.

Vndè concludendo dicimus, quod: Quandò quis voluit habere diligentiam, & fecit aliqualem, quam putauit eſſe ſufficientem, & poſteà ratione obliuionis, ſiuè inaduertentiæ, ſiuè ignorantiæ inuincibilis reliquit confiteri peccatum aliquod, circumſtantiam, vel numerum cōfeſſio facta valida, & integra fuit formaliter, licèt materialiter, & per accidens fuiſſet dimidiata: hoc enim fuit indirectè, & præter intentionem confitentis: Ità Caietan. in ſum. condit. 10. de confeſ. Victoria, & Graff. locis ſupra citatis. Vndè poſteàquam recordabitur tenebitur tantum confiteri peccata illa, quorum in confeſſione facta oblitus fuerat, &c. 48

Confeſſio dimidiata indirectè, & per accidens valida eſt.

Caiet. Concordant Victoria, & Graffius.

Si autem obliuio fuit culpabilis, vel quia pœnitens neglexit diſcutere conſcientiam ſuam, vel quia paruifecit in affectu, aut valdè notabiliter in effectu noluit diſcutere conſcientiam ſuam, & ità aliquod neceſſarium in confeſſione omiſit, tunc enim redditur actus in naturam ſuæ formæ, & proindè eſt, ac ſi formaliter fuiſſet intentus, & tunc confeſſio dicitur dimidiata formaliter, licèt indirectè: in caſu tamen nulla eſt huiuſmodi confeſſio, quia pœnitens non fecit id, ad quod tenebatur: Ità Caiet. ſupra Armill. Verb. Confeſ. nu. 22. Victoria nu. 161, qui dicit, quod. 49

Obliuio culpabilis non excuſat. Confeſſio formaliter non integra indirectè, non valet.

Caiet. Armilla. Victoria.

Quandò pœnitens cognoſcit, quod ſi per aliquam diligentiam vlteriorem poſſet in cognitionem commiſſorum peccatorum peruenire, ſi non facit, non excuſabitur à nullitate confeſſionis: concordat Suar. D. 23. ſect. 3. cum alijs: Reliqua in ſequenti capitulo de Integritate, & confeſſione iteranda dicentur. 50

Aduertentia. Suar.

D E

DE CONFESSIONE ITERANDA.

CAP. V.

1
Confeſſio inualida quando eſt iteranda.

MVlti, varijque caſus à Theologis in 4. lib. ſent. D.17. & à Summiſtis in Verbo confeſſio, & cōfeſſionis iteratio aſſignari ſolent, in quibus caſibus aiunt; Confeſſionem aliquandò factam ratione inualiditatis eſſe iterandam; At quoniam inualiditas iſta ex duplici capite procedere poteſt: Primò ex defectu ipſius confitentis, ſecundò ex defectu confeſſarij, ideò de his nobis dicere oportet, vt ſciamus quandò de neceſſitate iteranda ſit facta confeſſio: Ex parte itàque confitentis quatuor veniunt conſideranda: Videlicet, Contritio, Confeſſio, Satisfactio, & Habilitas ad Sacramentum recipiendum: Ex parte verò confeſſarij abſoluentis, tres Videlicet. Poteſtas, ſiuè iuriſdictio, Intentio, & Scientia, ex quorum defectu cōfeſſio facta inualida eſſe poteſt, & ideò ſecundùm prædictam diſtinctionem; Septem caſus veniunt diſcutiendi, in quibus aiunt Doctores; Confeſſionem factam propter nullitatem eſſe iterandam, ad quos reliqui caſus, ſi qui ſunt reduci poſſunt.

Ex duplici capite confeſſio eſt iteranda.

Ex defectu confitentis quatuor cōtingere poteſt.

Trip. ex defectu confeſſarij.

7. Caſus conſiderandi de inualiditate confeſſionis.

2
1. Caſus. Ex defectu pœnitudinis.

Primus itàque caſus ex parte pœnitentis eſt propter contritionis defectum, quandò, Videlicet pœnitens ante abſolutionem receptam non habuit ſufficientem contritionem, ſiuè peccatorum commiſſorum attritionem neceſſariam, vel quia non pœnituit verè peccati commiſſi, vel quia non habuit legitimū, & formale propoſitum non peccandi amplius: Tunc enim non fuit legitima confeſſio facta, ſed potius cōfeſſionis ſimulatio, & per ſe contra rationem Sacramenti: ſic docent Caiet. in ſum. Verbo Confeſſionis iteratio: Armilla Verbo Confeſſio num.8. Angel. nu. 14. Sylueſt. nu.26. Vaſq. q.92. A.3.d.1.nu.4. & Say. de Pœnit. c.14. nu.1. Bonac. tom.1. de Pœnit. D.5. qu.5. ſect.2. p.3. nu.3. & alij.

Caiet.
Armilla.
Angel.
Sylu.
Vaſq.
Sayr.
Bonac.

3
Fundamentum iſtius aſſertionis.
Contritio etiam in ordine ad Sacramentum ex duobus debet conſtare.

Fundamentum iſtorum Doctorum eſt, quia contritio etiam in ordine ad Sacramentum, ſaltem ex duobus debet conſtare Videlicet diſplicentia præteritæ vitæ, & propoſito non peccandi de cætero: Vndè quandò quis talem non habuit diſplicentiam, & propoſitum, ſaltem implicitum, pœnitudo ipſius non fuit ſufficiens ad Sacramentum recipiendum, & ideò confeſſio facta fuit inualida, quia caruit propinqua materia, & vno ex requiſitis ad capacitatem ſubiecti; quàpropter quando non eſt talis deteſtatio cum propoſito, quod aliquo ſaltem modo ſit attritio ſufficiēs, confeſſio nulla eſt: licèt habuiſſet pœnitens aliqualem pœnitudinem, ſiuè deſiderium non peccandi, ſiuè quamdam velleitatem non peccaſſe, qualis eſt confeſſio illius, qui dolet, ſe fornicatum fuiſſe, ſed non ſtatuit totaliter occaſionem peccati tollere: Nàm pœnitens, qui non confitetur propoſitum non vitandi peccatum; ſiuè occaſionem peccandi proximè non integrè confitetur: Et ſi illud ſimul cum alijs peccatis confiteretur, ſe ipſum inhabilem, & incapacem abſolutionis recipiendæ efficeretur, cùm ſit impœnitens, & ſi abſolueretur ſine dubio peccatum ſacrilegij committerent, tam Sacerdos abſoluēs, quam pœnitens abſolutionem recipiens, cùm iniuriam inferrent Sacramento Pœnitentiæ; Ità Soto in 4. D. 18. qu.3. A.3. concl.4. Nauar. in man. cap.9. nu.13. Medin. q. de confeſs. iter. & diminuta, & Regin. lib.6. nu. 153. Et in hoc omnes conueniunt.

Velleitas nō peccandi, nō eſt ſufficiens.

Non habens propoſitum non peccandi, impœnitens eſt.

Soto.
Nauar.
Medina.
Reginald.

4
Contritio informis aliquando eſt ſufficiens ad recipiendum Sacramentum.

Si verò pœnitens de præteritis peccatis doluit, propoſuitque futura vitare, quamuis non adeò doluit, neque ità perfectè vitare propoſuit, vt talis pœnitudo perueniſſet ad ſufficientem contritionem, neque ad eam attritionem, quæ adiuncta Sacramento in contritionem tranſeat; Sacramentum fuit validum, licèt contritio fuiſſet informis, & ſine gratia, dum tamen reliqua neceſſaria ad eſſentiam Sacramenti concurriſſent, vt integritas, intentio, &c. dum tamen ipſe pœnitens, quandò abſolutionem recipit bona fide putaſſet, ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum: Tunc in caſu confeſſio facta eſt valida, & ideò iteranda non eſt quamuis gratiam in illo actu minimè recipiſſet: quia aliàs ſequeretur nunquam, aut raró poſſet ſciri. An pœnitens ſit verè confeſſus, ità quod non indigeat confeſſionem reiterare, cùm non poſſit pro certò ſcire; An fuiſſet ſufficienter diſpoſitus, & ſic oporteret hominem ſemper de iteranda confeſſione eſſe ſolicitum, & nunquam confeſſioni finem imponeret, quod Eccleſiæ aures pias offendit: Ità docent: Soto Armilla, & Nauarr. cum alijs locis ſupra citatis.

Dum tamen reliqua requiſita eſſent in pœnitente.

Soto.
Nauarr.
Armilla.

5
Concluſio.
Recedente fictione confeſſio informis habebit effectum.

Quàpropter. concludendo dicimus, quod licèt huiuſmodi confeſſio in caſu fuiſſet informis, quò ad effectum, in ſubſtantia tamen fuit valida, & ideò recedente fictione, abſolutio recepta habebit effectum: fuit enim verum Sacramentum, & ità quantum eſt ex ſe dat effectum, quod ſi inueniat obſtaculum, manet in acceptatione Diuina, vt oblato impedimento, effectum conferat: Cum ergò in caſu confeſſio, & abſolutio fuit valida, ideò non tenetur pœnitens iterum peccata illa ſubijcere clauibus: Ità Suarez tomo 4. de Pœniten. D.22. ſect.7. num.2. Et ratio huius eſt, quia pœnitens de illis fuit verè abſolutus in ordine ad claues.

Suar.

6
2. Caſus eſt ex defectu confeſſionis.

Secundus caſus eſt ex defectu ipſius confeſſionis, vel quia non fuit fidelis, vel quia non fuit per ſe, & formaliter integra, vel quia pœnitens ſcienter, & ſine legitima cauſa aliquod mortale peccatum non aperuit, vel quod credebat eſſe mortale, Vel aliquam circumſtantiam neceſſariam: & hoc propter verecundiam, aut timorem, ſiuè aliter malitiosè, ſiuè aliter per negligentiam craſſam, & culpabilem oblitus ſit, Vel quia paruifecit cogitare, vel quia cogitare noluit, vt ſupra iam dictum eſt. Tunc enim confeſſio talis ſecundùm omnes fuit inualida, cùm confeſſio dimidiata formaliter eſſe non debet, & ideò eſt talis confeſſio iteranda.

Confeſſio formaliter dimidiata eſſe non poteſt.

7
Confeſſio dimidiata per accidens non eſt iteranda.

Dixi (formaliter,) quia ſi confeſſio tantum per accidens dimidiata fuit non eſt iteranda, ſed tantùm ſupplendum eſt defectui, vt ſupra in præcedentibus duobus capitulis plenius explicatum eſt: Legite D. Anton. 3. p. tit.14. c.19. §.4. Soto D.17. A.3. concl. 2. Nauar. in man. c.12. n.1. Bonac. ſupra nu.6.

D. Ant.
Soto.
Nauarr.
Bonac.

8
Pueri quando excuſantur à confeſſione iteranda.

Vndè excuſari poſſunt pueri, & puellæ à repetenda confeſſione, qui in confeſſionibus præteritis aliquod mortale peccatum tacuerunt, ignorantes eſſe mortale, ſed grandiores facti agnoſcunt eſſe mortale, quod etiam procedit in circumſtantijs non explicatis, aut in numeris non benè explicatis; Sufficit enim vt pœnitens, cognita obligatione explicandi numerum, aut circumſtantiam aliàs in confeſſione prætermiſſam fateatur illa: Ità docet Vaſquez quæſt. 92. A.3.d.1. nu.7.

Vaſq.

9
Confeſſio quando eſt iteranda propter inualiditatem.

Similiter etiam dicimus quandò pœnitens, data opera, & ſtudiosè confeſſus eſt culpam lethalem alicui Sacerdoti, à quo non benè audiebatur, vel confeſſio non fuit aperta, & clara ob verba obſcura, & non benè explicata, vel quia confeſſarius erat mente diſtractus, ſiuè dormiens, vel quia confeſſionem dimidiauit partem dicendo vni, & partem alteri, ſine legitima cauſa, vt in præcedenti capitulo explicatum eſt: Tunc enim talis confeſſio, ſecundùm omnes, eſt inuali-

inualida & per conſequens iteranda: pro vt docent Nauarr. d. cap. 9. num. 14. cum Suarez d. D. 22. ſectio. 7. num. 3. *Nauarr. Suar.*

10 *Limitatio.* Hoc tamen intelligendum eſt, quandò pœnitens ex induſtria, vel ſciens, & videns aliquod ità dicere, quod à confeſſario non percipiatur: Tunc enim (vt dixi) confeſſio talis eſſet nulla, quia proindè eſt, ac ſi non confeſſus eſſet: Secundùm Suar. loc. cit. *Suar.*

11 *Quandò non eſt iteranda.* Si autem bona fide ità confeſſus eſt, nihil tenebitur iterare de ijs, quæ confeſſarius audiuit, quia confeſſio valida fuit, & quantum ad illa peccata tenuit abſolutio: Si autem poſteà pœnitenti conſtiterit, confeſſarium peccatum aliquod non benè audiuiſſe, aut percepiſſe illud repetendo ſatisfaciet pro vt aduerterunt D. Anton. 3. p. titul. 17. cap. 15. & cap. 21. §. 3. & Suar. loc. cit. *D. Anton. Suar.*

12 *3. Caſus ex defectu pœnitentiæ non adimpletæ. 1 Opinio.* Tertius caſus aſſignari ſolet: Ex defectu ſatisfactionis, quandò videlicet pœnitens Sacramentalem pœnitentiam, ſibi à confeſſario iniunctam non adimpleuit, vel ex negligentia, vel ex contemptu, & ideò ſi illius oblitus ſit, tunc ſecundùm opinionem multorum, tenebitur talis pœnitens in caſu iterum peccata illa confiteri, vt pœnitentia iterum iniungatur, & ſatisfaciat: hoc tamen intelligunt: quandò pœnitentia fuit impoſita pro mortalibus: Ità docuerunt quidam Doctores, ex quibus fuit D. Ant. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. Angel. Verb. confeſſio nu. 13. & Sylu. q. 3. Tabiena confeſſio 2. nu. 18. ad 4. *D. Anton. Angel. Syluest. Tabien.*

13 *Ratio iſtius opinionis.* Fundamentum iſtorum Doctorum eſt: quia pœnitens poſt quam pœnitentiam, ſibi iniunctam acceptauit virtute clauium tenetur illam adimplere: Sed quoniam illius oblitus fuit, & adimplere non poteſt, ergò tenetur iterum illa peccata confiteri, vt alia ſatisfactio illi imponatur: At quia ſatisfactio imponi non poteſt ab alio confeſſario, niſi cognitionem ſufficientem habeat de peccatis illis, igitur in caſu tenebitur reiterare confeſſionem; Si autem confeſſarius recordetur adhuc de peccatis confeſſis; Tunc concedunt, quod poſſit perficere, & tunc perficiendo reiterare non tenetur, maximè ſi tempus non fuit præfixum, & etiam pro hac opinione citatur Palud. D. 17. q. 5. A. 3. cum alijs. *Palud.*

14 *2 Sententia. Pœnitentiæ oblitus non iterat abſolutionem.* Illa tamen opinio à recentioribus non admittitur, & nullo pacto conceditur, quod pœnitens eò quod pœnitentiam iniunctam, & acceptatam non adimpleuit, etiam ſi illius ſit oblitus ob id teneatur confeſſionem illam reiterare, ſiid per obliuionem culpabilem, ſiuè per negligentiam, ſiuè per contemptum contingerit: Et ratio huius eſt, quia prior confeſſio, & abſolutio fuit valida (vt ſupponitur) & per ſe, ac ſimpliciter effectum habuit, quantum ad remiſſionem culpæ ſine dependentia à futura ſatisfactione, ergò quantumuis ſatisfactio poſteà non impleatur, non eſt vndè oriatur obligatio illam reiterandi confeſſionem: ſic docent Caietan. in ſumm. Verbo confeſſio iteranda Medin. Cod. de confeſſione quæſt. de hac re Soto in 4. D. 20. q. 2. A. 2. ad 3. Maior D. 17. q. 6. d. Vltimo Nauarr. in man. cap. 9. nu. 17. Victoria in ſumm. nu. 167. de confeſſione, Graff. tomo 1. deciſ. lib. 1. c. 18. num. 11. Suarez d. tom. 4. D. 22. ſect. 7. numer. 5. cum alijs communiter. *Ratio iſtius ſententiæ. Caiet. Medina. Soto. Maior. Nauarr. Victoria. Graff. Suar.*

15 *Solutio fundamenti prioris ſententiæ.* Ad fundamentum primæ opinionis Reſpondetur. Neminem teneri peccata, quæ ritè confeſſus eſt, quorum legitimè fuit abſolutus iterum illa confiteri, ſed ſolùm pœnitentiam ſibi iniunctam tenetur adimplere; Si autem illius oblitus ſit, abſque culpa, liber erit à præcepto confeſſarij: ſicut ille, qui obliuiſcitur recitare horas canonicas: Si autem ſua culpa hoc accidit, vel quia negligens fuit, vel quia contempſit, illam culpam tantùm confiteri tenetur cum alijs peccatis, poſteà commiſſis, non autem illa, quæ ritè confeſſus fuit, & de illis veram abſolutionem Sacramentalem obtinuit.

Nec propter tranſgreſſionem prioris præcepti à confeſſario impoſiti tenetur aliud inſtituere, vel ſuſcipere loco illius, quia humana præcepta ad hoc non obligant, Imò nec votum: Nam qui factus eſt impotens ad adimplendum votum, non tenetur in aliud commutare: Ità docet Suarez d. D. 22. ſect. 7. num. 6. ſic: Qui obliuiſcitur pœnitentiæ impoſitæ non tenetur in aliud commutare ratione præcepti, quia ratione obliuionis factus eſt impotens ad illam adimplendam. 16 *Qui factus eſt impotens ad votum non tenetur amplius. Suar. Qui obliuiſcitur pœnitentiæ non tenetur in aliam commutare.*

Poterit tamen ſequens confeſſarius aliam pœnitentiam arbitrariam iniungere ratione illius obliuionis culpabilis: & ſic concluditur: Non teneri pœnitentem confeſſionem præteritam iterare, quæ legitimè fuit facta ratione pœnitentiæ iniunctæ in illa confeſſione non adimpletæ, ſiuè per obliuionem, ſiuè per negligentiam, ſiuè per contemptum (Quicquid dicant prædicti Doctores, contrarium exiſtimantes.) 17 *Concluſio.*

Verum eſt tamen, quod quandò pœnitens in illo actu, quo confitebatur, & pœnitentia illi imponebatur, ipſe contempſit, & iuſtam curam non adhibuit, quod poſteà illius poſſet recordari: Tunc concedimus, Confeſſionem illam fuiſſe inualidam, etiam ſi poſteà illius poſſit recordari, & pœnitentiam adimpleret: Et hoc non quia pœnitentiam non adimplet, ſed quia quandò illi iniungebatur peccauit, & de tali peccato non ſe accuſauit: Quod benè aduertit Caiet. in ſum. ver. Confeſſio iteranda, & Nauarr. in manu. c. 9. nu. 17. & Graff. d. c. 18. nu. 11. Suar. d. to. 4. D. 22. ſect. 7. num. 6. 18 *In quo caſu 1. Opinio admitti poterit. Caiet. Nauarr. Graff. Suar.*

Quartus caſus eſt: Inhabilitas pœnitentis ad recipiendam ſacramentalem abſolutionem propter Eccleſiaſticas cenſuras: Cum excommunicatus ſit excluſus à Diuinis, & præſertim à ſacramentorum receptione, vt conſtat ex cap. Si celebrat. de Cler. excommun. miniſt. Quapropter aſſerunt aliqui DD. quod ſi aliquis eſt excommunicatus excommunicatione maiori, vel etiam minori nullo modo recipere poteſt abſolutionem à peccatis priuſquam ab excommunicatione abſoluatur: Et ſi ſcienter recipiat abſolutionem ſacrilegium committet, & abſolutio non tenet: Si autem bona fide, puta, quia non aduertit, vel quia neſciebat, ſe eſſe excommunicatum abſolutionem recepit, licèt excuſetur à peccato ſacrilegij, tenetur tamen, cùm poſteà nouerit iterum confiteri illa peccata, quia ligatus excommunicatione abſolui non poterat à peccatis, & ignorantia illa quamuis excuſet à culpa non tamen facit eum non eſſe excommunicatum, & eſſe verè, & legitimè abſolutum: Ità docuerunt Petr. de Palatio in 4. D. 17. quæſt. 6. concl. 2. & Palud. D. 22. quæſt. 3. D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. caſu 5. Angel. ver. Confeſſio 1. num. 20. Sylu. quæſt. 5. Tabien. ver. confeſſio 2. num. 26. Et ſi qui ſunt alij exiſtimantes: Excommunicatum, etiam ignorantem ſuam excommunicationem teneri reiterare confeſſionem poſt abſolutionem, quandò ei innoteſcit: Et ratio iſtorum eſt, quia putant talem abſolutionem eſſe nullam, quia quamdiù quis eſt excommunicatus non poteſt aliquod Eccleſiæ ſacramentum recipere. 19 *Quartus caſus eſt inhabilitas pœnitentis propter excommunicationem. C. Si celebr. 1 Opinio eſtimat eſſe nullam. Doctores huius opinionis. Palatius. Palud. D. Anton. Angelus. Syluest. Tabien. Fundamentum iſtorum DD.*

Contraria tamen ſententia verior eſt, atque ſecuta, & communiter à recentioribus recepta, quam tenent Caiet. tom. 1. Opuſc. 5. quæſt. 2. & in ſum. ver. Confeſſionis iteratio, & Nauarr. in cap. Fratres de Pœnit. D. 5. & in manu. cap. 9. num. 3. & 4. Graff. tom. 1. deciſ. lib. 1. cap. 18. num. 5. Bonac. tomo 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect. 2. p. 3. num. 5. Suarez d. to 4. D. 22. ſect. 7. num. 1. Valentia tomo 4. quæſt. 11. p. 3. colum. 20 *2. Opinio. Caiet. Nauarr. Graff. Bonac. Suar. Valent.*

2. &

2.& alij. dicentes: Abſolutionem à peccatis datam excommunicato priuſquam abſoluatur ab excommunicatione regulariter valere, etiam ſi fuerit iniuſta. (quandò nihil ex ſubſtantialibus deeſt) & hoc ſiuè ſit excommunicatio minor, ſiuè maior, ſiuè iniuſta, ſiuè iuſta: Et ratio huius eſt: Quia excõmunicatio non inducit defectum ſubſtantiale abſolutionis à peccatis, quamuis excommunicatus qui dat, & accipit eã ſcienter ſacrilegium cõmittat, & ſola cenſura recipiẽtis ſacramentum, (per ſe loquendo) non irritat ſacramentum receptũ, ſed ſolùm prohibet vſum eius: Vndè, ſicut cętera ſacramenta ab excõmunicatis recepta vera ſunt ſacramenta, ità & Pœnitentiæ ſacramentum: Armilla ver. Confeſſio, nu. 11. Nec etiam ex iure habetur, Excommunicationem per ſe annullare ſacramenta ſuſcepta: Nam multa excommunicatis ſunt inhibita, quæ accepta irrita non ſunt: Et multa de iure fieri non poſſunt, quæ poſt facta tenent: Ità Caiet. & Armilla vbi ſuprà.

Excommunicationis pœnitẽtis nõ inducit defectum ſubſtãtiale abſolutionis.

Armilla.

Multa fieri non poſſunt, quæ poſt facta tenent. Caiet.

21 *Ratione excommunicationis aliquandò redditur inualida abſolutio.*

Nota tamen, quod dixi (per ſe loquendo) quia quandòque per accidens inualida abſolutio eſſe poteſt, quandò videlicet pœnitens non ſolùm intelligit ſe eſſe excommunicatum, ſed etiam nouit eſſe peccatum mortale Sacramentum recipere, ſeu procurare: Et hoc non quia datum eſt ſacramentum excõmunicato ſcienti, ſe eſſe excommunicatum, ſed potius, quia in caſu confeſſio non eſt integra, dum hoc ſacrilegium in actu committens, non confitetur: Et quamuis integra eſſet confeſſio, eſt tamen inualida ex defectu debitæ contritionis, ſiuè attritionis, quia mortaliter peccat, dum facit, aut permittit ſe abſolui contra præceptum Eccleſiæ, pro vt benè aduertit Nauar. d.c.9. n.5. & Graff. cum Suarez locis ſupr. cit.

Nauarr. Graff. Suar.

22 *Quãdo bona fide, quis abſoluitur tenet abſolutio.*

Si autem bona fide abſolutus eſt à peccatis, & hoc quia neſciebat, vel nõ aduertebat ſe eſſe excommunicatum, ſiuè talis ignorantia, ſiuè inaduertentia fuerit iuſta, ſiuè ſecus, dummodò quandò abſoluebatur, non aduertebat, neque credebat, ſe peccare recipiendo abſolutionem, tunc talis pœnitens non ſolum excuſatur à peccato ſacrilegij: Verùm etiam confeſſio facta valida eſt, nullaque eſt ratio, obligans iterum eadem peccata confitendi, neque aliquod ex illis, ſed tantùm procurandi abſolutionem illius cenſuræ ab illo, qui à tali cenſura poteſt legitimè abſoluere, quandò nouerit tale defectum, &c.

23 *Si putatſe potuiſſe legitimè abſolui, excuſatur.*

Similiter etiam dicimus, quod licèt pœnitens ſciret ſe eſſe excommunicatum, & hoc etiam fateretur: Si habeat tamen quamdam probabilitatem, putans ſe poſſe iuſtè à peccatis abſolui priuſquam ab excommunicatione, non tenebitur confeſſionem reiterare, ſi fuerit à peccatis tantùm abſolutus: pro vt docent Graff. cum Suar. locis ſup. cit.

24 *Excommunicatio iniuſta non habet effectum.*

Sic etiam à fortiori dicimus: Si excommunicatio eſſet iniuſta, quia tunc coram Deo, qui veritatem intuetur non cenſentur excommunicatus: Vndè iſte talis, ſecundùm omnes, poteſt iuſtè, & legitimè à peccatis abſolui, licèt teneatur à Diuinis ſe abſtinere ſibi interdictis, aliaque vitare, ne irregularitatem incurreret, publicè ſe in diuinis miſcendo, niſi occultè, & abſque vllo ſcandalo fieri poſſet: Prout docent Graff. Nauarr. & Suar. cum alijs locis ſupr. cit.

Graff. Nauarr. Suar.

25 *Corollariũ.*

Iſti ergò ſunt quatuor caſus, qui communiter aſſignantur à Doctoribus, in quibus aſſerunt: Confeſſionem eſſe iterandam ex defectu ipſius pœnitẽtis: Quod verum eſt in duobus prioribus caſibus, videlicet, reſpectu integritatis, & diſpoſitionis non debitæ: Duo verò ſequentes caſus, ſecundũ n limitationem noſtrã, ſuperius factam intelligendi ſunt: Reliquũ eſt, vt alios tres ſequentes caſus ex parte confeſſarij procedentes aperiamus.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

26 *Quintus caſus eſt ex defectu poteſtatis miniſtri.*

Quintus ergò in ordine caſus ex parte miniſtri ex defectu poteſtatis, ex triplici capite procedere poteſt: Primò ſi non habuit poteſtatem Ordinis, vel quia non erat Sacerdos: Et tunc nulla eſt dubitatio, quin confeſſio ſit iteranda, cùm ſit ſuo iure nulla, eò quod confeſſio facta laico, vel non Sacerdoti nihil valet; vt patet per Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. dicens: *Nullius eſſe momenti.* Sicuti nos ſupra de Sacramentis in genere ſatis, ſuperque probauimus.

Concil. Trid.

27 *Iuriſdictio omninò neceſſaria eſt in confeſſario. Concil. Trid.*

Secundò, quandò talis Sacerdos, dum abſolutionem dedit non habebat iuriſdictionem aliquam ſupra pęnitẽtem, neque ordinariam, neque delegatam: (Sententia enim à non ſuo iudice lata ipſo iure nulla eſt) pro vt expreſsè Triden. ſeſſ. 14. cap. 7. declarauit, dicens: *Nullius momenti eſſe abſolutionem eam, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet iuriſdictionem.*

28 *Miniſter excommunicatus nõ poteſt abſoluere.*

Tertiò quandò Sacerdos caret vſu illius poteſtatis propter excommunicationem maiorem, vel ſuſpenſionem incurſam: Excommunicatio enim, vel ſuſpenſio priuant Sacerdotem iuriſdictione: & quia non poteſt huiuſmodi Sacerdos abſoluere pœnitentem, confeſſio facta tali excommunicato iteranda eſt, cum ſit nulla, reſpectu ſuſpenſionis à iuriſdictione, mediante cenſura.

29 *Excõmunicatus validè abſoluitur. Caiet. Armilla. Conc. Conſt.*

Sed notandum: Hoc intelligendum eſſe de excommunicato publicè nominato, & declarato, pro vt docent Caiet. in ſum. ver. Conf. iliomis iterario, & Armilla ver. Confeſſio, num. 12. Hodie enim ex Conſtitutione Concil. Conſtan. ſub Martino Quinto non eſt iteranda confeſſio abſolutorum ab excommunicato occulto, & tolerato, niſi talis fuiſſet denuntiatus, aut per notoriam percuſſionem Clerici, quandò nulla poteſt tergiuerſatione verſari, quia Canon ille concedit receptionem ſacramentorum ab excommunicato tolerato. (Duobus tamẽ illis caſibus exceptis.) Nam abſolutio non eſt in fauorem abſoluentis, ſed pœnitentis: Licèt ergò Sacerdos abſoluens ſit excommunicatus, & ſacramenta adminiſtrãdo mortaliter peccet: Ipſe tamen pœnitens abſolutionis beneficium conſequitur: Ità Armilla, ver. abſolutio, num. 30. Si verò pœnitens nouiſſet eum eſſe talem, & ſine neceſſitate ad miniſtrandum ſacramentum talem inducit, tunc ipſe pœnitens à peccato non eſſet excuſatus, ſicuti nos in tractatu de Sacramentis in Genere plenius explicauimus.

Abſolutio non eſt in fauorem abſoluentis, ſed pœnitentis.

Armilla. Limitatio.

30 *Si defuit poteſtas à reſeruatis; quid faciendum?*

Notandum tamen, quod ſi confeſſario abſoluendi poteſtas defuit tantummodò ab aliquibus caſibus reſeruatis, de quibus pœnitens eſt ei confeſſus, & de facto abſolutus: Quandò pœnitenti conſtabit talis confeſſarij error, non tenebitur iterare totam confeſſionem, ſed tantùm confiteri de illis reſeruatis, ſicut ſi eſſet miſſus à Prælato pro abſolutione illorum: Ità D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 4. caſu 4. Caiet. Armilla, & Suarez ib. ſupr.

D. Anton. Caietanus. Armilla. Suar.

31 *Sextus caſus ex defectu voluntatis miniſtri.*

Sextus caſus eſt ex parte voluntatis miniſtri, quandò videlicet Sacerdos, vel finxit ab illis abſoluere, & non abſoluit, aut ſi non erat tunc mentis compos, vel erat ſemidormiens, vel non habuit intentionem abſoluendi: Tunc enim abſque vlla controuerſia abſolutio data fuit nulla, eò quod ad Sacramenta conficienda miniſtri intentio ſemper eſt neceſſaria, & ideò in tali caſu, confeſſio illi facta iteranda omninò eſt, ſecundùm omnes.

32 *Intentio miniſtri neceſſaria eſt. Septimus caſus eſt propter ignorãtiam confeſſarij. Richar.*

Septimus caſus eſt: Quandò confeſſarius eſt notabiliter ignorans, ità quod neſciat diſcernere inter lepram, & non lepram, inter peccatum, & non peccatum, & præcipuè quandò pœnitens habeat caſus intrincatos, & difficiles, niſi fortè pœnitens eſſet peritus, vt confeſſarium inſtruat: Ità docuerunt Richar.

D. Anton. Syluest. Tabiens. Armilla. Victoria.

in 4. D. 17. q. 8. A. 2. D. Ant. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. caſu 3. Sylu. ver. confeſſio, qu. 3. Tabien. n. 24. Armil. n. 2. & Victoria in ſum. nu. 168. & ferè omnes communiter.

33 Limitatur caſus. Confeſſio bona fide facta cõfeſſario ignaro tenet.

Sed hoc intelligendum eſt, ſi pęnitens ſciens, & cognoſcens confeſſarium eſſe talem, & voluntariè elegit illi confiteri, quem ſciebat eſſe ineptum ad ſuam conſcientiam cognoſcendam: Nam hoc ipſo, quod voluit malè confiteri, & iudicari, mortaliter peccauit, & ideò confeſſio talis eſſet iteranda: At ſi bona fide confiteatur Sacerdoti expoſito, & habenti iuriſdictionem, non tenebitur confeſſionem iterare propter imperitiam confeſſarij, niſi ignorantia eſſet talis, vt pœnitens ipſe cognoſcat, ſe non eſſe benè confeſſum: Quod benè aduertit Suar. d. to. 4. D. 22. ſect. 6. n. 4. ſequens Caiet. in ſum. ſup. concordant Bonac. to. 1. de Pœnit. D. 5. q. 5. ſect. 2. p. 3. n. 14. & Henriq. lib. 2. de Pęnit. c. 14. Sanch. in ſum. lib. 1. c. 9. n. 35. & c. 10. nu. 69.

Suar. Caiet. Bonac. Henriq. Sanchez.

34 Confeſſio quomodò ſit iteranda. Quandò confeſſio facieda eſt eidem Sacerdoti, quid faciendum!

His itaque declaratis, dicendum ſupereſt: Quomodò iteranda ſit confeſſio, quandò fuit inualida?

Reſpondetur, ſi confeſſio fiat eidem Sacerdoti, cui cõfeſſio illa inualida facta fuit, ſi Sacerdos adhuc memoriam retinet, ſaltem craſſo modo peccatorum, ſibi confeſſorum, vel ſaltem recordetur pœnitentiæ, quam impoſuerat, non tenebitur pœnitens iterum in particulari peccata, iam ſemel confeſſa iterum explicare: Satis erit illi dicere generaliter in hunc modum, videlicet: *De illis omnibus peccatis, quæ tunc tibi pater confeſſus fui, dico meam culpam, &c.* Deindè declarare debet peccatum, quod ſcienter omiſit cum ſimulatione, fictione, & mala intentione, qua id fecit, & de omnibus alijs peccatis non abſolutis, & de ſacrilegio facto.

35 Quandò ſit alteri Sacerdoti, vel eidem, qui non recordetur.

Si verò confeſſio alteri Sacerdoti fiat, tunc tam cõfeſſio diſtinctè facienda eſt, ac ſi nulla præceſſiſſet, quia ex priori illa confeſſione alter Sacerdos nullam notitiam conſequutus eſt: Similiter etiam dicimus: quandò idemmet Sacerdos illorum peccatorum non recordatur: Tunc enim tenebitur omnia dicere, pro vt docent communiter omnes Theologi: Vt Vaſqu. 3. p. q. 92. A. 3. d. 3. Coninch. D. 7. d. 11. num. 109. Reginal. libr. 8. num. 33. Nauar. cap. 9. num. 19. Bonac. ſup. nu. 15. & alij.

Vaſq. Coninch. Reginald. Nauarr. Bonac.

36 Quandò defectus proceſſit ex parte formæ.

Hic nota (quod, vt benè aduertit Suarez d. to. 4. D. 22. ſect. 6. nu. 7.) Quandò illa prior confeſſio, quæ eſt iteranda habuit ex parte ſua omnia requiſita, ſolùmque defuit forma ritè prolata ad perficiendum ſacramentum, tunc non eſt per ſe neceſſaria confeſſionis iteratio; ſed ſufficit in illo foro petere abſolutionem, quæ defuit ab eodem Sacerdote.

37 Quãdò defectus proceſſit ex parte miniſtri, nõ habentis iuriſdictionem, quid faciendum.

Sic etiam dicimus quandò defectus proceſſit, ex parte miniſtri, non habentis iuriſdictionem ſupra pœnitentem: Si poſteà eidem habenti auctoritatem confeſſio ſit facienda, non opus eſt confeſſionem ſpecialiter repetere, etiam ſi Sacerdos non recordetur illorum peccatorum, neque pœnitentiæ iniunctæ (licèt Nauarr. contrariũ videatur dicere) ſed ſatis eſt, quod recordetur talem pœnitentem fuiſſe ex parte ſua ritè confeſſum, & benè diſpoſitum, & quod poſteà nihil graue commiſerit, in quo eius teſtimonio ſtandum eſt: Tunc enim, ſecundùm doctrinam ipſius Suarez, poteſt Sacerdos illum abſoluere Sacramentaliter, ab illis peccatis, à quibus tunc abſoluerat, non habens iuriſdictionem, & in hoc, nec Nauar. neque alij expreſsè videntur poſſe diſſentire, quamuis ipſe Nauarr. expreſsè non dicat: Eſt enim ratio clariſſima, & communis omnium Theologorum ſententia: Et hæc de confeſſione iteranda, &c.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

CAP. VI.

1 Confeſſionis præceptum duplex Diuinum, & Eccleſiaſticum.

Explicata iam quiditate, & qualitate ſacramentalis confeſſionis, modò dicendum venit de vſu, & neceſſitate ipſius, quatenus cadit ſub præcepto, obligante ad exercitium eius: Quod præceptum Duplex eſt, vnum Diuinum, alterum verò Eccleſiaſticum: Vndè circa primum de Diuino præcepto, dicimus: Eſſe concluſionem affirmatiuam omnium ferè Theologorum, dicentium: Sacramentalem confeſſionem à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam, tanquam cuicumque, poſt Baptiſmum lapſo in mortale crimen neceſſariam, & ab ipſomet Domino Ieſu in lege gratiæ latum fuiſſe confeſſionis peccatorum præceptum: Quod ab Eccleſia tolli non poteſt: Dicente Triden. Concil. ſeſſ. 14. cap. 5. quod: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit: Integram peccatorum confeſſionem à Domino Ieſu eſſe inſtitutam, quando è terris aſcenſurus ad Cœlos dixit Apoſtolis ſuis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ioan. 20. Per quæ verba Apoſtolos, Sacerdoteſque ſui ipſius vicarios eſſe reliquit, tanquam præſides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur: Et quemadmodum, tunc ſecundùm Catholicam veritatem inſtitutum fuit Pœnitentiæ ſacramentum, ſic etiam præceptum confeſſionis fuit datum ab ipſomet Domino: Alioquin ſequeretur: Sacerdotes Chriſti Vicarios poteſtatem illis traditam ligandi, atque ſoluendi per modum iudicij exercere non poſſe, niſi ſacramentalis confeſſio neceſſaria eſſet: Ità communiter ferè docent Theologi omnes, vt videre eſt apud Suar. tom. 4. de Pœnit. D. 23. ſect. 1. nu. 4. & Sotum in 4. D. 18. quæſt. 1. Artic. 1. concl. prima, & 2.

Sacramẽtalis confeſſio eſt de iure Diuino.

Concil. Tri.

Ioan. c. 20.

Chriſtus quando inſtituit confeſſionis præceptum.

Suar. Soto, & alij.

2 Præceptum annuę cõfeſſionis eſt Eccleſiaſticum ſecundùm ius diuinum. Concil. Tri.

Quò autem ad præceptum annuæ confeſſionis dicimus: Non eſſe præceptum merè Eccleſiaſticum, ſed eſſe modificationem iuris diuini, factam ab ipſa Eccleſia, vt ſaltem tali tempore præceptum Diuinum confeſſionis adimpleatur, vt claiè patet per Concil. Trident. d. ſeſſ. 14. cap. 5. dicens in fine: *Eccleſiam non ſtatuiſſe, vt Chriſti fideles confiteantur, quod iure Diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexit, ſed vt præceptum confeſſionis, quod à Chriſto fuit datum ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus cum ad annos diſcretionis peruenisſent impleretur.*

3 Concluſio. Præceptum confeſſionis annuæ eſt interpretatio iuris diuini. Soto. Nauarr.

Quàpropter reſolutoriè dicimus: Præceptum confeſſionis annuæ eſſe determinationem, & interpretationem Diuini præcepti; Cùm enim in Euangelio determinatum non ſit expreſsè tempus, in quo facienda eſſet confeſſio: Talis determinatio commiſſa fuit Eccleſiæ: Ità docent Soto loc. cit. & Nauarr. in principio: de Pœnit. D. 5. nu. 30. & omnes communiter.

4 Eccleſia non poteſt omninò tollere præceptum confeſſionis. Suar.

Ex quo ſequitur Eccleſiam non poſſe præceptum confeſſionis, vt Diuinum eſt tollere, neque in illo diſpenſare, vt non fiat, cùm Eccleſia in iure Diuino diſpenſare non poſſit: Ità Suar. d. D. 23. ſect. 1. num. 15. cum quo conueniunt omnes Theologi in 4. D. 17. loquentes de hoc præcepto, pro vt Diuinum eſt: Nam de determinatione facta, vt fiat ſemel in anno ab ipſa Eccleſia, poſtea dicemus.

5 Papa non excuſatus à præcepto Diuino confeſſionis.

Vndè, nec Papa excuſatur à confeſſione facienda in omnibus illis caſibus, in quibus ea iure Diuino eſt inſtitura, & præcepta: Imò grauius peccaret, legem Diuinam non ſeruando, quam alii inferiores, quia

Reatu

Reatu maiori delinquit, qui potiori honori perficitur, & grauiora facit crimina ſublimitas peccantium: Vt habetur in Cano. Nulli fas ſit 25. quæſt. 1. legite Graff. t.1. deciſ. lib.1. cap.8. num.20. Et Nauar. de Pœnit. D. 5. num.32.

Can Nulli fas ſit. Graff. Nauarr.

6

Papa non obligatur ad annuam confeſſionem. Nauarr. Ioan. Andr. Felinus.

Et quamuis verum ſit illud, quod ipſemet ait Nauar.. ſequens Ioan. Andr. in cap. ſignificaſti: De foro comp. & Felin. cap.1. de conſt. colum.9. c.1. dicens: Non obligari Papam ad præceptum annuæ confeſſionis: Per Can. illum: Omnis vtriuſque ſexus in Concil. Later. datum, & itá non teneri abſoluté ad confitendum ſemel in anno, quia etiam ſupponendo, quod Papa ſit ſupra Conc. ſequitur non teneri hac lege, quia á Conc. ipſi inferiori lata eſt, licèt ſit à Pontifice confirmata: Non poteſt autem princeps, vel à ſe ipſo, vel ab alio æquali lege lata obligari; Et quemadmodū poteſt cum alijs diſpenſare circa annuam confeſſionem, extendendo tempus, vel abrogando, quemadmodum benè probauit Suar.d. D.36. ſect.1. nu.5. Itá etiam ſibi ipſi poterit diſpenſare.

Poteſt Papa in hoc ſibi ipſi diſpenſare. Suar.

7

Obligatur quò ad viam directiuam non coactiuam. Couarr. Suar.

Dicimus tamen, quod Summus Pontifex, licèt non teneatur ad annuam confeſſionem, quo ad viam coactiuam, vt ſup. iam dictum eſt; tenetur tamen quò ad viam directiuam: Nam naturalis ratio poſtulat, vt caput ſuo corpori conformetur: vt rectè docuit Couar. in cap. Alma mater 1.p. c.1.§. 5. quem ſequitur Suar. ſupra ſect.2. nu.6. Et hac diſtinctione habita, tota difficultas ſoluta eſt.

8

2. Quæſtio. Quas perſonas obliget hoc præceptum.

Secundò quæritur: Quas perſonas obliget hoc pręceptum, pro vt diuinum eſt?

Reſpondetur obligare tantùm Chriſti fideles, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum in mortale crimen inciderunt, de quo peccato adhuc conſcientiam habent, eò quod virtute clauium abſolutum non ſit: Sic enim colligitur ex c. Illo Conc. Later. quod refertur in cap. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ. per ly verbum (*fideles*) quod quidem eſt expreſſio, & determinatio Diuini iuris, pro vt docent Soto D.18. q.1. A.3. concl.1. Suarez, & alij ſupr. citati.

C. Omnis vtriuſq; ſexus. Soto. Suar.

9

Infideles non comprehenduntur ſub præcepto cōfeſſionis.

Ex quo ſequitur primò: Infideles non baptizatos non eſſe obligatos ad hoc præceptum obſeruandum: Ratio huius eſt, quia licèt ſit præceptum Diuinum, & videatur extendi ad omnes homines, tamen, quia confeſſionis materia non ſunt peccata ante Baptiſmum commiſſa, ideò non obligantur infideles ad hoc præceptum, niſi tantùm fideles baptizati, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum mortaliter peccauerunt, vt patet ex Trid. ſeſſ. 14. cap.2. & 5. in principio, dicente: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit integram peccatorum confeſſionem inſtitutam eſſe à Domino, vt omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſteret:* Et ideò non comprehendit infideles, cùm illi non ſint capaces ſacramenti confeſſionis.

Conc. Trid.

10

Dictum aliquorum, exiſtimantium Infideles cōprehendi. Non eſt eadē ratio de pręcepto Eccleſiæ. Richar. Angelus. Syluest. Adrian.

Hoc dictum dicitur contra quoſdam Theologos, exiſtimantes, etiam infideles obligari ad hoc præceptum, quatenus diuinum eſt, cum præcepta diuina ſe extendat ad omnes, quemadmodum præceptum recipiendi Euchariſtiam, quod obligat omnes etiam infideles, dicente Domino; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis:* Itá videntur dicere Rich. in 4. D.17. quæſt.4. A.2. Angel. ver. Confeſſio 2. §.2 Sylu. §.5. & Adrian. q.2. de Confeſſ. & ſi qui ſunt alij eiuſdem opinionis.

11

Reijcitur dictum.

Sed hoc non admittitur ab aliis Theologis cum ſit improbabile; Ad hoc enim, vt Diuinum confeſſionis præceptum obliget, ſupponenda eſt materia confeſſionis neceſſaria in perſona recipiente ſacramentum, quia alias neque ipſius ſacramenti eſſet capax, nedum obligationis: Sed infidelis non baptizatus non eſt capax huius ſacramenti, cùm peccata ante Baptiſmum ſuſceptum non ſint ſacramenti huius materia, vti iam ſupra diximus, ergò infidelis non ſolùm non tenetur, ſed neque poteſt ſacramentaliter confiteri, non ante, quia non eſt capax, neque poſt ſuſceptum Baptiſmum, cum peccata illa per Baptiſmi gratiam totaliter remiſſa ſint: *In renatis enim nihil odit Deus.*

Et ad illud de Euchariſtia, Reſpondetur: Non eſſe parem rationem: Nam de Euchariſtia eſt præceptum generale, obligans omnes habentes vſum rationis ſufficientem ad ipſam recipiendam; Et licèt ante Baptiſmum infidelis Euchariſtiam licitè recipere non poſſet, recepto tamen Baptiſmo, tenetur illam recipere; & itá ante Baptiſmum obligari potuit ad ipſum Baptiſmum recipiendum propter Euchariſtiam: Itá vt duplici ratione teneatur illud recipere; At præceptum confeſſionis non obligat per ſe, & abſolutè, ſed ſuppoſita materia neceſſaria ſacramenti, ſed hæc in infideli eſſe non poteſt antequam baptizetur, ergò &c. Itá Soto in 4. D.18. quæſt.1. A.3. Medina Cod. de Confeſſione tract.2. quæſt.7. & Suarez D.35. ſect. 2.n. cum aliis.

12 Soluitur ratio prioris opinionis. Non eſt eadē ratio de pręcepto Eccleſiæ.

Soto. Medina. Suar.

Secundò ſequitur: Infantes, & pueros ante rationis vſum non comprehendi in hoc præcepto, non modò, quia non ſunt capaces ſacramenti, verùm etiam, quia non habent mortalia peccata actualia, quæ huius ſacramenti ſunt neceſſaria materia: Vndè neque Beatiſſima Virgo fuit vnquam ad tale præceptum adimplendum obligata, quia nunquam peccatum aliquod commiſit, & ideò nunquam fuit huius ſacramenti capax, neque etiam Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum, ſimiliter etiam dicimus, ſi quis adultus eſſet innocens, qui conſcientiam peccati mortiferi non haberet, non eſſet ad hoc præceptum obligatus, pro vt colligitur ex Trid. loc. cit. & Filliuc. tom. 1. tract.7. c.2. num.28.

13 Infantes ante vſum rationis non ſunt capaces huius pręcepti.

Concil. Trid. Filliuc.

Tertiò ſequitur: Pueros cuiuſque ſint ætatis, dummodò peccati mort. ſint capaces, de qua certa ætas aſſignari non poteſt, ſed viri prudentis arbitrio ſtandum eſt, quandò videlicet, circa bonum, aut malum ſciunt diſcernere, quòd circa ſeptimum annum paulò plus, minuſue communiter accidere poteſt, teneri hoc præceptum adimplere, quia obligat omnes, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum mortaliter peccauere, pro vt docent Graff. tom.1. deciſ. c.8. nu.17. Soto, & Suar. cum Filliuc. locis ſup. cit. atque patet per cap. Omnis vtriuſque ſexus.

14 Pueri cognoſcentes bonum, & malum tenētur. Quādo pueri ſint doli capaces. Graff. Soto. Suar. Filliuc. C. Omnis vtriuſque ſexus.

Similiter etiam dicimus de Hæreticis, Schiſmaticis, & Apoſtatis, qui tenentur hoc adimplere pręceptum: Nam mort. pecc. poſt Baptiſmum commiſſum nullo modo tolli poteſt, niſi per Pœnit. Sacramen. vel in re, vel in voto, vt ſupra iam probatum eſt, & ideò tales comprehenduntur in hoc diuino præcepto: ſecundùm Suar. loc. cit.

15 Hæretici, & Apoſtatæ cōprehenduntur. Suar.

Quartò ſequitur: Habentes tantùm peccata venialia, non obligari ad confeſſionem, quia ex Diuino pręcepto tantùm peccata illa confiteri tenentur, quæ neceſſitatem confitendi inferunt: ergò, &c. Non .n. hoc ſacramentum eſt medium neceſſarium ad illa tollenda, cum peccata venialia remitti poſſint ſine ſacramentali confeſſione, vt mediante aqua benedicta, ſiuè oratione, vel alijs charitatis operibus, abſque vllo ſacramenti voto, ergò: Hoc diuinum cōfeſſionis pręceptum tantū obligat perſonas illas, quæ conſcientiam peccati mortiferi habent, vt ex Trid. ſeſſ.14. c.5. & Can. 7. clarè conſtat legite Graff. d.t.1. deciſ. cap.10. & Suarez tom.4. de Pœnit. D.35. ſect.2. nu.5. Quod certiſſimum eſt de præcepto confeſſionis, quatenus Diuinum eſt: Non obligare, niſi tantum habentes peccata mortalia.

16 Habens tantum peccata venialia non tenetur.

Concil. Trid. Graff. Suar.

17 Difficultas. An extra mortem obliget hoc præceptum. 1 Opinio, negatiua. Scotus.

Sed Difficultas eſt: An extra hunc articulum mortis hoc diuinum confeſſionis præceptum per ſe, & vi ſua obliget? In qua re duæ ſunt opiniones: Prima tenet, quod Non, quia præceptum affirmatiuum indeterminatum non obligat, niſi in neceſſitatis articulo: Iſta autem neceſſitas, non poteſt eſſe niſi in mortis articulo, ergo, &c. Itá videtur ſentire Scotus in 4. D. 17. q. 1. A. 3. circa finem.

18 2 Opinio. Ratio iſtius opinionis.

Secunda veró opinio tenet, quod etiam ſecluſo poſitiuo iure tenebatur vnuſquiſque iure Diuino eo tempore confiteri, quo ſecundùm commune iudicium obliuionis periculum imminebat: Vndè dicunt iſti, quod quandò imminet periculum obliuionis, tunc tenetur homo ad ſtatim confitendum: Et ratio iſtorum eſt, quia ſacramentum hoc inſtitutum eſt ad remiſſionem omnium peccatorum per integram illorum confeſſionem, & abſolutionem obtinendam; Confeſſio autem ſine eorum memoria fieri non poteſt, ergò imminente obliuionis periculo obligat: Itá Soto in quarto Diſtinct. 18. quæſt. prima, Artic. quarto concl. ſeptima: Victoria in ſum. num. 132.

Soto. Victoria.

19 Reijcitur. 2 Opinio.

Sed ſententia iſta difficultatem patitur, quia, ſi hoc eſſet ſequeretur, quod neque per vnum annum integrum poſſent nunc fideles differre confeſſionem ſine periculo obliuionis: Si autem talis obligatio eſſet iuris Diuini non potuiſſet Eccleſia per ſuam determinationem illam auferre.

20 Reſolutio. Tertiæ ſententiæ.

Eſt ergò vera ſententia: Hoc præceptum, vt Diuinum eſt ex vi ſua, & ex ſua natura eſſe tale, vt obligare debeat etiam ante articulum mortis, Et ratio eſt, quia ſacramentum hoc eſt determinatio quædam pœnitentiæ, & modi, quo ſatisfaciendum eſt Deo pro peccatis, & ideò quemadmodum pœnitentiæ præceptum, & ſatisfactionis Diuinæ de ſe non obligat tantùm in articulo mortis: Itá neque hoc præceptum, ergò, & in vita aliquandò obligare debet: Sic docet Suarez, d. tomo 4. D. 35. ſectio. 3. numer. 8. & alij.

Suar.

21 Determinatio huius temporis facienda erat ab Eccleſia. Si Eccleſia non determinaſſet tēpus confeſſionis.

Tempus veró huiuſmodi obligationis taxandum erat ab Eccleſia, ad quod determinandum ei poteſtas á Christo fuit relicta, quæ ſicut poteſtatem habuit de peccatis iudicandi, itá, & definiendi tempus, in quo tale iudicium faciendum erat: Quod ſi per impoſſibile Eccleſia non determinaſſet tempus (eſſet enim intolerabilis error, & in magnum animarum detrimentum, & ideò non permiſiſſet Deus) ſed data hypotheſi, Dico nullum tunc poſſe tempus deſignari, niſi in articulo mortis: Nullus enim eſt modus faciendi talem determinationem: Itá docet Suar. & hoc voluit dicere Scotus in ſua ſententia in prima opinione citatus.

Scoti ſententia declaratur.

22 Varij caſus, in quibus fideles cōfiteri tenentur. Primus caſus, de tempore tentationis. 1. Opinio.

Ponuntur autem á Theologis alij caſus, in quibus ſacramentalis confeſſio per accidens videtur cadere ſub Diuino præcepto, quorum: Primus eſt, Quādò confeſſio moraliter cenſetur medium neceſſarium ad ſuperandam aliquam tentationem peccandi: Tunc enim nonnulli exiſtimant teneri hominem ex vi Diuini præcepti ad confitendum ſtatim: Quorum ratio eſt, quia: Qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media neceſſaria ad ipſum finem: ergò, &c.

23 Secunda opinio limitat priorem opinionem.

Sed opinio iſta itá abſolutè dicta non admittitur ab alijs Theologis, Vndè limitanda eſt: Primò quandò talis confeſſio exiſtimetur tamquam medium neceſſarium ad euitandum infallibiliter tale peccatum in particulari, non autem in communi, quia ſi ſic ſequeretur, homines in eodem anno teneri ad ſæpè ſæpius confitendum; Nam moraliter loquendo, vix vllus eſt, qui poſſet vitare omnia peccata mortalia per totum annum, & ideò teneretur confiteri multoties, & vix poſſet excuſari á nouo peccato propter dilatationem, quod non eſt dicendum.

24 Confirmatur ratio. Secūdæ ſententiæ.

Inſuper dico ſecundò, quod talis caſus vix poteſt dari, quod aliquis tentationem illam vincere nō poſſet, niſi ſacramentaliter confiteatur, poterit enim alijs medijs illam vincere, & ſuperare, vt per contritionem, orationem, & cætera huiuſmodi, ergò talis obligatio non oritur ex iſta cauſa.

25 Vera reſolutio caſus.

Sed data hypoteſi, quod talis neceſſitas vrgeat: Dico obligationem illam non oriri ex præcepto Diuino confeſſionis, ſed ex illo eodem præcepto, quo tenetur homo ad vitandum tale peccatum, quia illudmet obligat ad media neceſſaria ad talem finem. Quāpropter, ſi in tali caſu homo confeſſionem omitteret nō peccaret contra Diuinum præceptum confeſſionis, ſed contra illud, de quo tentationem habet. Itá Suar. D. 53. ſect. 3. num. 10.

Suar.

26 Regula generalis pro deciſione caſus.

Quāpropter in caſu melius eſſe exiſtimo generalem regulam aſſignare, quod: Quotieſcumque conſcientia dictat hominem ad confeſſionem faciendam eſſe obligatum, tunc niſi rationabiliter talem conſciētiam deponat, ſi fuerit erronea, mortaliter peccabit non confitendo: Nam qui habet conſcientia, qua putat, vel dubitat; quod hodie Ex. g. teneatur confiteri, niſi conſcientiam illam deponat hodie confiteri tenetur, vt ex c. Quando de præſcriptis dicitur: Legite Nauarr. in man. c. 2. n. 20. Politium ſuper Reg. D. Franc. c. 7. nu. 8. & omnes communiter.

C. Quandò. Nauarr. Politius.

27 Nauigantes, & milites, quandò tenētur ad cōfeſſionem.

Hinc ſequitur primò: Suſcipientes periculoſas nauigationes, ſi conſcientiam culpæ mortiferæ habeant teneri ad confeſſionem faciendam, ſicut etiam tenentur milites, quandò inſtat prælium; tunc enim probabiliter imminet probabile mortis periculum. Itá Reginald. lib. 6. num. 22. Henriq. lib. 4. cap. 3. n. 3. lit. X. & Soto D. 18. q. 1. A. 4. & alij.

Reginal. Henriq. Soto.

28 De fœmina parturiente.

Sic etiam dicimus: Fœminam, quæ primò paritura eſt, aut quæ aliàs peperit magna cum difficultate, & vitæ periculo, teneri confeſſionem facere, ne ſe exponat periculo mortis, ſine confeſſione, quandò tamen conſcientiam culpæ lethiferæ habeat.

29 De infirmo grauiter periclitante.

Itá etiam dicimus de Infirmo grauiter laborante, qui peccauit mortaliter poſt confeſſionem factam, adhuc teneri iterum confiteri, cum adhuc exiſtat in periculo damnationis, & ideò tenetur huic ſpirituali neceſſitati, quantum poteſt debito confeſſionis remedio ſibi prouidere: Itá docent Vaſq. quæſt. 90. A. 3. d. 2. num. 11. Zerola de Pœnit. cap. 10. q. 6. Filliuc. to. 1. tract. 7. cap. 2. q. 4. nu. 33. & Bonac. tom. 1. d. 5. q. 5. ſect. 2. p. 4. nu. 13.

Vaſq. Zerola. Filliuc. Bonac.

30 2. Caſus eſt, quandò ſuſcepturus eſt Euchariſtiā.

Secundus caſus eſt: Quandò fidelis ſuſcepturus eſt Euchariſtiam per communionem, & conſciētiam habet peccati mortiferi: Tunc enim Diuino iure tenetur confeſſionem præmittere, nec illi ſufficit cōtritio, ſi copiam confeſſarij habeat, ſecundùm doctrinā, & determinationem Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. dicentis: *Tale præceptum non eſſe merè Eccleſiaſticum, ſed declarationem neceſſitatis iuris Diuini.*

Concil. Trid.

31 Sacerdotes celebrātes in neceſſitate tenētur ſtatim confiteri. Concil. Trid.

Sed, ſi neceſſitate vrgente Sacerdos celebraturus conſcientiam habens peccati mortalis, & non habens copiam confeſſarij: producto contritionis actu, celebrauerit, tenebitur poſteà quam primum confiteri, iuxta determinationem dicti Concilij Triden. Et iſta ſpecialis obligatio Sacerdotibus tantùm celebrātibus iniuncta eſt á Triden. ſit docet Suarez d. tomo 4. D. 35. ſect. 3. num. 12. quod non explicat de laicis communicantibus eodem modo. Sed ſi interrogati fuiſſent Patres Concilij: An Laici, qui licitè aliquādo Euchariſtiam ſuſcipiunt abſque præuia confeſſione, veluti in prædicto caſu, & alijs huiuſmodi, quandò deeſt copia confeſſarij teneātur poſtea quamprimum confi-

Suar.

Nauarr. extendit talem obligationē etiam ad laicos.

Gloſſ. in leg. confiteri quemadmodum Sacerdotes: Reſpõdet Nauar. in man. c. 2. nu. 20. quod: Idem etiam de illis definiſſet, & ità videtur definiſſe iuxta Gloſſam ſingularem: in leg. Tale pactum §. fin. ff. de pactis.

32 Dubium. Quot peccata committit qui indignè recipit Eucharistiam. Hic tamen vnum dubium remanet explicandum: An qui ſumit Euchariſtiam ſine præmiſſa confeſſione, habens conſcientiam lethalis culpæ committat duo peccata, alterum omiſſionis confeſſionis, alterum propter indignam communionem?

Reſolutio, vnum tantũ eſt peccatum. Reſpondetur, In dicto caſu vnicum tantùm committere peccatum Sacrilegij de indigna receptione Sacramenti, quia reſpectu præcepti confeſſionis hæc eſt obligatio per accidens, & non per ſe, & pertinet ad dignam Sacramenti ſuſceptionem, & ambo hæc præcepta ordinantur ad vnum actum virtutis perfectè conſtituendum, & ideò vnum peccatum eſt tale actum ſine debitis circumſtantijs facere: Ità Soto in 4. D. 18. qu. 1. A. 4. concl. 6. concordat Suar. D. 35. sec. 3. nu. 12. & alij. Soto. Suar.

33 Qui non cõfitentur in Paſchate, cõmittit duo, & quare. Verum eſt tamen, quod qui eodem anno non confitetur, neque communicatur duo peccata committet, quia facit contra duo præcepta diſtincta, confeſſionis, Videlicet, & communionis: Ità Regin. in lib. 6. num. 34. & Bonac. d. to. 1. D. 5. q. 5. ſect. 2. p. 4. Et hæc de præcepto Diuino confeſſionis. Regin. Bonac.

DE PRAECEPTO ECCLESIASTICO *Annuæ Confeſſionis*.

CAP. VII.

1 Diximus in præcedenti capitulo de Confeſſionis præcepto, quatenus Diuinum eſt, non solũ obligare fideles pro mortis articulo, verum etiam extra illud, quod tempus determinandum erat ab Eccleſia, & ſecundùm talem determinationem ſacere oportebat: Et ideò in præſenti videndum eſt: An talis determinatio ab Eccleſia facta ſit; Et quandò, & quomodò ſit exequenda: Quæque pœna eius tranſgreſſoribus imponatur, quapropter circa primum. Diuiſio capituli.

2 Quæſtio 1. De præcepto Eccleſię cõfeſſionis. Quæritur Primò: An ſit facta ab Eccleſia talis determinatio?

Omnes fideles tenetur ſingulis annis confiteri peccata. Concil. Lateran. Reſpondetur Affirmatiuè: clarum enim eſt, omnibuſque conſtat: Teneri omnes Chriſti fideles ad ſaltem ſemel in anno ſuorum omnium peccatorum faciendam confeſſionem, pro vt determinatum fuit in Conc. Later. cap. 22. & refertur in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de Pœnit. & remiſſ. per quam determinationem tenentur omnes fideles poſt quam ad annos diſcretionis peruenerint ex precepto Eccleſiæ ad omnium peccatorum, quorum conſcientiam habent faciendam confeſſionem ſaltem ſemel in quolibet anno, quod intelligendum eſt de mortalibus, non adhuc per Sacramentalem abſolutionem remiſſis, & hoc per ſe, & ex vi proprij præcepti diſtinctà à præcepto ſumendi Euchariſtiam; Vndè qui in Paſchate habens conſcientiam peccati mortiferi non confitetur, neque communionem recipit duo peccata mortalia committet, cum faciat contra duo præcepta diſtincta: vt ſupra iam dictum eſt. Et ità communiter omnes Theologi in 4. D. 17. Soto D. 18. q. 1. A. 1. concl. 4. Caiet. tom. 1. Opuſc. cap. 5. q. 1. Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 36. ſect. 1. Præceptum confeſſionis eſt diſtinctũ à præcepto cõmunionis. Soto. Suar. Caiet.

3 Quæſtio 2. An poſſit Eccleſia in hoc præcepto diſpenſare? Secundò quæritur: An poſſit Eccleſia in hoc præcepto quatenus eſt Eccleſiaſticum diſpenſare, vel extendendo tempus, vel omninò tale præceptum auferendo, tam in communi, quam in particulari?

Reſolutio. Reſpondetur affirmatiuè: Poteſt enim Summus Põtifex ex rationabili cauſa in hoc præcepto diſpenſare cum aliqua perſona, manente præcepto in communi vel etiam omninò illud auferendo ab omnibus, vel extendendo tempus, vel abrogando. (Hoc ſemper intellige, quò ad præceptum Eccleſiaſticum, non autem quò ad Diuinum.) Et ratio huius eſt, quia præceptum Eccleſiæ, tam in communi, quàm in particulari ſemper pendet ex voluntate legiſlatoris, vel ſucceſſoris eius, habentis æqualem poteſtatem: cùm ergò præceptum hoc circa determinationem temporis ſit Eccleſiaſticum, ſequitur, quod ſuprema poteſtas, quæ circa hoc reſidet in Summo Pontifice tanquam Chriſti Vicario poterit in hoc diſpenſare: pro vt docent D. Thom. in 4. D. 17. quæſt. 3. A. 1. q. 5. Soto D. 18. q. 1. A. 5. Suarez D. 36. ſect. 1. num. 4. Poteſt Summus Pontifex diſpẽſare, ſed non debet ſine legitima cauſa. D. Thom. Bonae. Suar.

4 Limitatio. Verum eſt tamen talem diſpenſationem, ſinè abrogationem ſine legitima, ac rationabili cauſa ab ipſo Summo Pontifice fieri non debere (eſſet enim in magnum Animarum detrimentum:) Verum eſt tamen, quod ſi fieret ſine cauſa valida: eſſet talis diſpenſatio, licèt Summus Pontifex grauiter peccaret: Nam talis, data eſt poteſtas Chriſti Vicario in ædificationem, & non in deſtructionem: Imò aliqui Doctores aſſerunt, quod quandoque tantus poſſet eſſe abuſus, vt diſpenſatio non teneret, maximè in re tanti momenti: Nihilominus Suarez exiſtimat: Valere, cum talis determinatio ſit de iure pontificio, & dicit: Hanc eſſe communem opinionem.

5 Quæſtio 3. Quò tempore obliget hoc præceptum. 1. Opinio. Tertiò quæritur: An hoc præceptum confeſſionis annuæ obliget pro determinata parte temporis? In qua re duæ ſunt opiniones: Prima opinio exiſtimat, quod ſicut præceptum ſumendi Euchariſtiam obligat in Paſchate, ità & confeſſionis, & hoc non ſolùm per accidens idest ratione ſumendi Euchariſtiam, ſed etiam per ſe, idest ratione proprij præcepti confeſſionis: ſic docuit Petr. à Soto lect. 5. de confeſſione, & Medina C. de confeſſione ſemel in anno agenda 2. p. illius qu. 18. & alij dicentes, quod: Licèt ex vi C. Omnis vtriuſque ſexus, non obliget præceptum hoc pro determinata parte anni; tamen ex cõſuetudine talem obligationem, ſic eſſe introductam. Petrus de Soto. Medina.

6 2. Opinio. Non obligat pro determinata parte anni. Secunda tamen ſententia communior eſt, atque in praxi vera aliorum, dicentium: Præceptum hoc obligare tantùm ſemel in anno, non tamen pro determinata parte anni: Vndè quouis anni tempore præceptum hoc adimpleri poteſt, & Ratio iſtorum eſt, quia Lateranenſe Concilium in d. cap. Omnis, & cet. non limitauit tempus determinatum, ſed tantum dixit: ſemel in anno, ergò in quauis parte anni, quis confiteatur ſatisfaciet præcepto Eccleſiæ annuæ confeſſionis: Ità Soto in 4. D. 18. quæſt. 1. A. 4. Ledeſma 2. 4. part. quæſt. 5. A. 5. d. 6. Victoria in Summ. num. 137. Nauarr. in mann. cap. 2. num. 9. Emanu. Sà de confeſſ. num. 4. Tolet. in Summ. lib. 6. cap. 9. num. 1. & alij Doctores communiter; Et ad id quod dicebat prima opinio de conſuetudine: Dicimus, Non eſſe talem conſuetudinem, quæ legem inducat: Ità Suar. D. 36. ſect. 2. num. 4. Bonae. Soto. Ledeſma. Victoria. Nauarr. Em. Sà. Toletus. Ad 1. opinionem reſpondetur. Suar.

7 Quæſtio 4. Quomodò computetur annus. Sed difficultas eſt: Quomodò ſit computandum initium, & finis huius anni? In qua re quatuor ſunt opiniones: & hæc eſt quarta quæſtio.

1. Opinio, de anno Eccleſiaſtico. Prima ergò opinio tenet: Annum iſtum eſſe vnum, & idem pro omnibus hominibus, adeò vt computetur inter ſuos terminos, qui ſumitur à principio Ianuarij vſque ad finem Decembris eiuſdem anni, qui communiter Annus vſualis vocatur: Et Ratio iſtorum eſt, quia lex ſecundùm communem vſum eſt intelligenda: Lex autem iſta ſimpliciter dicit: Semel in anno, ergò de anno vſuali, qui eſt omnibus communis debet intelligi, ſecundùm communem vſum Eccleſiæ. Ratio iſtius opinionis.

Digitized by Google

8 Reijcitur iſta ſententia.

Iſta tamen opinio nobis non placet, Tum quia eſt contra communem vſum fidelium iuxta Eccleſię cõſuetudinem; Tum etiã, quia ex hoc ſequeretur, quod aliquis habens conſcientia culpæ mortiferæ poſſet differre confeſſionem per duos circiter annos ſine violatione huius præcepti. Videlicet ſi confiteatur in die Circumciſionis in anno 1640. & poſteà in anno 1641. differat confeſſionem vſque ad Natiuitatem Domini, quod conſequens apertè videtur contra intentionem præcepti, vt ſemel in anno vnuſquiſque fidelis, ſaltem confiteatur.

9 2. Sententia. Computat annum ab vltimo p. m. commiſſo. Reijcitur iſta ſententia.

Secunda opinio exiſtimat; Initium huius anni cõputari debere ex illo die, quo quis mortaliter peccauit; non poſſe infra annum à confeſſione abſtineri, ità vt ſenſus ſit; Neminem poſt quam mortaliter peccauit non poſſe vltra annum confeſſionem dilatare; Quæ opinio non habet verum fundamentum, cùm videatur expreſsè contra intentionem præcepti Eccleſiaſtici, dicentis; Quilibet fidelis ſaltem ſingulis annis confeſſionem peccatorum ſuorum faciat; Vndè meritò vtraque ſententia à Doctoribus non admittitur; Legite Suar. d. D.36. ſect.2.n.5.

Suar.

10 3. Sententia. Computat ab vltima cõfeſſione.

Tertia opinio exiſtimat; Annũ iſtum ſumere principium ab vltima confeſſione facta, ità vt ſenſus ſit; Neminem poſſe differre confeſſionem vltra annum, ſi conſcientiam peccati mortalis in illo anno habeat; Itàque præceptum eſt. vt intra vnam confeſſionem, & alteram non plus temporis intercurrat, quàm vnius anni; Ità vt ſi quis confeſſus ſit in menſe Iunij vſque ad alterum annum eiuſdem diei non poſſe amplius differre confeſſionem; Ità docuit Soto in 4. D.18. qu. 1. A.4. concl.1. Et quamuis iſta ſententia ſit vera, & probabilis: Aliquas tamẽ patitur difficultates, & ideò non plenè omnibus placet: Ideò ſequitur

Soto.

11 4. Sententia. Computat à quadrageſima, in quadrageſimam.

Quarta opinio, dicens: Annum iſtum non eſſe phyſicè numerandum per tot menſes, & dies, ſed moraliter Eccleſiaſtico more à quadrageſima in quadrageſimam, comprehendendo omnes illos dies, in quibus communionis præceptum adimpleri poteſt: Et cùm tempus iſtud ſit mobile, & habeat aliquam latitudinem, poterunt interdum inter vnam confeſſionẽ, & alteram tranſire menſes tredecim aliquandò vndecim, juxta quadrageſimam aduenientem, vt ex conſuetudine Eccleſiæ ſatis conſtat.

12 Conſuetudo eſt optima legis interpres.

Et licèt ex verbis legis hoc expreſsè non pateat, cùm dicat; Tantum ſemel in anno, conſuetudo tamẽ, quæ eſt optima legis interpres clarè hoc demonſtrat, quam conſuetudinem Trid. Concil. ſeſſ.14.c.5. approbauit; & ità omnes ferè exiſtimant; Talem obligationem de ſemel in anno confitendo eo tempore finire, non ſolùm ratione communionis. ſed etiam per ſe ratione proprij præcepti confeſſionis; Nam illi etiam, qui non ſunt communicandi eo tempore cõfitentur, & exiſtimant, ità eſſe obligatos: ſic docent Suarez d. tom.4. D.36. ſect.2. num.8. & Em. Sà de confeſſ. nu.4. & alij communiter.

Suar. Em. Sà.

13 Aduertentia contra Suar.

Hic tamen aduerte, quod ſi quis extra quadrageſimam ſemel de mortalibus fuiſſet confeſſus; ſi poſteà habuerit legitimum impedimentum ſumendi communionem in Paſchate, non tenebitur iterum confiteri, & Ratio eſt, quia licèt annus computetur à quadrageſima in quadrageſimam, cùm poſſit quolibet anni tempore præceptum adimpleri, vt conſtat ex d. cap. Omnis, &cet. vbi dicitur ſemel in anno. &c. ideò talis non tenebitur in Paſchate confeſſionem facere; pro vt dicit Nauarr. in manu, cap.2. num.9. & Victoria in ſum. num.137. Ledeſm. 2.4. p. qu.6. A.5. d.6. Angel. de confeſſ. concl.4. & Tolet. lib.6. cap.11. nu.1. & alij plures.

Nauarr. Victoria. Ledeſma. Angel. Tolet.

14

Quicquid dicat Suarez ſupra d. ſect. 2. num.9. putans, etiam ſi quis haberet in quadrageſima conſcientiam noui peccati mortiferi teneretur in illo tempore confiteri, & hoc ratione proprij præcepti confeſſionis: putat enim teneri fideles ad confitendum omnia peccata illo anno commiſſa. (Hoc inquam non admittitur ab alijs.) quia talis videtur interpretatio nimis rigida, & rigoroſa, & obligaret fideles ad pluries in eodem anno confitendum, quod ex d. ca. Omnis, &c. non conſtat, cùm tantùm dicat: *ſemel in anno, & cet.*

Suar. Opinio impugnatur.

15 Quæſtio. 5. An qui non impleuit præceptum teneatur ſtatim confiteri? 1. Opinio. D. Anton. Sylu.

Quintò quæritur: An qui non impleuit præceptum confeſſionis intra annum teneatur ſtatim in ſequenti anno confiteri peccata ſua?

Reſpondet D. Anton. 3. p. tit.14. c.19. §. 3. cum Syluest. Verb. Euchariſtia 3. p. quæſt.15. nu.17. cum alijs quibuſdam. dicentibus: Eum, qui toto hoc anno trãſacto non eſt confeſſus, peccaſſe quidem mortaliter, poſteà tamen non teneri ad confeſſionem faciendam vſque ad ſequentem quadrageſimam, ſicut qui in die Dominico omiſit audire ſacrum, peccauit quidem mortaliter, non tamen tenebitur in alio die hebdomadæ Miſſam audire vſque ad alium diem feſtum: Ità etiam dicunt de confeſſione.

16 2. ſententia.

Sed hæc reſponſio non placet alijs Theologis: Vndè dicunt, quod qui in quadrageſima præceptum confeſſionis non adimpleuit, ſiuè ex cauſa, ſiuè malitia, tenetur poſteà ſtatim quam primum, habita commoditate confiteri, alioquin ſemper extra ſtatum ſalutis permaneret, quia præceptum confeſſionis annuæ obligat, ne vltra annũ confeſſio elongetur: ergò ſemper manet obligatio adimplendi tale præceptum. Ità Soto in 4. D.18. quæſt. 1. A.4. §. ex his, poſt 7. Concl. Maior. D.17. quæſt. 2. circa fin. Medina Cod. de confeſſione quæſt.18. Nauarr. in manu. cap. 21. num. 45. Angles, de confeſſ. concl.42. Victoria in ſumm. num. 137. & num. 141. Sequitur Suarez D.36. ſect.3. num.2. cum alijs.

Soto. Maior. Medina. Nauarr. Angles. Victoria. Suar.

Ad ſimilitudinem illam de præcepto audiendi Miſſam in die Dominico.

17 Soluitur. Ratio primæ ſententiæ.

Reſpondetur: Non eſſe parem ſimilitudinem: Nã finis illius præcepti audiendi Miſſam, & huiuſmodi eſt honor, & reuerentia illius diei, in quo præcipitur auditio Miſſæ, & ideò eo die elapſo, illa præcepta non amplius obligant, quia ceſſat finis legis, ideſt ſanctificatio diei feſti: finis autem præcepti annuæ confeſſionis, non eſt veneratio anni, ſed ne vltra annum vſus confeſſionis differatur, ergò qui non confitentur elapſo anno ſemper remanent in peccato mortali, niſi præceptum confeſſionis adimpleant.

18 Peccatum huius tranſgreſſionis diſcõtinuatur, ſed non multiplicatur.

Quod peccatum diſcontinuatur, ſed non multiplicatur. Diſcontinuatur enim multis modis: Primò quandò non eſt copia confeſſarij: Secundò quandò dormit, Tertiò quandò comedit, & communiter, Quandò facit aliqua opera, ſine quibus humana vita tranſigi non poteſt.

19 Limitatur.

Hic tamen nota, quod licèt omittere vno anno cõfeſſionem non ſit niſi vnum peccatum mortale, iuxta ea, quæ diximus, tamen quoties, quis proponat non confiteri illo anno, aut tranſacto illo toties peccabit mortaliter, iuxta numerum diuerſorum actuum voluntatum interruptorum, iuxta Nauarr. in man. cap. 21. num.33.

Nauarr.

20 Quæſtio. 6. An aliquãdo tempus confeſſionis ſit anticipandi? Obligatio iſta trip. conſideratur.

Sextò quæritur; An aliquandò teneantur fideles anticipare confeſſionem antequam annus compleatur, quandò Videlicet quis præuidet tunc, ſe confiteri non poſſe?

Pro ſolutione huius dubij dicimus: Tripliciter hanc obligationem poſſe conſiderari: Primò ſecundùm ſe, & ex vi proprij præcepti confeſſionis annuæ per decretum Concil. Lat. vel ex vi Iuris Diuini; Secundò

ex

ex vi alterius Eccleſiaſtici præcepti: & Tertiò per Accidens ideſt ratione celebrandi, vel communicandi.

1. modo. Qui præuidet non habiturum commoditatem tenebitur anticipare.

21 Vndè circa primam partem huius dubitationis, Dicimus: eſſe ſententiam valdè communem omnium ferè Theologorum dicentium: Teneri fideles ex vi huius Eccleſiaſtici præcepti ad anticipandam confeſſionem in quacumque parte anni, quando præuident, vel probabiliter timent, ſe in fine anni non habituros cõmoditatem confitendi: E.g. ex longa nauigatione, ſiuè peregrinatione per terras infidelium, vbi haberi non poteſt copia confeſſarij: & Ratio huius eſt, quia præceptum hoc non limitatur ad finem anni, ſed ſimpliciter obligat ad confitendum ſemel in anno peccata commiſſa, & non confeſſa: Vndè quando homo credit, quod pro illo anno non habebit amplius commoditatem confitendi, tenetur ad ſtatim confitendum, aliàs exponeret ſe periculo non adimplendi præceptũ illo anno, Vbi enim periculum imminet tollenda eſt mora: c. Baptizati D. 5. aliàs enim redderet ſe impotentem ad adimplendum illud, ergò tenetur tunc confiteri, cùm toto illo tempore decurrat obligatio, ſicut qui in die feſto præuidet ſe non poſſe audire Miſſam ab hora Videlicet 14. tenebitur anticipare, & audire prius, quamuis aliter poſſet differre vſque ad meridiẽ, ſi futurum eſſet ſacrum: quia præceptum illud obligat pro illo die, pro vt impleri potuerit, & eadem eſt ratio de præcepto annuæ confeſſionis. Ità omnes Theologi in 4. Diſt. 17. Diu. Bonau. 2. par. d. quæſt. 2. A. 4. num. 83. Riccard. art. 3. quæſt. 4. Palud. quæſt. 2. Art. 4. Azor. p. 1. lib. 2. cap. 19. Henriq. lib. 4. cap. 3. num. 3. Vaſq. 3. part. quæſt. 96. Art. 3. d. 2. num. 16. Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect. 2. p. 4. num. 21. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 2. quæſt. 4. num. 58. Sylueſt. Armilla, alijque ab ipſis citati.

Vbi periculũ imminet tollenda eſt mora. C. Baptizati D. 5. Exemplum de præcepto audiendi Miſſam. D. Bonau. Riccard. Palud. Azor. Henriq. Vaſq. Bonac. Filliuc. Sylu. Armilla.

De Diuino præcepto confeſſionis.

22 Et idem dicendum eſt de Diuino Iure: Quandò enim homo credit, ſe in fine vitæ non poſſe habere opportunitatem confitendi, tunc tenebitur quis anticipare tempus: Similiter dicimus de celebratione Miſſæ, communione, alijſque caſibus iure diuino obligantibus ad confeſſionem, vt ex ſupra dictis conſtat: Legite Suar. d. D. 36. ſect. 5. & Dianam tom. 3. de Pœnit. Sacramento Reſol. 69.

Suar. Diana.

2. modo de præcepto ſpeciali.

23 Circa ſecundum modum de alio Eccleſiaſtico præcepto, dicimus: Nullum aliud eſſe præceptum ad præſens, obligans totam Eccleſiam ad confitendum, niſi ſemel in anno: Sed tantum circa aliquas perſonas particulares: Vndè quò ad Regulares duo Iura inueniuntur, quæ ad præſens ſunt explicanda: quorum vnum eſt: in Clementina: Ne in agro dominico §. Sanè de ſtatu Monach. vbi præcipitur, vt Monachi D. Benedicti, ſaltem ſingulis menſibus confiteantur, tam in Monaſterijs, quàm extra: & in prima Dominica cuiuſlibet menſis Sacram communionem recipiant, per quam Clementinam ſpecialiter arctantur Monachi ſingulis menſibus, ad quod fideles omnes tenentur ſingulis annis pro vt docent Gloſſa in d. Clementina.

Monachi tenentur ſingulis menſibus confeſſionem facere. Clement. Ne in agro dominico. Gloſſa in d. Clement.

Difficultas. An teneantur confiteri de venialibus ſingulis menſibus? 1. opinio. Caiet. Nauarr. D. Bonau. Alenſis.

24 Sed Difficultas eſt: An per dictam Clementinam teneantur prædicti Monachi ad menſtruam confeſſionem, etiam ſi peccati mortalis non habeant conſcientiam: & Ratio dubitandi eſt, quia ſunt multi graui Doctores, vt Caietan. tom. 1. Opuſc. tract. 5. quæſt. 1. & Nauarr. in c. Placuit de Pœnit. D. 6. nu. 100. & 112. quibus videntur fauere D. Bona. in 4. D. 17. A. 4. q. 2. Alenſ. 4. p. quæſt. 77. m. 4. A. 2. & ſi qui ſunt alij, dicentes: Monachos etiam nulla mortalia in conſcientia habentes teneri per dictam Clementinam, ſaltem ſingulis menſibus confiteri, etiam de venialibus, ſiuè de mortalibus aliàs confeſſis, vt hoc præceptum confeſſionis mẽſtruæ adimpleant: & Ratio iſtorum eſt, quia talis videtur fuiſſe mens Summi Pontificis, tum quia non eſt veroſimile præſumpſiſſe Pontificem Monachos, peccaturos eſſe mortaliter ſingulis menſibus: Tum etiam, quia Clementina illa non habet, vt Monachi ſua peccata confiteantur ſemel in mẽſe, vt illud c. Omnis &c. ſed ſolùm habet, vt ſemel in menſe ad confeſſionem accedant, nõ vt confiteantur mortalia omnia, ſi habeant, ſi verò talia non habeant, ſaltem confiteantur aliqua venialia; Ità Nauar. d. C. Placuit nu. 123. & Suarez d. D. 36. ſect. 5. nu. 7.

Fundamentũ huius ſententiæ. Nauarr. Suar.

Dubium An teneātur ſub mortali? Suar. opinio.

25 An verò tale ius adſtringat dictos Monachos ad mortale, vel veniale dubitat Suarez; Vnde dicit, Id petendum eſſe ex interpretatione, & vſu illius Religionis: ſi enim hæc Clementina interpretatur, vt lex præcipiens ſub culpa læthali, erit eius tranſgreſſio peccatum mortale, ſin autem minimè: Hæc Suarez.

Reijcitur ratio. Suar.

26 Sed (Salua pace) ratio illa non placet, quia obligatio ſub mortali, vel veniali alicuius legis non eſt attendenda ex vſu, & interpretatione ſubditorum, ſed ex leuitate, ſiuè grauitate rei, quæ præcipitur à Pontifice.

Vera reſolutio.

27 Quàpropter melius exiſtimo dixiſſe Henriquez lib. 1. de Pœnitent. cap. 14. num. 10. Hoc præceptum obligare ſub mortale eos, qui habent peccata mortalia, qui verò non habent, niſi venialia, ſolum ſub veniale: & Ratio eſt clara, quia confiteri venialia leuis eſt materia, ergò non poteſt obligare niſi ſub veniale; ſic etiam ſentiunt: Soto D. 18. q. 1. A. 3. concl. 4. Graff. to. 1. Deciſ. lib. 1. c. 10. num. 25. Sylu. Verbo confeſſio 1. q. 13. Nam Clementina illa, vt ait Gloſſa in d. §. Sanè, non mutauit Canonem communem, ſed ſolùm tempus abbreuiauit, & quomodò omnes fideles tenentur ſingulis annis confiteri, ſi habent peccata mortalia, aliàs ſecus; Tum etiam quia videtur incredibile voluiſſe Pontificem obligare Monachos ſub mortale ad confeſſionem venialium, cùm pro venialibus ſufficiat quotidiana oratio fidelium, c. de Quotidianis de Pœnit. D. 3. & per hoc patet reſponſio ad rationes primæ opinionis; & hanc opinionem communiter ſequuntur Canoniſtæ in d. Clementina.

Henriq. Soto. Graff. Sylu. Ratio iſtius ſententiæ. C. de Quotidianis.

2. Difficultas. An alij Regulares teneantur ad confeſſionem menſtruam? 1. ſententia. Graffij. Zabarellæ. Gloſſæ. C. Denique.

28 Altera Difficultas eſt: An tale ius extendatur etiam ad alios Regulares: & Ratio dubitandi eſt, quia Graff. d. tom. 1. deciſ. c. 9. num. 14. lib. 1. ſequens Zabatellam in d. Clementina q. 2. §. Sanè q. 3. dicit: Dictam Clementinam extendi etiam ad alios Regulares, atque Moniales, quorum ratio eſt, quia tenentur Regulares propter Religionis perfectionem aliquid ad penſum Sanctæ inſtitutionis adijcere: ex c. Denique Diſtinct. 4. & Graff. allegat pro ſe Trident. ſeſſ. 25. cap. 10. & Nauar. in man. cap. 2. nu. 9. & nu. 59. Qui tamen de alijs Regularibus non loquitur ex præcepto, ſed tantùm ex honeſtate.

2. Sententia.

29 Ad auctoritatem Trid, dicimus: Concilium loqui de monialibus, nec loquitur præceptiuè, ſed tantùm dicit: (Admoneantur Sanctimoniales ab Epiſcopo, vt ſaltem ſingulis menſibus peccatorum ſuorum confeſſionem faciant:) Vndè non videntur alij Regulares ad id teneri, præcipuè cùm Clementina illa tantùm loquatur de Monachis D. Benedicti, & non de alijs Regularibus, & ideò talis lex pœnalis non eſt extendenda ad alios ſine ſufficienti textu, & ratione: Neque reperiuntur alij Doctores ità dicentes. Imò totum oppoſitum tenent, vt colligitur ex Suarez d. D. 36. ſect. 5. numer. 9. Concordat Polit. ſuper regul. Diu. Franciſci cap. 7. numer. 11. Quàpropter concludendo dicimus: Cæteros Regulares non teneri ex vi iuris poſitiui, niſi ad ſemel in anno de mortalibus, ſi habuerint confitendum.

Suarez. Polit. Concluſio.

De 3. modo.

30 Circa 3. verò partem huius quæſtionis de obligatione per accidens, nihil eſt dicendum: Nam ea, quæ

ſunt

De obligatione per accidens.

ſunt per accidens non cadunt ſub ſcientia: Clarum enim eſt, quod quando occurrit neceſſitas celebrandi, aut communicandi, aut quando conſcientia ità dictauerit teneatur homo, ſi habet peccatum mortale, prius confiteri antequam ad Sacramentum accedat, vt ex ſupra dictis conſtat.

31 Quæſtio 7. Per quã confeſſionẽ adimpleatur præceptum confeſſionis. Confeſſio debereſſe vera, & perfecta.

Quæritur 7. Per quam confeſſionem hoc adimpleatur præceptum?

Reſp. Præceptum iſtud non impleri, niſi per veram Sacramenti Pœnitentiæ receptionem: Vndè quando Sacramentalem abſolutionem non recipit pœnitens, ſiuè hoc procedat, quia indignè confitetur, ſiuè ex malitia Sacerdotis, nolentis illum abſoluere, ſiuè ex aliquo repentino caſu: tunc non impletur præceptum, ſed tenetur illo anno confiteri, vt Sacramentalem abſolutionem recipiat: & Ratio eſt, quia Eccleſia in d. c. Omnis, non percipit confeſſionem per ſe, & abſolutè, ſed tantùm determinauit tempus eius, quæ iure Diuinó præcepta erat: Sed præceptum Diuinum circa confeſſionem non impletur, niſi per veram confeſſionem Sacramentalem, vt ex dictis conſtat; ergò, & Eccleſiaſticum. Ità Soto in 4. D. 18. quæſt. 3. A. 3. concluſ. 6. & Suarez d. to. 4. D. 35. ſect. 4. & alij, vt Coninch. de Sacramentis D. 5. d. 9. nu. 70. Bonac. to. 1. D. 5. q. 5. ſectione 2. p. 4. num. 23.

Soto. Suar. Coninch. Bonac.

32 Adimpletur per confeſſionem informem.

Verum eſt tamen, quod per confeſſionem informẽ poterit aliquando hoc præceptum Eccleſiæ adimpleri, quando nihil de ſubſtantialibus deeſt, & Ratio eſt, quia confeſſio informis, licèt ſit ſine gratia ex defectu contritionis neceſſariæ, eſt tamen valida, cùm ſit validum Sacramentum, vt ſupponitur ex ſupradictis: Vndè cùm Eccleſia tantum præcipiat, vt Sacramentum hoc recipiatur per confeſſionem, ſequitur, quod recipiendo validum Sacramentum abſolutionis, impleatur præceptum: Tum etiam, quia per talem actum impletur Diuinum præceptum, ergò & à fortiori Eccleſiaſticum, cùm ſit tantum determinatio temporis eius, pro vt benè docuit Suarez diſtinct. 36. ſect. 7. numer. 6.

Suar.

33 Confeſſio informis qualis dicitur. D. Thom. Caiet. Suar.

Confeſſio informis eſt illa, quando ex defectu charitatis: Sacramentum licèt ſit validum, non confert tamen gratiam, niſi recedente fictione illa, vt eſt doctrina Diu. Thom. in 4. Diſtinct. 13. quæſt. 3. Art. 4. quem ſequuntur Caietan. tomo 1. Opuſc. tractat. 1. quæſt. 5. num. 3. & Suarez Diſtinct. 20. ſect. 5. numer. 3. & 13. & alij.

34 Quæſtio 8. Quæ pœnæ ſunt impoſitæ contra tranſgreſſores huius præcepti.

Octauò Quæritur; Quam pœnam incurrant tranſgreſſores huius Eccleſiaſtici præcepti annuæ confeſſionis? Vndè pro ſolutione dicimus: Pœnam iſtam dupliciter eſſe poſſe, quarum vna dicitur Cenſuræ, quæ etiam interius, abſque iudicis declaratione incurritur: Altera dicitur: Pœna exterior, quæ à iudice imponi debet per ſententiam; Hac igitur diſtinctione habita.

35 In iure nõ eſt pœna impoſita, ſed imponenda.

Dico primò; Nullam pœnam communi iure, vt ipſo facto incurratur à tranſgreſſoribus huius præcepti annuæ confeſſionis eſſe impoſitam: Nam, vt conſtat ex d. c. Omnis. Vbi tantum dicitur, quod Tranſgreſſores, viuentes arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & morientes Chriſtiana ſepultura priuentur: Ex quo conſtat Nullam cenſuram in d. Can. eſſe impoſitam, ſed tantummodò imponendam eſſe inſinuatur: Pœnæ autem, quæ taxantur in Canone ſunt tantum pœnæ externæ, & ideò neceſſariò requirunt ſententiam iudicis, vt patet ex ipſis verbis, (*Arceantur, & priuentur*) Vndè ſequitur; tales pœnas incurri non poſſe, niſi quãdo omiſſio confeſſionis eſſet probata, & manifeſta: Ità Suarez d. D. 36. ſect. 8. nu. 2. & alij.

Quæ pœnæ taxantur in Canone.

Suar. l. 3

36 Dico ſecundò ſolere Epiſcopos pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ imponere, & hoc ſiuè per conſtitutiones Synodales, ſiuè ſingulis annis, elapſo tempore Paſchali, ſecundum conſuetudinem Epiſcopatuum, & ità excommunicare ſolent omnes, qui in illo anno præceptum confeſſionis non impleuerunt: Et tunc omnes illi, qui in dicto anno præceptum confeſſionis non impleuerunt, & abſolutionem validam non receperunt, excommunicationis pœnam incurrunt: & Ratio eſt, quia dum pœnitens Sacramentalem abſolutionem non habuit ſemper eſt tranſgreſſor huius præcepti, qui tenetur ſingulis annis Sacramentum abſolutionis recipere, quod totum quid extrinſecum eſt; pro vt docet Suar. loc. cit.

Epiſcopi aliquando excõmunicare ſolent, qui in illo anno non confeſſi ſunt.

Suar.

Similiter etiam dico, quod etiam illi, qui malè abſolutionem Sacramentalem recipiunt propter ſolam indiſpoſitionem Animæ, vel quia non habuerunt propoſitum non peccandi, licèt exterius integrè eſſent confeſſi, incurrunt nihilominus cenſuram, ſi feratur, & Ratio eſt, quia non receperunt Sacramentum abſolutionis validum: nam Eccleſia præcipit, vt valida fiat confeſſio; & non tantùm extrinſeca, & inualida, vt dictum eſt. 37

37 Qui malè abſolutionem receperunt incurrunt.

Dico tandem; Pueros, non habentes tam perfectũ vſum rationis, vt ad communionem obligentur, vt ſunt pueri ante duodecimum annum complètum, ſi non confiteantur quolibet anno, non incurrere dictas pœnas, licèt enim mortaliter peccent, non adimplendo præceptum Eccleſiæ: Non tamen ipſa Eccleſia ſolet huiuſmodi pueros excommunicare: Nam in pueris relinqui ſolet inultum, quod in alijs prouectioris ætatis humanæ leges dicunt ſæuius puniendum; c. Referente, de delictis puerorum; Ex quo iure exiſtimant Doctores interpretandam eſſe legem iſtam, aliaſque ſimiles, quò ad pœnam præſertim tam grauẽ, vt eſt excommunicatio, & priuatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ: ſic docent Corduba in ſum. Hyſp. q. 60. Suar. D. 36. ſect. 8. nu. 5. alijque quam plures. 38

38 Pueri tenentur ad confeſſionem, ſed excommunicationem nõ incurrunt.

Corduba. Suar.

TRACTATVS XXII.

De Sacramentis.

Et de Satisfactione Sacramentali.

Tract. V.

PROOEMIVM.

PArtibus duabus Sacramenti Pœnitentiæ iam explicatis, ſupereſt, vt ad tertiam eius partem, quæ: Satisfactio dicitur deueniamus: Eſt enim hæc ſatisfactio quidam virtutis actus, per quem debitus ſeruitutis noſtræ adimpletur, à quo ſcilicet ablatus erat per peccatum: & ſecundum D. Chryſoſtomum; Nunquam perfecta pœnitentia dicitur, niſi ſatisfactio indè ſequatur. C. Perfecta de Pœnitent, D. 1. In quolibet enim mortali peccato duo mala concurrunt, macula videlicet, & reatus pœnæ æternæ: Per Contritionem, & Confeſſionem Sacramentalem ſemper aufertur macula; & per infuſionem gratiæ virtute Sacramenti aufertur pœna, ſed non ſemper tota, vt fit in Baptiſmo, ſed commutatur in pœnam temporalem, quæ ſoluenda eſt, vel in hoc ſæculo per pœnas ſpontè à nobis pro vindicando peccato ſuſceptas, vel Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitas, aut per temporalia flagella à Deo inflicta, & à nobis patienter tollerata, iuxta doctrinam Trid. Conc. ſeſſ. 14. cap. 9. Vel in Purgatorio acerbiſſimas pœnas ſuſtinendo: Ita enim ratio Diuinæ iuſtitiæ

D. Chryſoſt. c. Perfecta de Pœnit. d. 1. Concil. Trid.

Digitized by Google

ſtitia videtur exigere, vt qui voluntariè peccando Spiritum Sanctum contriſtauerunt, templumque Dei violare non ſunt veriti pœnitentiam agant, accipiendo ſcelerum ſuorum vindictam, puniendo in ſe, quod commiſiſſe dolent: Pro vt dicit idem Conc. d. ſeſſ. 14. c. 6. & habetur ex Can. C. Perfecta de Pœnit. D. 3. *Perfecta 2. de Pœnit. D. 3. Quod etiam Diuinam decet Clementiam, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata commiſſa dimittantur, & ità peccata leuiora putantes in grauiora labamur delicta, theſaurizantes nobis iram in die iudicij: Quàpropter de hac ſatisfactione, vt eſt actus iuſtitiæ,* Iuſtitia eſt reddere vnicuique, quod ſuum eſt. *cuius proprium eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt, & quatenus eſt tertia pars ſacramenti Pœnitentiæ, quæ quidem tam in vindictam commiſſi delicti, quam etiam in præſeruationem à futuris ad placandum Deo pro peccatorum ſatisfactione à confeſſario ante abſolutionem imponi ſolet diſſerendum eſt: Et vt ordinatè precedamus: Primò,* Diuiſio tractatus. *ipſius ſatisfactionis quiditatem triplici via indagando, ætymologia, videlicet, deſcriptione, ac definitione: Secundò agemus de quantitate, & qualitate ipſius: Tertiò de neceſſitate: Quartò de effectibus: Quintò de ijs, quæ ad confeſſarium ſpectant circa pœnitentiam iniungendam, & tandem: Sextò de Pœnitentia ipſa à pœnitentibus adimplenda, tractabimus.*

DE ETYMOLOGIA, SIGNIFICATIONE, ac Definitione ſatisfactionis.

CAP. I.

1 Etymologia vocis: Satisfactio. Soto. Catech. Ro.

SAtisfactio nomen eſt Latinum, compoſitum, à ſatis, & factio, quod idem eſt, quod debitum ad æqualitatem ſoluo: Satis enim æqualitatem indicat: Ità Soto in 4. D. 19. quæſt. prima Art. primo, & Catech. Rom. pag. 329. dicit, quod; Satisfactio eſt rei debitæ integra ſolutio, nam quod ſatis eſt nihil deeſſe videtur.

2 Satisfactio accipitur dupliciter largè, & ſtrictè. Scot.

Sed ſciendum, quod vox iſta ſatisfactio plura in ſe continet ſignificata: ideò opus eſt, vt primò in ſua ſignificata diuidatur, deindè quiditas ipſius explicetur: Vndè dicimus primò: Satisfactionem ſecundum Scotum in 4. D. 15. q. 1. Dupliciter accipi poſſe largè, videlicet, ſiuè in genere, ideſt, pro ſolutione cuiuſcumque debiti, vt in leg. ſi rem, §. omnis. ff. de Pign. act. Vel ſtrictè, & propriè pro vt eſt tertia pars ſacramenti Pœnitentiæ: vt in cap. Perfecta de Pœnit. D. 1. & cap. ſatisfactio D. 3.

Leg. Si rē. ff. — C. Perfecta.

3 Largè plura ſignificat. Primò excuſationem. Leui. cap. 10. Acta. cap. 24. Secundò reſpondere dubitationi. 1. Petr. c. 3. Tertiò adimpletioné præcepti. Quartò reſtitutionem.

Quando ergò accipitur generaliter plures ſpecies ſignificationis in ſe continet; Interdum enim ſignificat excuſationem: Vt in lib. Leuit. c. 10. quando Moyſes accepit ſatisfactionem, ideſt, excuſationem, ab Aron: & Paulus excuſauit ſe apud præſidem: Act. c. vigeſimo quarto. Nonnumquam ſignificat Opinioni, vel interrogationi alterius reſpondere, ſecundum illud D. Petr. epiſt. 1. capite tertio, dicentis: *Parati ſumus ad ſatisfactionem omni poſcenti:* Poteſt etiam aliquandò ſignificare: Præceptum alicuius adimplere: Vndè communiter dicitur: Satisfacere horas Canonicas, & ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, ideſt, adimplere: Accipitur etiam ſæpè ſæpiùs pro reſtitutione, cùm ſatisfactio generaliter ſumpta ſit etiam genus reſtitutionis, vt innuit Gloſſa in c. Peccati venia de Reg. iur. lib. 6. quoniam *Reſtitutio eſt Redditio rei acceptæ, vel damni illati recompenſatio,* vt docent omnes Theologi in 4. ſent. D. 15. & D. 16. His itaque, alijſque modis poteſt intelligi vox iſta ſatisfactio, generaliter tamen, & largo modo accepta.

Gloſſa in c. peccati venia.

4 Quintò compenſationé in iuriæ illatæ.

Propriè tamen, & ſtricto modo accepta, verſatur in compenſandis illis iniurijs, quæ in actionibus potius, quàm in rebus conſiſtunt: Et ſic differt à reſtitutione, quia reſtitutio ſignificat actionem, per quam res aliena vero domino redditur: Satisfactio verò actionem indicat, per quam iniuria compenſatur, quæ in perſonam aliquam redundauit: vt colligitur ex doctrina Soti lib. 4. de iuſt. & iure q. 6. Art. 1. Vbi ponit ſeptem differentias inter reſtitutionem, & ſatisfactionem propriè dictam.

Quomodò differt à reſtitutione. Soto.

Hinc quaſi per Anthonomaſiam: Satisfactio apud Theologos ſignificat actionem: per quam Deo pro peccatis ſatisfacimus, iuxta illud Diu. Anſelm. libr. Cur Deus homo, dicentis: *Satisfacere eſt Deo debitum honorem impendere:* A quo, videlicet, ablatus erat per peccatum, ſecundum noſtrum modum loquendi. 5

Satisfactio propriè dicta quid ſit. D. Anſelm. Satisfactio eſt Deo debitum honorem impendere.

Iſta autem ſatisfactio, quæ Deo pro peccatis noſtris facienda eſt: Dupliciter eſſe poteſt: Vna extra ſacramentum, quæ effectum habet ex opere operantis: Altera in Sacramento, habens effectum ex opere operato, quarum prior dicitur: Pœnitentia virtus, quæ ſecundum definitionem Ambroſij: *Eſt mala commiſſa plangere, & plangenda iterum non committere,* vel vt ait D. Auguſt. *Eſt quadam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe:* Quæ omnia referuntur in ſacris Canonibus in Can. Pœnitentia D. 3. de Pœnit. de qua dicit Scot. in 4. D. 15. q. 1. lit. L. *Satisfactio eſt pœna voluntariè tolerata ad placandam Diuinam offenſam, & ad puniendum peccatum commiſſum.* 6

Satisfactio duplex eſt voluntaria, & ſacramentalis. Voluntaria dicitur virtus pœnitentiæ. D. Ambroſ. D. Auguſt. Quid ſit ſecundum Scotũ.

Altera dicitur Pœnitentia ſacramentalis, ſiuè ſatisfactio, quatenus eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentię, quæ à confeſſario virtute clauium pœnitenti iniungitur, tam ad compenſanda peccata commiſſa, quàm ad præſeruandum à futuris: Vndè quò ad actum primum, ità definitur à Diu. Thom. in 4. D. 15. quæſt. 3. A. 1. dicente: *Satisfactio eſt illatæ iniuriæ recompenſatio, ſecundum æqualitatem iuſtitiæ,* quod idem eſt, quod: Deo debitum honorem impendere, pro vt dixit Diu. Anſelm. 7

Satisfactio ſacramentalis. Quid ſit ſecundum D. Tho. D. Anſelm.

Quò verò ad actum ſecundum, in quantum præſeruat à futuris: Ità definitur à Diu. Auguſt. libr. de Dogm. Eccleſiaſticis, dicente: *Satisfactio pœnitentialis eſt peccatorum cauſas excidere, nec earum ſugeſtionibus amplius aditum indulgere,* quæ refertur in Can. Satisfactio de Pœnit. D. 3. 8

Definitio D. Auguſt. Can. ſatisfactio.

Vndè ex his ſecundum mentem iſtorum: Syluest. in verb. Satisfactio numer. 1. ſequentem colligit definitionem vtramque partem complectentem: *Satisfactio* (inquit) *eſt pro illata iniuria voluntaria recompenſatio ſecundum æqualitatem iuſtitiæ cum propoſito non committendi nouam iniuriam.* 9

Definitio data à Syluest.

Iſtæ igitur multæque aliæ definitionis formulæ à Theologis in 4. ſent. D. 10. aſſignari ſolent: Legite Sotum in d. 4. Diſt. 19. quæſt. 1. Art. 1. quæ licèt ſint aliquibus verbis additis compoſitæ: In hoc tamen ſenſu conueniunt: Concordant Canoniſtæ in ver. Satisfactio, & alibi. 10

Soto.

Doctor Toletus in ſum. lib. 3. c. 11. breuiſſimè definiuit, dicens: *Satisfactio eſt offenſæ præteritæ, quò ad pœnam debitam recompenſatio.* 11

Definitio Toleti.

Verum eſt tamen: Inter has omnes non eſſe prætermittendam exiſtimo illam, quam tradit Nauarr. in man. c. 3. dicens: *Satisfactio eſt paſſio voluntaria pœnę pro peccato ad placandum Deum cum propoſito non offendendi eum amplius:* Cuius partes ab ipſomet: in Commentarijs in c. Satisfactio de Pœnit. D. 3. pleniſſimè, doctiſſiméque explanantur. 12

Definitio Nauarri.

Et licèt omnes prædictæ definitiones legitimæ ſint, & bonæ: Tamen, vt melius, & clarius quiditas ipſius definiti explicetur, dicimus, quod; Satisfactio ſacramentalis, (de qua in præſenti loquimur) diſtingui debet à virtute pœnitentiæ; Nam licèt pœnæ voluntariæ, quas homo pro ſuis peccatis patitur, poſſit per 13

Definitio ſacramentalis pœnitentiæ diſtingui debet à virtute pœnitentię.

eas

eas Deo ſatisfacere ſufficienter ex Dei benignitate illas acceptante virtute paſſionis, & meritorum Chriſti, non tamen dicuntur ſatisfactiones ſacramentales, pro vt eſt tertia pars huius Sacramenti, quæ etiam effectum habet ex opere operato, quatenus virtute clauium, à confeſſario eſt impoſita in ſacramentali abſolutione, vt benè aduertit Catechiſmus Rom. pag. 330. Verſiculo. Eodem verò nomine, quod etiam tangit Vinald. in Cand. Aur. p. 1. de Sacramentis, nu. 2. de ſatisfactione, & ideò nos talem definitionem totalem aſſignamus, dicentes.

Catech. Ro. Candel. Aur.

54 *Satisfactio ſacramentalis eſt paſſio voluntaria pœna, pro peccatis commiſſis, à confeſſario virtute clauium iniuncta, ad placandum Deum, importans medicinam quandam præterita peccata curantem, & à futuris præſeruantem:* Hæc enim, inquam, definitio totalis eſt, & completa, continens omnes eſſentiales partes ipſius definiti, & totam naturam ipſius explicans, vt patebit omnia ipſius verba definitionis explicando.

Definitio cōpleta ſacramentalis Pœnitentiæ. Explicantur verba definitionis.

55 Dicitur ergò primò: (*Satisfactio ſacramentalis*) vt diſtinguatur à quacumque alia ſatisfactione, largo modo accepta: Nam dum dicitur (Sacramentalis) diſtinguitur à ſatisfactione tertij, & à ſatisfactione voluntaria, quæ dicitur virtus de qua modo non loquimur, ſed de ſacramentali, quæ eſt tertia pars ſacramēti Pœnitentiæ.

Primò dicitur (ſacramētalis pœnitētia.)

16 Dicitur ſecundò: (*Paſſio*) pro genere; omnis enim ſatisfactio eſt paſſio, non tamen, è contra: Vbi aduerte, quod non dixi (*compenſatio*) vt aliqui dixerunt, quia compenſatio propriè non eſt ſimplex ſolutio, ſed debiti, & crediti inuicem inter ſe contributio. Vt in l. 1. ff. de compenſ. qualis non videtur propriè omnis de qua loquimur ſatisfactio.

Secundò dicitur (Paſſio.) L. 1. ff. de cōpenſ.

57 Dicitur tertiò (*voluntaria*) vt ſcilicet, ſit meritoria; Nam ſatisfactio pœnitentialis debet eſſe actus virtutis, qui eſſe non poteſt, niſi ſit voluntarius: Si enim non eſſet voluntaria illa paſſio, potius diceretur Satis paſſio, quàm ſatisfactio, qualis eſt illa, quam damnati ſatis patiuntur in Inferno ſine vlla ſpe veniæ obtinendæ in æternum: pro vt dicit Scotus in 4. D. 15. q. 1. cum Diuo Thoma: Ibi, & alij.

Tertiò dicitur (voluntaria.) Scot. D. Thom.

18 Dicitur quartò (*Pœna*) in genere, pro quacumque læſione, labore, & dolore, ſiue Animæ, ſiuè corporis, vt explicat Nauarr. in cap. Pœnitentia 2. de Pœnit. d. 3. contra Panorm. putantem, ſolum pœnam afflictiuam corporis dici propriè pœnam, & non pecuniarum, vel aliarum, quæ non affligunt corpus: Imò oratio, & contemplatio mentalis, licèt frequenter ſit validè dulcis, & ſuauis, quatenus tamen aliquo modo fatigat mentem poteſt etiam dici pœna ſatisfactoria, vt eſt doctrina Diu. Thom. in d. quarto. d. 15. quæſt. 1. Artic. 4. quæſtiuncula 3.

Quartò dicitur (Pœna.) Nauarr. Oratio, & cōtemplatio eſt ſatisfactoria.

19 Dicitur quintò; (*Pro peccatis commiſſis*) ad inſinuandum, talem pœnitentiam faciendam eſſe in peccatorum commiſſorum vindictam, & ad ſatisfaciendum pro pœna temporali, quæ luenda erat in Purgatorio: in qua æterna pęna fuerat commutata: Tum etiam ad differentiam aliarum paſſionum; quæ pro alio fine aſſumuntur.

Quintò dicitur (pro peccatis commiſſis.)

20 Dicitur ſextò: (*A confeſſario virtute clauium iniuncta*) ad differentiam aliarum ſatisfactionum, quæ non ſunt iniunctæ à confeſſario in illo foro, pro vt ſunt pœnitentiæ voluntariæ aſſumptæ: Nam magna differentia eſt inter vtramque ſatisfactionem: Illa enim, quæ à confeſſario eſt iniuncta, & à pœnitente acceptata duplici ex cauſa eſt præſtantior illa, quam quiſquis volūtariè aſſumit; Primò quia cæteris paribus, maioris efficaciæ eſt illa, quæ à confeſſario iniungitur, quàm alia voluntariè aſſumpta, cùm prior ſit pars ſacramentalis, ratione cuius magis in illa virtus Chriſti applicatur, quàm in alia, & per conſequens maiorem habebit effectum, vt eſt doctrina omnium Theologorum: in 4. Diſtinct. 15. Tolet. in ſumm. libr. 3. capit. 11. numer. 4. Nauarr. in capit. 1. in principio de Pœnitent. Diſtinct. 6. num. 36.

Sextò à confeſſario virtute clauium. Duplex differentia inter pœnitentiam voluntariam, & ſacramentalem. Tolet. Nauarr.

25 Dixi: (*Cæteris paribus*) quia aliquando tanto feruore, & deuotione fieri poteſt pœnitentia voluntaria, & è contra tam tepidè pœnitentia iniuncta aliquoties, quod hac ratione illa eſſet maioris effectu, &c. Deindè pœnitentia iniuncta, ſecundum omnes, ſemper ſatiſfactoria eſt, licèt pœnitens quando illam adimplet ſit extra gratiam, ſaltem pro tempore, quo peccator redibit ad cor: Altera verò minimè, vt eſt doctrina Diu. Thom. Diſt. 16. quæſt. 1. A. 1. & Caiet. to. 1. Opuſc. tract. 6. quæſt. 1. & in ſum. verb. ſatisfactio, §. 4. Armilla num. 5.

Quare dicitur cæteris paribus. D. Thom. Caiet. Armilla.

12 Imò ſecundum Scotum in d. quarto Diſt. 55. litt. O. etiam tunc, quando fit Sacramentalis pœnitentia valet ad remiſſionem pœnæ peccati præteriti, iam abſoluti, pro quo pœnitentia illa fuit iniuncta, etiam ſi fiat extra gratiam; Vndè tunc non ſolùm valet, quò ad militantem Eccleſiam: ſed etiam quò ad triumphantem, quò ad ſoluendum debitum, cuius etiam opinionis fuerunt, Gabr. & Ioann. Maior. d. D. 55. Concordant Angel. ver. Pœnitentia, §. 4. & Nauar. in man. c. 3. num 6. contra diſtinctionem illam Caietani, aliorumque ſupra citatorum, quam doctrinam probabimus fuſius infra in c. 4. huius tractatus, loquendo, de effectibus ſatisfactionis.

Nota doctrinam Scoti. Etiam extra gratiam valet quò ad ſatiſfactionem. Concordant Gabr. Maior. Angel. Nauarr.

23 Dicitur ſeptimò (*Ad placandum Deum*) tum ad differentiam aliarum pœnarum, quæ pro alio aſſumuntur fine; Tum etiam ad differentiam reſtitutionis, quæ licèt etiam ſi dicatur; Satisfactoria, quatenus ſeruat æqualitatem iuſtitiæ: Tamen ab hac ſatisfactione differt, quia reſtitutio principaliter fit hominibus, hæc verò principaliter fit Deo; Deindè illa fit in rebus datis, & acceptis; Hæc verò in actionibus, legite Sotum libr. de iuſt. & iur. q. 6. A. 1. & in 4. D. 19. quæſt. 1. Art. primo concluſ. 3.

Septimò dicitur ad placandum Deum. Soto.

24 Dicitur tandem vltimò (*Importans medicinam præterita peccata curantem, & à futuris præſeruantem*) vt oſtendatur cauſa finalis, atque effectus ſacramentalis ſatisfactionis, quæ non ſolùm datur ad ſoluendam pęnam, peccatis debitam, quatenus eſt medicina curans, ſed etiam ad præſeruandum à futuris, quatenus eſt medicina præſeruatiua, vt colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 8.

8. Dicitur importans medicinam, &c. Concil. Trid.

25 Vbi notandum, quod non dixi (*cum propoſito non peccandi de cætero*) vt multi alij dixerunt, Tum quia intelligitur per ly à futuris præſeruantem; Tum etiam ad inſinuandum, non eſſe neceſſarium, quod pœnitentia fiat in gratia, quia etiam ſi adimpleatur extra gratiam valet ad ſoluendum debitum, ſecundum doctrinam Scoti, quam nos ſequimur; Tantum ergò propoſitum non peccandi amplius requiritur in acceptatione pœnitentiæ, quando recipitur abſolutio, vt Sacramentum ſit validum, non autem quando adimpletur, quamuis optimum ſit, vt etiā in gratia adimpleatur, quia tunc non modo habebit effectum ex opere operato, verum etiam ex opere operantis, vt ſuo loco dicetur.

Quare non diximus cum propoſito nō peccandi. Pœnitentia ſacramentalis extra gratiā valet quo ad ſatiſfactionē. Scotus.

26 Pro complemento huius primi capituli, vna ſe offert difficultas explicanda: An videlicet homo poſſit Deo ſatisfacere pro peccatis ſuis; & Ratio dubitandi eſt, quia videtur, quod: Non; nam ſatisfactio, vt ex eius definitione conſtat, eſt pars iuſtitiæ: Iuſtitia autem exigit æqualitatem: Hoc enim explicat particula illa, ſatis; Nam quod ſatis eſt, nihil deeſſe videtur: Vndè ſequitur, quod æquari debeat offenſæ, vt ex ſupra dictis patet: Sed offenſa Dei, ſaltem obiectiuè, & terminati-

An poſſit homo Deo pro peccatis ſatiſfacere. Ratio quæſtionis.

uè

Digitized by Google

uè dicitur infinita, ergò ſequitur: Non poſſe hominem Deo pro peccatis commiſſis ſatisfacere: Quia cum Deus ipſe ſit infinitus, non poteſt ei ſecundum æqualitatem ſatisfactionem dare, ergò &c.

27 Æqualitas ſatisfactionis conſideratur dupliciter, vel ſecundũ æqualitatem, vel proportionem. D. Thom. Æquale æqualiter ſecundum proportionem.

Pro ſolutione huius difficultatis, dicimus, ſecundum doctrinam Diu. Thom. in 4. Diſt. 15. quæſt. 1. & in Addit. 3. par. quæſt. 13. Art. 1. Æqualitatem iſtam in ſatisfactione, Dupliciter poſſe conſiderari: Vel ſecundum æqualitatem quantitatis, vel ſecundum æqualitatem proportionis: Vndè licèt homo per ſe non poſſet Deo plenè ſatisfacere, æquiualens reddendo ſecundum æqualitatem quantitatis: Poteſt tamen reddere ſufficiens ſecundum quantitatem proportionis: Sufficit enim vt homo reddat id, quod poteſt: Nam Deus non exigit à nobis impoſſibile, ſed quod eſt poſſibile: Et hoc eſt æquale aliqualiter, ſcilicet ſecundum proportionalitatem.

28 Concluſio. Satisfactio noſtra ex Dei gratia poteſt eſſe ſufficiẽs.

Dicimus ergò, quod quamuis ſatisfactio noſtra æquiualens eſſe non poſſit, poteſt tamen ſufficiens fieri, mediante Dei omnipotentis gratia, ſua benignitate per Chriſti merita paſſionis acceptante: Chriſtus enim Dominus, in quantum homo pleniſſimè pro nobis ſatisfecit ad æqualitatem iuſtitiæ, & quantitatis: Imò copioſiſſimè facta eſt noſtra redemptio valore ſui pretioſiſſimi ſanguinis.

29 Quomodo ſit ſufficiens explicatur. D. Thom. Syluest. Armilla.

Ex quo ſequitur, quod iungendo opera noſtra meritis Chriſti, etiam ſatisfactio noſtra ex vi operis operati, dicatur ſufficiens ad æqualitatem iuſtitiæ ſatisfaciendam: Hæc enim omnia ex doctrina D. Tho. Sylu. & Armillæ, verb. ſatisfactio, & Victoriæ in ſum. nu. 199. aliorumque Doctorũ colliguntur: Et ideò dato, quod homo pœnitentiam extra gratiam aliquando adimpleat, dicimus etiam ex mente Doctoris ſubtilis ſupracitati, quod ſatisfaciat ad debitum virtute operis operati, ratione ſacramenti ſuſcepti, licèt non quo ad meritum operantis, vt ſupra iam plenius, atque clarius in ſequentibus dicetur.

DE QVANTITATE, ET QVALItate Satisfactionis.

CAP. II.

1 Quæſtio de qualitate ſatisfactionis.

QVidditate ſacramentalis ſatisfactionis explicata, operepretium eſt, vt qualitatem, & quantitatem ipſius explicemus. Vndè circa primum de qualitate ſatisfactionis, ideſt, pœnitentiæ iniungendæ à confeſſario.

1 An debeat fieri per opus pœnale? 1. Opinio requirit opus pœnale, & externum.

Primò quæritur: Qualis debeat eſſe iſta ſatisfactio: An videlicet oporteat fieri per opus externum, vel etiã ſufficiat opus internum, abſque vllo externo?

Reſpondetur: in hac re duas eſſe opiniones inter Theologos, quarum vna exiſtimat: In ſatisfactione pœnitentiali omninò requiri actum externum, adeò vt pœnitentia facienda ſit per aliquod opus pœnale per operationem aliquam externam: Quàpropter dicunt: Imponi non poſſe à confeſſario in pœnitentiam actum tantum internum, ſine actu externo, quorum ratio eſt, quia ſatisfactio, vt in præſenti accipitur imponitur per modum humani præcepti, quod non ſolet cadere in actum internum: Vndè Dominus dixit per Ioëlem Prophet. capit. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu:* Ergò requirit opus pœnale, & externum cum actu interiori, ideò, &c.

Ratio iſtius opinionis. Ioel. cap. 2.

2 2. Ratio.

Secundò, quia cùm ſatisfactio pœnitentialis futura ſit pars ſacramenti, ſequitur, quod oporteat eſſe ſenſibilis, & ideò dicunt: Satisfactionem pœnitentialem: Oportere eſſe actionem externam laborioſam, & afflictiuam: Ità Alex. de Ales. 4. p. quæſt. 89. m. 2. Art. 1. & Gabr. in 4. Diſt. 16. q. 2. Almainus D. 15. quibus etiam videtur fauere Scot. D. 15. quæſt. 1. litt. I. Et ſi qui ſunt alij, &c.

Alex. de Ales. Gabr. Almain. Cit. Scot.

3 2. Sententia opus merè internum aliquando iniungi poteſt.

His tamen non obſtantibus, dicimus nos, ſequendo alteram opinionem probabiliorẽ, quod licèt opus externum, & pœnale ſit magis accommodatum, tum propter rationes factas, tum etiam, quia ſolet eſſe magis ſatisfactorium, poſſe tamen quandoque expediri imponi etiam opus merè internum: E. g. ſi pœnitens ità ægrotaret, vt nihil externè facere poſſet, tunc in caſu liberè iniungi poterit, vt actum internum habeat: Vel ſi confeſſarius iudicauerit aliquandò valdè expediri ad bonum pœnitentis, vt aliquoties, ſiuè aliquibus diebus proponat peccatum vitare poterit hoc illi iniungere in ſuorum peccatorum pœnitentiam: Ità docent Soto in 4. D. 19 quæſt. 2. A. 1. §. eadem via: Concordat Suar. to. 4. de Pœnit. D. 38. ſect. 6 alijque DD. ab ipſis citati.

Soto. Suar.

4 Soluuntur rationes primæ ſententiæ.

Ad rationes autem primæ opinionis, dicimus: Nihil probare contra nos, quia ſicut confeſſarius poteſtatem habet abſoluendi pœnitentem à peccatis internis; ità etiam poteſt obligare ad internum actum, ſi ſaluti Animæ eius ità expediri iudicauerit; Cum ſacramentum hoc ad æternam ſalutem Animæ ſit ordinatum: Ad ſecundam rationem dicimus, quod vt actus ille internus ſit pars ſacramenti, ſatis eſt quod ſit ſenſilis per accidens, ſicut contritio ſit actus ſenſilis per actus externos confeſſionis, percuſſionis pectoris, &c. Ita ſatisfactio interna ſit ſenſilis per accidens, quando exterius imponitur, & acceptatur, maximè, quia ſatisfactio non eſt pars eſſentialis ſacramenti, ſed tantùm integralis. Vndè ſi nulla iniungatur pœnitentia etiam ſacramentum eſt validum, cùm ad validitatem ſacramẽti ſufficiat contritio, confeſſio, & abſolutio.

5 Concluſio.

Quàpropter reſolutoriè dicimus, quod: Pœnitentia ſacramentalis, ſiuè ſit iniuncta per opus externum, ſiuè internum ſemper eſt ſufficiens, & ſatisfactoria: Licèt opus pœnale, & externum conuenientius iniungi debeat in vindictam peccatorum, & tanquam magis ad hoc accommodatum; Et hoc credo voluiſſe dicere Scotum cum ſuis aſſeclis.

6 2. Quæſtio. An debeat eſſe opus pœnale? 1. Opinio.

Secundo quæritur: An opus, per quod ſit ſatisfactio debeat eſſe pœnale?

Reſpondetur etiam circa hanc difficultatem: eſſe duas opiniones in rigore vocis, de facto tamen, & in re veritate omnes conuenire: Dicunt ergò aliqui DD. Quodlibet opus bonum, quodcumque ſit quatenus meritorium eſt gratiæ, & gloriæ eſſe per ſe intrinſecè ſatisfactorium, etiam ſi nihil omninò pœnæ afferre intelligatur: Alij verò dicunt: Satisfactionem ſolummodò fieri poſſe per opus pœnale: Quatenus pœnale eſt.

2. Opinio.

7 Reſolutio. Satisfactio Duplicem habet reſpectũ ad Deum, & ad peccatum. Soto. Primo modo ſufficit, vt ſit Deo honorifica. D. Anſelm.

Pro ſolutione igitur huius quæſtionis, dicimus nos ex doctrina Soti in 4. Diſt. 19. quæſt. 2. Artic. 1. Satisfactionem iſtam, de qua in præſenti loquimur: Duplicem habere reſpectum: Vnum ad Deum, cui ſit, & alterum ad peccatum, de quo eſt facienda: Hac igitur diſtinctione habita, dicimus, quod: Satisfactio, ſi conſideretur reſpectu Dei, cui ſit ſufficit tãtùm, vt ſit Deo honorifica, & ſit meritoria, iuxta illud Diu. Anſelm. *Satisfactio eſt Deo debitum honorem impendere:* Et hoc per quodcumque opus bonum, & meritorium fieri poteſt, etiam ſi ex ſuo genere pœnale non ſit, quàpropter per quemcumque actum dilectionis Dei, per contemplationem, & mentalem orationem; quæ multoties ſuauis eſt, & delectabilis, & alia huiuſmodi opera, in charitate facta acquiritur gratia, & gloria, & per conſequens ſit ſatisfactio: Nam omne opus bonum in charitate factum, ſicuti eſt meritorium, ità eſt ſatisfactorium, quæ eſt communis doctrina omnium

Theo-

Summa Coronæ. Theologorum in 4. D. 15. legite Sum. Coron. 4. p. de Sacr. c. de ſatisfactione, & hoc intelligitur reſpectu Dei, cui fit ſatisfactio.

8 Secundo modo debet eſſe opus pœnale: quod reſpicit peccatum. Satisfactio debet eſſe medicina purgatiua. D. Auguſt. Debet eſſe & medicina præſeruatiua. Concil. Trid.

Si verò ſatisfactio conſideretur reſpectu peccatorum, de quibus fit, dicimus; Debere eſſe pœnalem: Et Ratio eſt, quia, In peccato duo conſiderantur, nempè, & quod factum eſt, & quod in poſterum cauendum eſt: & reſpectu prioris, ſatisfactio debet eſſe caſtigatio iuſta, & medicina purgatiua, & per conſequens amara, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe, iuxta illud D. Auguſt. loco ſupr. citato; Reſpectu verò futuri debet eſſe medicina præſeruatiua: Et vtraque ratione congruit, vt ſit pœnalis, vt eſt doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.

9 Opus pœnale quale ſit? Nauarr.

Vt autem intelligatur, quid ſit opus pœnale dicimus: Pœnale opus eſſe illud, per quod aliquod bonum alicui ſubtrahitur: Vndè ſequitur, per quodcumque opus afflictiuum, ſiuè externum, ſiuè internum fieri poſſe ſatisfactionem, vt ſupra ex doctrina Nauar. in c. Pœnitentia, D. 3. nu. 2. de Pœnit. intelleximus.

10 Concluſio.

Vndè ex dictis colligimus hanc propoſitionem, Videlicet Opera, per quæ ſatisfactio fieri, opus eſt ex ſuo genere, tam Deo honorifica, quam etiam pœnalia eſſe debent, & hoc tam reſpectu Dei, tam etiam reſpectu peccati commiſſi, vt explicatum eſt.

11 Satisfactio tripliciter fieri poteſt, ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis. Concil. Trid. Quid veniat nomine ieiunij.

Quapropter communiter Doctores dicere ſolent: Talem ſatisfactionem tribus modis fieri poſſe, videlicet ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis, quod etiam Conc. Trid. ſeſſ. 14. Can. 3. dixit; Omnia enim opera bona, & ſatisfactoria ad iſta reducuntur; Vndè per ieiunium non ſolum intelligitur ciborum abſtinentia, ſed etiam omnia opera pœnalia corporis, vt diſciplinæ, peregrinationes, vigiliæ, labores, tribulationes, & alia huiuſmodi opera meritoria.

12 Quid per eleemoſynā.

Sic etiam per eleemoſynam non ſolum intelliguntur pecuniarum largitiones, verùm etiam omnia alia opera miſericordiæ, tam corporalia, quàm ſpiritualia, vt viſitare infirmos, incarceratos, protegere pupillos, aliaque huiuſmodi.

13 Quid per orationes. Tolet. Suar.

Similiter etiam per orationes non ſolum intelliguntur preces vocales, verùm etiam mentales, vt meditationes, contemplationes, Miſſarum celebrationes, lectiones, & cætera huiuſmodi, omniaque opera ſpiritualia; vt eſt communis ſententia omnium Theologorum in 4. ſent. D. 15. & Summiſtarum in ver. Satisfactio, & Pœnitentia; Tolet. in ſum. lib. 13. c. 11. & Suar. to. 4. D. 37. ſect. 6. nu. 10.

14 Obiectio.

Nec valet dicere: Satisfactionem tantùm fieri poſſe per opus pœnale, quatenus pœnale eſt; At contemplatio, ſiuè meditatio cœleſtis gloriæ ſæpè ſæpius, tam dulcis, & ſuauis eſſe ſolet, vt non modò nullam pœnam, & moleſtiam afferat contemplanti, & meditanti, verùm etiam ſuauitatem, & guſtum ineffabilem; Vndè cùm non ſit opus pœnale, non debetur inter opera ſatisfactoria computari; ideò, &c.

15 Solutio. Contemplatio, licèt ſit ſuauis, eſt etiā pœnalis.

Reſpondetur argumentum nihil concludere contra nos; Nam omnis actus virtutis, licèt vno reſpectu ſit ſuauis, & dulcis, eſt tamen alio reſpectu pœnalis, cùm non poſſit eſſe aliquod tale opus quantumcumque ſpirituale, quin etiam aliquam pœnam, & fatigationem, afferat; Imò etiam oratio ipſa mentalis, licèt quandoque valdè dulcis, & ſuauis eſſe poſſit, quatenus tamen aliquo modo fatigat mentem poteſt etiam dici pœna ſatisfactiua; Et Ratio eſt clara, quia licèt contemplatio, & dilectio ſint opera Animæ, ſunt tamen Animæ coniunctæ corpori, quod aggrauat Animam; Vndè non ſine magno labore poteſt Deum diligere, & contemplari, vel aliquod quodcumque opus ſpirituale facere: Ità Caietan. tom. 1. Opuſc. tract. 6. quæſt. 1. concluſ. 2. Nauarr. in man. cap. 26. Victoria in ſumm. num. 22. Soto in 4. Diſt. 19. quæſt. 2. Art. 1. concluſ. 2. & Suarez Diſtinct. 37. ſect. 6. numer. 8. alijque communiter.

Corpus aggrauat Animam in operando. Caiet. Nauarr. Victoria. Soto. Suar.

16 Corollariū.

Vndè ex his, quæ dicta ſunt patet quomodo omnia opera bona, tam ſpiritualia, quàm corporalia ſint ſatisfactoria, tum quia ſunt Deo honorifica, tum etiam quia ſunt aliquo modo pœnalia, & quomodò omnia opera meritoria, & ſatisfactoria ad illa tria reducantur, vt omnes communiter ſentiunt.

17 Quæſtio 3. An Pœnitentia poſſit fieri per opera aliàs debita? 1. Opinio negatiua. Ratio iſtius ſententiæ. Exemplificat de eleemoſyna in extrema neceſſitate.

Tertiò quæritur: An ſatisfactio impleri poſſit per opera aliàs præcepta?

Reſpondetur quod, licèt ſint nonnulli Theologi aſſerentes: Satisfactionem iſtam faciendam eſſe omninò per opera ſupererogationis, hoc eſt libera, & non debita ex alia obligatione: Quorum ratio eſt, quia exiſtimant: Non poſſe hominem ſatisfacere eadem ſatisfactione duplici præcepto: Quapropter aſſerunt, quod, Quando iniungitur pœnitentia à confeſſario numquā intelligitur per opera aliàs debita; E.g. Si alicui impoſita eſſet eleemoſyna in pœnitentiam peccatorum ſuorum: Et illam daret exiſtenti in extrema neceſſitate, minimè pœnitentia eſſet adimpleta, cùm ad illam faciendam eleemoſynam ille talis in caſu ex vi Diuini præcepti tenebatur.

18 Palud. Maior. Almain. Citatus Scot.

Similiter etiam dicunt de ieiunio, & alijs præceptis, tam Eccleſiaſticis, quàm Diuinis; Ità dicunt Palud. in quarto D. 15. quæſt. 1. Art. ſecundo, Maior. quæſtione ſecunda d. 1. Almain. quæſtione prima, quibus etiam videtur fauere Scotus, quatenus in quarto D. 15. quæſtione prima dixit in definitione ſatisfactionis: Eam debere eſſe ex indebitis, quod exponit de debito præcepti, quia ſi ſatisfactio illa eſſet aliàs debita, non ſatisfaceret pro illo actu.

19 2. Sententia affirmatiua. Victoria. Soto. Opus debitū eſt magis meritorium. De eleemoſyna in extrema neceſſitate. Improbatur prima ſententia.

Nihilominus dicimus nos, quod etiam per opera aliàs debita poſſumus Deo pro peccatis noſtris ſatisfacere, pro vt docet Franciſcus à Victoria in ſum. nu. 20. qui dicit: Erroneum eſſe dicere contrarium, quia cum opera illa ſint meritoria nullum dubium eſt, quin etiam ſint ſatisfactoria, vt dicit Soto Diſtin. 19. quæſt. ſecunda, artic. primo, §. medio, vbi dicit; Opus aliàs debitum eſſe magis meritorium, quam ſi ſpontè fiat, & per conſequens magis ſatisfactorium: Et hoc non ſolùm intelligitur de ſatisfactione extra cōfeſſionem, ſed etiam de ſatisfactione impoſita in ſacramentali confeſſione, quia etiam per illa opera aliàs debita pœnitentiam iniunctam adimplere poſſumus: Vndè ſi alicui in pœnitentiam eſſet iniunctum, vt eleemoſynam daret pauperi, & talis pœnitens illam erogaret alicui in extrema neceſſitate exiſtenti, nulla eſt dubitatio, quin pœnitentia iniuncta plenè ſit adimpleta, & ſatisfacta, quicquid dicant Paludan. & Syluest. ver. ſatisfactio, quæſt. 8. & Diu. Anton. tertia parte, titul. 14. cap. vigeſimo §. primo, putantes, & dicentes; Per opera iure naturæ præcepta ſatisfieri non poſſe pro peccatis.

20 Impugnatur ratio.

Hoc inquam non habet fundamentum, quia (vti ſupra diximus) gratior eſt Deo eleemoſyna illa, quæ erogatur pauperi extremam neceſſitatem habenti, quam alia ratione, & charitate ſimpliciter, & cùm ſit magis meritoria, ſequitur etiam eſſe magis ſatisfactoria.

21 Satisfactio iniuncta pēdet ex intentione iniungentis.

Si autem ipſi loquuntur de pœnitentia iniuncta à confeſſario, tunc dicimus; Hoc totum dependere ex intentione confeſſarij: Nam ſi confeſſarius nullam diſtinctionem faceret, ſeu feciſſet, quando pœnitentiam iniunxit, ſed tantùm dixiſſet ſimpliciter; Fac eleemoſynam pauperi, rationabiliter creditur, noluiſſe adeò aggrauare pœnitentem, & hanc fuiſſe intentionem confeſſarij, quia ſemper credendum eſt pru-

Digitized by Google

Suar. Em. Sà. Soto. Victoria.

prudenter, & rationabiliter operari: ſic docent Suarez à d.tom.4.D.28 ſect.6. numero 5. Em.Sà ver. confeſſio, & ſatisfactio, nu.6. Victoria, & Soto cum alijs, locis ſupra cit.

22 Regulariter debet intelligi de operibus ſupererogationis.

Secus autem de ieiunio, & auditione Miſſæ, quia quando confeſſarius abſolutè tantùm pœnitentiam iniungit, intelligitur de talibus actionibus aliàs non debitis: E.g. quando confeſſarius dicit pœnitenti: Ieiuna duos dies; non debent eſſe niſi dies, in quibus non eſt præceptum ieiunandi, quia talis ſupponitur fuiſſe eius intentio: Ità Tolet. libr.3. capit. 11. numer. 10. & Soto in 4. Diſtinct.19. quæſt.2. Artic. 1. concluſ.2. & omnes Canoniſtæ communiter: Nam regulariter imponi non debet pro ſatisfactione pœnitentiæ opus aliàs debitum, ſed opus ſupererogationis, vt detur pœnitentibus occaſio plura bona opera faciendi: Et ità intellexit Scotus ſupra quando dixit: Sacramentalem ſatisfactionem debere eſſe ex indebitis.

Soto. Intētio Scoti declaratur.

23 Poteſt aliquādo confeſſarius iniūgere opus debitū.

Verùm eſt tamen: poſſe aliquando confeſſarium (quando ità videbitur expediri) imponere: pro pœnitentia etiam opera aliàs debita, quia cum illa ſint ſatisfactoria poſſunt etiam per claues Eccleſiæ ex vi operis operati eleuari, & ſic in idem opus poteſt cadere duplex obligatio: pro vt ſentiunt Caietan. tom. 1.Opuſc. tractat.6. quæſt.1. & Nauarr.man. capit.26. num.23. & in cap.1. de Pœnitent.D.6.num.40. & Soto in 4. Diſt.19. quæſt.2. Art.1. Victoria ſupra, & Suarez ſupra nu.5. Et in hoc credo in rei veritate omnes conuenire, licèt in rigore vocis in aliquo diſſentire videantur.

Caiet. Nauarr. Soto. Victoria. Suar.

24 Limitatio notanda.

Et quamuis confeſſarius hoc paſſim non debeat facere: debet enim iuuare pœnitentem ad ſatisfaciendum, ac proindè debet aliquid de nouo ſupererogationis illi imponere, tam in peccatorum vindictam, quàm etiam, vt maior, & fructuoſior ſit ſatisfactio, dando illi occaſionem plura bona opera faciendi, vt ſupra iam dictum eſt. Nihilominus quandoque erit expediens, & ſalutare conſilium iniungere pœnitentiam etiam de rebus aliàs debitis: nempè quando confeſſarius videt pœnitentem, non adimplere iura communia, vt ſi fortè quiſpiam non ſeruaret Quadrageſimam, cum poſſet, tunc optimè faceret ſi imponat ei illud facere in pœnitentiam, vel in totum, vel in partē, pro vt melius in Domino iudicauerit expedire.

25 4.Quæſtio. An ſimul ſatisfieri poſſet duobus præceptis? 1. opinio negatiua.

Quartò Quæritur: An qui adimplet pœnitentiam ſibi iniunctam, audiens Miſſam de præcepto ſatisfaciat vtrique obligationi? & Ratio dubitandi eſt, quia in hac re duæ ſunt opiniones, quarum prima eſt negatiua, aſſerens: Audientem Miſſam de præcepto non poſſe ſimul eodem tempore ſatisfacere pœnitentiam, ſibi à confeſſario iniunctam, recitando: Videlicet Roſarium, ſiuè Coronam Beatæ Virginis, ſiuè dicendo horas Canonicas, quas dicere tenetur ex præcepto, ſiuè aliquas alias preces; & Ratio iſtorum eſt, quia ibi ſunt duæ obligationes, quarum quælibet obligatio attentionem, & deuotionem exteriorem per ſe requirit; Vndè dicunt: Non poſſe quem attendere vni, quin non deficiat alteri: Ità exiſtimant Angel. Verb. feriæ num.4. Sylu. Verb. Miſſa 2.q.6. Armilla Verb. feſtum, num.11. Gabr. & Maior. in 4. Diſtinct 16. & ſi qui ſunt alij.

Ratio iſtius ſententiæ. Angel. Sylu. Armilla. Gabr. Maior.

26 2. Sententia affirmatiua. Nauarr. Bart. Medin. Candel. Aur. Angleſ. Caiet. Victoria. Adrian. Io. Medina. Suar.

Altera opinio affirmatiua eſt communior, quam tenuerunt Nauarr. in man.cap.21.num.8. & 19. & de Orat.nu.178. ſect.6.num.5. Bart.Medin. in ſum.libr.1. cap.14.§.6. Viuald. in cand.p.1. de Sacramentis, de ſatisf.num.14. & Angleſ. in florib. Theolog.qq. de ſatisf. d.3.concl.1. Caiet. Verbo feſtorum violatio §.2. Vict. in ſumm.num.204. Adrian.q.1. de ſatisfact. Ioan.Medina C. de confeſſ.tract.2.q.4. & Suarez d.tom.4.D.38. ſect.6.num.5. & ſequuntur alij, vt Diana, & Bonacina, alijque permulti, dicentes: Poſſe quem eodem tempore ſatisfacere pęnitentiam iniunctam, & ſimul eodem tempore Miſſam ex obligatione audire: & Ratio iſtorum eſt, quia ſolùm quis tenetur Miſſæ Sacrificio aſſiſtere, & quemadmodum poteſt preces aliàs effundere debitas, etiam poterit ſoluere pœnitentiam; quia tenuta facit opus impoſitum, ad quod aliàs non tenebatur, & quod incompoſſibile non eſt cum auditione Miſſæ.

P.Geſualdus de Bononijs Capucc.

Diana. Bonac. Poteſt quis eodem tempore audire Miſſam, & ſatisfacere pœnitentiam. Ratio iſtius ſententiæ.

27 Modificatio aſſertionis.

Modificant tamen, dicentes, vt non adeò vni actioni aduertens intendat, vt alteri attentionem neceſſariam deſerat; Quod facilè fieri poteſt, cùm nemò teneatur ex præcepto audire, & multò minus intelligere verba Sacerdotis celebrantis, quia ſatis eſt, vel ex longinquo miſſanti adeſſe, ſurgendo, & genua flectendo, vel aliàs actualiter, ſiuè virtualiter exoptare, vt Sacerdos, qui pro omnibus loquitur, orat, & ſacrificat à Deo exaudiatur: ſicut nos plenius probauimus ſupra, agendo de auditione Miſſæ tract.17.c.3.num.27. quod faciliter fieri poteſt, etiam horas Canonicas, ſiuè pœnitentiam iniunctam, vel alias preces etiam præceptas recitando, & vtrique attentioni adhibendo, vt benè explicant Nauar. d.c.21. & Suarez cum alijs locis ſupra citatis.

Nauarr. Suar.

28 Concluſio.

Et per hoc patet reſponſio: ad rationes contrariæ opinionis; Vndè pro concluſione dicimus, quod: Recitans horas Canonicas, ſiuè alias preces votas, ſiuè pœnitentiam iniunctam, ſiuè alias præceptas, ſiuè cōſultas eodem tempore, quo audit Miſſam, etiam de præcepto ſatisfacit ſuæ obligationi, voto, pęnitentiæ, & deuotioni, tam horarum, quas recitat, quam Miſſæ, quam audit, vt ex dictis patet.

29 Quorundam limitatio.

Hic tamen nonnulli ex ſupradictis Doctoribus dicunt: Hoc eſſe intelligendum, quando Sacerdos dicit ſecreta, nam quando legit alta voce, vt Epiſtolam, Euangelium, Credo, Præfationem, & ſimilia, quæ clara voce legi ſolent in Miſſa: tunc debent aſſiſtentes ad illa attendere cum attentione debita: pro vt dicit Viualdus in Candel. cum quibuſdam alijs.

30 Reijcitur limitatio. Ratio noſtra qualis ſit.

His tamen non obſtantibus, dicimus nos: Licèt hoc optimum ſit conſilium: Tamen etiam ſi tunc temporis pœnitentiam iniunctam adimpleat, ſiuè alias preces ex præcepto recitet ſatisfacit vtrique obligationi, & Ratio eſt, quia ſolùm tenetur quis ſacrificio Miſſæ cum deuotione aſſiſtere, & non tenetur audire verba Sacerdotis celebrantis; aliàs enim ſequeretur, quod ille, qui de longinquo ſtaret, vel eſſet Surdus, nunquam præceptum audiendi Miſſam adimpleret, quod eſt abſurdum: Ità colligitur ex doctrina Nauarr. Angles, Suarez, aliorumque ſupra citatorum.

Nauarr. Angles. Suar.

31 Alia limitatio. Suar.

Sed hoc eſt intelligendum de illo, qui in vtrumque tantùm, quantùm neceſsè eſt animum attendat, non autem de illo, qui ſaltem aduertenter totaliter attendit in vnum eorum, vt in alterum non attendat quantùm neceſsè ſit: Ità Suar. ſupra.

32 Caietani opinio. Limitatur opinio Caietani.

Illud autem, quod dicit Caiet. quod: Ille, qui ſic pęnitentiam adimplet, vel horas Canonicas recitat, ſatiſfacit vtriq; præcepto, quantum ad vitandum peccatū omiſſionis, peccat tamen venialiter, tum propter irreuerentiam, tum propter negligentiam, quia non eſt conueniens intra tēpus Miſſæ de præcepto aliàs quoq; orationes, & preces recitare: Dicimus nos; Intelligendum eſſe de illo, qui nullam iuſtam cauſam ad hoc faciendum haberet, ſed hoc facit, vt poſtea dicetur: Quando autem negligentia non eſt talis, neque irreuerentia, (vt ſupponit Caietanus) neque iudico, talem pœnitentem venialiter peccare, vt colligitur ex Nauar. d.c.19. de Orat. limitante Caietan. opinionem.

Nauarr.

Digitized by Google

33 Quæſtio 5. An pœnit. ſie ſi poſſet, faciendo aliud opus externum? Concluſio eſt affirmatiua cum limitatione. Barth. Medina.

Quintò Quæritur: An qui recitat pœnitentiam iniunctam, dum induit ſe, vel aliud opus facit, quod non ſit incompoſſibile ad preces recitandas ſatisfaciat ſuæ obligationi de recitandis illis precibus?

Reſpondetur Affirmatiuè, dum tamen ſufficienter attentus ſit ad preces, quas recitat pro pœnitentia adimplenda, ſicut ille, qui recitat horas Canonicas, ad quas obligatione officij, ſiuè voti tenetur: Ità Barthol. Medin. libr. 1. capit. 14. §. 11. in ſumm. circa medium: & Viuald. in Candel. Aur. d. tom. 1. de ſatisfact. num. 11.

34 Quæſtio 6. An opus in cõmuni poſſit eſſe mat. ſatisfactionis? Concil. Trid.

Sextò Quæritur: An flagella à Deo inflicta, à nobiſque patienter tolerata, quibus etiam pro peccatis noſtris Deo ſatisfacimus iuxta doctrinam Trident. Conc. ſeſſ. 14. c. 9. ſi iniungantur à confeſſario in pœnitentiam peccatorum confeſſatorum habeant effectum virtute clauium ex opere operato.

35 Concluſio eſt affirmatiua.

Reſpondetur etiam: Affirmatiuè, non enim ſolùm imponi poteſt pro pœnitentia opus particulare, verum etiam in communi, & in generali, dicendo: *Quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris patienter ſit tibi in pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum tuorum.* & Ratio huius eſt, quia iniunguntur opera bona pœnalia, & meritoria, quæ poſſunt virtute clauium eleuari ad ſatisfactionem virtute operis operati pro peccatis in illa confeſſione abſolutis. Nam per huiuſmodi iniunctionem fiunt pars Sacramenti: Ità Petr. de Soto lect. 2. de ſatisfact. & Nauarr. man. cap. 26. numer. 35. Henriquez cap. 29. num. 5. Suarez Diſt. 38. ſect. 6. num. 6. & alij ſequentes Din. Thom. Quodl. 3. A. 29. concordat Bonacina tom. 1. de Pœnit. D. 5. q. 5. ſect. 3. part. 2. num. 13.

Ratio concluſionis. Petr à Soto. Nauarr. Henriq. Suar. D. Thom. Bonac.

36 Ratio concluſionis potiſſima.

Ratio autem huius Aſſertionis potiſſima eſt, quia ſi peccatum in communi poteſt eſſe materia huius Sacramenti, cur non etiam ſatisfactio in communi, vndè optimum conſilium eſt, etiam illa iniungere pro pœnitentia, tum vt habeant effectum ex opere operato; tum vt in id, in quo deficiunt pœnitentiæ iniunctæ quando leuiores ſunt, quam par eſt, ſuppleant illa bona opera, quæ communiter, vt plurimum ab hominibus patiuntur; pro vt benè probant Nauarr. in cap. 1. in principio de Pœnitent. D. 6. num. 3. & Reginald. lib. 7. num. 28. & alij: Et ità vſu iam receptum eſt in praxi, iuxta doctrinam Trident. Concil. loco ſupra citato.

Nauarr. Reginald. Concil. Trid.

37 Aduertentia Suar.

Hic tamen aduerte: Hoc quod diximus intelligendum eſſe, quò ad ſatisfactionem pro peccatis in illa confeſſione abſolutis, nam de illis tantum factum eſt iudicium: & ideò poſt quam illa plenè fuerint remiſſa, talis effectus ex opere operato ceſſabit: pro vt aduertit Suar. loco citato: Et hæc de qualitate ſatisfactionis iniungendæ in Sacramentali confeſſione.

De quantitate Pœnitentiæ.

De quantitate autem pœnitentiæ iniungendæ dicimus ſequentia.

38 P. Aſſertio. Pœnitentia iuſta debet eſſe ſecundũ quantitatem, & qualitatem delicti.

Primò: Pœnitentiam iuſtam eſſe illam, quæ correſponderet peccatis confeſſis, cuius pœna ſoluenda eſſet in Purgatorio, nec maior, neque minor, iuxta quantitatem, & qualitatem delicti commiſſi: Nam ſi grauiſſimam pœnam imponeret Sacerdos pœnitenti pro peccato leui iniuriam illi faceret: cùm enim Sacerdos ſit iudex à Deo conſtitutus, æquitatem ſeruare debet ſecundum iuſtitiam; ſi autem è contra indulgentius cum pœnitente ſe gerat, leuiſſimam pœnam pro grauiſſimis delictis iniungendo, non ſeruaret legem iuſtitiæ, & ideò pœnitentia, vt ſit iuſta debet eſſe proportionata, tam peccato, quàm peccatori, iuxta delicti quantitatem, & qualitatem, vt eſt doctrina omnium Theologorum in 4. Senten. Diſtinct. 15. quos ſequitur Nauarr. in man. capit. 26. numer. 16 & Viuald. in Cand. libr. de Sacramentis numer. 16. de ſatisfactione; & Suarez ſupra, & ità colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.

Pœnitentia debet eſſe proportionata peccato, & peccatori. Nauarr. Candel. Aur. Concil. Trid.

39 Solus Deus ſcit, quæ ſit pœnitentia iuſta ſecundum qualitatem delicti.

At quoniam nullus homo cognoſcere, & intelligere poteſt, quæ, & quanta ſit grauitas peccati, quæque pœna illi correſpondere debeat in Purgatorio, ideò dicimus: Solum Deum noſce, quæ, & quanta ſit iuſta pœnitentia, & quanta pro quolibet mortali peccato ſit iniungenda: Ipſe enim Deus ſolus nouit, quanta pœna debeatur in Purgatorio mortali peccato per contritionem, & Sacramentalem abſolutionem condonato; quàpropter illam nos determinare non poſſumus, neque etiam pœnitens propter imbecillitatem humanæ naturæ illam poſſet in hac vita adimplere: Vndè nulla eſt certa menſura pro ſatisfactione, lege Eccleſiaſtica taxata, quam confeſſarius ſeruare teneatur in pœnitentia iniungenda, & ideò &c.

40 Aſſertio 2. Satisfactio Sacramentalis eſt arbitraria ad iudicium confeſſarij.

Secundò Dicimus: Quantitatem, & qualitatem pęnitentiæ in Sacramentali confeſſione iniungendæ arbitrariam eſſe, & ſemper commiſſam eſſe prudentis confeſſarij arbitrio: & Ratio huius eſt, quia hæc pœnitentia non ſolum in ſatisfactionem peccatorum, ſed etiam, & maximè in bonum, & curationem Animæ pœnitentis eſt ordinata: At diſpoſitio pœnitentium varia eſſe poteſt, ergò nec eadem quantitas, neque idem modus pœnitentiæ poterit omnibus expediri, ideòque arbitrio ipſius iudicis relinqui debuit: Ità enim habetur in Can. Menſuram de Pœnitent. Diſt. 1. Can. Deus qui de Pœnitent. & remiſſ. & Can. Tempora 26. quæſt. 7. Ex quibus locis communiter omnes dicunt: Pœnitentias eſſe arbitrarias ſecundum iudicium prudentis confeſſarij, qui conſiderando peccatorum grauitatem ex vna parte, & diſpoſitionem, & qualitatem pœnitentis ex altera debet ſalutares pœnitentias iniungere, pro vt melius in Domino videbitur expediri: Ità Nauar. man. cap. 26. nu. 18. & in Can. Menſuram nu. 6. Suarez tom. 4. D. 18. ſect. 4. Candel. Aur. ſupra nu. 18. & alij.

Can. Menſur. C. Deus qui. C. Tempora. Nauarr. Suar. Candel. Aur.

41 Aduertentia. Pęnitentia quando non eſt ſufficiens non ſoluit totam pęnam.

Aduertendum tamen eſt, quod quando pœnitentia eſt leuis, illa completa, non liberatur pœnitens ab omni pœna luenda in Purgatorio, quia hoc falſum eſt, iuxta doctrinam omnium Theologorum in 4. Sent. D. 20. Cùm enim confeſſarius iniungit pœnitentiam minorem, quam peccata exigunt, non liberatur pęnitens à pęna ſoluenda, niſi totaliter ſoluerit, aut ſatisfecerit ipſe pęnitens, ſiuè alius pro eo, etiam ſi pęnitens paratus fuiſſet maiorem pęnitentiam acceptare, atque ipſam poſtulaſſet, quia tenetur ſatisfacere pro pęna peccatis debita, vel in hac vita per ſufficientem pęnitentiam, ſiuè voluntariam, ſiuè à confeſſario iniunctã, ſiuè per indulgentias lucrandas, ſiuè tandem, in Purgatorio, vſque ad vltimum quadrantem, acerbiſſimas pęnas ſuſtinendo.

42 Quare modò iniunguntur mitiores pęnitentiæ. Nauarr. D. Thom.

Iniunguntur autem communiter à confeſſarijs pęnitentiæ mitiores condeſcendẽdo ad infirmitatem, & imbecillitatem pęnitentium, ne fortè poſtea pęnitentias, ſibi iniunctas non adimpleant: Ità enim docet praxis, quæ eſt rerum magiſtra legite Nauar. cum alijs ſupra citatis, & eſt doctrina D. Thom. in 4. D. 21. q. 1. & aliorum.

43 Optimum cõſilium eſt facere ſibi imponi pęnitentias grauiores. Deut. c. 32.

Quàpropter ſapientiſſimè faciunt illi pęnitentes, qui etiam confeſſario volente imponere pęnitentiam leuem, faciunt ſibi maiorem iniungere, cupientes potius in hac vita ſatisfacere, quàm in illo acerbiſſimo Purgatorij igne, de quo ſcriptum eſt in libro Deut. c. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni nouiſſima: Decurabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet*, de quo non exient Animæ niſi ſatisfaciant, & ſatis patiantur vſque ad minimum quadrantem.

Tertiò

44 Tertiò dicimus: Confeſſarium imponentem pœnitentiam leuem peccatis non proportionatam fallere, quandoque poſſe pœnitentem, credentem per leuem illam ſatisfactionem plenè ſatisfacere pro omni pœna peccatis debita: Vndè talis pœnitentia à Greg. Papa VII. *Falſa appellatur pœnitentia*, vt habetur in Can. Falſa de Pœnit. D. 5. Non eò, quod nihil proſit, vel abſolutionem irritam faciat, ſed quia pœnitentem, (vt dixi,) fallere poteſt, præbendo illi occaſionem credendi, ſe per talem plenè ſatisfacere: Ità enim explicat Canonem illum (Falſas:) Nauarr. ibi, & in c. Menſuram de Pœnit. D. 1. nu. 1.

Aſſertio 3. Confeſſarius imponens leuiorem pœnitentiam decipit pœnitentem. D. Gregor. Can. Falſa. Nauarr. C. Menſuræ.

45 Quàpropter confeſſarius in pœnitentia iniungenda; pœnitenti dicere debet hæc aut ſimilia ſequentia verba: *Fili diligenter, conſidera iuſtam, & condignam pœnitentiam, quæ tibi pro peccatis tuis eſſet imponendam ſolum Deum ſcire, nos autem hanc leuem iniungimus pro tua imbecillitate*, & ideò vſu, & rationabiliter receptum eſt, vt confeſſarius in fine abſolutionis dicat verba illa: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. Quicquid boni feceris, aut mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.*

Quid dicere debeat confeſſarius pœnitenti, quando pœnitentiam leuè iniungit. Paſſio Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quicquid &c.

46 Quàpropter in principio naſcentis Eccleſiæ, timentes Deum, & cupientes vitare pœnas luendas poſt mortem ſeptem annorum pœnitentiam pro ſingulis peccatis mortalibus pœnitentes facere ſoliti erant, exiſtimantes tam longam pœnitentiam tam magnæ offenſæ, purgandæ adhibere oportere, iuxta Canonum pœnitentialium taxationes, pro vt refert, & dicit Gratianus in Can. Hoc ipſum 33. quæſt. 2. §. 1. Eccleſiam talem conſuetudinem habuiſſe. Imò pro grauioribus peccatis maiorem pœnitentiam faciebant, vt videre eſt, in d. Decreto Gratiani vbi 47. Canones pœnitentiales referuntur, in quibus grauiſſimæ pœnæ pro grauiſſimis delictis taxatæ erant, vt videre eſt apud Hoſtienſ. in ſumm. de Pœnitent. & remiſſ. §. Quæ pœna: legite Angel. Verbo confeſſio 6. numer. 5. tales Canones pœnitentiales breuiter referentem.

Canones pœnitentiales ſeptem annorũ pœnitentiæ. Can. Hoc ipſum. Gratianus. Pro grauioribus delictis maior pœnitentia iniungebatur. Canones pœnitẽtiales 47. Hoſtienſ. Angel.

47 Ex quorum notitia poterit vnuſquiſque cognoſcere quanta pœnitentia pro quolibet peccato mortali eſſet facienda: Et quamuis confeſſarij ad præſens tales pœnitentias graues non imponant, timentes, ne fortè ipſe pœnitens illas recuſaret, vel ſi acceptaret, poſteà forſitan non impleret: non ideò pœnitens remanet ſolutus à pœna, & integra ſatisfactione facienda, vel hic, vel in Purgatorio: Et ideò ſtudeat pœnitentiam agere in hac vita applicando omnia bona, quæ faciet, & mala, quæ patienter tolerabit, & ſuſtinebit, tamquam à Deo inflicta in pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum commiſſorum; pro vt docent Nauarr. in d. c. Menſuram nu. 7. & alij communiter.

Quare hodie dictæ pœnitentiæ non iniunguntur. Nauarr.

48 Vltimò tandem dicimus: Pœnitentias illas, quæ per Canones pœnitentiales olim taxatæ erant, non eſſe obligatorias, primò quia amplius non ſunt in vſu; ſecundò quia non conſtat, pœnas illas pertinuiſſe ad forum confeſſionis, ſed fortaſſe ſæpè ſpectabant ad externum forum iudiciale, vt patet, quia interdum erat pœna depoſitionis, & priuationis Eccleſiaſticæ dignitatis, vel quid ſimile: tertiò quia, & ſi aliquæ pertinerent ad forum pœnitentiæ interiorem, ſemper tamen dabatur locus arbitrio confeſſarij, vt conſtat ex d. c. Menſuram, & alijs Decretis: Vndè illæ erant ſolùm quaſi regulæ directiuæ, vt illas confeſſarij ſequerentur, quantùm in Domino expediri iudicauerint, conſiderata conditione, qualitate, & diſpoſitione pœnitentis: vt ſupra iam dictum eſt.

Aſſertio 5. Canones pœnitentiales non ſunt obligatoriæ. Canones pœnitentiales erant quaſi regulæ pro confeſſarijs.

49 Vndè ex his, quæ dicta ſunt breuiter concludendo dicimus: Quantitatem pœnitentiæ in Sacramentali confeſſione iniungendæ eſſe arbitrariam, ſecundum iudicium prudentis confeſſarij: Et hæc de quantitate, & qualitate ſatisfactionis Sacramentalis pro nunc dicta ſufficiant, plura eſſent dicenda, quæ in ſequentibus capitulis elucidentur.

Concluſio.

DE NECESSITATE SATISFACTIONIS.

CAP. III.

Satisfactionis neceſſitas Tripliciter conſiderari poteſt: primò an ſit neceſſaria cuilibet peccatori neceſſitate medij ante ingreſſum Gloriæ. Secundò, An ſit de neceſſitate Sacramenti. & Tertiò tandem an ſit de neceſſitate præcepti, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte confeſſarij: Et in his omnibus neceſſitas iſta Dup. conſideranda eſt: An Vid. ſit neceſſaria ſimpliciter, aut ex ſuppoſitione, ſeù, vt dicitur, ſecundum quid, ſiuè ad benè eſſe. 1

Neceſſitas ſatisfactionis conſideratur trip.

Dico ergò Primò, quò ad primum modum conſiderandi, quò ad neceſſitatem ante ingreſſum Gloriæ: Satisfactionem, ſiuè quod idem eſt: Plenariam peccatorum omnium purgationem neceſſariam eſſe ſimpliciter neceſſitate medij cuilibet peccatori antequam in Cœleſte Regnum recipiatur. 2

Aſſertio prima quò ad primum modum. Plenaria remiſſio peccatorum neceſſaria eſt ante ingreſſum gloriæ.

Pro intelligentia autem huius noſtræ Aſſertionis: Sciendum eſt, quod vt ex doctrina Diu. Thom. 3. par. quæſt. 86. Art. 4. colligitur: In quolibet mortali crimine duo mala conſiderantur. Scilicet Auerſio ab incommutabili bono, & peruerſa conuerſio ad bonum corruptibile: Hinc duplex debetur pœna Damni, Videlicet ex parte auerſionis, & hæc eſt priuatio Diuinæ præſentiæ, quia cum Anima maculata ſit per peccatum, non poterit ingredi Regnum Dei, in quo aliquod coinquinatum ingredi non poteſt, & ideò priuatur Diuina viſione, in qua Beatitudo perfecta conſiſtit: Altera eſt pęna ſenſus ex parte conuerſionis ad obiectum creatum, quare in Infernum poſt mortem proijcietur ad pęnas æternas ſuſtinendas, ſecundum grauitatem peccatorum commiſſorum, ſecundùm illud Apoc. c. 18. *Quantum Glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*, pro vt communiter dicunt Theologi omnes. 3

D. Thom. Dup. pęna cuilibet peccato debetur pęna damni, & ſenſus. Apoc. c. 18.

Quandò autem culpa remittitur, ſiuè per Sacramentum, ſiuè per actum contritionis, abſtergitur quidem macula, pęnaque damni totaliter tollitur, remanet tamen pęna ſenſus, luenda temporaliter, vel hic, vel in Purgatorio: Et quamuis per infuſionem gratiæ remittatur aliqua pœna temporalis, non tamen ſemper tota, pro vt fit per Baptiſmi Sacramentum, ſed remanet illa luenda ſaltem in Purgatorio, acerbiſſimas pœnas ſuſtinendo, vt eſt doctrina Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. Vndè per hoc patet probata noſtra Aſſertio, quia cum homo ſit debitor pro pęna temporali ſequitur, Satisfactionem eſſe illi neceſſariam ſimpliciter ante ingreſſum Gloriæ, vt benè probauit Scotus in 4. D. 14. q. 1. concordat Soto D. 19. q. 1. A. 3. & Tolet. libr. 3. c. 11. & alij. 4

Remiſſa culpa mutatur pœna æterna in temporalem. Concil. Trid. Scotus. Soto. Tolet.

Dico ſecundò: Satisfactionem iſtam, quæ etiam pęnitentia dicitur, non ſolùm neceſſariam eſſe hominibus ad præterita peccata curanda, ſed etiam ad præſeruandum à futuris: Magnopere enim à peccato reuocant, & quaſi fræno quodam coërcent ſatisfactoriæ iſtæ pęnæ, quæ à confeſſario in vindictam, atque infirmitatis Animæ medicamentum pęnitentibus imponuntur, quoniam per illas peccatorum medentur reliquias, & contraria contrarijs curando, vitioſos habitus, malè viuendo comparatos tollunt, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pęnitentes efficiunt; 5

Aſſertio 2. Satisfactio, vt medicina purgatiua, & præſeruatiua eſt ex ſuppoſitione neceſſaria.

Concil. Trid. pro vt habetur per Concil. Trident. ſeſſ. 14. capitul. 8.

6 Notandum.

Vndè Notandum eſt: Satisfactionem iſtam ſecundò modo conſideratam, non dici neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem, ſed ex ſuppoſitione, ſeù, vt dicitur, ad benè eſſe, ideſt ſuppoſito, quod homo velit ſe præſeruare à peccatis committendis, ſatisfactio iſta, ſiuè pœnitentia erit valdè opportuna: Neque enim ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vnquam exiſtimata fuit ad remouendam pœnam luendam, & ad præſeruandom à peccatis, quam, vt hæc pœnitentiæ opera homines cum verò animi dolore frequentent.

7 Aſſertio 2. circa ſecundum modũ. Satisfactio eſt pars integralis, non eſſentialis Sacramenti.

Circa ſecundum verò: An iſta ſatisfactio ſit de neceſsitate Sacramenti, Dicimus: Satisfactionem iſtam, quæ 3. pars Pœnitentiæ Sacramenti dicitur: Neceſſariam eſſe ad perfectionem Sacramenti, non ſimpliciter tanquam partem eſſentialem, ſed tanquam partem integralem. Vndè pro intelligentia huius Aſſertionis.

8 Tres ſunt partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ. Scotus.

Sciendum eſt, quod communiter à Theologis, & Canoniſtis, tres partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ aſſignantur, quæ ſecundum Scotum requiruntur tanquam quid prærequiſitum ad diſpoſitionem ſubiecti, vt ſit capax Sacramenti, quæ ſunt contritio, Confeſſio, & ſatisfactio, quæ ab alijs dicuntur Materia proxima, ſuper quæ cadit Sacramentalis abſolutio: Illæ autem partes, pro vt docet Diu. Thom. in 3. part. quæſt. 90. Artic. 3. non poſſunt eſſe partes ſubiectiuæ, neque partes potentiales (ſicut quidam falsè putauere) quia totum non adeſt ſingulis partibus, neque ſecundum totam virtutem, neque ſecundum totam eſſentiam, ſed dicuntur, & ſunt partes integrantes, quæ non omnes ad eſſentiam rei pertinent, & habent iſtæ partes ordinem virtutis ad inuicem, ſicut partes animalis, quarum principalis pars eſt cor, à quo, reliquæ partes integrantes pendent, & inter reliquas aliæ ab alijs E. g. Homo conſtat ex pluribus partibus corporis materialibus, vt ſunt manus, brachia, pedes, caput, & ſimilia, quæ dicuntur partes integrales, & tamen non omnes ad eius eſſentiam pertinent: Nam homo etiam ſine manibus, brachijs, & pedibus diceretur verus homo, licèt imperfectus. & Anima tanquam forma aliquando infunditur corpori organizato, cui talia membra deficiunt, cum illæ partes non pertineant ad eſſentiam hominis, ſed tantùm ad eius perfectionem, ſecus autem eſſet, ſi ei deficeret Cor, quia omnes partes ex illo pendent: pro vt docet Soto in 4. D. 17. q. 1. A. 3. ad 3. cum alijs.

D. Thom. Nõ ſunt partes ſubiectiuæ, neque potentiales, ſed ſunt partes integrantes.

Exemplificatur aſſertio, de partibus Animalis.

Cor eſt pars eſſentialis hominis. Soto

9 Applicatur exemplum ad propoſitũ. Omnes partes pendẽt ex pœnitudine.

Sic dicimus nos, applicando ad propoſitum: Cùm iſtæ partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ, illo modo ſe habeant ad inuicem, quarum reliquæ, vt legitimæ ſint ex contritione pendent, & ſucceſſu temporis vnam integrant Sacramenti materiam, ſequitur, quod licèt aliquando ſuper contritionem per confeſſionem exhibitam informetur Sacramentum per abſolutionem abſque vlla ſatisfactione impoſita, Validum erit Sacramentum, eò quod ſatisfactio ad eius eſſentiam, non pertineat, ſed tantum ad eius integritatem, ſecus autem eſſet, ſi deficeret contritio neceſſaria, quia tunc Sacramentum nullum eſſet, cùm reliquæ partes, vt legitimæ ſint pendent ex ea, ſicut membra corporis pendent ex corde, vt ſupra iam explicatum eſt: Ità enim ex Doctrina D. Thom. & Soti, aliorumque Theologorum, de hac materia tractantium colligitur.

D. Thom. Scotus.

10 Concluſio. Satisfactio requiritur ad perfectionem iudicij, non ad eſſentiam.

Hoc ſuppoſito, pro concluſione dicimus: Satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſariam eſſe ad perfectionem Sacramenti, & ad integritatem iudicij, non autem ad eſſentiam eius, quod probari poteſt tripliciter.

11 Probatur 1.

Primò quia: Sacramentum hoc verè perficitur, & confert gratiam, etiam ante ſatisfactionem expletam, vel impoſitam vt omnes Theologi, & Canoniſtæ ſentiunt, ſed nulla res incipit eſſe abſolutè, ſine parte eſſentiali, ergò ſatisfactio non eſt pars eſſentialis, ergò non eſt de eſſentia, & neceſſitate Sacramenti, cùm tãtum ſit pars integralis, quæ pertinet ad perfectionem, & integritatem iudicij, &c.

Secundò; Satisfactio non ordinatur ad primum effectum huius Sacramenti, nam effectus primarius eſt culparum remiſſio, ſed ordinatur ad ſecundarium effectum, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis, ergò non eſt pars eſſentialis Sacramenti, ſed tantùm integralis. 12 Probatur 2.

Tertiò; Sacramentum abſolutionis datur per modum iudicij; ſed iudicium abſque caſtigatione Rei validum erit, licèt ſit imperfectum, quia ad integritatem, & perfectionem iudicij pertinet pœna inflicta Reo in vindictam delicti, non autem ad eſſentiam iudicij; ergò &c. 13 Probatur 3.

Sic dicimus nos Satisfactionem licèt pertineat, ad perfectionem, & integritatem iudicij abſolutionis, non tamen ſpectat ad eius eſſentiam, & validitatem: Ità docent omnes Theologi communiter licèt Palud. in 4. D. 16. q. 1. in fin. videatur dicere contrarium, non tamen innititur recto, ac valido fundamento: Quàpropter abſolutè dicimus: Satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ non eſſe partem eſſentialem de neceſſitate ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, hoc eſt tanquam partem integralem. 14 Applicantur rationes ad propoſitum. Concluditur contra Paludanum.

Si autem neceſſitas iſta intelligatur pro remiſſione pœnæ temporalis, quæ luenda remanet, vel in hoc ſæculo, vel in Purgatorio poſt iuſtificationem, dicimus: Neceſſariam eſſe ſimpliciter ſatisfactionem neceſſitate medij, vt eſt doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. quia, quamuis homo mediante abſolutione culpæ iuſtificetur, & fiat filius Dei, remanet tamen dignus pœna temporali, in qua per Sacramentum abſolutionis cõmutata fuit pœna æterna. 15 Satisfactio ad remiſſionem pœnæ dicitur ſimpliciter neceſſaria.

Circa tandem tertium modum: An Videl. Satisfactio ſit de neceſſitate, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte confeſſarij: An Videl. pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam iniunctam à confeſſario, illamque adimplere; & ſimiliter ſi confeſſarius ſub aliquo præcepto teneatur ſemper pœnitentiam iniungere pœnitenti: Dicetur inferius in duobus vltimis capitulis huius tractatus, vbi ſpecialiter de hac materia tractabimus. 16 De 3. modo conſiderandi: An ſit de neceſſitate præcepti.

DE EFFECTIBVS SATISFACTIOnis Sacramentalis.

CAP. IV.

Effectus Sacramentalis ſatisfactionis duobus modis poſſunt conſiderari; Vel ex opere operantis, vel vt dicitur, Ex opere operato: Eſt autem effectus ex opere operantis. (pro vt aiunt Theologi de effectibus Sacramentorum loquentes) quando obtinetur gratia ex merito, vel ratione propriæ diſpoſitionis præcisè, vt ab ipſo operante, qui eſt in gratia procedit, & habet aliquod meritum, ſaltem de congruo: vt quando aliquis ex feruenti oratione, ſiuè aliqua actione meritoria meretur aliquam gratiam; tunc dicitur mereri, & habere effectum illius actionis virtute meriti ipſius operantis. 1 Effectus ſatisfactionis duplex ex opere operantis, & ex operato. Effectus operantis quid.

Effectus verò, qui dicitur ex opere operato, eſt quando alicui ratione operis externi, vel Sacramenti applicati datur aliqua gratia vltra omne meritum ope- 2 Effectus ex operato, quid ſit.

Digitized by Google

opetantis, & hoc rantùm habetur in Sacramẽtis nouæ legis: Ipſa enim ſunt, quæ conferunt gratiam ex opere operato, non ponentibus obicem: vt habetur ex Concil. Trid. ſeſſ 14. c. 8. & ideò idem eſt Sacramẽtum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipſius actionis Sacramentalis, à Deo ad hoc inſtitutæ, non ex merito agentis, ſiuè operantis. Concil. Tri.

3 Aſſertio 1. Satisfactio iniũcta vtrũque habet effectum. Prob. 1. p. Hoc ſuppoſito: Dico primò: Satisfactionem, quæ virtute clauium iniungitur, non ſolùm habere effectum ex opere operantis, ſed etiam habere aliquem effectum ex opere operato virtute Sacramenti. Probatur 1. p. huius aſſertionis, quia Satisfactio ipſa per ſe eſt meritoria, & ità nulla eſt dubitatio, quin ſatisfaciens mereatur ſecundùm deuotionem, & effectum ipſius operantis (ſed hoc intellige, quandò eſt in gratia) Vndè quanto magis opus ipſum erit bonum, & meritorium, & quantò maiori deuotione fiet, tanto magis erit ſatisfactorium, ſecundùm meritum ipſius operantis.

4 Prob. 2. p. Secunda pars probatur, quod ſcilicet habeat effectum ex opere operato, quia ſatisfactio iſta aliquo modo procedit à poteſtate clauium ſoluendi, atque ligandi, & remittendi peccata Sacerdoti per confeſſionem ſubiecta, & ideò ex ipſius inſtitutione applicantur Chriſti merita, & ſatisfactio ipſa ſpeciali modo habet hunc effectum, cùm ſit pars Sacramentalis: Satisfactio eſt pars Sacramentalis. pro vt fatentur omnes Theologi in 4. D. 15. & 20. & Caiet. in ſumm. Verb. Satisfactio, & Pœnitentia §. 4. Toler. lib. 7. cap. 11. num. 5. & habetur ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. dicente: *Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem eſſe partes ipſius Sacramenti, quatenus in pœnitente ad ipſius Sacramenti integritatem ex Diuina inſtitutione requiruntur*, igitur, ſi hæc eſt pars Sacramenti, neceſsè eſt, vt aliquem effectum propriũ, & Sacramentalem habeat, quod eſt ex opere operato, ſic enim habetur ex doctrina Suar. d. tom. 4. D. 38. ſect. 2. & aliorum. Caiet. Tolet. Concil. Trid. Suar.

5 Cõfirmatur. Denique ſi iſta ſatisfactio nullum haberet effectũ virtute clauium, non eſſet maioris virtutis, & efficaciæ, quam ſatisfactiones voluntariæ, quod non eſt dicendum, neque etiam eſſet vlla ratio, cur pars Sacramenti appellaretur: Conclusio. Quàptopter concluditur: Satisfactionem, pro vt eſt pars Sacramenti huius, non modò habere effectum ex opere operantis, verùm etiam ex opere operato, pro vt declaratum eſt.

6 Difficultas. An effectus iſte ſit remiſſio pœnæ, vel augmentum gratiæ? Sed difficultas eſt, quis effectus iſte ſit, qui confertur per ſatisfactionem ſacramentalem ex opere operato: An videlicet ſit remiſſio alicuius pœnæ temporalis: An verò augmentum gratiæ? ideſt, An conferat aliquam gratiam gratum facientem: Ad quam difficultatem duabus propoſitionibus Reſpondetur, quàpropter

7 Aſſertio 1. Primus effectus eſt remiſſio pœnæ temporalis. Theologi in 4 D. 15. Suar. Ratio Aſſertionis. Dico primò: Proprium, & maximè indubitatum effectum huius ſatisfactionis ex opere operato eſſe remiſſionem alicuius pœnæ temporalis præter illam, quæ reſpondere poſſet ex opere, ſeu merito operantis. Ità enim communiter aſſerunt omnes ferè Theologi in 4. D. 15. 16. & 20. vt videre eſt apud Suar. loco ſupra citato. Et ratio eſt clara, quia hęc pars potiſſimũ inſtituta eſt ad remiſſionem pęnæ temporalis, vt ex Trid. ſupra conſtat, ergò per ſe primò inſtitui debuit ad remittendam hanc pęnam ex opere operato.

8 Confirmatur Aſſertio. Soto, Ledeſma, & Adrianus contrarium exiſtimantes reijciuntur. Confirmatur, quia totum ſacramentum hoc ad remiſſionem peccatorum fuit inſtitutum, vt omnes communiter ſentiunt, ſed ſatisfactio eſt pars ſacramenti, & non ordinatur ad remiſſionem culpæ, vti iam probatum eſt, ergò ad remiſſionem pœnæ, ergò remittit aliquid pœnæ ex opere operato. Ità docent omnes Doctores, qui de hac materia tractant, Præter Sotum in quarto D. 19. quæſtione prima A. quinto §. Nihilominus, & Ledeſm. 2. quarta parte, quæſtione 13. d. quarto, cum Adrian. quæſtione 2. de ſatisfactione dicentes: Satisfactionem non remittere pœnam ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis, licèt concedant eſſe maioris meriti, & ſatisfactionis, quam ſi ſpontè fiat, quia fit ex pręcepto confeſſarij. Sed hæc opinio nullum habet ſolidum fundamentum, & ideò meritò ab alijs reijcitur, vt videre eſt apud Suarez d. tom. 4. de Pœnit. D. 38. ſect. ſecunda, & alios. Suar.

Dico ſecundò ſatisfactionem iſtam non ſolùm remittere aliquam pœnam temporalem ex opere operato, ſed etiam conferre aliquam gratiam gratum facientem: Ità enim docent D. Thom. 3. parte, quęſt. 90. A. 2. ad ſecundum, & Caietan. Ibi: Et circa hanc poſteriorem partem concordat Soto in quarto D. 17. q. prima A. 2. ad ſecundum circa fin. Et ratio eſt, quia cùm omnia ſacramenta nouæ legis cõferant gratiam ex opere operato, ſequitur, quod cùm ſatisfactio ſit pars ſacramentalis, & ſacramenti debeat conferre aliquam gratiam, quia aliàs ſequeretur non eſſe partem ſacramenti. 9 Aſſertio 2. Confert etiã aliquam gratiam ex operato. D. Thom. Caiet. Soto. Ratio Aſſertionis.

Sed contra obijciet aliquis, dicendo: Per vnum ſacramentum tantùm gratia ſacramentalis datur: Hæc autem in Sacramento iſto confertur, quandò datur ſacramentalis abſolutio, ergò ſatisfactio, quæ poſteà adimpletur non poteſt aliam gratiam conferre, cùm iam illa collata ſit per ſacramentum: Deindè ſi ſatisfactio conferret gratiam ex opere operato, ſequeretur, quod ipſa ſola poſſet facere ex attrito contritum, quòd eſt abſurdum, ergò. 10 Obiectio. Confirmatur obiectio.

Reſpondetur, hanc obiectionem, nihil probare contra noſtram Aſſertionem, quia ſatisfactio, vt ait Soto, confert gratiam quandò datur abſolutio, pro vt eſt in propoſito, & in executione ipſam auget, ſicut Baptiſmus adultorum accedentium in gratia, eam illis auget; Et ad inſtantiam ſecundam dicimus: Satisfactionem per ſe non poſſe facere ex attrito contritum, cùm ipſa non ſit ſacramentum, ſed tantum pars ſacramentalis: Sed hoc facit quando perficitur ſacramentum, cùm ipſa etiam concurrat, quatenus eſt in propoſito ad integrandum vnum Sacramentum, cùm ſit pars eius: Vt ſupra probatum eſt: Et ità ſoluta eſt omnis difficultas, & Aſſertio noſtra ſatis probata eſt, quam tenent Suarez cum alijs Theologis, fundati in auctoritate D. Thom. loc. cit. 11 Solutio. Soluitur cõfirmatio. Suar. D. Thom.

His præhabitis modò quæritur primò: Quandò vterque effectus iſtius ſatisfactionis conferatur: An videlicet quandò datur abſolutio ſacramentalis: An quandò dicta pœnitentia iniuncta à pęnitente adimpletur? 12 Quæſtio 1. Quando conferture effectus ſatisfactionis ex operato? Reſolutio.

Reſpondetur, quod ſi loquimur de primo effectu, id eſt, de remiſſione pœnæ temporalis, quæ luenda remanet poſt abſolutionem: Certiſſimum eſt, illam non tolli, neque minui ratione pœnitentiæ impoſitę, & donec integrè, vel ex parte exhibeatur. Et Ratio eſt quia ſacramentum non habet effectum ſuum ex opere operato, donec ipſum in re perficiatur, ſic nec pars eius, proportione ſeruata.

Illud autem quod dicit Alenſ. 4. part. quæſtio. 80. membr. 2. Satisfactionem incipere habere effectum ſtatim ac imponitur à confeſſario, & antequam executioni mandetur, quia ipſamet actio Sacerdotis habet aliquam efficaciam virtute clauium. Dicimus nos, quod tantùm habet locum de illa pœna, quæ etiam in Sacramento ratione diſpoſitionis pœnitentis tollitur, non autem de illa, quæ poſt abſolutionem ſoluenda remanſit: Illa enim non tollitur, donec ſatisfactio compleatur, pro vt docet Suar. D. 38. ſect. 2. & alij. 13 Alenſis opinio quomodò intelligenda. Suar.

14 Si autem loquimur de ſecundo effectu, ideſt, de augmento gratiæ, iam ſatis explicatum eſt in ſolutione contrariæ obiectionis, ſupra habitæ, vbi diximus: Gratiam ex opere operato conferri quando perficitur Sacramentum. Quando autem adimpletur ſatisfactio, tunc tantum datur augmentum ipſius: At ſi ſatisfactio ante abſolutionem adimpleta fuerit, vt olim fieri ſolebat, Dicimus: Non habere effectum ex opere operato ante datam abſolutionem, quia ſacramentum non incipit habere ſuum effectum, donec eſſentialiter in re ſit conſummatum per formam abſolutionis; Vndè illa ſatisfactio pro tunc habebit effectum ex opere operantis, poſtea verò conſummato ſacramento, dabitur totus effectus ex opere operato. Ità Suar. loco ſupra citato.

Reſponſio ſecunda, quò ad effectum gratiæ. Quando ſatiſfactio adimpleta fuit ante abſolutionem qualem habuit effectum? — Suar.

15 Secundò Quæritur: Quantus ſit iſte effectus ſatisfactionis, quò ad remiſſionem pœnæ temporalis; An videlicet remittat totam pœnam, quæ luenda erat in Purgatorio, An partem illius pœnæ? In qua quidem re Duæ ſunt opiniones extremæ, Tertia verò eſt media, Quæ eſt probabilior.

Quæſtio 2. De quantitate effectus remiſſionis pœnæ.

16 Prima opinio dicit, quod: Satisfactio, quæ à confeſſario pœnitenti iniungitur, licèt minima illa ſit, remittit tamen virtute clauium totam pœnam, quæ in Purgatorio erat luenda quantumcumque eſſet magna; & Ratio iſtorum eſt, quia Sacerdos habet poteſtatem à Chriſto Domino commutandi pœnam temporalem peccatis debitam in aliquam ſatisfactionem imponendam; Vndè quando pœnitens illam adimplet fideliter totam pœnam ſoluet, quæ in Purgatorio erat luenda, quia ſuſtinuit pœnam à iudice virtute clauium impoſitam: Hæc opinio inſinuata fuit à Gloſſa in can. Menſuram de Pœnit. D. prima, quam ſequutus eſt Panormit. in cap. Deus, qui de Pœnitent. & remiſſ. numero 4.

1. Opinio. — Ratio iſtius opinionis. — Gloſſa in C. menſuram. Panormit.

17 Sed iſta opinio admitti non poteſt: Non enim Sacerdos habet poteſtatem diſponendi de pœna luenda pro ſuo arbitrio, ſed ſeruato ordine Diuinæ iuſtitiæ; Vndè quando ſatisfactio non eſt proportionata delictis non ſoluet totam pœnam, ſed partem illius.

Reijcitur 1. Opinio.

18 Et quamuis Medina, C. De effectu pœnitent. iniunctæ, & Soto in quarto D. 20. quæſtione ſecunda, articulo tertio, exiſtiment: pœnitentiam ſacramentalem remittere totam pœnam, quando confeſſarius impoſuit pœnitentiam, quam ipſe arbitratus ſit iuſtam, quamuis in ſe non eſſet talis, quia exiſtimant iſti Doctores; pœnam ſoluendam omninò pendere ex arbitrio confeſſarij: Hoc (inquam) non placet, quia, vt aliquis pœnas peccatis debitam imponat ad æqualitatem, cognoſcere debet quanta pœna pro quolibet peccato debeatur: At confeſſarius non cognoſcit, quanta ſit iſta pœna, ergò non imponit pœnitentiam ad æqualitatem, & conſequenter per ſatisfactionem iniunctam à confeſſario non tollitur omnis pœna peccatis debita, ità vt pœnitens peracta ſatisfactione, nihil amplius ſatisfacere teneatur.

Opinio Medinæ & Soti limitatur. — Reijcitur.

19 Secunda opinio dicit Totum oppoſitum, docens; quod ſi ſatisfactio iſta ſit ità minima, & improportionata peccatis nullum omninò effectum habere poteſt, quò ad remiſſionem pœnæ: & Ratio eſt, quia talis pœnitentia eſt iniuſta, & intolerabilem continet errorem, & ideò &c.

2. Opinio.

20 Sed neque iſta opinio eſt admittenda. Cum ſupponat vnum falſum; (Supponimus enim abſolutionem eſſe validam) ſi enim fuit ſacramentum validum, illa ſatisfactio, quamuis fuerit minima, eſt tamen pars illius, & ideò aliquem ſacramentalem effectum ex opere operato habere poteſt.

Improbatur.

21 Quàpropter dicimus pro tertia opinione, quæ media eſt inter vtramque: Satisfactionem à confeſſario iniunctam, quando eſt proportionata peccatis remittere totam pœnam, quæ luenda erat in Purgatorio: Quando autem non eſt talis, non remittere niſi partem illius iuxta proportionem, quam cum ipſo reatu habuit: Ità docent communiter Theologi, vt Vaſq. de Pœnitent. quæſt. 94. Artic. 2. d. 6. numero tertio, Reginald. libr. ſeptimo, numer. 47. Nauarr. in man. capit. 26. num. 17. & in can. Menſuram de Pœnitent. Diſt. 1. numer. 6. Suarez Diſtinct. 38. ſectione 2. num. 6. Bonac. tom. 1. Diſt. 5. quæſt. 5. ſect. 3. p. 1. num. 2. Bellarm. de Pœnit. lib. 4. capite 2. Zerola in praxi cap. 25. q. 4. Viuald. in Candel. de ſatisfactione, num. 18. & alij ab ipſis cit.

Tertia ſententia media amplectitur. — Vaſq. Reginald. Nauarr. Suar. Bonac. Bellarm. Zerola. Candel. Aur.

22 Tertiò quæritur: An ſatisfactio iſta extra gratiam adimpleta ſuum habeat effectum.

Quæſtio 3. An pœnitentia extra gratiam adimpleta habeat effectum? Duplex eſt ſenſus quæſtionis.

Reſpondetur; hoc dupliciter intelligi poſſe: Primò, An ſatisfactio facta in peccato mortali ſit valida, ità vt non teneatur pœnitens illam amplius adimplere?

Secundò, An habeat ſuum effectum ex opere operato, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis luendæ, ſaltem in Purgatorio?

23 Ad primum reſpondetur: Nullam eſſe dubitationem, quod pœnitentia iniuncta à confeſſario, quomodocumque impleatur, ſiuè in gratia, ſiuè extra gratiam ſemper eſſe validam, quò ad debitum eam adimplendi circa confeſſarij præceptum: & Ratio huius eſt, quia confeſſarius tantùm præcipit opus non modum eius: Vndè non tenetur pœnitens ex præcepto illam in gratia adimplere, quia quomodocumque illam adimpleat ſatisfacit præcepto confeſſarij, ſicut Sacerdos recitans Diuinum officium in peccato mortali adimplet præceptum Eccleſiæ. In hoc enim omnes conueniunt: Licèt nonnulli putent, quod tali modo pœnitentiam iniunctam adimplens peccet, eò quod ſacramentalem effectum impediat: Sed hoc eſt falſum, vt infra in vltimo capite huius tractatus videbitur.

Reſpondetur ad primum ſenſum: An ſit valida? Concluſio eſt affirmatiua. Confeſſarius præcipit op. non modum.

24 Difficultas verò eſt de effectu: An videlicet quando ſatisfactio iniuncta adimpleatur extra gratiam habeat effectum ſuum ex opere operato, pro remiſſione pœnæ temporalis: In qua difficultate tres ſunt opiniones: Prima opinio eſt Dominici à Soto in 4. Diſtin. 19. Artic. 5. §. Nihilominus, qui etiam allegat pro ſua opinione Adrian. quæſt. 2. de ſatisfact. ſequitur Ledeſm. 2. quarta parte, quæſt. 13. Art. 3. d. quarto, & ſi qui ſunt alij exiſtimantes; Satisfactionem taliter adimpletam non remittere pœnam temporalem luendam ex opere operato: Vndè dicunt, quod pœnitentia quamuis ſit à confeſſario iniuncta, ſi ab ipſo pœnitente extra gratiam adimpleatur non habebit effectum, quò ad remiſſionem pœnæ: Quia opera mortua viuificari non poſſunt, qui autem eſt extra gratiam, iam coram Deo mortuus eſt per peccatum, ergò non poteſt aliquo modo in tali ſtatu mereri remiſſionem: Licèt valeat pro ſatisfactione præcepti confeſſarij.

Difficultas de ſecundo effectu. An habeat effectũ ex opere operato? Tres ſunt opiniones. Prima opinio eſt Dom. à Soto. Adrian. Ledeſmæ.

25 Sed iſta opinio admitti non poteſt, eò quod non habet verum fundamentum: Nam licèt talis pœnitens ſit extra gratiam, & non poſſit mereri ex opere operantis, tamen ſatisfactio ſacramentalis eſt pars ſacramenti, quatenus concurrit ad integritatem ipſius, & ideò habet effectum aliquem ex vi operis operati, vt ſupra probatum eſt, ideòque valet etiam ad remiſſionem pœnæ temporalis peccatorum, virtute clauium abſolutorum: (Quicquid alij dicant.)

Reijcitur iſta opinio.

26 Secunda opinio eſt ferè omnium Thomiſtarum, dicentium: Satisfactionem ſacramentalem, adimpletam

Secunda opinio.

extra

extra gratiam, valere quidem in foro Eccleſiæ, ſicut valent horæ Canonicæ, recitatæ in peccato mortali, non tamen valere ad expiationem pœnæ debitæ coram Deo pro peccatis: Valituram tamen quò ad hoc quandò iterum talis pœnitens, redibit in gratiam: Quia ſacramentalis pars eſt, ſicut confeſſio informis incipit valere, recedente fictione: Ità Caiet. tomo 1. Opuſc. tract. 6. quæſt. 1. de ſatisfact. & in ſumm. verb. ſatisfactio, §. 4. Victoria in ſumm. nom. 101. concordant Suar. d. tom. 4. D. 38. ſect. 3. & Tolet. lib. 3. cap. 11. num. 5. cum omnibus alijs, quàm plurimis ab ipſis citatis: Et quamuis opinio illa probabilis ſit: Nihilominus

Caiet. Victoria. Suar. Tolet.

27 Tertia inſurgit Opinio, quæ eſt Scoti, in quarto D. 15. quæſt. 1. litt. H. quæ nobis probabilior eſſe videtur, cùm ſit magis rationi conſentanea, quam recentiores ferè omnes Theologi amplectuntur, dicentes: Satisfactionem iniunctam à confeſſario virtute clauium, non ſolùm valere, quò ad Eccleſiam Militantem ad ſoluendum debitum, verùm etiam, quò ad Triumphantem, & etiam pro tunc quandò adimpletur ad remiſſionem pœnæ temporalis illorum peccatorum, quæ legitimè abſoluta fuerunt virtute clauium, pro quibus pœnitentia illa fuit iniuncta à confeſſario.

3. Sentent. Scot. Satiſfactio ſacramẽtalis habet effectum, etiam extra gratiã adimpleta.

28 Ratio autem Doctoris ſubtilis eſt clariſſima; quia per ſacramentalem abſolutionem culpa iam fuit totaliter remiſſa, (vt ſupponitur) & pœna æterna commutata fuit in pœnam temporalem, pro qua ſoluenda talis pœnitentia fuit iniuncta virtute clauium, ergò adimplens illam, iam ſoluit pœnam, quæ ei debebatur, vndè licèt talis pœnitens in caſu ſit extra gratiam, & non poſſit mereri, vt operans, meretur tamẽ remiſſionem illorum peccatorum virtute ſacramenti ex opere operato.

Ratio Scoti.

29 Quapropter exemplificat Scotus de eo, qui commiſit crimen, pro quo per ſententiam latam meretur manus abſciſſionem, ſiuè flagellationem, &c. Vndè ſi illi inuito aſcindatur manus, ſiuè dentur flagella, etiam ſi adhuc ſit inimicus ipſius Regis, iſte talis adimpleuit plenè pœnitentiam, ad quam fuerat condemnatus, & ſatisfecit ſententiæ Regis ſufficienter, ſecundùm debitum illud commiſſum, nec ſecundùm iuſtitiam cogendus eſt ad vlteriorem pœnam, quamuis non recipiatur in gratiam, & amicitiam Regis. Nam ſecundùm ſententiam, & iuſtitiam non eſt pœna vlterior ab illo exigenda, eò quod, iam adimpleta ſit, iuxta ſententiam latam: Sic multò magis poſſet ſufficere pro punitione culpæ, ſi aliquis ſibi pœnam debitam infligeret, licèt non eſſet in gratia, & amicitia ipſius iudicis offenſi.

Exemplificatur de eo, qui cõmiſit crimen contra Regem.

30 Ità in propoſito, quandò quis adimplet pœnitentiam ſibi iniunctam extra ſtatum gratiæ ſoluit quidẽ debitum, ſecundùm ſententiam iudicis, licèt in gratiam Dei non recipiatur: Vndè ſi talis propter nouum peccatum in quod recidiuat damnaretur antequam adimpleta eſſet pœnitentia ſibi iniuncta, non puniretur æternaliter in Inferno pro culpa illa iam per confeſſionem remiſſa, ſed tantùm temporaliter, pœna correſpondente illi, quæ hic ſoluta non fuit: Vndè illa ſoluta, poſt tempus aliquod non punietur amplius illa pœna, ſicut de veniali peccato, ſed temporaliter ſecundùm Scotum, quòd pœnam, ſed non quò ad culpam, intellige, quamuis Thomiſtæ contrarium ſentiant, dicentes: Peccatum veniale etiam puniendum eſſe pœna æterna in Inferno quamuis culpa illius fuiſſet remiſſa.

Applicatur exemplum ad propoſitũ. Valet etiam in Inferno, ſecundùm Scot.

Contra opinionem Thomiſtarum.

31 Ità eodem modo dicendum eſt in propoſito: Ex quo enim ſecundùm plenam iuſtitiam punitiuam ſemel impoſita eſt pœna temporalis alicui pœnitenti pro peccato, de quo verè fuit abſolutus virtute clauium, numquam ei debebitur, niſi pœna temporalis pro culpa illam iã remiſſa: Vndè illa ſoluta, non debebitur alia pro illis peccatis, ſed tantùm pro alijs: *Dominus enim non iudicat bis in idipſum*: Ità Doctor ſubtilis, quem ſequuntur alij per multi graui Doctores, vt Maior. in 4. D. 15. qu. 1. Marſilenſis, quæſt. 11. A. 3. Ioann. Medina C. de Confeſſione, quæſt. de Pœnit. iniunct. extra gratiam expleta, & Angel. verb. Pœnitentia, num. 14. & Nauarr. cap. 3. num. 6. & 9. & cap. 1. in principio de Pœnitent. D. 6. num. 4. & ſexto, qui hanc amplectitur opinionem, & validiſſimis rationibus probat.

Scoti ſententia confirmatur, & probatur.

Dominus nõ iudicat bis in idipſum.

Scotus. Maior. Marſilienſis. Io. Medina. Angel. Nauarr.

Et quamuis Thomiſtarum opinio ſit communior, & quaſi ab omnibus recepta: Reſpondet tamen Nauarr. Non eſſe pro communi illa opinione auctoritatem aliquam præualentem, cui neceſſariò ſtandum ſit, neque rationem, quæ neceſſariò conuincat: Tum etiam: quia communis opinio non facit legem: Imò vnius Doctoris claſſici ſententia meliori ratione fundata ei præferenda eſt vt in l. 2. §. ſed nec, C. de Vet. iur. habetur: Quare non damnantes Thomiſtarum opinionem, credimus: Scoti ſententiam eſſe probabiliorem, & eam ſequimur, cùm ſit magis pia, & fauorabilior pro peccatoribus, & magis rationi fundata: Vndè cupimus eſſe perſuaſam ad effectum, ne peccatores contrarium exiſtimantes, habentes conſcientiam alicuius culpæ mortiferæ pœnitentiam iniunctam non adimpleant, aut ſaltem parui pendant eam adimplere in illo ſtatu peccati. 32

Reſpondetur ad communem opinionem Thomiſtarum. Communis opinio non facit legem. Sententia vnius Doctoris claſſici, ratione probata præualet alijs. Nauarr.

Laudatur ſententia Scoti, & amplectitur.

Quamuis optimum Cõſilium ſit illam in ſtatu gratiæ adimplere, quia tunc non ſolùm habebit effectum remiſſionis ex opere operato, ſed etiam ex opere operantis, & augmentum gratiæ, quod quando ſit in peccato mortali non confertur: Vndè pro concluſione dicimus quod: Si pœnitens ſatisfaciat pœnitentiam ſacramentalem quandò eſt in gratia non ſolùm ſatisfacier, ſed etiam meretur: Si autem extra gratiam adimpleat, ſatisfaciet quidem, & ſoluit pœnam, ſed non meretur, ergò extra gratiam valet, quò ad debitum, licèt non quò ad meritum: Ità Scotus, & Nauarrus cum ſuis aſſeclis, locis ſupra citatis: Et hæc de effectu ſatisfactionis ſint ſatis. 33

Concluſio. Eſt ſatisfactoria, ſed nõ reconcilians. Concluſio.

Pœnitentiæ ſacramentalis extra gratiam valet, quò ad debitum, ſed non quò ad meritum.

DE IIS, QVAE AD CONFESSARIVM ſpectant, quò ad pœnitentiam iniungendam.

CAP. V.

HActenus de ijs, quæ ad integritatem, atque perfectam ſatisfactionis faciebant dictum eſt: Nunc pro huius tractatus complemento ſupereſt, nonnulla de pertinentibus ad confeſſarium, & pœnitentes pro ipſa ſatisfactione iniungenda, & adimplenda, quæ neceſſaria ſunt dicamus: Et ideò in hoc præſenti capitulo agemus de ipſo confeſſario, quò ad pœnitentiam iniungendam, & in vltimo de pœnitente, quò ad ipſam pœnitentiam adimplendam, & acceptandam, quæ neceſſaria ſunt dicemus: Quapropter de ipſo confeſſario 1

Dico Primò; Nullum dubium eſſe, quin Sacerdos habeat poteſtatem à Chriſto Domino virtute clauiũ imponendi ſatisfactionem aliquam in peccatorum pœnitentiam: Pro vt expreſsè declarauit Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. dicendo: *In Sacerdotibus eſſe poteſtatem ligandi pœnitentem ad pœnitentiam faciendam aliquam pro peccatis commiſſis, non ſolùm ad infirmitatis medicamentum, verùm etiam ad peccati commiſſi vindictam, & ſatisfactionem*, & ideò in Can. 15. de fide determinauit, 2

Aſſertio 1. Confeſſarius habet poteſtatem ligãdi pœnitentem ad pœnitentiam. Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 18.

Digitized by Google

Et Can. 15. de fide determinat.

natit, dicens: *Si quis dixerit claues Eccleſiæ, datas eſſe ad ſoluendum tantum; & non ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnitentiam confitentibus agere contra finem clauium, & contra Chriſti inſtitutionem: Anathema ſit.*

3 Probatur aſſertio ratione.

Quod etiam ratione poterit probari: Nam ſacramentum hoc inſtitutum eſt per modum iudicij, in quo non ſemper tota pœna gratis dimittitur, & ideò ad iudicium illius ſpectat, æquitate ſeruata, iudicium ferre, delictum vindicare, & pœnam imponere, vt ij, qui poſt Baptiſmum Spiritum Sanctum contriſtauerunt, templumque Dei violare non ſunt veriti pœnitentiam agant.

4 2. Probatur.

Deindè Sacerdos in hoc foro eſt medicus ſpiritualis, & ideò debet, & poteſt medicinalem, & ſalutarem pœnitentiam imponere, quæ ad præſeruãdum à ſimilibus delictis accommodata ſit: Et in hoc inter Catholicos nulla eſt controuerſia: Omnes enim Theologi vnanimiter conueniunt, vt videre eſt apud Suarez, D.38. ſect. 1.

Suar.

5 Aſſertio 2. Confeſſarius per ſe loquẽdo ſemper debet imponere aliquam pœnitentiam.

Dico ſecundò: Sacerdotem non ſolùm poſſe, verùm etiam debere, (per ſe loquendo) ſatisfactionem aliquam in iudicio confeſſionis pœnitentibus iniungere: Et ratio huius eſt, quia cùm ſatisfactio ſit pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, ſequitur ipſum confeſſarium debere ſatisfactionem imponere, vt Sacramentum omnes ſuas partes materiales habeat: Tenetur enim integrum iudicium, & ſacramentum facere.

6 Probatur aſſertio 2.

Deindè Sacerdos eſt iudex, & medicus, & ideò, vt medicus pœnitentium vulnera curare debet, & vt iudex æquitatem iuſtitiæ ſeruare, quare cùm ſit iudex inter Deum, & hominem, quemadmodum pœnitentem confeſſum, & benè diſpoſitum tenetur abſoluere, ità & vulnera illius per pœnitentiam adimplẽdam curare debet, vt mediante illa, Deo offenſo ſatisfaciat quantum poterit.

7 Limitatur aſſertio. In duobus caſibus. Primus eſt impotentia pœnitentis.

Dixi autem (per ſe loquendo) quia interdum poterit Sacerdos pœnitentem abſoluere, nullam iniungendo pœnitentiam: Et hoc in duobus caſibus: Primò, quandò pœnitens eſt impotens ad ſatisfaciendum, vt eſt caſus mortis vrgentis, vel quandò pœnitens non habet actualem iudicium in articulo mortis abſoluitur ex præcedente confeſſione: Tunc enim in caſu abſolui poteſt licitè, quamuis nulla iniungatur pœnitentia propter incapacitatem, & inhabilitatem pœnitentis: Et ratio eſt, quia cùm hæc pars non ſit eſſentialis, non eſt omittendum ſacramentum propter incapacitatem pœnitentis, quò ad ſatisfactionem faciendam: Et in hoc omnes conueniunt, vt videre eſt apud Nauarr. in man. c.26. nu. 21. Tolet. lib. 3. c. 11. nu. 6. Armillam ver. ſatisfactio, numero 2. & alios.

Ratio caſus.

Nauarr. Tolet. Armilla.

8 Secundus caſus. Quãdò pœnitẽs antè plenè ſatiſfeciſſet.

Secundus caſus eſt: Quandò conſtaret, pœnitentem ante confeſſionem integrè ſatisfeciſſe: Tunc enim non debetur amplius ligari, quia coram Deo nõ obligatur amplius: Vndè ſicut æquitas iudicij poſtulat, vt debitor pœnitentiam acceptare, & implere cogatur, ità vt abſoluetur liberè, qui iam antea ſoluerat; Quare non eſt de integritate iudicij, vt ſemper imponatur pœna, ſed tunc ſolùm quandò intelligitur durare reatus: Ità Suarez.

Suar.

9 Aduertentia pro confeſſario.

Hic tamen nota: Raro conſtare poſſe confeſſario de ſufficienti ſatisfactione, iam facta, & ideò conſultius eſſet ſemper aliquam pœnitentiam, ſaltem leuem iniungere, vel in remedium, vel in peccatorum vindictam.

10 Secunda aduertẽtia pro primo caſu.

Sic etiam dicimus de primo caſu, quandò pœnitens eſt in articulo mortis, & non habet tempus ſatisfaciendi; Tunc enim, ſi pœnitens percipiat, poteſt, vel ſaltem inuocare nomen IESV, vel quid ſimile: pro vt dicit Suarez ſupra, adiuuarique poteſt ſuffragijs Eccleſiæ: capite ab infirmis. 26. q. 7.

Quandò autem moribundus tempus habet, vel poſſibilitatem acceptandi pœnitentiam, imponi ei debet, vel indicari pœnitentia ſoluenda, quandò poterit, ſi fortè vixerit, & ità illum abſoluere, vt benè aduertit Armilla: cum Toleto, loco ſupra citato: Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect. 3. puncto 2. num. 2. & Reginald. lib. 7. num. 11. Henriq. lib. 1. cap. 10. num. 6. 11

Poteſt indicari pœnitentia, ſi vixerit. Armilla. Tolet. Bonac. Reginald. Henriq.

Dico tertiò: Non ſemper teneri confeſſarium ad iniungendam pœnitentiam per modum præcepti, ſed poſſe aliquandò imponere ſatisfactionem, vel totam, vel partem applicatiuè, pro vt melius ad ſalutem pœnitentis ipſe confeſſarius expediri iudicauerit, dicendo: Si feceris hoc, aut illud ſeruiat tibi in pœnitentiam, & ſatisfactionem peccatorum tuorum: Et tũc in caſu talis pœnitens non tenebitur ſub præcepto talem pœnitentiam adimplere, ſed ſi adimpleat habebit etiam effectum ex opere operato, quia ſacramentalis pars eſt: Nam ſatisfactio à confeſſario deſignata, nõ ſolùm per modum præcepti, ſed etiam per modum conſilij, & applicationis virtute clauium eleuatur, quia non ſolùm eſt actus iudicij præceptum imponere, ſed etiam pœnitentiam deſignare, applicando illam ad effectum ſacramenti, ſicut etiam indulgentiæ eodem modo concedi ſolent, quarum applicatio pertinet ad claues: Nam indulgentiarum conceſſio eſt actus iuriſdictionis, licèt præceptum non includant; Sic enim habetur ex doctrina D. Thom. Quol. 3. A. 28. Palud. D. 20. q. 2. Pet. Sor. lect. ſecunda, num. 5. Reginal. lib. 7. num. 40. Sylueſt. verb. Confeſ. 4. quæſt. 1. Bonac. ſupr. num. 8. Henriqu. libr. 2. cap. 21. num. 5. 12

Aſſertio 3. Pœnitentia aliquãdò imponi poteſt per modum applicationis. Satisfactio per modum applicationis habet effectũ ex operato.

Exemplificatur de indulgentijs.

D. Thom. Palud. Pet. à Soto. Reginald. Sylueſt. Henriq.

Quamuis autem iſte modus pœnitentiæ iniungendæ paſſim, ac regulariter fieri non debeat, cùm Sacerdos debeat imponere pœnitentiam obligatoriam per modum iudicij in peccatorum vindictam, vt ex Trid. loc. citat. conſtat: Nihilominus tamen, cùm iſta applicatio ſatisfactoria ſit, poterit etiam aliquandò eſſe rationalis, & applicari, & accommodari ad diſpoſitionem pœnitentis, applicando illi partem illo modo, præſertim quandò pœnitentia impoſita eſſet lenis, & non ſufficeret ad plenam ſatisfactionem, vel quandò probabiliter dubitatur pœnitentem pœnitentiam grauem non eſſe acceptaturum, vel ſi acceptauerit, poſteà propter fragilitatem non plenè adimplebit; Ità Suarez tom. 4. de Pœniten. D. 38. ſect. 3. nu. 2. 13

Non debet paſſim talis modus applicationis fieri. Aliquandò tamen erit expediens.

Suar.

Hoc ſuppoſito, quæritur modò: An confeſſarius poſſit pœnitentem abſoluere, quandò nullam vult acceptare pœnitentiam in hac vita ſoluendam, dicendo, Se velle in Purgatorio ſatisfacere? 14

Quæſtio 1. An quandò pœnitens nullam vult pœnitentiam in hac vita acceptare ſit abſoluẽdus? Duplex eſt opinio.

Reſpondetur: in hac re, duas eſſe opiniones inter Doctores oppoſitas, vnam affirmantem, alteram negantem, & vtraque eſt ratione fundata, quamuis ſecunda ſit probabilior.

Prima itàque opinio eſt Sylu. ver. confeſſio, 1. quæſtio 25. num. 29. Caietan. in ſumm. condit. 16. de confeſſ. Armill. Ibi, num. 29. Nauarr. in man. cap. 26. nu. 20. citans Hoſtienſ. & Panormit. in cap. ſignificauit, de Pœniten. & remiſſ. concordat Scotus in 4. D. 18. & Gabr. D. 16. quæſt. 2. cum Ioann. Medin. C. de Confeſſione tract. 2. quæſt. 41. & ſi qui ſunt alij, dicentes, quod: Si pœnitens aliquandò ſit ità malè diſpoſitus, & nullam velit acceptare pœnitentiam in hac vita ſoluendam, dicens: Se velle in Purgatorio ſatisfacere: Talis eſſet abſoluendus, ne deſperatus in Infernum ruat, à quo parum diſtare videtur: Quia tunc dicunt 15

1. Opinio. Sylueſt. Caiet. Armilla. Nauarr. Hoſtienſ. Panorm. Scoto. Gabr. Io. Medinæ.

illi

iſti Doctores) ſufficere, quod ſit paratus ſatisfacere poſt mortem in Purgatorij igne.

16 In quo fundatur iſta ſententia.

Fundamentum iſtius opinionis eſt, quia putant Doctores iſti Sacerdotem non eſſe ordinarium iudicem, ſed arbitrarium, & ideò in poteſtate vniuſcuiuſque eſt ſubmittete ſe Sacerdoti, quantum ad remiſſionem culpæ, & pęnæ, vel quantum ad remiſſionem culpæ, & non pœnæ: poteſt enim pœnitens in ſolutione pœnæ tantùm Deo ſe ſubijcere, vt ipſi, vel hic, vel in Purgatorio eam infligat, ſi ipſe eam vltrò noluerit adimplere, quia peccator in hac vita non tenetur ſatisfacere pro pęna temporali, quæ luenda eſt in Purgatorio, cùm poſſet ſe in illum remittere.

17 Secunda ratio, & reſpõdetur dictæ obiectioni.

Et quamuis iſtud non ſit ſignum veræ contritionis, tamen poſtquam pœnitens dicit, ſe eſſe contritum, ſubdereque ſe Deo in ſolutione pęnæ, ſignum eſt huiuſmodi eſſe in gratia, vel ſaltem diſpoſitum ad gratiam, & ideò abſolutione dignum, cùm ipſe pęnitens in hoc foro ſit teſtis, & reus; quàpropter illi eſt credendum, dum ille dicit, ſe eſſe ſufficienter contritum.

18 Confirmatur ratio.

Deindè dicunt Doctores iſti: Quod homo poſſit in hac vita pro pęna luenda in Purgatorio ſatisfacere, eſt gratia in fauorem pęnitentis conceſſa ex Dei miſericordia, ergò poteſt homo iuri ſuo renunciare, & totum ſe ad Purgatorium remittere, ergò, &c.

19 Cõfirmatur ſecundò.

Confirmatur, quia poſſet quis tanta contritione teneri, quod nollet indulgentias lucrari, quę ad remiſſionem pęnarum Purgatorij conceduntur, & ſic vſque ad minutiſſimum quadrantem in Purgatorio perſoluere, ergò dicere, ſe velle ſatisfacere in Purgatorio non eſt ſignum indiſpoſitionis, cùm poſſit eſſe etiam contritionis perfectæ, ergò ſola illa cauſa abſolutio ſacramentalis non eſt neganda.

20 Tertiò Confirmatur ex conſuetudine.

Et tandem dictus Nauarr. ex communi conſuetudine ſuam confirmat ſententiam, dicens: Experientia conſtare, nullum confeſſarium negare abſolutionem pęnitenti, eò ſolum, quod nolit pęnitentiam, ſibi iniunctam acceptare (modò tamen habeat verũ propoſitum Deo ſatisfaciendi) vel viuens per bona opera, ſiuè indulgentias lucrando, vel ſaltem certè mortuus acerbiſſimas pęnas in Purgatorio ſuſtinendo; Et ſic ſuam probat opinionem.

21 Secunda ſententia.

Altera vera opinio contrarium tenet, dicens, quod: Talis pœnitens pœnitentiam ſibi iniunctam à confeſſario, (quandò rationabilis eſt) acceptare nolens, nullo modo ſit abſoluendus, eò quod ſit malè diſpoſitus, & non habeat contritionem requiſitam: Fundamentum eſt, quia pœnitens ſub obligatione culpæ lethalis tenetur pœnitentiam ſibi à confeſſario iniunctam acceptare (quando rationabilis eſt) & illam adimplere: Nam licèt ſtando in iure communi naturæ, & extra hoc ſacramentum peccator poſſet temporalem ſatisfactionem in Purgatorio reſeruare, ſuppoſita tamen ſubiectione ad claues in hoc iudicio tenetur pœnitentiam acceptare, tum propter integritatem iudicij, & Sacramenti, tum etiam ratione præcepti confeſſarij, cui tenetur pœnitens obedire, tanquam Chriſto in illo foro vicem gerenti: habet .n. Sacerdos poteſtatem ſoluendi, atque ligandi nõ modò quò ad culpam, verùm etiam quò ad pœnam: pro vt Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. in hoc ſenſu declarauit: & Can. 15. determinauit.

Fundamentum iſtius ſententiæ.

Concil. Trid.

22 2. Ratio iſtius ſententiæ.

Secundò ſi confeſſarius tenetur condignam ſatiſfactionem pœnitentibus imponere; vt ex Trid. conſtat: ergò, & pœnitens tenetur acceptare: Conſequentia patet, quia cum vterque concurrant ad Sacramentum, vterque integritatem eius ſeruare debét, aliàs enim ſequeretur, quod inefficax eſſet Sacerdotis poteſtas vindicatiua, ergò, &c.

23

Quàpropter concluditur: Non eſſe abſoluendum pœnitentem, qui nullam vult pœnitentiam in hac vita degendam acceptare, eò quod non ſit benè diſpoſitus. Ità Soto in 4. D. 20. quæſt. 2. A. 2. concluſ. 2. ſequens D. Thom. cum Magiſt. D. 27. quæſt. 2. Ledeſ. 2. 4. p. quæſt. 20. A. 3. Petr. Soto lect. 2. de Satisfact. Vict. in ſumm. num. 211. & de clauibus num. 8. Ema. Sà Verb. Satisfactio num. 4. Tolet. libr. 3. cap. 9. nu 6. & cap. 11. num. 4. Suarez D. 38. ſect. 7. nu. 2. Vaſq. qu. 94. A. 2. d. 1. nu. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 2. qu. 8. nu. 53. Bonac. tom. 1. D. 5. q. 5. ſect. 3. p. 4. n. 1. Coninch. D. 10. de Pœnit. d. 9. nu. 79. Valentia to. 4. D. 7. q. 14. p. 4. & alij Doctores ab ipſis citati.

Concluſio. Qui nullam vult pęnitentiam acceptare non eſt abſoluendus. Soto. D. Thom. Magiſt. Ledeſma. Pet. à Soto. Victoria. Em. Sà Tolet. Suar. Vaſq. Filliuc. Bonac. Coninch. Valentia.

24 Confirmatur concluſio. C. omnis vtriuſque ſexus. Can. Conſideret. Concil. Trid.

Confirmatur concluſio ex cap. Omnis vtriuſque ſexus: de Pœniten. & Remiſſ. vbi eodem modo præcipitur fidelibus confiteri, & pœnitentiam iniunctam acceptare, & adimplere debere: & in cap. Conſideret de Pœnit. D. 5. §. In his habetur, ponuntur hæc verba. *Ponat ſe pœnitens omninò in poteſtate iudicis in iudicio Sacerdotis, nihil ſibi reſeruans ſui, vt omnia eo iubẽte paratus ſit facere*: & tandem: Trid. Concil. d. ſeſſ. 14. cap. 8. expreſsè declarauit: *In Sacerdotibus eſſe poteſtatem ligandi ad pœnitentiam, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, verum etiam ad peccati commiſſi vindictam*: quod eadem ſeſſ. Can. 15. de fide determinauit, dicens, *Datam eſſe Sacerdotibus poteſtatem, quò ad pœnam non ſolum ſoluendi, ſed etiam ligandi, quò ad pœnitentiam iniungendam in peccatorum vindictam*: Si ergò confeſſarius habet poteſtatem ligandi pœnitentem ad pęnitentiam acceptandam, ſequitur, quod pęnitens teneatur obedire: Vndè quandò omnino acceptare non vult, non eſt abſoluendus.

Trid. can. 15.

25 Soluitur ratio in qua fundatur prima ſententia.

Dicere autem: Sufficere habere propoſitum ſatiſfaciendi, vel in hac vita per opera meritoria, vel per indulgentias, ſiuè in Purgatorio poſt mortem: Non valet, quia pœnitentia à confeſſario non ſolùm iniungitur in ſatisfactionem, & peccatorum caſtigationẽ, ſed etiam in medicinam ad præſeruandum à futuris: quare nec Indulgentiæ, nec Purgatorium poſſunt eſſe medicinæ præſeruatiuæ, vt benè probauit Soto ſupra ad quartum, Tum etiam, quia ſatisfactio, quæ ſit in Purgatorio non eſt pars Sacramentalis, quæ requiritur ad integritatem Sacramenti: His itàque præhabitis.

26 Soluitur primum fundamentum.

Reſpondetur ad primum fundamentum primæ opinionis: Non eſſe verum, quod ſupponunt illi Doctores, dicentes: Confeſſarium tantummodò eſſe iudicem arbitrarium, qui poteſtatem accipit à pœnitente, vt illi pœnitentiam iniungat: (Hoc inquam falſum eſt) cùm Sacerdos ſit verè iudex ordinarius a Chriſto Domino ad hoc inſtitutus, qui tanquam Vicarius eius poteſtatem habet ligandi, atque ſoluendi, non ſolùm quò ad culpam, verùm etiam quò ad pœnam, vt ſuprà iam dictum eſt, quàpropter negatur: In arbitrio pœnitentis eſſe ſubijcere ſe Sacerdoti ad pœnitentiam acceptandam: Nam poſt quam elegit ſibi in confeſſarium tenetur illi obedire, & pœnitentiam acceptare, & adimplere, ſecundùm ſententiam ab ipſo, tanquam vicem Chriſti agente prolatam in illo foro, quare ſi pœnitentiam rationabilem acceptare noluerit, eò ipſo arbitratur impœnitens, quia non eſt obedire paratus, & ideò peccat, & non eſt abſoluendus.

27 Soluitur 2. ratio.

Ad ſecundum dicitur, quod licèt ſit miſericordia Dei in fauorem hominis conceſſum, quod homo in hac vita poſſit ſatisfacere per leuiores pœnas, quam illorum, quæ patientur in Purgatorio, Miſericordia tamen illa iuſtitiam habet admixtam, qua compellimur pœnas illas perſoluere; quare nõ poteſt homo in hac parte iuri ſuo renunciare abſque clauium iniuria.

Digitized by Google

28 *Solutus 3. ratio ſeu cõfirmatio.*

Ad Confirmationem dicimus, quod licèt daretur poſſe hominem renunciare indulgentiarum ſubſidiũ, eas non lucrando, non tamen indè ſequitur, quod nõ teneatur pœnitentiam acceptare, quia hic eſt iuſtitia, ibi autem eſt libertas.

29 *Soluitur vltima confirmatio.*

Reſpondetur tandem ad vltimam confirmationẽ, quam tradit Nauarr. de communi conſuetudine, dicendo: Gratis hoc eſſe excogitatum: experientia enim conſtat oppoſitũ fieri. Nam multi graues Theologi, & Canoniſtæ non audeat tales pœnitentes abſoluere, vt ex rationibus, & ſupra dictis auctoritatibus pro ſecunda opinione aſſignatis clariſſimè conſtat contrarium; Quàpropter concludimus: Pœnitentes, nolentes abſque legitima cauſa pœnitentiam rationabilem, claue non errante, acceptare abſoluendum non eſſe: quod etiam ſentit Graff. to. 1. deciſ. lib. 1. c. 31. nu. 20. *Graff.*

30 *Aduertentia pro confeſſarijs.*

Hic tamen eſt aduertendum, quod quandò confeſſarius percipit pœnitentem nolle talem pœnitentiam acceptare, eò quod grauis ſit, vel quia videtur ei, quod difficillimè eam poſſet adimplere: Non debet in caſu Sacerdos illum ſine abſolutione dimittere, ſed pœnitentiam leuiorem ei imponat commutando illam in aliam, obſeruata qualitate delicti, & diſpoſitione pœnitentis, ne deſperatus in Infernum vadat.

31 *Limitatur aduertentia.*

Sed hoc intelligendum eſt, quandò pœnitens dolet de peccato, & paratus eſt facere, quod tenetur, ſed dicit, ſe onus illius pœnitentiæ ferre non poſſe: ſecus autem eſſet, ſi nullam pœnitentiam acceptare vellet, tunc enim non eſſet benè diſpoſitus, & propter impœnitentiam, quam demonſtrat, non erit abſoluendus ſecundùm Graffium ſupra nu. 16. *Graffius.*

32 *Poteſt aliquandò confeſſarius minorem imponere pœnitentiam.*

Ex quo ſequitur: Poſſe confeſſarium aliquandò magis contrito leuiorem iniungere pœnitentiam, & homini fragili poſſe pœnitentiam iniungere iuxta ipſius fragilitatem, & conditionem, & tempore Iubilæi, ſiuè indulgentiarum poſſe mitiorem pœnitentiam præſcribere, cum per indulgentias tollatur debitum ad pœnam.

33 *Alia aduertentia pro confeſſarijs valdè notanda. Concil. Trid.*

Caueat autem confeſſarius, ne pro grauiſſimis peccatis leuiſſimas pœnitentias iniungat, ne fiat participes alienorum peccatorum, præbendo occaſionem pœnitentibus facilè relabendi: *Debet enim Sacerdos Domini* (pro vt dicit Triden. Concil. ſeſſ. 14. capit. 8.) *quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultates conuenientes ſatiſfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agat, leuiſſima quadam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiatur:* Hæc ſunt verba Concilij: Proptereà confeſſarius præcipuè inuigilare debet, vt pœnitentiam aptam ad curationem, & ad præſeruationem à peccatis iniungat: ſic enim facilè euitabit peccatum in pœnitentia iniungenda; Ità Bonacina D. 5. quæſt. 5. ſect. 3. p. 2. num. 16. Reginald. lib. 7. nu. 38. & 47. *D. Thom. Reginald.*

34 *Quare hodie pœnitentiæ leues iniunguntur. Vaſq. Filliuc. Nauarr. Suar. Coninch. Viuald. Bonac.*

Verumtamen, hodiè in praxi receptum eſt, vt mitior pœna iniungatur, ne pœnitens grauitate pœnæ terreatur, ſed potius leuitate pœnitentiæ alliciatur ad Sacramentum: pro vt benè aduertit Vaſquez 3. p. quæſt. 94. A. 2. ad 3. num. 14. & Filliuc. tomo 1. tract. 8. cap. 2. num. 41. Nauarr. cap. 26. num. 20. Sed in caſu debet confeſſarius aduertere pœnitentem, talem pœnitentiam non eſſe ſufficientem pro ſatisfactione peccatorum ipſius, ſed ratione fragilitatis ipſius multò leuiorem pœnitentiam imponere, quam ipſius peccata mereantur, & hoc, vt pœnitens cognita leuitate pœnitentiæ ſibi impoſitæ, occaſionem accipiat alias pœnas patienter tolerare in remiſſionem peccatorum ſuorum; Ità Suarez D. 38. ſect. 4. num. 4. Coninch. D. 10. de Pœnit. D. 8. num. 73. Viuald. in Candel. de ſatiſf. n. 10. & Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect. 3. p. 2. nu. 17. & alij.

Secundò quæritur: An confeſſarius poſſet minuere, vel commutare pœnitentiam ab alio confeſſario iniunctam in alia Sacramentali confeſſione? 35 *Quæſtio 2. An pœnitentia iniuncta poſſit commutari ab alio confeſſario? 1. Opinio. Soti. Victoria.*

Reſpondetur quod licèt Soto in 4. D. 20. quæſt. 2. A. 3. cum Victoria de clauibus nume. 10. dicant; Non poſſe alium confeſſarium, habentem eamdem poteſtatem cum illo, qui talem pœnitentiam impoſuit minuere, vel commutare illam, quæ claue non errante fuit impoſita, quorum ratio eſt, quia: Par in parem non habet imperium, nec iudex eiuſdem poteſtatis poteſt mutare ſententiam ab æquali datam, & in hoc ſenſu interpretantur; c. Placuit de Pœnitent. D. 6. vbi cauetur, ne vllus iudex, ſiuè Sacerdos commiſſum alteri pœnitentem ſuſcipiat, niſi de illius conſenſu: Ità, &c. *Ratio illius opinionis. C. Placuit de Pœnit.*

Sed falluntur (inquam) ibi enim intelligitur Textus de foro exteriori, & de commutatione pœnitentiæ publicæ, vel de Parochiano alieno, pro vt notauerunt Henriq. de Pœnit. libr. 5. c. 32. Viuald. in Cand. de ſatisfact. num. 31. Quàpropter contraria opinio eſt tenenda; quæ communior eſt, & probabilior, atque in praxi, vera, dicens: Poſſe alium confeſſarium, audita confeſſione alicuius pœnitentis, ſupra quem habet iuriſdictionem, ſiuè ordinariam, ſiuè delegatam, quamuis non reperita confeſſione illorum peccatorum, pro quibus pœnitentia illa fuit iniuncta commutare, vel minuere pœnitentiam illam ab alio confeſſario iniunctam, quandò adeſt legitima, ſiuè rationabilis cauſa hoc faciendi, ſi ità talis confeſſarius ad ſalutem pœnitentis in Domino expediri iudicauerit: E. gr. Confeſſarius videt pœnitentem illum adhuc pœnitentiam iniunctam non impleuiſſe, & timet etiam talem impoſterum non eſſe impleturum, aut malè ſatisfacturum, ſiuè adſit alia legitima, & rationabilis cauſa: Tunc enim abſque vlla dubitatione, ſine iniuria prioris confeſſarij poterit ſecundus confeſſarius illam commutare, ſiuè minuere; ſi ità in Domino iudicauerit expediri. 36 *Improbatur ſententia. Henriq. Candel. Auct. 2. Sententia affirmatiua. Poteſt 2. confeſſarius cõmutare pœnitentiam impoſitam ab alio confeſſario, ex cauſa. Exemplificatur aſſertio.*

Et ratio, ſiuè fundamentum huius ſententiæ eſt, quia executio pœnitentiæ iniũctæ pendet in futurum, & ideò quamuis clauis non errauerit, & iuſtè pœnitentia fuiſſet impoſita, & confeſſarius habuiſſet rationem obligandi ad effectum executionis: nihilominus, quò ad executionem eſt locus mutationis, quia poteſt cauſa iuſta ſubeſſe, & ità intra iuſtitiæ latitudinem poteſt eſſe arbitrium circa commutationem illius pœnitentiæ. 37 *Fundamentum huius ſententiæ.*

Neque per hoc fit aliqua iniuria præcedenti confeſſario, cùm iudicium hoc ad bonum pœnitentis ſit ordinatum, & non ad aliquam iudicis vtilitatem: & pœnitens à principio habuit hunc fauorem, vt ſæpius, ſi velit poſſit ab alijs iudicari, & æqualiter à ſingulis, ſi æqualem habeant iuriſdictionem: Vndè poſterior confeſſarius propriè non reuocat prioris ſententiam, ſed ſuam profert, & pœnitenti liberum eſt quam voluerit pœnitentiam eligere; Ità ferè docent Doctores omnes vt Sylueſt. Verb. Confeſſio 1. nu. 31. Henriquez lib. 5. de Pœnit. cap. 22. Tolet. in ſum. libr. 3. c. 11. num. 12. Em. Sa Verb. ſatisfactio nu. 5. Graff. tom. 1. deciſ. lib. 1. c. 33. n. 11. & Suar. D. 38. ſect. 10. nu. 5. alijque permulti. 38 *Confirmatur ratio 2. ſententiæ. Sylu. Henriq. Tolet. Em. Sà Graff. Suar.*

Quamuis Suarez dicat: Pœnitentem in caſu teneri omnia peccata, pro quibus pœnitentia illa fuit iniuncta iterum repetere, vt confeſſarius ſecundus poſſit de illis iterum iudicare, & ſententiam priorem in alteram commutare: Quod licèt optimum ſit, non tamen eſt neceſſarium, pro vt benè aduerterunt Henriq. 39 *Non eſt de neceſſitate, vt peccata iterum confiteantur contra Suar.*

Digitized by Google

Henriq. Toler. & Nauar. loc. cit. ſufficit enim quod confeſſarius ſecundus exiſtimet, & examinet cauſam illius pœnitentiæ impoſitæ, & commutationis, vt poſſit pœnitentiam illam iniunctam minuere, aut commutare.

40 Soluitur fundamentum prioris ſententiæ.

Ad fundamentum ergò primæ opinionis Dicimus: Secundum confeſſarium dum ità agit non exercere imperium in priorem confeſſarium, ſed in conſcientiam pœnitentis, ſibi plenè ſubiecti circa pœnitentias iniunctas, & circa illas tantùm habet locum in foro exteriori. Imò etiam iudices temporales poſſunt in reuiſionibus corrigere, & mutare ſententiam, vel à ſe, vel ab alijs æqualibus datam, quandò ſubeſt, & declaratur noua cauſa: Nec enim id derogat iudicis auctoritatem, cùm inter æquales cenſeatur idem tribunal. quod benè aduertit Henriqu. in expoſitione loco ſupra citato.

41 Poteſt pœnitentia iniuncta mutari, non ſolà ab æquali, ſed etiam ab inferiori.

Et hoc intelligendum eſt non ſolùm de æquali cõfeſſario, Scilicet habente eamdem iuriſdictionem, & per conſequens de ſuperiori. Imò etiam de inferiori, quatenus talis eſt: Poteſt enim ſubditus, dum audit confeſſiones, etiam mutare, vel minuere pœnitentias iniunctas à Prælato pœnitentis, ac etiam ipſius confeſſarij, quandò ità iudicauerit expediri ad bonum ipſius pœnitentis: Et ratio huius eſt, quia in actu confeſſionis omnes confeſſarij videntur æquales, quia proferunt definitiuam ſententiam, vt ipſius Chriſti miniſtri in hoc foro. Ità Nauarr. & Suarez, locis ſuprà citatis.

Ratio iſtius dicti.

Nauarr. Suar.

24 Limitatur quando impoſita fuit pęnitẽtia pro reſeruatis.

Hoc tamen eſt intelligendum de illis peccatis, quę ſuperiori reſeruata non ſunt. Non enim poteſt Sacerdos inferior per ſe, & iure ordinario commutare pœnitentiam à ſuperiori impoſitam pro reſeruatis, quia inferior per ſe non habet iuriſdictionem in illa peccata præciſè ſpectata, quatenus talia ſunt, ideſt, quatenus per reſeruationem exceptuata ſunt, ergò non poteſt pœnitentiam mutare, quæ pro illis, ſic ſpectatis, impoſita fuerat, niſi neceſſitas, aut pia vtilitas aliud poſtulet: Tunc enim præſumitur talem eſſe ſuperioris intentionem, & piè creditur, quod ſuperior in huiuſmodi caſibus acceptet, pro vt benè notauit Angel. verb. Confeſſio 6. num. 4. Secundum Gloſſas communiter receptas in can. Tempora 26. quæſt. 7. & can. Latorem 33. qu. 2. docentes: poſſe Epiſcopum diminuere, vel commutare pœnitentiam, quam Papa impoſuit: Similiter Sacerdotem impoſitam ab Epiſcopo etiam pro reſeruatis, quod etiam dicendum eſt de Regularibus.

Angelus. Gloſſa in C. Tempora. Can. Latorẽ.

43 Aduertentia.

Sed hoc intelligendum eſt, (vt dixi) quandò neceſſitas, & cauſa neceſſaria illius mutationis intercedat, & non facilè, & commodè poterit recurſus ad ſuperiorem haberi: Aliàs enim nec eſſet vera neceſſitas, neque poterit rationabiliter præſumi de ſuperioris voluntate: pro vt notauerunt Suarez d. tom. 4. D. 38. ſect. 10. num. 4. & Henriquez lib. 5. de Pœnit. c. 22. nu. 5. Nauar. in man. c. 26. nu. 22. Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 2. q. 7. Coninch. D. 10. de ſatisfact. d. 12. nu. 100. & alij ab ipſis citatis.

Suar. Henriq. Nauarr. Filliuc. Coninch.

44 Limitatio Bonacinæ.

Imò Bonacin. loco infrà citando, exiſtimat: Poſſe confeſſarium inferiorem pœnitentiam pro reſeruatis à ſuperiori in confeſſione Sacramentali iniunctam, commutare, quacumque iuſta interueniente cauſa, qualis eſſet pia vtilitas pœnitentis, vel magna difficultas in adimplenda pœnitentia illa impoſita à ſuperiore, ſecundùm arbitrium prudentis confeſſarij: Qui tamen non debet ſe facilè præbere in mutanda, & minuenda huiuſmodi pœnitentia, ne pœnitentes occaſionem accipiant non adimplendi ſimpliciter pęnitentias iniunctas, maximè pro reſeruatis.

45 Alia aduertentia.

Verum eſt tamen, quod quandò confeſſarius iudicauerit pro ſalute pœnitentis expediri, commutare poterit pœnitentiam, etiam pro reſeruatis impoſitã, quia præſumitur ſuperior rationabiliter velle, quod expedit pro ſalute ſuorum ſubditorum, iuxta fragilitatem naturæ humanæ: ſi ergò ſalus, vel fragilitas pęnitentis poſtulet, pœnitentiam iniunctam commutari, conſentaneum eſt, vt non ſolùm à ſuperiore: verum etiam ab inferiore commutari poſſet, cùm ſemel caſuum reſeruatio per ſuperiorem fuerit adempta, & ſublata: Vndè pœnitens non tenetur amplius ad ſuperiorem pro illis reſeruatis adire, etiam ſi abſolutio data fuiſſet inualida: Ità docent Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 5. ſect. 3. p. 3. nu. 6. ſequens Vaſquez de Pœnit. quæſt. 94. A. 2. d. 3. num. 9. Zerola cap. 25. de Pœnit. q. 10. Verſ. Dico 2. Greg. de Valentia tomo 5. D. 7. quæſt. 14. p. 4. & Molſeſ. tract. 7. capit. 25. num. 70.

Bonac. Vaſq. Zerola. Valentia. Molſeſius.

46 Pœnitentia medicinalis, & præſeruatiua mutari non poteſt.

Aduertendum eſt tamen: Multos Theologos dicere, quod licèt pœnitentia pro ſatisfactione peccatorum poſſit ab alio confeſſario commutari, non tamen hoc fieri poſſe, quandò pœnitentia impoſita fuit per modum medicinæ præſeruatiuæ à futuris; cùm enim huiuſmodi pœnitentia imponatur non in deſtructionem, ſed in ædificationem per modum medicinæ, vt pœnitens retrahatur, & præſeruetur à peccatis committendis. At quia medicina non prodeſt, niſi ſuſcipiatur, ſequitur, confeſſarium non poſſe pœnitentiam præſeruatiuam commutare. Ità Reginal. lib. 7. n. 92. Suarez D. 38. ſect. 10. num. 11. Hoſtienſ. libro 1. tit. 21. colu. 3. Verſ. Sciendum: Zerola de Pœniten. cap. 25. quæſt. 12. & D. Gregor. in Matt. cap. 16. Hom.

Reginald. Suar. Hoſtienſ. Zerola. D. Greg.

47 Limitatio, niſi interueniat iuſta cauſa.

Verum eſt tamen, quod ſi confeſſarius aliquandò, alia interueniente iuſta cauſa iudicauerit ad bonum pœnitentis fieri debere aliam commutationem, etiam pœnitentiam præſeruatiuam impoſitam commutare poterit in aliam præſeruatiuam, & ſalutarem; pro vt aduertit Bonac. d. tom. 1. de Pęnit. D. 5. q. 5. ſect. 3 p. 3. num. 5.

Bonac.

48 Commutatio pęnitentiæ faciẽda eſt in Sacramentali confeſſione.

Aduertendum eſt etiam, quod vt commutatio pęnitentiæ impoſitæ fiat legitimè, ſemper facienda eſt in Sacramentali confeſſione; Nam extra Sacramentum fieri non poteſt; Cuius ratio eſt, quia vt fiat commutatio iſta legitimè ſemper in Sacramentali confeſſione eſt facienda: Oportet enim, vt Sacramentalis pęnitentia impoſita auferatur, & alia loco illius imponatur, ſed hoc extra Sacramentum fieri non poteſt; ergò, neque commutatio poteſt extra Sacramẽtum fieri, & per conſequens nec totalis pęnitentiæ iniunctæ abrogatio: Ità Vaſquez quæſt. 94. A. 2. d. 3. num. 7. Reginald. lib. 7. num. 42. Suarez D. 37. ſect. 10. num. 4. Bonac. D. 5. q. 5. ſect. 3. p. 3. num. 7. Filliuc. to. 1. tract. 8. cap. 2. nu. 49. Sylueſt. Verb. Confeſ. qu. 27. Nauarr. cap. 26. nu. 22. Coninch. D. 12. de ſatiſfact. n. 12. & alij communiter, aſſerentes: Pęnitentiam Sacramentalem extra confeſſionem commutari non poſſe, cùm pęnitentiæ commutatio ſit actus iuriſdictionis clauium.

Vaſq. Reginal. Suar. Bonac. Filliuc. Sylueſt. Nauarr. Coninch.

49 Idem dicendum eſt de quocumque confeſſario, ſiuè ſit ſuperior, ſiuè inferior.

Et in hoc eadem eſt ratio de æquali, & de eodem confeſſario, qui pęnitentiam illi impoſuit, ſi pęnitens ad ipſum recurrat pro tali commutatione: Imo etiam de ſuperiori, niſi tamen concedendi indulgentias poteſtatem habeat: Vndè quandò ſuperior talem facultatem non habet non poteſt extra Sacramentalem confeſſionem talem facere commutationem: Ità Soto in 4. D. 20. & Suar. cum aliis, locis ſupra cit.

Niſi habeat facultatem concedendi indulgentias. Soto, & Suar.

50 Virtute indulgentię relaxari poteſt pœnitentia iniuncta.

At verò quandò ſuperior habet facultatem concedendi indulgentias, vt eſt Summus Pontifex poterit pęnitentiam iniunctam pro peccatorum ſatiſfactione, etiam extra Sacramentalem confeſſionem rela-

xare

Digitized by Google

xare virtute indulgentiarum: quod Dupliciter fieri poteſt, primò concedendo plenariam indulgentiam: Nam per indulgentiam extinguitur obligatio aliarum ſatisfactionum; ſecundò concedendo expreſſè illius partis pœnitentiarum iniunctarum relaxationem: Ità enim docet Suarez D. 38. ſect. 10. nu. 10. quod infrà melius explicabitur.

Suar.

51 Limitatio de pœnitentia medicinali.

Aduertendum tamen eſt, quod per has Indulgētias remittuntur pęnitentiæ iniunctæ, vt ſatisfactoriæ ſunt, non autem, vt medicinales, cùm indulgentiæ dentur in ædificationem, & non in deſtructionem, vt in ſequenti capitulo fuſius declarabitur.

DE IIS, QVAE AD POENITENTEM ſpectant, quò ad pœnitentiam adimplendam.

CAP. VI.

PRo huius tractatus complemento dicendum ſupereſt de pœnitente, quò ad pœnitentiam acceptandam, atque adimplendam: At quoniam nonnulla de hac materia in præcedentibus, iam diſcuſſa ſunt, ideòque breuiter, quæ ad propoſitum ſpectant explicabimus.

1 1. Quæſtio. An pœnitens teneatur pęnitentiam acceptare, & adimplere? Concluſio eſt affirmatiua.

Quæritur ergò primò: An pœnitens teneatur pœnitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam in Sacramentali confeſſione acceptare?

Reſpondetur: Affirmatiuè, quandò rationabilis eſt, aliter enim peccaret mortaliter: Hoc tamen intellige, quandò eſt impoſita pro mortalibus, quia ſi eſſet iniuncta pro venialibus, aut pro mortalibus culpis, aliàs ritè abſolutis non eſſet peccatum mortale illam non adimplere, ſed ad ſummum eſſet veniale. Ità Suarez D. 38. ſect. 7. num. 2. Vaſquez quæſt. 94. A. 2. d. 1. num. 5. Nauarr. cap. 26. num. 20. Filliuc. tract. 8. cap. 4. quæſt. 8. num. 53. & patet ex Trid. ſeſſ. 14. capit. 9. Et ratio huius eſt, quia ſi confeſſarius tenetur pœnitentiam iniungere, ne iudicium integrum non ſit, ergò, & pœnitens tenetur acceptare, illamque fideliter adimplere: Nam pœnitens tenetur parere iudici, rectè iudicanti, & pęnitentiam pro ſatisfactione imponenti.

Suar. Vaſq. Nauarr. Filliuc. Concil. Trid. Ratio concluſionis.

2 Qui non vult pœnitentiam acceptare nō eſt benè diſpoſitus. Pet. de Soto. Em. Sà Tolet. Victoria.

Quapropter valdè indiſpoſitum ſe oſtendet, & parui exiſtimare peccata videtur ille, qui renuit, vel contendit in illo iudicio de rationabili, & moderata pœnitentia impoſita, vel ſi acceptet poſteà tamen voluntariè non adimpleat; Ità Petr. Soto lect. 2. de ſatisfactio. propoſitione 5. Em. Sà Verb. ſatisfactio num. 4. Tolet. lib. 3. cap. 9. num. 6. Victoria de Clauibus num. 8. qui addit: Hanc propoſitionem hodiè eſſe certiſſimam, & contrariam improbabilem, ſicut nos plenius ſupra probauimus cap. præcedente num. 23. vbi improbauimus opinionem illorum, aſſerentium: Poſſe pœnitentem pœnitentiam non acceptare, dicendo: ſe velle ſatisfacere in Purgatorio: Non enim tantummodò pœnitentia iniungitur pro ſatisfactione pęnarum Purgatorij, ſed etiam in remedium, & medicinam, atque in peccatorum vindictam, & ad integrum iudicium confeſſionis faciendum: Valdè enim contemptibile eſſet iudicium, in quo reus non teneretur parere iudici mandanti, & pœnæ ſubire impoſitæ.

3 Aduertentia Quandò pœnitens ſe teneret aggrauatum.

Verum eſt tamen, quod quandò pœnitens viderit ſe eſſe nimis grauatum de tali pœnitentia, & exiſtimet non poſſe faciliter talem pœnitentiam plenè adimplere: poterit in caſu confeſſarium rogare, vt illam mitiget quantum poteſt. Immò confeſſarius in tali caſu debet pœnitenti annuere, quantum poteſt, vt ſuauiùs efficiatur iugum Sacramentalis confeſſionis: Ità Henriqu. in ſum. cap. 10. num. 5. Reginald. cap. 7. nu. 357. Bonac. tom. 1. D. 5. qu. 5. ſect. 3. p. 4. Nauar. in manu. cap. 26. nu. 20.

Henriq. Reginald. Bonac. Nauarr.

4 Quando confeſſarius nollet pœnitentiam cōmutare, quid faciendum.

Si autem Confeſſarius nollet omninò pęnitentiam minuere, aut commutare, poterit pœnitens abſque peccato, ante acceptatam abſolutionem, dicere: ſe malle alteri Sacerdoti confeſſionem facere, quam adeò grauem pœnitentiam acceptare: Si verò acceptet, & abſolutionem recipiat tenebitur poſteà illam adimplere, niſi aliter ab alio confeſſario fuerit commutata, vt in præcedenti capitulo probatum fuit.

5 Propria auctoritate Pœnitentia iniuncta commutari non poteſt.

Non poteſt autem pœnitens propria auctoritate pœnitentiam iniunctam, & acceptatam in aliam æqualem, ſiuè etiam in meliorem commutare, quia commutatio pœnitentiæ eſt actio Sacramentalis, eſt actus iuriſdictionis, qui fit à confeſſario, tanquam iudice: pœnitens autem non poteſt in ſe actionem iuriſdictionis Sacramentalis exercere, cùm nullus ſit ſibi ſuperior: Ità Reginald. libr. 7. cap. 85. Coninch. D. 10. de Pœnit. d. 12. nu. 103. Henriquez cap. 20. nu. 5. & alij.

Reginald. Coninch. Henriq.

6 Non eſt eadē ratio de voto, & pœnitentia Sacramentali.

Et quamuis votum ſpontaneè factum poſſit propria auctoritate quis in æquale, ſiuè in melius commutare: non tamen hoc valet de pœnitentia Sacramentali, quia non eſt par ratio: Nam commutatio Voti in melius non eſt actus iuriſdictionis, ſicuti eſt pœnitentiæ commutatio: Tum quia ſicut vouens voluntariè ſe abſtrinxit, & obligauit; ità etiam poteſt obligationem illam in opus æquale, vel in melius cōmutare, quia in Voto attenditur id, quod magis reſultat in Dei honorem, & cultum: In pœnitentia verò non ſolùm hoc ſpectatur, Verumetiam, quod magis conuenit pœnitenti, iuxta prudentis confeſſarij iudicium, cui pœnitens tenetur obedire in illo foro: vt ex dictis ſatis conſtat; ergò, &c.

7 Quæſtio 2. An pœnitentia ſit adimplēda in ſtatu gratiæ? Concluſio.

Quæritur ſecundò: An pœnitens teneatur pœnitentiam Sacramentalem adimplere in ſtatu gratiæ, & ſi ſecus faciat: An ſatisfaciat?

Reſpondetur ad primum, Negatiuè: Non enim tenetur pœnitens eſſe in ſtatu gratiæ quandò pœnitentiam Sacramentalem adimplet, cùm non ſit receptio Sacramēti, ſed tantùm adimpletur pars integralis Sacramenti, quæ ſufficit; vt adimpleatur à pœnitēte in quocumque ſtatu, quia talis pęnitentia ſemper ſatisfactoria eſt, ex vi operis operati: vt nos ſupra in tractatu de effectibus ipſius declarauimus, Secundùm Scoti doctrinam.

8 Suar. & Bonacina exiſtimant eſſe peccatum veniale.

Et quamuis ſint aliqui Doctores, vt Suarez D. 38. ſect. 8. num. 7. & Bonacin. d. tomo 1. D. 5. quæſtio. 5. ſect. 3. p. 4. num. 15. Exiſtimantes: Pęnitentem adimplentem pęnitentiam Sacramentalem extra gratiam peccare ſaltem venialiter, quorum ratio eſt, quia (inquiunt) quod huiuſmodi pęnitens in caſu ponit obicem effectui Sacramenti, & gratiæ ſanctificanti, cùm talis pęnitentia ſit vna ex partibus Sacramenti Pęnitentiæ materialis, ideò, &c.

9 Reijcitur eorum ratio. Pęnit. extra gratiam adimplere non eſt receptio Sacramenti.

Sed falluntur (inquam) Nam adimplere pęnitentiam iniunctam in Sacramentali confeſſione, non eſt receptio Sacramenti, neque partis ipſius: Sufficit enim quod quandò fuit iniuncta, & acceptata in actu abſolutionis fuiſſet benè diſpoſitus ad recipiendam gratiam Sacramentalem: Quod autem poſteà illam adimpleat in ſtatu gratiæ, ſiuè extra nō facit ad rem: neque enim confeſſarius ad hoc pęnitentem obligauit: Deindè dicimus huiuſmodi ità ſatisfacientem non ponere obicem effectui Sacramenti (vt illi Doctores exiſtimant) nam talis ſatisfactio, etiam pro tunc, quandò fit, licèt fiat extra gratiam, habet effectum ex opere operato, quò ad remiſſionem pœnæ tempo-

Pœnit. habet effectum remiſſionis etſi quandò adimpletur extra gratiam.

temporalis, in quam virtute clauium per Sacramentum æterna pœna fuit commutata, iuxta doctrinam Doctoris ſubtilis, aliorumque multorum, quos ſequitur Nauarr. in manu. cap. 3. nu. 6. & nos fuſius probauimus ſupra cap. 4. num. 26. loquendo de effectibus ſatisfactionis.

Scotus. Nauarr.

10 Quàpropter concludimus: Nullum eſſe peccatum ſatisfactionem iniunctam, etiam extra gratiam adimplere, licèt melius ſit, & optimum conſilium, vt adimpleatur, quandò fieri poteſt in ſtatu gratiæ: Tunc enim non ſolum conſequitur effectus remiſſionis, pœnæ luendæ ex opere operato, ſed etiam augmentum gratiæ, & meritum remiſſionis ipſius operantis, quæ quandò adimpletur extra gratiam minimè habentur: Vndè quandò pœnitentia iniuncta adimpletur in peccato mortali ſoluit debitum, etiam pro tunc quandò ſit ſecundùm probabiliorem ſententiam, ſed non meretur gratiam, quæ licèt ſatisfactoria ſit non eſt tamen reconcilians, & placans: tantùm enim valet quò ad debitum, non autem quò ad meritum: vt ſupra in c. 4. huius tractatus diximus.

Concluſio. Pœnit. extra gratiã adimplere nullum eſt peccatũ.

Pœnitentia ſatisfactoria, non reconcilians.

11 Quæritur 3. An pœnitens teneatur ſtatim poſt confeſſionem factam, pœnitentiam, ſibi iniunctam adimplere?

Quæſtio 3. An pœnitentia ſtatim adimplenda ſit?

Reſpondetur diſtinguendo: Vel confeſſarius præfixit tempus illam adimplendi, vel non præfixit, ſi primum tenetur pœnitens tempore præfixo pœnitentiam adimplere, iuxtà confeſſarij præceptum, alioquin grauiter peccaret, cùm faceret contra obligationem in re graui, vt patet à ſimili de obligatione reſtituendi, ſiuè ſoluendi votum: Ità Nauar. in man. cap. 12. num. 54. *Bonac.* D. 5. quæſt. 5. ſect. 3. p. 4. numero 5. Si verò intra tempus præfixum pœnitentiam non impleuit, tenetur adhuc elapſo eo tempore pœnitentiam adimplere, quia non fuit præfixum tempus ad finiendam obligationem, ſed ad ſolicitandam, & non ad differendam abſque iuſta cauſa, & præceptum confeſſarij cadit directè circa ſubſtantiam operis: In tempus verò, tanquam in circumſtantiam accidentalem.

Si confeſſarius præfixit tempus tenetur in tali tempore adimplere. Nauarr. Bonac. Tempus non cadit ſub ſubſtantiam præcepti.

12 Quàpropter quandò Confeſſarius iniungit pœnitenti, vt ieiunet, aut oret, ſiuè alia ſimiliter faciat in tali hebdomada, ſiuè menſe, ſi aliqua iuſta cauſa pœnitens tali tempore non impleuit, tenetur adhuc alio tempore adimplere, non enim principaliter imponitur tempus, ſed opus: Ità docent Tolet. lib. 3. cap. 11. nu. 11. Chamer. tract. 8. de ſatisfact. d. 19. Caietan. in ſum. Verb. ſatisfactio §. 4. Armilla nu. 5. & Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 2. num. 55.

Qui non adimpleuit tẽpore præfixo, tenetur adhuc adimplere. Tolet. Chamer. Caiet. Armillam. Filliuc.

13 Quandò verò Confeſſarius non præfixit terminum adimplendi pœnitentiam, ſed ſimpliciter dixit: Ieiuna bis, ſiuè Dic coronã, tunc tenetur pœnitens quandò commodè poteſt, ſine notabili mora pœnitentiam, ſibi iniunctam adimplere: talis enim præſumitur fuiſſe confeſſarij voluntatem, vt pœnitens quàm primum ſatisfaciat pro pœnis debitis, & retrahatur à peccatis futuris.

Quandò confeſſarius tẽpus pœnit. non præfixit.

14 Quamobrem ſi pœnitens nimium dilataret tempus adimplendi pœnitentiam ad iudicium boni viri non excuſaretur à peccato, cùm faceret contra voluntatem confeſſarij, & finem Sacramenti, in re graui, ſecus autem eſſet, ſi non multum differat, ſiuè pœnitentia fuerit leuis, ſiuè pro peccatis venialibus impoſita: Ità Reginald. lib. 7. num. 79. Coninch. D. 12. de ſatisfact. d. 12. nu. 84. Sayr. de Sacramento Pœnit. cap. 36. nu. 8. Molfeſ. tract. 7. c. 25. num. 66. Bonac. D. 5. qu. 5. ſect. 3. p. 4. nu. 6. & Suarez D. 38. ſect. 7. nu. 5.

Nimium dilatans non excuſatur à peccato. Reginal. Coninch. Sayr. Molfeſ. Bonac. Suar.

15 Quæritur 4. An pœnitens poſſit adimplere pœnitentiam ſibi iniunctam per opus aliàs debitum de præcepto?

Quæſtio 4. An poſſit adimplere per opus debitum?

P. Geſualdus de Bonenijs Capucc.

Reſpondetur, quod licèt Vnuſquiſque poſſit Deo pro peccatis ſuis ſatisfacere, etiam per opera aliàs præcepta, quia tanta eſt benignitas Dei, vt opus vnum multis de cauſis debitum, etiam acceptet in remiſſionem peccatorum: Et quamuis poſſet aliquandò confeſſarius, quandò ità pro ſalute pœnitentis expediri videbitur imponere in pœnitentiam opera aliàs debita, vt quod ieiunet tres dies Quadrageſimæ, quos tamen pœnitens aliàs tenebatur ieiunare, quia cùm illa ſint ſatisfactoria, & meritoria poſſunt per claues Eccleſiæ eleuari, vt ſic in idem opus duplex cadat obligatio, vt ferè omnes communiter docent, quos nos citauimus ſupra in Capitulo ſecundo huius tractatus numero 26. ex doctrina Suarez tom. 4. D. 38. ſectione 6. num. 5.

Poteſt cõfeſſarius opera debita imponere in pœnitentiam. Suar.

Nihilominus dicimus, quod quando confeſſarius abſolutè iniungit pœnitentiam ſemper intelligitur de operibus aliàs indebitis, vt e. g. quandò dicit: Ieiuna duos dies, &c. non debent eſſe, niſi dies, in quibus non eſt præceptum ieiunandi, prout docent Toletus lib. 3. c. 11. nu. 10. & alij plures à nobis citati d. c. 2. ſupra nu. 26. vbi plenius de hac quæſtione tractauimus. 16

Quandò confeſſarius non explicat intelligitur de indebitis. Tolet.

Quæritur 5. An poſſit pœnitens pœnitentiam, ſibi iniunctam per alium adimplere? Vndè pro ſolutione huius dubij ſunt aliqua adnotanda. 17

Quæſtio 5. An Pœnitentia poſſit per alium adimpleri?

Notandum ergò Primò: Satisfactionem iſtam dupliciter conſiderari poſſe: Vel quatenus ſatisfactoria eſt, vel quatenus medicinalis eſt: Primò modo clarum eſt poſſe vnum pro altero ſatisfacere, dummodò vterque ſit in gratia, & hoc fiat de licentia confeſſarij, quia tunc mediante charitate actus vnius efficitur alterius.

Notandum. Quatenus eſt ſatisfactoria poteſt de licentia tamen confeſſarij. Poteſt vnus pro altero ſatisfacere.

Verum eſt tamen, quod in caſu, ſatisfactio illa pœnitentiæ per alium adimpleta, non habebit effectum ex opere operato, quia cùm tale opus, factum non ſit actus pœnitentis non poteſt dici pars materialis Sacramenti, & conſequenter nõ poteſt habere effectum ſacramentalem, & ideò dixi, quod vterque debet eſſe in gratia. 18

Aduertentia vterq. debet eſſe in gratia.

Concedimus tamen, ipſam actionem mediante qua pœnitens curat ab altero præſtari opus iniunctum, iuxta mentem confeſſarij eſſe actum ipſius pœnitentis, & conſequenter partem ſacramentalem, & vt ſic prodeſſe ex opere operato ad remiſſionem pœnæ, & ad adimplendum confeſſarij præceptum: Ità Henriquez lib. 5. c. 20. num. 7. Soto in 4. D. 19. qu. 2. A. 4. concl. 1. Tabiena Verb. ſatisfactio qu. 5. Suarez D. 38. ſect. 9. n. 4. Coninch. D. 10. d. 8. nu 66. Vaſq. 3. p. q 94. A. 2. d. 1. nu. 11. Filliuc. tract. 8. c. 2. q. 8. nu. 58. & Bonac. D. 5. q. 5. ſect. 3. p. 4. nu. 13. 19

Actio pœnitẽtis eſt pars ſacramenti. Henriq. Soto. Tabiena. Suar. Coninch. Vaſq. Filliuc. Bonac.

Si autem ſecundo modo conſideretur, quatenus Vid. pœnitentia iniuncta medicinalis eſt, & in remedium pro peccatis vitandis. Nullo modo vnus pro alio illam adimplere poteſt, cùm ieiunium vnius non poſſit eſſe caſtigatio alterius, nec flagella, aut mortificatio vnius alteri proderunt ad caſtigationem corporis: Ità Soto ſupra concl. 2. Angelus Verb. ſatisfactio nu. 3. Sylueſt. Tabiena, & Armilla num. 5. & 6. cum alijs, ſupra citatis. 20

Pœnitentia medicinalis non poteſt. Soto. Angelus. Syluest. Tabien. Armilla.

Hoc ſuppoſito modò: Reſp. ad quæſtionem: Poſſe pœnitentem Sacramentalem pœnitentiam per alium voluntariè acceptantem, & implentem ſatisfacere, de conſenſu tamen confeſſarij, qui talem pœnitentiam impoſuit, vel alterius confeſſarij in alia confeſſione Sacramentali pœnitentiam illam commutãtis virtute clauium: Hoc tamen intellige, in quantum pœnitentia ordinatur ad ſolutionem debiti, non autem in quantum eſt pro peccato vitanda: Ità docent *Suarez* D. 38. ſect. 9. nu. 11. Viuald. in Cand. de ſatisfact. num. 12. Caiet. Verb ſatisfact. §. 5. Em. Sà n. 10. Ang. 21

Reſolutio quæſtionis. Suar. Candel. Aur. Caiet. Em Sà Angelus.

Digitized by Google

Syluest. Armilla.

& Sylu. & Armilla, cum alijs ſupra citatis.

22 Pœnitentia pendet ex intentione confeſſarij.

Fundatur Ratio iſtius ſententiæ, quia præceptum adimplendi pęnitentiam iniunctam pendet ex voluntate confeſſarij, & ideò illi ſatisfit, ſi iuxtà eamdem voluntatem impleatur, præſertim cùm vnus ratione charitatis poſſit pro altero ſatisfacere, dummodò vterque (vt dixi) ſit in gratia.

23 Aduertentia non debet ſine cauſa hoc fieri.

Verum eſt tamen, quod abſque legitima, & rationabili cauſa, hoc paſſim fieri non debet, cùm non ſit expediens, neque adeò in Eccleſia vſitatus talis modus ſatisfactionis, eò quod talis ſatisfactio deſeruire non poteſt per modum medicinæ, neque in peccatorum vindictam, iuxta mentem Conc. Trid. ſeſſ. 14. ca. 8. & ideò nec pœnitens talem licentiam debet procurare, neque confeſſarius faciliter concedere hoc debet: prout aduertunt benè Suarez d. D. 38. ſect. 9. n. 2. & Tolet. lib. 3. c. 11. nu. 13.

Concil. Trid. Suar. Tolet.

24 Satisfactio pro alijs poteſt applicari non meritũ.

Deindè, maioris efficaciæ eſt pœnitentia facta ab eodem pœnitente, quam ab alio, quia prodeſt non ſolùm, quò ad ſatisfactionem, ſed etiam quò ad meritum, & caſtigationem: facta verò ab alio ad ſolam ſatisfactionem pertinet: Vndè poteſt vnus homo pro altero ieiunare, ſiuè alia bona opera huiuſmodi facere, ſed quod eſt meriti ſibi, nõ alteri dare poteſt, quod verò ſatisfactionis eſt dare poteſt, & applicare pro alio; Ità Tolet. lib. 3. c. 11. num. 13. & Caiet. in ſumm. Verb. ſatisfactio §. fin. & Suar. loc. cit.

Meritum eſt operantis. Tolet. Caiet. Suar.

25 Notandũ 2. Obligatio pœnitentiæ eſt perſonalis. C. Omnis vtriuſque ſex.

Notandum ſecundò: Non poſſe pœnitentem ſine licentia confeſſarij, pœnitentiam ſibi iniunctam per alium adimplere, etiam ſi illam nequeat per ſe ipſum adimplere: Nam obligatio pœnitentiæ adimplendæ eſt perſonalis, vt patet ex c. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſ. vbi dicitur: *Pœnitentes proprij ſtudeant pœnitentiam ſibi iniunctam adimplere*. Cum ergò talis obligatio oriatur ex præcepto, ergò ſi confeſſarius pręcipit in pœnitentiam ieiunium, &c. non implebit pœnitens præceptum, ſi alius nomine ipſius ieiunet: Ità Medin. C. de confeſſ. qu. 44. d. 4. & Suar. & Bonac. cum alijs ſupra citatis.

Medina. Suar. Bonac.

26 Concluſio.

Quapropter quandò, confeſſarius nihil explicat, ſed abſolutè iniungit pœnitenti, vt hoc, vel illud faciat, ſemper intelligitur imponere obligationem perſonalem per ipſum pœnitentem, & non per alium adimplendam: talis enim præſumitur eſſe rationabilis confeſſarij intentio, cùm taliter ſonent verba ipſius.

27 Notandũ 3. Limitatur aſſertio, niſi aliquandò neceſſitas aliud expoſcat. Interpretatur intentio prima confeſſarij.

Notandum tertiò: Hoc eſſe intelligendum, quandò neceſſitas, ſiuè impoſſibilitas pœnitentis non adſit: Nam ſi aliquandò ſuperuenerit neceſſitas aliqua, vel quia pœnitens eſſet in mortis articulo, vel quia eſt adeò infirmus, vt nullo modo poſſet pœnitentiam per ſe ipſum adimplere: Tunc enim poterit alteri voluntariè acceptanti ſatisfactionem ſuam committere, etiam ſine licentia confeſſarij, quia talis videtur, & præſumitur fuiſſe intentio confeſſarij, qui noluit obligare pœnitentem ad impoſſibile, neque ad Purgatorium mittere: Et tunc ſi ille, cui commiſſa eſt ſatisfactio illius pœnitentis ſatisfecerit pro illo, exiſtens tamen in gratia, tunc defunctus liberabitur à pœnis Purgatorij, correſpondentibus tali ſatisfactioni, dummodò, (vt dixi) adimplens ſit in Charitate: Ità Bonacina ſupra, & D. Bona. in 4. D. 20. ſecunda parte d. A. 1. quæſt. prima, Richard. A. 1. quæſt. 3. cum omnibus alijs ſupra cit.

D. Bona. Bonac. Richard.

28 Notandum 4. De obligatione pœnitẽtis, & promittentis.

Notandum quartò, quod Quandò pœnitens committit ſuam pœnitentiam, vt alius pro ipſo ſatisfaciat, non ſtatim pœnitens remanet ſolutus à pœna luenda, niſi ille, cui commiſerat plenè ſatisfaciat: Vndè quandò alter pro altero ſe obligauit ad pœnitentiam iniunctam ſatisfaciendam, vterque remanet obligatus, licèt differenter: Nam pęnitens obnoxius remanet hic, vel in Purgatorio pœnæ ſuſtinendæ pro à ſe commiſſis, ſed conditionaliter, videlicet niſi alter pro eo ſolueret: Secundus verò remanet obligatus adimplere pœnitentiam promiſſam: Quod ſi primus ante cõpletam ſatisfactionem decidat punietur in Purgatorio ob debitum ſuum. Alter verò manebit obligatus (vt dictum eſt) pœnitentiam promiſſam adimplere pro illo defuncto, quia ſe ad illam adimplendam obligauit, & ſi non complet punietur ipſe, quia quod debuit ſoluere omiſit alter defunctus verò punietur in Purgatorio pro ſuis peccatis nõdum plenè ſatisfactis: Ità Ioan. Medin. C. de confeſſ. q. 44. in fine Sylu. Angel. Armilla, & Suar. loc. ſupr. cit.

Io. Medina. Syluest. Angel. Armilla. Suar.

29 Quæſtio 6. An pœnitentia orationis vocalis poſſit perſolui alternatim cũ ſocio?

Quæritur ſextò: An pœnitentia iniuncta, quandò eſt oratio vocalis poſſit recitari cum ſocio alternatim: E. gr. pœnitens ratione pœnitentiæ ſibi iniunctæ, ſiuè voti, ſiuè cuiuſuis obligationis certos Pſalmos, ſiuè Eccleſiaſticum pro mortuis officium, ſiuè Beatæ Virginis preces, ſiuè Litanias, vel Hymnos, aliaſue quaſlibet precationes perſoluere, aut recitare tenetur: An ſuo muneri ſatisfaciat ſi hęc vna cum ſocio alternatis vocibus dicat?

30 Concluſio eſt affirmatiua.

Reſpondetur affirmatiuè: Satisfacit, enim quilibet homo ſuæ obligationi, ſiuè talis obligatio ſit pro pœnitentia, iniuncta in ſacramentali confeſſione, ſiuè pro voto, ſiuè quouis alio præcepto, ſi prædictæ preces alternatim vnà cum ſocio recitentur, quilibet partem ſuam recitando, audiente vno partem ab altero recitante, etiam ſi alter ad id teneatur, Et ratio huius eſt, quia talis obligatio, ſiuè pœnitentiæ, ſiuè voti, ſemper eſt intelligenda inſtar præcepti Eccleſiaſtici de dicendis horis Canonicis, quia quemadmodum iure communi, qui tenetur ad horas Canonicas ſatisfacit, dicendo dimidium earum, & aliud audiendo dimidium alternatis vocibus: Ità qui iure ſpeciali pœnitentiæ, ſiuè voti, ſiuè ſtatuti, tenetur ad aliquod ex prædictis precibus ſatisfacit, dicendo dimidium per verſus. Ità expreſsè docet Nauar. in Com. de oratio. libro 10. numer. 19. & 32. & colligitur doctrina illa ex Palud. in 4. D. 45. quæſt. 2. concl. 3. vt videre eſt apud Azor. libr. 10. Inſt. mor. capit. 7. §. 14. Polit. in reg. D. Franciſci, cap. 3. numero 16. Leſſium de iuſt. & iure lib. 2. c. 37. & de voto, & orat. D. 9. num. 52. in medio Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 11. num. 37. & alios.

Ratio concluſionis.

Nauarr. Palud. Azor. Politius. Leſſius. Sanch.

31 Quæſtio 7. An Corona, ſiuè Roſariũ poſſint dici alternatim.

Quæritur ſeptimò: An idem iuris ſit in eo, qui Sacramentali pœnitentia aſtrictus, ſiuè alia obligatione deuictus, ſiuè voti eas preces recitare debet, quę vulgò dicuntur Roſarium Corona, ſiuè Pſalterium Beatæ Virginis, ſiuè quinquagena, ſiuè centena Aue Maria, ſiuè Pater noſter, &c.

32 Concluſio eſt affirmatiua. Nauarr.

Reſpondetur cum Nauarro loco cit. nume. 32. Affirmatiuè (& rectè quidem) nam tuta conſcientia huiuſmodi penſum interpretari poſſumus eſſe reddendũ eo more, quo horarum officium ſoluitur: Imò ea parte maior, quod vnum Aue Maria, ſiue Pater noſter, non differt ab altero, quantum vnus verſus Pſalmi, vel proſæ ab altero, ergò ſatis eſt ſi hæ preces alternatim fundantur à duobus, vt ſupradictum eſt: Ità Azorius, & Politius, cum alijs locis ſup. cit.

Azor. Politius.

33 Nauarr. ait, quod decentius, & deuotius recitatur alternatim.

Vndè ſubiungit Nauarrus, dicendo, quod ſi eſſent decem homines, qui tenerentur ad dicenda centena Aue Maria, & ſimul conuenientes dicerent ea omnes ſimul confusè plenè ſatisfacerent obligationi: At decentius, ac diſtinctius, & Deo gratius videretur ſi alternatim quinque vnum, & quinque alterum dicerent, ergò potius deberent ſic diſtinctè, quam confusè dicere, quia maius bonum maiori præfertur, & conſequenter melius, vel plus ſatisfacerent alternatim, quam coniunctim, dicendo, ità Nauarrus.

Quæritur

Digitized by Google

34 Quæſtio 8. An pœnitētia perſolui interruptè poſſit?

Quæritur octauò: An pœnitens prædictas preces poſſet recitare interruptè. E. gr. tenetur aliquis ad recitandum Coronam, Pſalterium, Roſarium, & huiuſmodi: An ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi prædicta eodem die diuerſis horis interruptè diceret?

35 Concluſio eſt affirmatiua.

Reſpondetur affirmatiuè, dummodò eodem die totam Coronam, ſiuè Roſarium, ſiuè defunctorum officium perſolueret, quia quemadmodum omnes horæ Canonicæ vnius diei, licèt ſit vna oratio, iuxtà mentem Caietani, quem ſequitur Nauarrus de Orat. capit. 10. numer. 42. nihilominus ſeptem, ſiuè octo horis interruptis ritè perficitur, vt ex vſu conſtat, ergò, & Corona Beatæ Virginis, quæ conſtat ex quinque partibus, quarum quælibet conſtat vno Pater noſter, & vna decade, ſiuè decem Aue Maria poterit dici quinque horis diſtinctis: Negari enim minimè poteſt, quin Roſarium, dictum vno die diuerſis horis diſtinctis, non ſit vno, & eodem die dictum: Tum quia licèt vna decas Roſarij, vel Coronæ, continens decem Aue Maria videatur indiuiſibilis, quò ad illa, ſicut vna ſeptem horarum Canonicarum, quò ad ea, quæ continet vna tantùm decas Aue Maria diuiſibilis ab alia decade, ſicut vna hora Canonica ab alia: Ità Nauarr. in com. de Orat. cap. 10. num. 40. cum alijs.

Nauarr. Caiet.

Corona, & Roſariū poſſunt dici interruptè in eodem die.

36 Concluſio.

Quàpropter concludendo dicimus: Eum, qui obligatus eſt ad recitandum Roſarium, Coronam, ſiuè Matris, ſiuè Domini noſtri Ieſu Chriſti aliquo die, ſatisfacere, dicendo ea eodem die horis interruptis, preſertim aliqua honeſta, ſiuè rationabili cauſa interueniente: Nam ſi animo vacandi, & tempus terendi hoc faceret, vel ſine aliqua cauſa, ſaltem à peccato veniali non poſſet excuſari.

37. Quæſtio 9. An pœnitētia poſſit recitari tempore auditionis Miſſæ? Reſolutio affirmatiua.

Quæritur nonò: An pœnitens poſſit pœnitentiam ſibi iniunctam adimplere, quæ conſiſtit in oratione mentali, ſiuè vocali, recitando illas quandò audit Miſſam de præcepto, & vtrique obligationi ſatisfaciat?

Reſpondere Affirmatiuè, quia reuera iſte talis facit opus, ad quod aliàs non tenebatur, & quod incompoſſibile non eſt cum auditione Miſſæ: Simul enim compatiuntur, adimplere præceptum Eccleſię de audienda Miſſa, & præceptum confeſſarij de dicendis illis orationibus, cùm præceptum auditionis Miſſę non obliget, niſi ad aſſiſtendum eidem cum deuotione, etiam non audiendo eam auribus: pro vt ſupra in capit. 2. huius tractatus, numero 26. plenius de hac materia tractauimus, & ideò pro nunc nihil aliud ſpecialiter eſt dicendum: videantur ibi, cap. 2. num. 25. huius tractatus.

38 Queſtio 10. An cōſequēs Indulgentiā plenariam ſit liber à pœnitentia perſoluenda? Ratio quæſt. C. Cum ex eo. 1. Opinio.

Quæritur decimò: An pœnitens adimplere teneatur pœnitentiam iniunctam poſtquam indulgentiam plenariam conſecutus eſt? Et ratio dubitandi eſt, quia in cap. cum ex eo de Pœnit. & remiſſ. §. Habetur, dicitur, *Per Indulgentias conceſſas ſatisfactiones pęnitentiales eneruantur*. Vndè ſequitur, quod ſi eneruantur ergò relaxantur, & per conſequens pœnitens ad illas adimplendas non remanet amplius obligatus. Quàpropter multi graues Doctores ex hoc loco deducunt hanc concluſionem, dicentes: *Qui conſequuntur indulgentias, & maximè plenarias non tenentur amplius præcepto aliquo pœnitentiam iniunctam adimplere, cùm per Indulgentiam à Prælato conceſſam totaliter relaxata ſit.* Tum etiam, quia quod erat per pœnitentiam ſatisfaciendum, per indulgentiam iam ſatisfactum eſt: Ità expreſsè docent Angles tomo ſecundo Flor. Theolog. qq. in 4. ſentent. concluſ. 1. de Indulgen. & Sylu. ver. Indulgentia, num. 23. Angel. §. 1. in fin. Armilla, numer. 17. Nauarr. de Iub. & indulgent. not. 31. num. 43. Toler. libr. 6. cap. 23. num. 10. Graff. tomo primo deciſ. libro 4. cap. 15. num. 64. citantur etiam pro hac parte multi Theologi, vt D. Thom. in addit. 3. part. quæſt. 25. A. 1. ad quartum D. Bonau. in 4. D. 20. Albert. Magn. A. 17. Ad 5. Soto D. 21. qu. 1. A. 1. Caietan. Opuſc. de Indulg. cap. 7. & alij multi: Non omnes tamen ità abſolutè, & clarè amplecti videntur dictam concluſionem: Nam potius loquuntur de plenitudine poteſtatis, quam habet Eccleſia, quam de liberatione adimplendi pœnitentiam impoſitam in ſacramentali confeſſione.

Angles. Sylueſt. Angelus. Armilla. Nauarr. Toleti. Graff.

Ci ſeur' etiā. D. Thom. Bonau. Albert. Mag. Soto. Caiet.

39 2. Sententia. Rationes. Secundę ſententiæ ſunt plures.

In contrarium tamen videtur ſentire in rei veritate, quod ſi hoc ità eſſet, rarò aut nunquam pœnitentes adimplerent pœnitentias iniunctas in ſacramentali confeſſione, immò nec viderentur teneri acceptare, dicendo, ſe velle ſatisfacere per Indulgentias lucrandas, quod nos ſupra improbauimus, & vt ſic, poteſtas Sacerdotalis ligandi, quò ad pœnitentiam, contemneretur contra declarationem Concil. Trident. ſeſſ. 14. capite octauo de ſatisfactio. Et ſi acceptarent, poſſent poſt habitam abſolutionem lucrari multas Indulgentias, etiam plenarias, quæ hodiè pluribus Eccleſijs ſunt conceſſæ, & ità ſe liberos reputarent ab obligatione adimplendi pœnitentias iniunctas, & ſic Indulgentiarum conceſſio eſſet cauſa omittendi multa bona opera, quæ per tales pœnitentias adimplerentur, & tunc Indulgentiarum conceſſio eſſet magis in deſtructionem, quam in ædificationem: Quàpropter de hac quæſtione valdè dubium eſt: An intentio Summi Pontificis ſit liberare pęnitentes ab obligatione adimplendi pœnitentias à confeſſarijs iniunctas in confeſſione.

40 Cōcluſio pro ſecunda ſententia. Aſſignantur aliæ plures rationes.

Quàpropter alij, quam plures Doctores contrarium exiſtimant, dicentes: Pœnitentes conſecuta indulgentia, etiam plenaria, non debere reputari, ſe liberos eſſe à præcepto adimplendi ſacramentalem pœnitentiam, eò quod præter ſatisfactionem pœnæ reſpiciat alios fines, ob quos liget, cùm ſit medicina præſeruatiua, & curatiua pro peccatis vitandis; & pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, & vt huiuſmodi pœnitentes per obedientiam iudicis aſſueſcant bonis operibus aſſequendis, vndè quamuis videatur ceſſare obligatio reſpectu ſatisfactionis pœnæ luendæ, non tamen ceſſat obligatio, quò ad alios fines intentos: Ità docent Henriquez libro quinto de Pœniten. cap. 22. numero 6. Nugn. in 3. part. quæſtio. 13. A. 2. difficul. 2. d. 3. in fin. Reginald. lib. 7. numero 92. & 178. Suarez D. 38. ſect. 10. quos ſequitur Bonacin. D. 5. quæſtione 5. ſection. 3. p. 4. numer. 10. Qui dicit: *Satisfactionem ſacramentalem non tantum iniungi pro ſatisfactione pœna, verum etiam, vt plurimum in remedium futurorum*: Igitur quandò dicitur in ſacris Canonibus: *Per Indulgentias relaxari pęnitentias iniuncta*: Intelligendum eſt ſemper, vt ſatisfactiuæ ſunt, non autem, vt medicinales, quia Indulgentiæ non dātur in deſtructionem, ſed in ædificationem Animarum; Tollere autem medicinam curatiuam eſſet in magnum Animarum detrimentum: Ergò non præſupponitur talis intentio concedentis.

Doctores huius ſententiæ. Henriq. Nugn. Reginald. Suar. Bonac. Reſpondetur ad priorem.

Indulgentiæ dātur in ędificationē, & nō in deſtructionem.

41 Quàpropter, conſiderato modo, quo pœnitentiæ his temporibus imponuntur, rarò aut numquam videtur licere omittere pœnitentias iniunctas propter Indulgentias, quia re vera imponuntur leuiſſimæ, quæ vix ſufficiunt per modum medicinæ: Vndè Emanuel Sà verb. Satisfactio, concludendo dicit: *Qui lucratus eſt Indulgentiam, non ideò debet omittere pœnitentiam iniunctam*. Hæc enim non ſolùm iniungitur in ſatisfactionem peccatorum, verùm etiam plerumque in remedium futurorum: Concordat Vinaldus in Candelabr. Aur. de Indulgent. numero 26. & Corduba libro primo quæſtion. 20. concluſ.

Qui lucratus eſt Indulgētias, non debet prætermittere pœnitentiam iniunctam. Em. Sà. Candel. Aur.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

V 2 quarta,

Adrian. Pariſienſ.

quarta, Adrian. in quarto, D. 20. de Indulgent. & Pariſien. de Sacrament. cum alijs, dicentibus: *Per Indulgentias non eſſe liberatos pœnitentes à precepto adimplendi pœnitentias iniunctas à confeſſario, quatenus tales pœnitentiæ medicinales ſunt*. Quapropter (pro huius quæſtionis deciſione) ponimus duas concluſiones, & ſecundùm iſtam diſtinctionem faciliter omnes poſſunt concordari.

42 1. Concluſio pro prima opinione. Ratio concluſionis. Limitatio. Suar. Viualdus.

Prima concluſio: Si Papa, vel Epiſcopus dum concedit indulgentias intenderet abſolutè eximere à Pœnitentijs iniunctis teneret, & per conſequens pœnitens non eſſet amplius obligatus præcepto aliquo ad illas implendas, vt docet prima opinio: Et Ratio eſt, quia diſpenſatio in præcepto poſitiuo per hominem poſito poteſt tolli à ſuperiore, etiam ſine cauſa: At quoniam non eſt præſumendum, quod Papa, vel Epiſcopus indiſcretè agat, & ſine cognitione cauſæ velit auferre eas pœnitentias, quæ ſæpè ſæpius ſunt neceſſariæ, & præſeruatiuæ, in futuri peccati remedium, & medicinam, ideò non præſumitur talis eſſe intentio concedentis Indulgentiã: Ità Suar. & Viuald. in Cand. locis citatis.

43 Secunda concluſio pro ſecunda ſententia. Pœnitẽs licèt cõſecutus ſit Indulgentias non debet propterea pœnitentiam omittere.

Quapropter ponimus aliam concluſionem, quæ in praxi ſeruanda eſt.

Pœnitens, licèt lucretur Indulgentias plenarias, non debet propterea ſe liberum reputare ab onere adimplendi pœnitentiam à confeſſario iniunctam: Et ratio huius eſt, quia quandò lex imponitur ob multos fines, licèt vnus ceſſet, non deobligatur homo à lege ob alios fines, ergò licèt pœnitens per Indulgentias liberetur à pœnis luendis in Purgatorio, tenebitur tamen implere pœnitentiam illam, iuxta confeſſarij præceptum per alios fines, vti iam ſupra explicatum eſt.

44 Confirmatur concluſio. Concil. Trid.

Confirmatur, quia quamuis confeſſario conſtaret facienti generalem confeſſionem remiſſam eſſe à Deo omnem pœnam, debet tamen ſemper imponere pœnitentiam aliquam ſacramentalem, vt Sacramentum omnes ſuas partes habeat, iuxta doctrinam Sacri Concil. Trident. ſeſſ. decima quarta, capite octauo. Et quamuis Pœnitenti ipſi conſtaret, etiam per reuelationem, ſibi remiſſam eſſe omnem pœnam per ingentem contritionem, ſiuè per Indulgentias prius conſecutas, tenebitur tamen tempore debito omnia peccata illa ſubmittere clauibus per ſacramentalem confeſſionem, vt de illis ſacramentaliter abſoluetur: Vti nos ſupra probauimus in tractatu tertio capite quinto numero ſeptimo. Loquendo de effectibus contritionis, & per conſequens pœnitentiam acceptare, illamque adimplere, ergò pœnitentia non tantùm imponitur pro remiſſione pęnarum, à quibus liberat Indulgentia, ſed etiam in ſacramenti perfectionem, & in medicinam futurorum, aſſuefactionemque bonorum operum, & Chriſti imitationem: legite Henriq. Suarez locis cit.

Henriq. Suar.

45 2. Confirmatur.

Confirmatur ſecundò, iterum noſtra concluſio: Nam quandò ſummi Pontifices concedunt Iubilæa etiam pleniſſima, ſemper dicere ſolent, & dicunt in diplomate, vt Confeſſarij imponant pœnitentibus ſalutares pœnitentias in ſacramentali confeſſione etiã tempore Iubilæi: Ergò non eſt Prælatorum intentio per indulgentias conceſſas eximere pęnitentes ab obligatione adimplendi illas.

46 Reſpõdetur ad canonem, per ly Eneruantur.

Vndè ad Text. illum in cap. Cum ex eo, de Pœnitent. & remiſſ. §. Ad hæc patet reſponſio nam per ly (*Eneruantur Pœnitentia*) intelligitur, vt ſunt ſatisfactoriæ pro pœnis luendis, non autem, vt medicinales: Deinde Innocentius Papa III. in dicto Canone in Concilio Lateranenſi habito, non decernit: Per Indulgentias omitti poſſe ſacramentales Pœnitentias à confeſſarijs iniunctas, ſed tantùm monet Epiſcopos, ne indulgentias indiſcretè concedant, quia (vt ipſe ait) per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati concedere non verentur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, & ſatisfactiones pœnitentiales eneruantur, quod eſſe non debet: pro vt notauit Gloſſa ibi, & in cap. Priuilegia de Priuilegijs.

Gloſſa in ca. Priuilegia.

47 Reconciliātur opiniones Doctorũ.

Nec tandem alij Doctores in prima opinione citati omninò diſſentire videntur, quia quandò dicunt: *Non teneri ſub præcepto ad pœnitentiam adimplendam propter Indulgentias conſecutas*: Loquuntur de pœnitentia ſatisfactoria pro pœnis Purgatorij non autem quatenus medicinalis eſt & ad alios fines neceſſaria: Et quandò Pontifex intellexiſſet ità ſecundùm plenitudinem poteſtatis, vti nos diximus ſupra in prima concluſione.

48 In quo conueniat ſecunda ſententia cum prima.

Deindè conueniunt omnes, tam Theologi, quam Canoniſtæ vtriuſque ſententiæ, dicentes. Cuicumque obtinenti indulgentias conſulendum eſſe, vt pœnitentias iniunctas in ſacramentali confeſſione fideliter adimpleant, & hoc pluribus rationibus: Primò, quia non poſſunt eſſe certi de indulgentia conſecuta: Secundò, quia pœnitentiæ iniunctæ non ſolùm ſunt ſatisfactoriæ, verùm etiam medicinales, & partes integrantes ſacramenti ſuſcepti, & ſunt etiam meritoriæ: Legite Bonacinam tomo 1. de Pœnit. D. quinta, quæſt. 5. ſect. 3. puncto quarto, num. 10. Henriquez, Nauarr. & Nugn. cum alijs ſuprà citatis. Et in hoc omnes conueniunt, niſi quod ſecunda ſentẽtia, quam nos ſequimur docet, non ſolùm conſulendos eſſe pœnitentes ad eas pœnitentias iniunctas adimplendas, verùm etiam adimplere debere, licèt lucrati ſint indulgentias, niſi aliter de mente Pontificis, concedentis conſtaret, vti nos diximus in noſtris cõcluſionibus ſupra poſitis, & plenius dicetur in tractatu de Indulgentijs in 2. parte noſtræ Theolog. moralis.

Bonac. Henriq. Nauarr. Nugn. In quo differunt OO vtriuſque ſententiæ.

49 Quæſtio 21. An pęnitens peccet manifeſtando aliju pęnitẽtiam iniunctam. Concluſio eſt negatiua, niſi in duobus caſibus.

Quæritur tandem: An pœnitens peccet, manifeſtando pœnitentiam à confeſſario ſibi iniunctam in Sacramentali confeſſione?

Reſpondetur Regulariter non peccare, niſi quandò propter talem manifeſtationem, vel ipſe pęnitẽs, ſiuè confeſſarius, qui talem pœnitentiam impoſuit aliquod graue damnum incurreret: Ex. gr. Si ex illa manifeſtatione pœnitentiæ iniunctæ pro peccatis cõfeſſus ſcandalum daret alijs audientibus talem pœnitentiam fuiſſe illi impoſitam propter grauiſſima crimina, & ità ſeipſum abſque vtilitate infamaret, vel ſi confeſſarius, qui talem pœnitentiam grauem iniunxerat detrimentum aliquod pateretur, quia ſi fortè ſcirent homines, quod à confeſſario illi iniuncta fuerat tam grauis pœnitentia, odium aliquod apud aliquos incurreret, aut à multis irrideretur, aut huiuſmodi, tunc tenebitur pœnitens celare, & contra faciens grauiter peccaret, pro vt docent Richard. in 4. D. 21. q. 3. A. 5. Palud. q. 3. A. 3. Gabr. q. vnica A. 3. cõcl. 4. Ledeſm. 2. p. q. 10. A. 2. d. 2. Chametota tract. 7. de confeſſ. d. 14. & alios.

Richard. Palud. Gabr. Ledeſm. Chamerot.

50 Quomodò intelligendus ſit Nauar. quã contrarium videtur dicere.

Et hoc Credo voluiſſe dicere Nauarr. in cap. Sacerdos de Pœnit. D. 6. num. 115. quandò dixit: Pœnitentes teneri ad celanda, quæ cùm eis in Sacramentali confeſſione audiendo confeſſarius locutus fuerat, eò quod illa ad forum Dei ſpectant: Proindè pœnitentes illi peccare videntur, qui conſilium, aut pœnitentiam, ſiuè alia ſibi à confeſſario iniuncta, & dicta in ſacramentali confeſſione, ſine rationabili cauſa detegunt, quia videlicet ex illorum manifeſtatione aliquod ipſe confeſſarius pateretur detrimentum, vt ex verbis ſubſequentibus ipſius Nauarri intelligitur: Quod idẽ dicendum eſt de omnibus alijs, quę confeſſarius pœ-

nitenti

Palud. Adrian.

nitenti ea mente dixerat, qui allegat Palud. & Adrianum, locis ſupra citatis.

51 Limitatio.

Attamen, ſi pœnitens ſentiret ſe nimis aggrauatum à ſuo confeſſario ex indiſcreta pœnitentia iniuncta, ſi pergeret ad capiendum conſilium ab eo, qui poſſit prodeſſe, & non obeſſe, & manifeſtaret illi pœnitentiam iniunctam, quamuis propter hoc huiuſmodi confeſſarius indiſcretus, ſiuè ignarus reputaretur, non peccaret pœnitens in caſu, pro vt aduertit Chamerota: Et ratio eſt, quia non tenetur pœnitens ad ſacrum ſigillum ità actius, ſicut confeſſarius, ſed tantùm ratione fidelitatis celare debet ea, quæ confeſſario detrimentum facerent, aut ipſe confeſſarius ſub ſecreto dixerat in audiendo confeſſionem illius propter reuerentiam debitam ſacramento, & ità intelligendus eſt Nauarr. vbi ſupra.

Chamer. Pœnitens nõ tenetur ad ſigillum ſicut confeſſarius.

TRACTATVS XXIII.

De Sacramentis.

Et de Forma Abſolutionis, Tract. VI.

PROOEMIVM.

TRibus materialibus partibus Sacramenti Pœnitentiæ declaratis, quarum duæ priores dicuntur eſſentiales, & neceſſariæ in pœnitente, tanquam conditiones neceſſariæ, & tanquam quid præraequiſitum ad ſacramentum validum recipiendum: Sine enim pœnitudine impoſſibile eſt placere Deo, & abſque delicti commiſſi confeſſione ſententia valida dari non poteſt: Satisfactio autem, quæ eſt altera pars ipſius Pœnitentiæ ſacramenti requiritur pro iudicij ipſius integritate, de quibus mediante Diuina gratia, quæ neceſſaria erant ſatis, ſuperque in ſuperioribus dictum eſt: Sequitur modò doctrinæ ordinem ſeruando, vt de forma ipſius ſacramenti aliquid dicamus: Quæ quidem forma in abſolutione ſacramentali conſiſtit: Forma (inquam) partis, ideſt, Sacramenti, ſiuè ſigni illius ſenſilis inuiſibilis gratiæ iuſtificantis, quæ eſt forma totius, fundata in proximo illo ſigno ſenſibili, quod neceſſariò conſtare debet, ex materia, & forma ſenſibili: Vt ſupra dictum eſt in tractatu de ſacramentis in Genere: Et ideò partes, ſiuè actus pœnitentis ſe habent tanquam materia proxima ſacramenti, quæ determinantur per verba à Sacerdote debita cum intentione prolata peccatorum abſolutionem ſignificantia, quæ ſe habent, vt forma determinans tale ſignum ad ſignificandum talem ſacramentum: Vndè ſecundùm Scotum: Principale fundamentum Sacramenti Pœnitentiæ eſt abſolutio: Quapropter ſententia prolata à Sacerdote in perſona Chriſti per illa verba formalia: Ego te abſoluo, *dicuntur forma, quia quodammodò determinant, & diſtinctè ſignificant peccatorum remiſſionem, quæ in actibus pœnitentis confusè, & indiſtinctè ſignificantur: Agemus itaque in hoc præſenti tractatu de ipſa forma ſacramenti: Deindè videbimus: Quæ ſint verba eſſentialia formæ: Et an poſſit dari ſub aliqua conditione: Et poſtremò tandem de effectibus ipſius formæ, ſiuè Sacramenti tractabimus.*

Forma ſacramenti Pœnit. in abſolutione conſiſtit.

Principale fundamentũ ſacramenti Pœnitentiæ eſt abſolutio ſecundum Scot.

Diuiſio tractatus.

P. Geſualdus de Benonijs Capucc.

DE FORMA ABSOLVTIONIS.

CAP. I.

QVoniam Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum fuit per modum iudicij, & 1
ideo forma ipſius conſiſtit in illis verbis a Sacerdote, debita cum intentione prolatis, inſtar ſententiæ definitiuæ, ſignificantia abſolutionem Animæ à peccato, ideòq; forma huius ſacramenti conſiſtit in illa verba formalia: *Ego abſoluo te*, patet hoc per Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Vnde miniſter Sacramenti huius habet veram poteſtatem, tãquam proprius iudex in foro conſcientiæ abſoluendi ab omnibus peccatis.

Forma abſolutionis, quæ. Concil. Trid.

Et quamuis nullus poſſit dimittere peccata, niſi 2
ſolus Deus, & Chriſtus Dominus, qui tanquam inſtrumentum coniunctum Diuinitati ſecundùm humanitatem habet poteſtatem in terris dimittendi peccata: Sacerdos tamen tanquam miniſter ipſius Chriſti habet etiam poteſtatem virtute clauium conceſſam, qui licèt non ſit principalis iudex, eſt tamen ipſius Chriſti miniſter, Vndè dicendo Sacerdos: *Ego abſoluo te*, non ſibi vſurpat Diuinam auctoritatem (vt perperam putauerunt hæretici.) Non enim intendit hoc facere tãquam principale agens, ſed vt miniſter Chriſti, vtitur tamen illo loquendi modo, quia verè iudex eſt, & quia eius ſententia ex Chriſti inſtitutione ex ſe eſt infallibilis, & ſimul cum ipſo, & per ipſum Deum abſoluit, & iudicat.

Sacerdos, vt miniſter Chriſti dimittit peccata mediante Sacramento.

Vndè quamuis Sacerdos non ſit principalis iudex, 3
ſed miniſterialis, aliter tamen abſoluit, quam cæteri iudices temporales in vtroque foro: Iudices enim fori temporalis ità abſoluunt, & damnant, vt eorum ſententia poſſit inualidari, cùm non ſit omninò firma, donec à ſuperiori confirmetur: Sententia verò Sacerdotis abſoluentis eſt vltima, & definitiua, & infallibilis: Nam ſemper cum Sacerdotis ſententia coniuncta eſt ſententia Chriſti, principalis iudicis abſoluentis, & propterea Sacerdotis abſolutio ſemper eſt valida quantum eſt ex ſe, quandò nihil ex ſubſtantialibus deſit: Dixit enim Dominus Matt. 18. *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælo, & quodcumque ligaueris, &c.*

Sententia Sacerdotis abſoluentis coniuncta cũ Chriſti ſententia eſt infallibilis.

Matth. c. 18.

Ex quo ſequitur Sacerdotem habentem, ſiuè ordi- 4
nariam, ſiuè delegatam iuriſdictionem habere ex Chriſti inſtitutione veram poteſtatem dimittẽdi peccata per modum iudicij in Sacramentali confeſſione, & ideò forma abſolutionis conſiſtit in illa formalia verba per modum ſententiæ: *Abſoluo te, &cet.* Ità D. Thom. 3. p. q. 84. art. 3. Henriq. libr. 4. c. 11. n. 3. Vaſq. de Pœnit. q. 84. A. 3. d. 4. nu. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 6. c. 3. q. 6. num. 61. Nauar. in man. c. 26. nu. 2. Suarez to. 4. de Pœnit. D. 19. ſect. 1. num. 21. Sylu. Verb. Abſolutio 6. q. 4. & omnes communiter, quod patet ex doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 13. & 6. can. 3.

Sacerdos habet poteſtatẽ dimittendi peccata a Chriſto Domino.
D. Thom.
Henriq.
Vaſq.
Filliuc.
Nauarr.
Suar.
Sylu.
Concil. Trid.

Sed contra videtur eſſe dictum aliquorum Docto- 5
rum, pro vt refert D. Thom. opuſc. 22. c. 2. nu. 3. exiſtimantium: Formam Sacramenti huius debere eſſe modo deprecatiuo, & non indicatiuo, aut imperatiuo, & probant hanc opinionem ex Epiſtola 89. Leonis Papæ, vbi loquens de remiſſione peccatorum, quę præſtatur pœnitentibus, ait: *Indulgentia peccatorum, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequit obtineri*, ergò (inquiunt) forma abſolutionis dari debet per modum deprecatiuum, eò quod à ſolo Deo obtinetur peccatorum remiſſio, & ideò danda eſſet ſicut datur Extremæ vnctionis Sacramentum, dicendo: *Parcat tibi Deus, quicquid deliquiſti, &c.*

Obiectio probans formã dandam eſſe modo deprecatiuo.
Fundamentum argumenti.

Huic ſententiæ videtur fauere Magiſter in 4. ſent. 6
D. 18.

Citatur Magiſter.

D. Bonau. & Alenſ. pro hac difficultate.

D.18. dicens: Claues Eccleſiæ datas, non ſe propriè extẽdere ſupra culpam, licèt ſe extendat per modum deprecantis, & impetrantis, quod exponentes D. Bonau. eadem diſtinctione. A.2. quæſt.1. num.18. & Alenſ.4. p.qu.80. membr.2. dicunt: omnia illa verba, quæ præmittit Sacerdos, ideſt: Miſereatur tui, &c. Dominus noſter, &c. eſſe miniſterium Sacerdotis impetrantis abſolutionem à Deo, & impetratione facta, dicit poſtea: *Abſoluo te* proferens ſententiam Chriſti abſoluentis in Cęlo: Nunquam enim (dicent iſti Doctores,) Sacerdos abſolueret quemquam, de quo non præſumeret, quod ſit prius abſolutus à Deo.

7 Solutio obiectionis. Concil. Trid.

Verùm tamen opinio iſta non eſt tenenda, cùm ſit contra Decreta Pontificum, atque Conciliorum, præſertim Triden. d. ſeſſ.15. cap.3. & 5. & contra verba ipſius Chriſti, dicentis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; & non dixit: Quorum poſtulaueritis remiſſionem, &c. ergò Sacerdotes habent poteſtatem virtute clauium dimittendi peccata pœnitentibus, non modo deprecatiuo, ſed iudiciali: Ità communiter omnes Doctores ſupra citati: Vndè ad rationes contrariorum.

8 Soluuntur rationes contrariorum.

Reſpondetur, quod Leo Papa ibi non loquitur de ſubſtantiali forma huius Sacramenti, ſed de illis verbis deprecatorijs, quæ iuxtà communem vſum Eccleſiæ præmitti ſolent ante abſolutionem, quia Sacerdos non exercet munus ſuum ſine aliqua deprecatione, quæ non eſt de eſſentia Sacramenti, ſed de conuenientia; quibus peractis, abſolutè dicit iudiciario modo: *Ego abſoluo te, &c.*

9 Ad illud autem, quod dicitur: A ſolo Deo obtineri remiſſionem peccatorum: Reſpondendo dicimus, quod: Si loquimur de remiſſione extra Sacramentum Pœnitentiæ, verùm eſt quod à ſolo Deo habetur remiſſio: Si verò loquimur de remiſſione mediante Pœnitentiæ Sacramento, non à ſolo Deo, ſed à Deo ſimul cum Sacerdote abſoluente Chriſti auctoritate tradita, vt ſupra dictum eſt.

10 3. Obiectio.

Nec valet dicere: Sacerdos modo deprecatiuo cõfert gratiam, & remittit peccata tanquam miniſter Chriſti in alijs Sacramentis, ergò etiam in hoc Pœnitentiæ Sacramento eodem modo poteſt, & debet dimittere peccata modo Videlicet deprecatiuo: In Sacramento enim Extremæ Vnctionis, dicens: *Per iſtam Sanctam vnctionem remittat tibi Deus, &c.* mediantibus illis verbis confertur gratia Sacramentalis, ergo ſimili modo fieri debet in Sacramento Pœnitentiæ: non enim eſt maior ratio de vno, quàm de alio.

11 Solutio.

Reſpondetur: Hoc verum eſſe, Potuiſſe Chriſtum Dominum inſtituere Pœnitentiæ Sacramentum ſub forma verborum deprecatiua, pro vt fecit in Sacramento Extremæ vnctionis, eò quod virtus infinita Dei alligata non ſit. Hoc tamen de facto minimè fecit, ſed re ipſa Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit per modum iudicij: ſicut autem in iudicio non ſufficit ferre ſententiam modo optatiuo, ità nec ſufficit in Sacramento Pęnitentiæ forma deprecatiua, ſed proferenda eſt modo iudiciali per verbum imperatiuum, ſiuè indicatiuum, ſecundùm Chriſti Domini inſtitutionem.

Sacram. Pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum iudicij.

12 Conc. Flor. & Trident.

Quapropter Conc. Flor. & Triden. ſeſſ.14. cap.3. dicunt: *Formam, in qua ſita eſt præcipua vis Sacramenti Pœnitentiæ eſſe verba illa: Ego abſoluo te, orationes verò, quæ præmittuntur ex Eccleſia conſuetudine ad hanc formam non pertinere*: Et ratio huius eſt, quia Pœnitentiæ Sacramentum eſt inſtar actus iudicialis, & inſtar ſententiæ, quæ datur ex cognitione cauſæ: At ſententia iudicialis nunquam profertur à iudice ſub forma deprecatiua, ſed ſub forma enunciata, ſiuè imperatiua per modum imperij, ergò tali modo proferenda eſt Sacramentalis abſolutio: Vndè ſi aliquis Sacerdos dare voluerit Sacramentum in forma deprecatiua nihil faceret: Ità D. Thom.3. p.qu.84. A.3. Caiet. & Vaſq. ibidem. Suarez in com. eiuſdem quæſtionis: Soto in 4. D.14. q.4. Filliuc. to.1. tract.6.c.3. qu.8.nu.68. Bonac. to.1. D.5.q.4. ſect.3. p.2.nu. 8. & alij communiter.

Abſolutio data ſub forma deprecatiua nulla eſt.

D. Thom. Caiet. Vaſq. Filliuc. Bonac.

Hinc Infertur primò: Veram non eſſe illam quaſi communem opinionem multorum, dicentium: In caſu neceſſitatis poſſe confeſſionem peccatorum fieri Sacerdoti abſenti, & ab eodem abſente poſſe abſolutionem dari per ſcriptum, pro vt tenuerunt Palud. in 4. D.17. quæſt.2. A.1. D. Anton.3.p.tit.14.cap.9. & tit. 17. cap.12. num.36. Sylu. Armilla, & Tabien. Verbo Confeſſio 3. num.23. Nauar. in manu.c.21.nu. 36. & in cap. Quem pœnit. de Pęnit. D.1. & alij nonnulli, quos refert Suarez to.4. de Pœnit. D.19. ſect.3. in prima opinione. 13

Abſolutio in abſentia per ſcriptum dari nõ poteſt. Contra Paludanum. D. Anton. Syluest. Armillam. Tabien. Nauarr.

Ratio autem iſtorum eſt, quia Sacramentum hoc inſtitutum eſt per modum iudicij, At ſententia iudicis non modo profertur verbis, verum etiam ſcriptis, ergò, & ſententia abſolutionis data etiam in ſcriptis, erit valida, ſi propter neceſſitatem aliquandò tali modo eſſet facta; Nam pęnitens fit moraliter præſens per ſuam confeſſionem, licèt in ſcripto: Nam ea, quæ ſunt in ſcripto ſunt nota eorum, quæ ſunt in voce, & ità non repugnat veritati formæ Sacramentalis. 14

Ratio in qua fundatur iſta opinio.

Tum etiam quia dirigendo confeſſarius intentionem ſuam ad abſentem, factum moraliter præſentem per ſcripturam dicere verè poteſt: (*Abſoluo te:*) Tum quia dicere poſſumus: *Abſoluo Petrum, Franciſcum*, &c. & tunc abſolutio propriiſſimè dirigitur ad abſentem: Nam ſæpè ſæpius contingere poteſt, vt pœnitens non poſſet in præſentia conuenire Sacerdotem, vel quia vterque, vel grauiter ægrotaret, vel quia vterque vel alter eorum, vel in Carcere detineretur, vel propter Sacerdotum penuriam in Prouincijs infidelium, ſiuè Hæreticorum: Potuit enim Chriſtus Dominus hoc modo inſtituere hoc Sacramentum, & ad finem ipſius erat cõſentaneum, quia ſicut pœnitens fit moraliter præſens per confeſſionem factam per ſcriptũ, ità, & abſolutio Sacerdotis dirigitur ad ipſum, ergò in caſu neceſſitatis non videtur inconueniens talis abſolutio dari poſſe per ſcriptum. 15

2 Ratio principalis.

His tamen non obſtantibus, dicimus: Opinionem iſtam non eſſe tenendam, cùm omninò ſit periculoſa, imò falſa, & erronea, & ad præſens prohibita, & condemnata à Sanctiſſimo Papa Clemente VIII. in quodam Decreto, motu proprio emanato ſub die 19. Menſis Iulij 1598. vbi prædictam opinionem condemnauit, vt falſam, temerariam, atque ſcãdaloſam, & prohibuit ſub pœna Excommunicationis, ipſo facto incurrendam, & ſibi reſeruatam, præcepitque, ne deinceps talis propoſitio in publicis, priuatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſionibus doceatur, ſiuè vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, & ad praxim reducatur. 16

Reijcitur opinio prædictorum Doctorum, cum ſuo fundamento. Decretum Clementis VIII.

Et quamuis expreſsè non declaret Pontifex; talem abſolutionem eſſe nullam: talis tamen videtur eſſe eius intentio, tum quia in hoc Sacramento hæc duo per ſe non ſeparantur: Nam ſi ex ſe non licet, ideò eſt, quia Sacramentum ità perfici non poteſt: Ità Suarez D.19. ſect. 3. & varijs rationibus prædictam opinionem impugnat, & reijcit, & hanc doctrinam Suarez tenuerunt Caietan. in ſumm. Verbo Cõfeſſio cond.11. Victoria in ſumm. num. 171. Soto in 4. D.18. quæſt.2. A.6. Ledeſm. 2. p.4. quæſt.9. A.3. d.1. Tolet. lib.3.cap.6. Greg. de Valentia 3. p. D.7. qu. 11. p.1. Em. Sà Verb. Abſolutio numer.10. & Verbo Confeſſio numero 14. Coninch. D.4. de Pœnit. d.9. num.66. Henriquez lib.4. de Pœnit.c.11. Filliuc. to.1. 17

Abſolutio in ſcriptis non valet.

Suar. Caiet. Victoria. Soto. Ledeſma. Valentia. Em. Sà Cordoba. Henriq. Filliuc.

tract. 6.

Digitized by Google

Bonac.

tract.6.c.3.nu.80.Bonac.to.1.D.5.q.4.p.6.n.1. alijque ab ipſis citati.

18 Rationes a. ſententiæ.

Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia Eccleſia numquam vſum habuit, & approbauit, ergò ſignum eſt, id fieri non potuiſſe, quia ſi potuiſſet, iam feciſſet: Quod ſi aliquando legatur hoc fuiſſe factum, dicimus: Hoc non conſtare authenticè, & dato quod conſtaret, dicimus talem non fuiſſe abſolutionem Sacramentalem, ſed vel à Cenſuris, vel ad reconciliationem pertinentem, vel benedictionem aliquam, & conceſſionem indulgentiæ: vt pluribus Suarez. Nam de ratione huius formæ abſolutionis eſt, vt proferatur voce humana, & dirigatur ad perſonam præſentem, quod confirmat particula illa (*Te*) nam voce prolata, dirigitur ad præſentem, ergò non poteſt applicari in abſentem.

De ratione huius formæ eſt quod proferatur voce humana.

19 Alia ratio.

Dicimus tandem, cum hoc Sacramentum inſtitutum ſit per modum iudicij, quod ante abſolutionem requirit cauſæ cognitionem, & cum ſit iudicium internum, & voluntarium, in quo pœnitens habet vicem accuſatoris, teſtis, & rei, oſtendentis ſuam diſpoſitionem ex natura rei poſtulat iudicis præſentiam, ergò non poteſt conferri per ſcriptum in abſentia, quacumque occurrente cauſa: Ità docet Suar. cum alijs locis ſupra citatis.

20 Differentia inter confeſſionem, & abſolutionem. Concil. Trid.

Hinc colligitur: Differentiam eſſe inter confeſſionem, & abſolutionem: Hæc enim debet ore proferri: Vndè Conc. Trident. d. ſeſſ. 14. cap. 3. dixit: *Formam abſolutionis conſiſtere in verbis illis à miniſtro prolatis, & dicente: Ego abſolue te*, & in c. 6. dicitur: *Abſolutionem Sacramentalem eſſe ad inſtar actus iudicialis, quæ à Sacerdote veluti à Iudice ſententia pronunciatur.* Confeſſio verò aliquando etiam nutibus fieri poteſt, ac etiam ſignis, & ſcriptis, dum tamen quando pœnitens abſoluitur præſens ſit.

Confeſſio fieri poteſt nutibus, & ſcripto non verò abſolutio.

21 Differentia inter Cenſuram, & Sacramentum Pœnitentiæ.

Secundò: Differentia eſt inter abſolutionem Cenſurarum, & peccatorum abſolutionem Sacramentalem, quod illa fieri poteſt in abſente, vt dicetur in materia de Cenſuris: Abſolutio verò peccatorum voce Sacerdotis præſentis, & abſoluentis eſt pronuncianda.

22 Differentia inter ſacramentum Matrimonij, & Pœnitentiæ.

Et quamuis Matrimonij Sacramentum, quod fit per mutuum conſenſum coniugum poſſit aliquando fieri per procuratorem, ſiuè per nuncium, & ſigna inter abſentes: Hoc tamen non valet in Sacramento Pęnitentiæ, quia Chriſtus Dominus hoc, & illud Sacramentum inſtituit: Nam Sacramentum Matrimonij, eſt inſtitutum per modum contractus: Abſolutio autem facienda eſt verbis Sacerdotis abſoluentis pęnitentem contritum, & confitentem peccata ſua, & ideò non eſt par ratio vtriuſque.

23 Quanta præſentia requiritur inter abſoluentem, & pœnitentem.

Quanta autem debeat eſſe præſentia, ſiuè propinquitas inter pœnitentem, & abſoluentem morali, & prudenti iudicio penſanda eſt: Vndè illa propinquitas, quæ ſufficit ad ſenſibilem deſignationem, & locutionem cum altero ad huiuſmodi formam validè, & efficaciter conferendam ſatis erit: ſicut plenius diximus in Tractatibus de Sacramentis in genere, & de Euchariſtia: nam cum ratio huius præſentiæ præcipuè fundetur in forma, ex illa etiam colligendus eſt modus eius: legite Suarez ſupra nu. 13.

DE ESSENTIALIBVS VERBIS FORMÆ Sacramentalis Abſolutionis.

CAP. II.

1 Cvm Sacramentorum formæ conſiſtant in verbis à miniſtro prolatis ſuper debitam materiam, iuxta Chriſti Domini inſtitutionem, ſignificantibus effectum talis Sacramenti: Ideò dicimus ex communi conſenſu omnium Theologorum: Verba eſſentialia Sacramenti Pœnitentiæ, in quibus conſiſtit tota ratio Sacramenti eſſe illa duo verba Sacerdotis, debita cum intentione prolata, quando dicit: *Abſoluo te*. In his enim verbis ſufficienter exprimitur ſententia formaliter abſoluentis, & effectus ipſius Sacramenti, virtute clauium Sacerdotibus à Chriſto Domino collata poteſtas: quando dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: patet hoc ex perpetua traditione Eccleſiæ: pro vt docent D. Thom. 3. par. quæſt. 84. A. 3. & Greg. de Valent. D. 7. q. 1. p. 3. Nugn. d. q 84. A. 3. d. 2. Vaſq. de Pœnit. D. 84. A. 3. d. 4. nu. 4. Henriq. lib. 4. cap. 11. nu. 3. Filliuc. tract. 6. cap. 3. q. 7. nu. 64. Sylu. Verb. Abſolutio 6. q. 4 Nauarr. in man. c. 26. nu. 2. Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 19. ſect. 1. alijque permulti.

Abſoluo te ſunt verba eſſentialia formæ.

D. Thom. Valentia. Nugn. Vaſq. Henriq. Filliuc. Sylu. Nauarr. Suar.

Ratio autem huius aſſertionis clariſſima eſt: Nam illa ſunt verba eſſentialia formę Sacramenti huius, quę ſignificant effectum, ad quem Pœnitentiæ Sacramentum fuit inſtitutum à Chriſto Domino, ſecundum ipſius inſtitutionem: Sacramenta enim efficiunt, & ſignificant infallibiliter gratiam inuiſibilem iuſtificantem, & ſignificando efficiunt, quod ſignificant: Sed effectus, ad quem fuit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ perfectè ſignificatur per illa duo verba: *Abſoluo te*. Nam ſignificatur abſolutio, & remiſſio peccatorum commiſſorum, qui eſt proprius effectus iſtius Sacramenti, ergò eſſentia, & ſubſtantia formæ Sacramenti Pœnitentiæ formaliter conſiſtit in illis verbis: *Abſolue te*: quatenus Scilicet efficiunt hunc ſenſum: *Ego abſoluo te a peccatis tuis*, vt apertè colligitur ex verbis Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. dicentis: *Formam Sacramenti huius præcipuè ſitam eſſe in verbis illis (Abſoluo te.)* 2

Ratio Aſſertionis.

Concil. Trid.

Sed contra obijciet aliquis, dicendo: Illa dua verba tantùm videntur non ſufficere ad veritatem formæ: Nam per Trid. dicitur Verba eſſentialia formæ eſſe: *Ego abſolue te &c.* & additur ly &c. quod non adderetur, niſi alia verba eſſent etiam addenda: ex quo inferunt Gabriel. in 4. D. 14. q. 2 & Ioan. Maior. ibi. & Palud. D. 22. q. 3. cum alijs: Eſſentialia verba formæ huius eſſe: *Ego abſolue te à peccatis tuis*, quia verba formæ ſignificare debent directè effectum remiſſionis peccatorum, ſecundum Chriſti Domini mentem inſtitutoris, qui dixit: *Quorum remiſeritis peccata &c.* Sed dicere: *Abſolue te*, non ſignificat propriè peccatorum remiſſionem, ergò eſt manca, cùm non magis ſignificare poſſet abſolutionem à peccatis, quàm à Cenſuris, & pœnis, quibuſcumque alijs, ergò ſaltem neceſſariò addendum eſt: *à peccatis tuis*. 3

Obiectio.

Gabr. Maior. Palud.

Reſpōdetur, quod ſi loquimur de pronomine (Ego) dicimus quod: Includitur in ly verbo: Abſoluo, & Concil. Trident. loquitur de pronomine explicito, non autem negat implicitum ſufficere: nam in illo verbo (*Abſolue te*) prima perſona intrinſecè neceſſariò includitur: Verùm eſt tamen, quod ſine rationabili cauſa non eſt omittendum, cùm talis ſit communis Eccleſiæ vſus, pro vt aduertit Filliuc. d. tom. 1. tract. 6. c. 3. nu. 64. & alij. 4

Solutio. Ly Ego includitur in ver. Abſolutio. Ly Ego ſine cauſa non debet omitti.

Filliuc.

Si autem loquimur de ly, (A peccatis tuis) dicimus, quod: ſuppoſita confeſſione, & accuſatione peccatorum à pœnitente, per verbum illud (*Abſoluo te*) neceſſariò intelligitur peccatorum abſolutio, & non ab alijs, & ità argumentum non eſt ad propoſitum: Vndè Trid. per illam particulam indicare voluit, Formam Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtere in his verbis: *Ego te abſoluo*, quatenus efficiunt hunc ſenſum: *Abſoluo te à peccatis*: Verùm eſt tamen, quod communiter non debet omitti, ſed omnia explicitè declarare, ſecundum com- 5

Ly à peccatis tuis intelligitur ſuppoſita peccatorum, confeſſione. Concil. Trid. quid voluit indicare. Paſſim autem nō debet omitti, ſecundum vſum Eccleſiæ.

Digitized by Google

communem Eccleſiæ vſum: Vix enim cauſa ità vrgens & rationabilis poteſt accidere omittendi verbum illud à peccatis; tum quia ſic vitatur omne periculum propter probabilitatem oppoſitæ ſententiæ; Ità Filliuc. d. c.3.q.7.num.65. Nauar.c.26.num.2.Caiet.in ſum.verb. Abſolutio, & Bonacina tom.1.de Pœnit.D.5.q.4.par. 1.num.1.

Filliuc. Nauarr. Caiet. Bonac.

6 Abſolutio nō poteſt dari in abſtracto, ſed debet exprimi ſubiectū.

Hinc infero primò, quod ſi aliquis Sacerdos pœnitentem abſoluens diceret tantùm: Abſoluo, ſine aliqua explicatione ſubiecti, in quod cadit abſolutio, nullum faceret Sacramentum: & Ratio huius eſt, quia Abſolutio, ſiuè remiſſio debet ſignificari, & applicari in particulari, & practicè, non autem in abſtracto, non declarando cui applicatur: Vndè ly Te, ſiuè nomen proprium pœnitentis, ſiuè aliud æquiualens neceſſariò eſt exprimendum in forma: Nam abſolutio eſt iudicialis ſententia, quæ dirigenda eſt ad Reum, & in eum eſt terminanda, dicendo autem ſimpliciter: *Abſoluo*, ſine deſignatione pœnitentis abſoluti, non valet, vt eſt communis ſententia.

Ly. Te eſt de neceſſitate, ſiuè aliud æquiualens.

7 Inſtantia.

Nec valet dicere: Sufficere in caſu Sacerdotis intentionem abſoluentis, quæ dirigitur ad pœnitentem: Nā ex antecedentibus, & conſequentibus ſatis apparet pœnitentem præſentem à peccatis confeſſis abſolui, ergò.

8 Soluitur. Non ſufficit intentio, ſine expreſſione ſubiecti, & abſoluitur.

Reſpondetur: Intentionem non ſufficere, quia talis non eſt ſenſibilis, alioquin, nec verba eſſent neceſſaria, ſi ſufficeret ſimpliciter Sacerdotis intentio, quod quidem falſum eſt; Quàpropter ſi omittatur particula illa: Te, ſiue alio æquiualente, mutatur forma ſubſtantialiter: Nam forma abſolutionis inſtituta eſt per verba demonſtratiua. Concludimus ergò verba illa: *Abſoluo te*, eſſe neceſſaria & eſſentialia, cum vtrumque neceſſarium ſit ad effectum Sacramenti ſignificandum: Actus enim iudicialis non poteſt ſignificari ſine verbo: Abſoluo, & remiſſio non fit practicè, ſi non declaretur perſona, cui fit remiſſio, & abſolutio: Ità Suarez tom.4. de Pœnitent. Diſtin.19. ſect.1. num.22. Filliuc.d.tract.6.cap.3.quæſt.7.num.66. Molfeſ.tract.7.c. 5.num.23.& Bonac. tom.1. de Pœnitent.D.5.quæſt.4. p.2.num.10.

Concluſio.

Suar. Filliuc. Molfeſ. Bonac.

9 Inuocatio Trinitatis nō eſt de eſſentia formæ huius Sacramēti.

Secundò Infero: Inuocationem Trinitatis non eſſe de eſſentia formæ abſolutionis: Quàpropter, ſi non addantur illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, valida omninò eſt abſolutio, cùm tantùm illa duo verba: *Abſoluo te*, ſint de eſſentia formæ, & non alia: Ità Diu.Thom.3.par. quæſt.88. Art.3. Vaſq. de Pœnitent.D.84.q.3.num.9. Henriq.in ſumm.lib.4. c.11.num.4. Coninch.de Pœnitent. D.4. d.3. num.30. & alij.

D. Thom. Vaſq. Henriq. Coninch.

10 Opinio Durandi oppoſita reijcitur.

Solus tamen Durandus in 4. Diſtinct. 22. quæſt. 2. Contrarium docuit, putans, eamdem eſſe rationem huius Sacramenti, & Baptiſmi, ſed fallitur: Nam Eccleſia, & Concilia hoc definiunt ſolùm de Baptiſmo; qui eſt Sacramentorum ianua, in quo facienda eſt fidei profeſſio, quod non faciunt de Pœnitentia: Tum etiam, quia Chriſtus ſolummodò dixit: *Quorum remiſeritis peccata. &c.* & non addidit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, pro vt dixit in Sacramento Baptiſmi.

11 Quare communiter dicitur: In nomine Patris, &c.

Verùm eſt tamen, quod communiter addi ſolet, vt miniſter oſtendat ſe operari, vt miniſter Chriſti, & non vt principale agens. At quia hoc non eſt de eſſentia, cùm non ſit determinatum in verbis Chriſti, ideò relinquitur arbitrio Sacerdotum, quia cùm non ſit de eſſentia liberè prætermitti poteſt ſine peccato (ſecluſo tamen ſcandalo, aut contemptu:) Ità Diu. Thom. 3.par, quæſt.88. A.3. & Greg. de Valent.3.p. D.7.q.1. par.3. & Vigoër. de Sacrament. Pœnitent. Art.ſexto, Verb.2.§.4.

D. Thom. Valentia. Vigoer.

Aduertendum eſt tamen, quod Bonacina tom.1.de Pœnitent. D.5.quæſt.4.p.1.num.3. exiſtimat non poſſe omitti in forma abſolutionis inuocationem Trinitatis abſque aliqua culpa, ſaltem veniali, quia non licèt facere contra vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem: Chamerota verò lib.de Sacramentis tract.7.c.5. d.1.exiſtimat, quod ſi quis confeſſarius in forma abſolutionis voluntariè, omitteret inuocationem Trinitatis, non dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* peccaret mortaliter, quia exiſtimat hoc eſſe de præcepto: (Sed fallitur etiam cum Durando;) Non enim vt dixi: hoc eſt de eſſentia formæ, neque ſub præcepto aliquo, ſed tantùm de congruentia, & decentia, pro vt communiter tenent omnes ferè Theologi. 12

Bonac. exiſtimat huiuſmodi omiſſionē eſſe p. v. Chamerot. dicit eſſe mortale.

Reijcitur vtraq; opinio.

Tertiò Infero, quod: Laudabiliter, addi ſolent verba illa poſt abſolutionem Sacramentalem, dicendo: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita B. Mariæ Virginis, omniumque Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ*. Nam per illam additionem fit aliqua iniunctio pœnitentiæ generalis, & applicantur omnia illa virtute clauium, & valent ad expiandas pœnas peccatis debitas, maximè tamē quando pœnitentia iniuncta non eſt ſufficiens, vt eſt doctrina D. Tho. Quodlibet.3. Sylu. ver.confeſſio 4.q.1.Nauarr.in man.c.26.num.11. Chamer.loc.cit.non ſunt tamen neceſſaria, ſed ad benè eſſe, ſecundùm omnes. 13

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ additur in fine.

Conuenientes, ſed non neceſſariò.

D. Thom. Syluest. Nauarr. Chamer.

Similiter etiam dicimus de verbis præcedentibus, vt *Miſereatur tui &c. Indulgentiam: &c. Et Dominus Ieſus Chriſtus: Et ego auctoritate ipſius abſoluo te: &c.* Non eſſe neceſſaria, ſed conuenienter, & laudabiliter premitti ſolent à confeſſarijs, non vt neceſſaria ad perficiendum Sacramentum, ſed ad impetrandum à Deo, ne ex parte pœnitentis impediatur effectus Sacramenti, ſicut etiam præmittitur abſolutio à Cenſuris dicendo in genere ad cautelam: *Si teneris aliquo vinculo Excommunicationis minoris, ſiuè maioris ſuſpenſionis, vel interdicti à quibus te poſſum abſoluere abſoluo te, & quatenus poſſum reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium: &c.* ne ex hac parte impediatur effectus Sacramenti. 14

Miſereatur tui, Indulg. Dominus noſter Ieſus Chriſtus &c. Quare permitti ſolent.

Abſolutio à Cenſuris in genere, quare præmittitur.

Verùm eſt tamen: non eſſe neceſſaria omnia iſta, Vndè ſi omittantur non erit peccatum: Tum quia in ly verbo: *Abſoluo*, poteſt etiam intelligi abſolutio à Cenſuris, vt infrà dicetur: Ità expreſsè docent Suarez d.to.4.D.19.ſectione 1.num.16.& Filliuc.tom.1.tract. 6.cap.3.q.7.nu.65.Nauar.loc.cit.& Caiet. Verb.abſolutio, & alij. 15

Hæc omnia non ſunt neceſſaria.

Suar. Filliuc. Nauarr. Caiet.

Quartò Infero: Abſolutionem Cenſurarum dari quandoque poſſe iiſdem verbis, quibus datur Sacramentalis abſolutio, eademque verba ſufficere pro vtraque abſolutione: Nam ſuperior abſoluens, poteſt ex intentione iiſdem verbis vti ad vtrumque effectum: E.g. ſi dicat: (*Abſoluo te*) intendens ſimul abſoluere à peccatis, & Cenſuris: Quod idem eſt dicendum de Sacerdote abſoluente in Sacramentali confeſſione ordinaria, quamuis non præmittat abſolutionem expreſſam à Cenſuris includitur tamen in illis verbis: (*Abſoluo te:*) Adhuc enim verificatur ſenſus formæ Sacramentalis, & ſufficienter indicatur relaxatio vinculi Cenſuræ, ſiuè Cenſurarum: Hoc tamen intelligitur, modò Sacerdos iiſdem verbis intendat abſoluere à Cenſuris, & peccatis: In quo caſu abſolutio à Cenſuris cenſetur prior natura abſolutione à peccatis: Ità Soto in 4. Diſtinct.14. quæſt.1. Artic.3. Henriq.libr.4. cap.11, num.3. Bonacin. Diſt.5. quæſt.4. p.1. num.10. & Nauarr. de Pœnitent. Diſt. 6. cap. 1. Couarr. in C. Alma mater §.11. num.6. Filliuc. d.tom.1. tractat.11. cap.10. 16

Abſolutio cēſuræ includi poteſt in ly Abſoluo.

Requiritur tamen intentio miniſtri ità abſoluentis.

Abſolutio cēſuræ, eſt prior natura à peccatis.

Soto. Henriq. Bonacina. Nauarr. Couarr. Filliuc.

Digitized by Google

Suar.

cap. 10. quæſt. 7. Suarez tom. 4. Diſtinct. 10. ſect. 2. num. 7. & alij.

17 Obiectio.

Nec valet dicere: Vnam, & eamdem abſolutionem non poſſe eſſe Sacramentalem, & non Sacramentalem, ſed abſolutio à peccatis eſt Sacramentalis, abſolutio verò à Cenſuris non eſt Sacramentalis, ergò eadem abſolutionis forma non poteſt adhiberi ad abſoluendum ſimul à Cenſuris, & peccatis, cùm affectus Cenſuris repellatur à receptione ſacramentorum, ergò non poteſt vtraque abſolutio iiſdem verbis impendi.

18 Solutio.

Vna, & eadẽ forma poteſt eſſe ſacramẽtalis, & non ſacramentalis.

Reſpondetur ad primum: Negando: Vnam, & eamdem formam materialiter non poſſe eſſe Sacramentalem, & non Sacramentalem, habita ratione ad diuerſos effectus, & fines à Sacerdote intentos: Vndè Sacerdos abſoluens eamdem abſolutionis formam adhibere poteſt ad ſignificandam, & impendendam abſolutionem à peccatis, & Cenſuris, & conſequenter, vna, & eadem forma, materialiter ſumpta, poteſt eſſe Sacramentalis, & non Sacramentalis, quamuis non poſſit eſſe formaliter, pro vt ſupponit obiectio facta in oppoſitum: & ideò nihil facit contra noſtram ſententiam.

19 Soluitur. 2. Inſtantia.

Ad ſecundam Inſtantiam: Dicimus: Abſolutionem Cenſurarum, natura præcedere abſolutionem à peccatis, quatenus abſoluens prius intendit tollere Cenſuras, deindè peccata: Certior tamen modus abſoluendi eſt, ſi confeſſarius dicat (*Abſoluo te ab omnibus Cenſuris, & peccatis tuis &c.*) pro vt aduertit Bonac. d. to. 1. de Cenſuris: D. 1. q. 3. p. 5. nu. 3.

DE SENSV VERBORVM Formæ.

CAP. III.

1 Tria proponuntur conſiderãda.

TRia in hoc præſenti Capitulo veniunt diſcutienda, atque declaranda: Primò quid ſit ſenſus verborum formæ? Secundò: An in ipſa forma verborum poſſit fieri aliqua accidentalis mutatio? & Tertiò: An poſſit talis forma dari ſub aliqua conditione? Vndè circa primùm mouetur prima Quæſtio.

2 P. Quæſitum. Quid ſignificent verba formæ. Ratio dubitandi.

Quæritur ergò Primò: Quem ſenſum habeant illa verba (*Ego te abſoluo*) & quomodo verificari poſſunt: Nam verba formæ effectiuè, & infallibiliter efficiunt, quod ſignificant ex Chriſti Domini inſtitutione; & Ratio dubitandi eſt, quia forma huius Sacramenti cadit ſuper actus ipſius pœnitentis, quæ ſunt Sacramenti huius materia: In alijs verò Sacramentis materia applicatur ab ipſo miniſtro, vt patet in Baptiſmo, Confirmatione &c. in quibus forma immediatè ſignificat ſupernaturalem effectum: In hoc autem Sacramento contingit aliquando ſubiectum non eſſe diſpoſitum, vel non indigere remiſſione. Nam ſæpè contingit hominem per contritionem perfectam iuſtificari totaliter, etiam ante abſolutionem: Vel è contra non eſſe diſpoſitum ad conſequendam gratiam, & ideò abſolutio non habebit effectum ſuum ſemper infallibiliter abſoluendi.

3 Notandum Trip. eſt effectus formæ. Primarius cõferre gratiam remiſſiuam.

Pro intelligentia huius difficultatis ſupponimus: Primò: Effectum formæ primarium eſſe, Conferre gratiam expulſiuam peccati: Secundò Reſtituere virtutes, & gratiam amiſſam: & Tertiò Commutare pœnam æternam peccatis debitam in temporalem, partemque ipſius condonare, vt in ſequenti capitulo videbitur.

4 Reſolutio quæſtionis.

Hoc ſuppoſito Reſpondendo dicimus, quod licèt ly verbum Abſoluo ſolùm videatur ſignificare ſolutionẽ vinculi, quia tamen peccati vinculum non diſſoluitur, niſi per infuſionem gratiæ, & ideò forma huius Sacramenti primò, & per ſe ſignificat ſanctificationem Animæ, quæ fit per infuſionem gratiæ expellendo peccatum, ideòque ſenſus formalis huius formæ: (*Ego te abſoluo*) idem eſt, ac ſi diceretur: *Confero tibi gratiam remiſſiuam, ſiuè Abſolutionis Sacramentum tibi impendo*: Ità Diu. Thom. 3. par. quæſt. 84. A. 3. ad tertium: Qui ſenſus verus eſt, in quocumque caſu, ſiuè pœnitens accedat in gratia virtute perfectæ contritionis, ſiuè pœnitens ex ſua culpa ponat obicem ex indiſpoſitione ad effectum gratiæ conſequendum, ſiuè confiteatur de mortalibus culpis, ſiuè de venialibus, & ſiuè de illis ſit contritus, ſiuè attritus ſufficienter: Et hoc credo dixiſſe Nauarrum in man. cap. 9. num. 2. Abſolutionem Sacramentalem ſemper valere, niſi habeat ſubſtantiale impedimentum: & hanc ſententiam ſequuti ſunt Suarez tom. 4. de Pœnitent. D. 19. ſect. 2. numer. 13. & Filliuc. tract. 6. cap. 3. q. 9. nu. 70. Greg. de Valentia D. 7. q. 1. par. 3. Vaſq. de Pœnitent. q. 84. A. 3. d. 2. num. 12. Bonac. tom. 1. de Pœnitent. D. 5. quæſt. 4. p. 1. numer. 8. & alij.

Senſus formalis huius formæ qualis ſit. D. Thom.

Nauarr.

Suar. Filliuc. Valentia. Vaſq. Bonac.

5 Primarius effectus huius formæ eſt cõferre gratiam iuſtificantem expellendo peccatum.

Primarius ergò effectus huius formæ (vti iam dictum eſt,) eſt conferre gratiam ſanctificantem: non enim Deus expellit mortale peccatum, niſi infundendo gratiam, & talem virtutem dedit Sacramentis præcipuè Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum, eo quod applicantur peccatoribus, etiam coram Deo mortuis mediante peccato mortali: Vndè ſicut in naturalibus non datur aliqua virtus primò, & per ſe ad expellendam formam, niſi introducendo nouam formam, quæ dum introducitur expellitur prima; vt patet exemplo de igne, & aqua frigida: Ità in præſenti virtus huius formæ abſolutionis eſt per ſe primò ad introducendam gratiam, quæ per conſequens neceſſariò expellit peccatum.

6 Exponuntur varij ſenſus Sacramentalis abſolutionis.

Quapropter vera interpretatio huius formæ: (*Abſoluo te*) ideſt confero tibi gratiam Sacramentalem abſolutionis, & remitto tibi peccata quantum eſt ex vi Sacramenti huius, ſeù: Abſolutionem Sacramentalem tibi impendo, quæ de ſe ſufficiens eſt ad remittenda peccata, & gratiam conferendam, ſeù: Confero tibi verum Sacramentum, quod efficit peccata tua ità remanere abſoluta per infuſionem gratiæ, vt non indigeant noua abſolutione: Et talis ſenſus ſemper verificatur in qualibet vera abſolutione. Vndè quando pœnitens habet culpam mortalem, & accedit ſufficienter attritus, tunc pœnitens re ipſa recipit gratiam, & peccatorum remiſſionem: Si verò accedat perfectè contritus, aut cum peccatis aliàs ritè abſolutis, vel cum venialibus, recipit nihilominus gratiam Sacramentalem, quæ ex ſe remittit peccata, cùm ſit ſufficiẽs ad ipſa delenda, ſi verò deleta iam eſſent, tunc in caſu dat augmentum gratiæ ex vi operis operati: Vndè quandò accedit cum ſolis peccatis venialibus recipit etiam gratiam remiſſiuam: Nam licèt ad remiſſionem venialium, non ſit neceſſaria per ſe infuſio gratiæ, quia tamen hæc venialium abſolutio fit virtute huius formæ, fit etiam cum infuſione gratiæ ad remiſſionem pœnæ, & augmentum gratiæ propter Sacramenti excellentiam virtute clauium.

Effectus Sacramentalis formæ abſolutionis.

7 Quando recipitur Sacramentum abſolutionis informe quomodo verificantur verba formæ.

Quandò autem pœnitens aliquando recipit Sacramentum informe, quamuis tunc non recipiat gratiã, & peccatorum remiſſionem propter obicem, recipit tamen verum Sacramentum, quod de ſe eſt cauſa efficax remiſſionis peccatorum, & ablato obice, eam confert: Quandò tandem pœnitens ratione obicis nõ recipit Sacramentum validum: Adhuc tamen verba formæ verificantur, quia re ipſa Sacerdos, quantum eſt ex ſe abſoluit, licèt pœnitens propter ſuam culpam Sacramenti gratiæ ſit incapax: Ità Suarez Diſtinct. 19. ſect. 2. Suar.

Reginald. Henriq. Nugn. Filliuc. Valentia.

ſect. 2. num. 19. Reginald. lib. 6. num. 95. Henriq. capit. 12. num. 2. & 3. Nugn. 3. par. quæſt. 84. A. 3. d. ſecundo, poſt ſecundam Concluſionem: Filliuc. tomo primo, tract. 6. cap. 3. quæſt. 9. nu. 70. & Valent. 3. p. D. 7. quæſt. 1. & alij.

8 Secundò Quæritur pro ſecunda parte huius præſentis capituli: An in verbis formæ poſſet aliquando fieri aliqua accidentalis mutatio.

2. Quæſitum. An poſſit fieri aliqua mutatio in verbis formæ?

Reſpondetur: Mutationem in verbis formæ dupliciter fieri poſſe: Formaliter videlicet, & materialiter: Prior dicitur Subſtantialis, poſterior verò accidentalis: Mutatio formalis, ſiuè ſubſtantialis in verbis formæ vitiat ſacramentum: & Ratio eſt, quia adueniente ſubſtantiali mutatione, non cenſetur eadem forma à Chriſto præſcripta, cum per talem mutationem non ſubſiſtat ſenſus, & ſignificatio formæ à Chriſto intentæ, & ideò in caſu effectum infallibilem ſecundū Chriſti inſtitutionem non habebit, pro vt omnes Theologi communiter docent in 4. lib. ſentent. D. 14. nemine diſcrepante.

Mutatio verborum formæ in Sacramento dupliciter contingere poteſt formaliter, & accidētaliter.

9 Si verò talis mutatio non ſit ſubſtantialis, ſed tantùm accidentalis, quia tantummodò mutantur, ſeù variantur verba formæ in Synonima, ſiuè æquipollentia: Tunc mutatio dicitur tantùm facta materialiter, & non formaliter, & ideò non vitiat ſacramentum: Nam adueniente mutatione accidentali, ſiuè materiali remanet idem ſenſus, & eadem ſignificatio formæ à Chriſto intenta, quò ad ſubſtantiam, & ideò Sacramentum erit validum. Pro vt docent vterque D. Tho. 3. p. quæſt. 84. A. 3. Nugn. ibidem Suarez D. 19. ſect. prima, num. 24. Vaſq. 3. p. quæſt. 84. A. 3. d. 4. nu. 12. Greg. de Valent. tom. 4. D. 7. quæſtione prima, p. 3. Nauarr. in man. cap. 26. num. 11. Bonacin. de Pœnitent. Diſtin. 5. quæſt. 4. punct. ſecundo, num. 2. Henriq. lib. 4. cap. 11. num. 3. & Filliuc. tom. 1. tract. 6. cap. 4. quæſt. 11. nu. 79. & alij.

Mutatio materialis, & accidentalis nō vitiat formā.

D. Thom. Caiet. Nugn. Suar. Vaſq. Valentia. Nauarr. Bonac. Henriq. Filliuc.

10 Quapropter, ſi loco: Abſoluo, dicatur: Remitto, Condono, Parco, ſiuè Sacramentum abſolutionis tibi impendo, ſiuè modo enunciatiuo, ſiuè imperatiuo, tam actiuè, quam paſſiuè: Vt eſto abſolutus; Abſolueris tu à me, Abſoluitur ſeruus Chriſti, ſiuè Petrus, ſiuè iſte &c. Validum erit Sacramentum: quia pro vt docent Scotus in 4. D. 14. q. 4. & Gabriel. quæſt. 2. A. 1. (& benè quidem) approbante Filliuc. ſupra, quæſt. 8. num. 68. Abſolutio ſemper valet ſub quacumque forma verborum proferatur à Sacerdote, dummodò detur iudiciatio modo ad inſtar ſententiæ, ſignificantis peccatorum remiſſionem per infuſionem gratiæ remiſſiuè, & effectiuè: Et Ratio huius eſt, quia Chriſtus non inſtituit præciſam verborum formam ad remittenda peccata, ſed tantùm dedit Apoſtolis iudicialem poteſtatem dicens: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: Ergò confertur remiſſio ſub quacumque forma verborum ſignificantium peccatorum remiſſionem per infuſionem gratiæ remiſſiuè, virtute clauium.

Diuerſæ formæ abſolutionis validæ.

Scot. Filliuc.

Ratio Aſſertionis.

11 Confirmatur hoc ex Concil. Florent. Vbi dicitur: *Sufficere in ſacramentali abſolutione verbum, per quod exprimitur Sacramentalis actio à Sacerdote exercita*: Quapropter ſi quis proferat formam abſolutionis in quocumque idiomate, ſiuè Græco, ſiuè Italico, ſiue Latino, & huiuſmodi, ſemper Sacramentum eſt validum: Vndè Græci in ſuo idiomate, ità abſoluunt pœnitentes, dicentes: *ἐγὼ σὲ χωρῶ Τῶν σῶν παραπτωμάΤων εἰς Τὸ ὄνομα Τῦ πατρὸς, καὶ Τῦ υἱοῦ καὶ Τῦ ἁγίου πνεύματος*: Ἀμήν: Quod idem eſt quod dicunt Latini: Ego te abſoluo à tuis peccatis. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen: Sic etiam ſi quis dicat Italicè: *Io ti aſſoluo delli tuoi peccati*.

Conc. Flor.

Forma abſolutionis Græcorum.

Expoſitio.

12 Similiter etiam validum erit ſacramentum, ſi quis confeſſarius abſoluendo Regem honoris cauſa, dicat: Abſoluo Maieſtatem tuam, ſiuè Vos, ſiuè Excellentiam tuam, ſiuè pro ly Ego dicat Nos, ſiuè Ego peccator, & indignus Sacerdos Abſoluo te, non mea poteſtate, ſed Chriſti Domini, valida erit omninò abſolutio, quia hæc, aut huiuſmodi additio, nihil eſt aliud, quam explicatio illius, quod implicitè continetur in verbis formæ, & non fit in eis aliqua ſubſtantialis mutatio.

Abſoluo vos, ſiuè Maieſtatem tuam nō vitiat formā.

13 Verùm eſt tamen: Huiuſmodi mutationes non eſſe faciendas, quia non eſſet ſine graui peccato, & Sacramenti irreuerentia, cum fiat contra vſum præſcriptum ab Eccleſia, & nulla poteſt eſſe rationabilis cauſa faciendi huiuſmodi mutationes contra vſum, & formam præſcriptam ab Eccleſia, taleque peccatum ex ſuo genere, quandoque poſſet eſſe mortale, cum ſit ſacrilegium contra reuerentiam debitum Sacramento: In indiuiduo tamen ex materiæ grauitate, & mutatione penſandum eſt: Tunc autem maximè erit graue peccatum, quandò certa ſignificatio in incertam, & dubiam mutaretur, vt ſi loco verbi Abſoluo, quis vteretur Abluo, Mundo, Exuo, & huiuſmodi, aut ſi per modum impetrationis formam pērmutaret, quia tunc, non ſolùm grauiter peccaret peccato ſacrilegij, ſed etiam nullum eſſet ſacramentum: Secus autem ſi loco Abſoluo vteretur Remitto: Nam Chriſtus etiam dixit: *Quorum remiſeritis peccata*: Verùm eſt tamen, quod forma per verbum Abſoluo conuenientior eſt: Ità D. Thomas 3. p. q. 84. A. tertio ad quintum, & omnes ſupradicti DD.

Limitatio. Mutatio verborum formæ ſemper eſt illicita.

Peccatum iudicatur ratione materiæ.

Forma incerta quæ? Exuo, abluo, mundo, &c.

Remitto, Parco ſunt ſufficientia. Abſoluo conuenientiſſimè dicitur. D. Thomas.

14 Quæritur tertiò, pro tertia parte huius capituli: An Sacramentalis abſolutio poſſit dari aliquando ſub conditione aliqua? Vndè pro intelligentia huius quæſtionis eſt ſciendum: Conditionem iſtam tripliciter eſſe poſſe, vel de præſenti, vel de præterito, vel de futuro: hoc ergò ſuppoſito,

Tertium quæſitum. An forma poſſit dari conditionatè?

15 Reſpondetur ad quæſtionem: Conditionem in forma abſolutionis, quando eſt de tempore præterito, vel de præſenti non vitiare ſacramentum, ſicuti diximus ſupra, Loquendo de Sacramentis in Genere, tract. primo, capite quarto: Vndè quando aliqua conditio de præterito, aut etiam de præſenti apponeretur in forma, non vitiaretur ſacramentum, vt ſi quis Sacerdos, abſoluendo dicat: *Si non es abſolutus, ego te abſoluo*: *Si habes peccata, vel ſi feciſti reſtitutionem, ego te abſoluo*: Valida eſſet abſolutio, & Ratio huius eſt, quia conditio de præſenti, vel de præterito non eſt propriè conditio, neque ſuſpendit actum, cùm Sacerdos in caſu intendat abſoluere de præſenti, ſi res ità ſe habet, ſicut exprimitur in conditione.

Conditio de præſenti, vel de præterito, non vitiat ſacramentum.

16 Hoc autem in duobus caſibus fieri licebit: Primò quando Sacerdos dubitat de pœnitente: An ſit capax ſacramenti, vel propter amentiam, vel dubitat, an adhuc moribundus ſit viuens, tunc abſoluendo dicere poteſt: *Si capax es abſolutionis, ego te abſoluo*. Secundò quando dubitat: An ſint verè peccata ea, quæ pœnitens confeſſus eſt, quando videlicet confeſſarius audiendo confeſſionem alicuius viri perfectiorem vitam ſectantis, vix poteſt comprehendere: An ſint peccata ea, quæ confeſſus eſt: Tunc, manente dubio, poterit confeſſarius abſoluere huiuſmodi pœnitentem ſub conditione, dicendo, ſiuè ſaltem mente concipiendo, dicens: *Si habes peccata, ego te abſoluo*: Melius tamen exiſtimo in caſu conditionem iſtam in mente concipere, ne ſcandalizetur, vel turbetur pœnitens, maximè, quando eſt ſimplex, vel ſcrupuloſus: Ità communiter docent Suarez in tertia parte, tomo tertio de Sacramentis, D. 13. ſect. tertia, Vaſq. quæſt. 84. de Pœnit. A. tertio, d. 5. numero ſexto, Bonacina tomo primo de Pœnit. D. 5. quæſt. quarta, punct. tertio, numer. primo,

In duobus caſibus poteſt dari abſolutio ſub conditione. Secundus Caſus.

Conditio in forma poteſt tantum mente concipi.

Suar. Vaſq. Bonac. Nauarr.

Nauarr.

Nauarr. Filliuc. Graſſ.

Nauarr. de Pœnit. D. 6. capite 1. nu. 62. & in man. c. 26. num. 12. Filliuc. tom. 1. tract. 6. cap. tertio, q. 10. nu. 73. & Graſſ. lib. 1. deciſ. c. 32. numer. ſecundo, & alij quamplures.

17 Conditio de futuro vitiat formam ſacramenti.

Dico ſecundò: Sacramentum Pœnitentiæ non eſſe validum: quando in forma adderetur conditio de futuro, dicendo: Si feceris hoc, vel illud, ego te abſoluo: Vel ſi Prælatus conſenſerit, vel abſoluo te, pro craſtina die: & Ratio huius eſt, quia non eſt in poteſtate miniſtri ſuſpendere effectum Sacramenti: Nam conditio de futuro ſuſpendit actum, & effectum Sacramenti: Non enim abſolutio debet eſſe in abſtracto, & ſuſpenſo, ſed applicata de præſenti, quia ſicut conditio de futuro, non eſt in eſſe, ità & voluntas confeſſarij in caſu non ponitur in eſſe, & per conſequens abſolutio talis erit nulla, & nullius valoris: Ità Caiet. ver. Abſolutio Henriq. lib. 4. cap. 12. numero quinto, Reginald. lib. 8. num. ſexto, Rodriq. in ſumm. cap. 54. num. 2. & 3. Sylu. ver. Abſolutio 3. num. 12. Armilla num. 5. & 6.

Non eſt in poteſtate miniſtri ſuſpendere effectum ſacramenti.

Caiet. Henriq. Reginald. Rodriq. Syluest. Armilla.

18 Obiectio.

Nec valet dicere: Poſtea implebitur conditio, & tunc erit validum ſacramentum, quando ſcilicet implebitur illa conditio, habebit effectum ſuo tempore.

Solutio.

Reſpondetur: id fieri non poſſe, quia illud, quod futurum erat ſacramentum, & materia, & forma ſacramenti, iam præterijt, & non eſt, & eo tempore, quo fuit Sacramentalis actio facta, quia eo tempore non fuit ſactamentum, neque etiam poteſt incipere illo tempore, quo impletur conditio, qui in illo nullum eſt ſignum ſenſibile, quod poſſit eſſe Sacramentum.

19 Conc. Trid.

Probatur hoc ex Concil. Trid. quia adhoc, vt ſit ſacramentum neceſsè eſt, vt ſint ſimul materia, & forma, & intentio miniſtri faciendi de præſenti; ſed in hoc caſu non inuenitur intentio de præſenti, ergò, &c. Item quando impletur conditio quamuis intentio videatur præſens, non tamen materia, & forma ſunt præſentia, & ideò &c.

20 2. Obiectio.

Secundò, dicet aliquis: Si miniſter intenderet ex certa ſcientia, vel malitia ex tunc facere, vel non facere Sacramentum ſub hac conditione: Si verùm eſt dicere: Hoc eſſe futurum, vel non eſſe futurum, quæ conditio, ſic explicata, iam non eſt de futuro, ſed de præſenti: E.g. Si Deus ſcit, hoc eſſe futurum: *Ego te abſoluo: Si es prædeſtinatus: Ego te baptizo, Abſoluo, &c. aliàs non*: Et è contra: Hæc inquam forma apud Deum habet conditionem de præſenti, & non de futuro, cùm apud Deum omnia ſint præſentia: Omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis eius, ergò valida erit huiuſmodi abſolutio ſub tali conditione.

21 Notandū pro ſolutione.

Sed antequam huic obiectioni reſpondeamus: Notandum eſt Abſolutionem, & reliquas formas aliorum ſacramentorum dari poſſe ſub conditione de præterito, & præſenti, quando talis occurrit neceſſitas, aliàs non eſt danda, quia eſſet contra vſum Eccleſiæ: Et Ratio huius eſt, quia hæ conditiones impediunt valorem ſacramenti, quia tranſeunt in voluntatem abſolutam: Nam dicens Sacerdos: Si feciſti, aut præſtitiſti talem rem: *Ego te abſoluo*, vt dici ſolet, quando de Baptiſmo dubitatur: *Si non es Baptizatus, Ego te Baptizo*, aliàs non: Hi enim modi, vel deſtruunt intentionem miniſtri, vel illam abſolutam, & efficacem relinquunt, quia talis conditio, vel fuit, aut eſt poſita, aut non eſt poſita; Si eſt poſita, deſtruitur intentio miniſtri: Nam voluntas ſub conditione, non poſita conditione nulla eſt: Si verò conditio eſt poſita, intentio, & voluntas miniſtri tranſit in abſolutam, & ſic non vitiat ſacramentum: Nam ſi talis non eſt Baptizatus, deſtruitur miniſtri intentio conditionata, & ſit abſoluta, & ſic ille, actu baptizatur, & ſi præſtitit illam rem, iam eſt abſolutus, ſi autem eſſet Baptizatus, deſtruitur intentio miniſtri, & ſic non facit ſacramentum: Sic etiam in alijs ſacramentis: Leg. Cum de præſenti, ff. Si vera peta. Armilla ver. Abſolutio, num. 6. & alij.

Conditiones impediūt valorem ſacramenti.

Voluntas ſub conditione, non poſita cōditione nulla eſt.

Leg. Cum de præſenti. Armilla.

22 Soluitur ſecūda obiectio.

Reſpondetur igitur modò ad obiectionem ſactam, dicendo: Abſoluentem, ſiuè baptizantem ſub tali conditione iniquiſſimè agere, quia conditio illa eſt contra voluntatem Chriſti inſtitutoris ſacramentorum, & contra ritum Eccleſiæ, quæ ſemper intendit facere, quod Chriſtus inſtituit, & contra veritatem Sacramētorum, in quibus ſemper intenditur facere, quod facit Eccleſia: ergò &c.

23 Probatur noſtra cōcluſio.

Secundò probatur, quia conditio de prætetito, & præſenti, quando cadit ſub humana conditione, & ſcientia poteſt aliquo modo ſciri, ſed illa conditio, quamuis videatur de præſenti, eſt tamen reſeruata in theſauris Diuinæ ſapientiæ, & ſcientiæ ſecundum illud Dauidis Pſalm. 32. *Ponens in theſauris abyſſos*: Et eſt res omninò aliena ab humana cognitione, & ideò præter humanum operandi modum aliquod velle efficere ſub tali conditione, quia quamuis Sacramenta ſint ſigna, & media ab ipſo Deo humanato inuenta, & inſtituta, tamen humano modo ſunt applicanda, & recipienda, non autem in incerto; ergò, &c.

Pſalm. 32.

Sacramenta humano modo ſunt applicanda.

24 Tertia ratio contra obiectionem.

Tertiò probatur: Quia ſi daretur forma Sacramenti ſub tali conditione derogaretur intentio ſuſcipientis, & magnum ei compareretur incommodum: Nam licèt aliquis apud Deum non ſit prædeſtinatus debet tamen baptizari, & abſolui: Sciebat enim Deus ab æterno Iudam Iſcariotem eſſe præſcitum, & nihilominus illum creauit, & elegit in Apoſtolatum, deditque ei gratiam ſuam, vt poſſit dicere: Quod meum erat feci ei, ideò, &c.

25 Concluſio.

Verùm tamen eſt, quod in rei veritate non inuenio ſufficientem rationem, quæ conuincat ad dicendum ex hac intentione, in re ipſa non confici ſacramentum validum, ſi conditio poſita in re ipſa exiſtat, quamuis à nobis ignoretur: Cenſeo tamen talem modum imprimis eſſe iniquiſſimum, & grauiſſimum ſacrilegium continere.

26 Infertur 1.

Deindè dico, quod taliter Baptizatus, ſiuè abſolutus ſub illa conditione: *Si es prædeſtinatus: Si Deus ſcit, &c.* debet iterum Baptizari, aut reabſolui, ſaltem ſub conditione nempè: *Si prius non fuit validum Sacramentum: Ego te Baptizo, Abſoluo*, & Ratio eſt, quia ſimpliciter dubitatur: An intentio ſub tali conditione ſit ſufficiens, cum res omninò ſit incerta, & agatur de ſalute Animæ, & de Sacramentis conferentibus primam gratiam: Ex quibus infero malè facere confeſſarium abſoluendo de caſibus reſeruatis, dicendo: *Ego te abſoluo*, vt poſtea à tuo ſuperiori ratihabitionem accipias, aliàs non. Nam talis conditio eſt de futuro, & ſuſpendit effectum Sacramenti: Quomodo autem in tali caſu faciendum ſit declarabitur infra in tractatu de caſibus reſeruatis.

Infertur 2.

DE EFFECTIBVS ABSOLVTIONIS Sacramentalis.

CAP. IV.

1 Effectus abſolutionis ſacramentalis, alij primarij, alij ſecundarij.

PRo præſentis tractatus complemento, dicendum ſupereſt de effectibus Sactamentalis abſolutionis: Qui quidem effectus in duplici ſunt differentia; Alij enim dicuntur Primarij, alij verò Se-

Primarij ſūt quatuor. Secundarij ſunt tres.

Secundarij: Effectus primarij poſſunt eſſe quatuor, videlicet Remiſſio culpæ mortalis: Secundò Commutatio pœnæ æternæ in temporalem: Tertiò Sacramentalis gratia, & Quartus Ablatio reliquiarum peccatorum: Secundarij autem poſſunt eſſe tres, Primus eſt: Venialium peccatorum remiſſio: Secundus Viuificatio operis ſacramentalis ficti ſuſcepti, & tertius Reſtitutio in priſtinam dignitatem, & merita, de quibus omnibus ſigillatim eſt dicendum.

2 De primo effectu primario. An abſolutio ſacramētalis remittat peccata, quò ad culpam totaliter? Cōcluſio, eſt affirmatiua. Tria mala peccati tolluntur, mediante abſolutione.

Quæritur ergò primò, de primo effectu primario abſolutionis: An ſacramentalis abſolutio remittat omnia peccata mortalia totaliter, quò ad culpam?

Reſpondetur affirmatiuè, niſi ponatur obex ex indiſpoſitione pœnitentis: Tria enim tolluntur per ſacramentalem abſolutionem: Primò inimicitia Dei contraria charitati, quæ poſita fuit per auerſionem peccatoris ab ipſo Deo ſummo bono incommutabili: Secundò Offenſa facta ipſi Deo contra iuſtitiam, præferendo delectationem peccati ſummo bono, & Tertiò priuatio gratiæ, & iuſtitiæ, quæ debuerat eſſe: Tolluntur ergò iſta tria per ſacramentalem abſolutionem, conferendo gratiam ſanctificantem vna cum virtutibus, quibus potentiæ omnes rectificantur, pro vt docent ferè omnes Theologi, vt refert Henriqu. lib. 4. cap. 30.

3 Omnis culpa quantumcū que grauiſſima tollitur mediante abſolutione toties, quoties. Ioan. cap. 20.

Ex quo ſequitur: Abſolutionis ſacramentum ſufficiens eſſe ad delenda omnia, & ſingula peccata mortalia quantumcunque grauiſſima, & innumerabilia, & hoc non ſemel, ſed toties, quoties homo peccauerit, & legitimè Pœnitentiæ ſacramentum receperit, iuxta verba ipſius Chriſti Domini, dicentis: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ioann. cap. 20. Quæ verba cùm ſint generalia, & abſoluta, generaliter accipienda ſunt de quocumque peccatorum numero, & qualitate.

4 Matt. cap. 18.

Quapropter, interrogante Petro Dominum: *Quoties peccabit frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties? Reſpondit illi Dominus: Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties:* Matth. capit. 18. hoc eſt: Quotieſcumque ingemuerit peccator, & pœnitentiam egerit dimitte illi. Et ratio huius eſt, quia quotieſcumque ſacramentum Pœnitentiæ applicatur, non eſt maioris virtutis vltima vice, quàm antea: Cùm ergò antea ſufficiens eſſet ad delenda peccata, ſequitur pœnitentiam ſufficientem eſſe ad peccata delenda toties, quoties homo peccauerit, & Sacramentum applicetur: ait enim Dominus per Ezechielem, cap. 18. *Quotieſcumque ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ità D. Thom. 3. p. qu. 86. A. 1. Suar. to. 4. de Pœnit. D. 8. ſect. 1. Valent. tom. 4. D. 17. quæſt. 3. p. 1. Coninch. de Pœnit. D. 3. d. 1. n. 7. Henriq. & alij loc. ſup. cit.

Ezech. c. 18. D. Thom. Suar. Valen. Coninch. Henriq.

5 Obiectio de blaſphemia in Spiritum Sanctum. Marc. 3.

Sed contra hanc Aſſertionem obijciet aliquis, dicendo Blaſphemia in Spiritum Sanctum eſt irremiſſibilis, dicente Domino, in Euang. Marc. cap. 3. *Quicumque in Spiritum Sanctum blaſphemauerit non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro,* ergò pœnitentia non eſt ſufficiens ad delenda omnia peccata mortalia, alioquin poſſet etiam delere peccatum blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, quod eſt irremiſſibile, ergò, &cet.

6 Solutio. Peccatum in Spiritū Sanctum tripliciter intelligitur. Primò de impœnitentia finali, quæ eſt irremiſſibilis propter obſtinationem.

Reſpondetur: Blaſphemiam in Spiritum Sanctum dupliciter poſſe intelligi ſecundùm D. Auguſt. libr. de Verbis Domini, ſerm. 11. Vel de Impœnitentia finali, quæ pœnitus irremiſſibilis eſt: Nam poſt finem huius vitæ non eſt amplius peccatorum remiſſio: quia cùm peccator voluntariè, vſque ad mortem incluſiuè perſeuerauerit, tranſit ad aliam vitam, in qua per obſtinationem non datur amplius remiſſio, cùm iam ad terminum ſit peruentus: Vel per blaſphemiam Spiritus Sancti intelligitur peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipſa blaſphemia Spiritus Sancti, dicitur non dimitti de facili, quia tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis, vel quia pro tali peccato patitur aliquis flagella in hoc ſæculo à Deo inflicta, & in futuro grauiſſimas pœnas. Ità D. Thom. 3. p. quæſt. 66. A. 3. ad tertium.

Secundò de peccato per malitiam commiſſo. D. Thom.

7 Tertiò de peccato impugnationis veritatis cognitæ, quod difficilè remittitur.

Vel per blaſphemiam in Spiritum Sanctum, intelligitur ea, qua quis cognitam fidei veritatem malitioſè oppugnat, & miracula, quibus fidei veritas comprobatur ad artem Magicam refert: Tale peccatum dicitur irremiſſibile, non quod ſimpliciter irremiſſibile ſit, ſed quia cum difficultate remitti conſueuit, eò quod huiuſmodi peccatum committentes, rarò, aut difficillimè conuertuntur, reſpuentes fundamentum conuerſionis, quod eſt fides. Ità Bellarm. de Pœnit. cap. 16. lib. 2. ad 4. Coninch. lib. 2. de Pœnit. d. 1. num. 9. Filliuc. tract. 6. cap. 4. q. 2. nu. 88. Henriquez in ſum. cap. 13. §. 6. Suar. to. 4. de Pœnit. D. 18. ſect. 1. Aſſert. 3. n. 14. & alij.

Bellarm. Coninch. Filliuc. Henriq. Suar.

8 De peccato ad mortem, pro quo non eſt orandum. Io. epiſt. 1. c. 5.

Similiter etiam dicimus ad aliam ſcripturam: Apoſtol. Io. Epiſt. 1. cap. 5. num. 16. dicentis: *Eſſe peccatum ad mortem, pro quo non eſt orandum.* Nam, vel Apoſt. loquitur de Impœnitentia finali, quod peccatum meritò ad mortem dicitur, quia in morte conſummatur, Vel quia ad mortem ducit æternam, pro quo non eſt orandum cùm ſit extra ſtatum ſalutis: Ità D. Auguſt. lib. de Corrup. grat. cap. 12. & lib. 1. retract. cap. 19. D. Gregor. 16. Moral. cap. 28. D. Hieronym. in Ierem. cap. 14. Bonac. tomo primo de Pœnit. D. 5. qu. 4. punct. ſecundo, num. 1. & Suarez cum Filliuc. locis ſupr. citat.

D. Auguſt. D. Greg. D. Hieron. Bonac. Suar. Filliuc.

9 Secundum Quæſitum. An multitudo peccatorū priuet auxilijs. Concluſio eſt negatiua.

Secundò Quæritur: An propter multitudinem, & grauitatem peccatorum poſſet quis deſtitui auxilio pœnitentiæ, ità vt non poſſet amplius ſe ad Deum cōuertere, propter ſubtractionem auxilij neceſſarij?

Reſpondetur negatiuè: Non enim Deus conſtituit certum peccatorum numerum, neque certum peccatorum genus, quibus poſitis, deneget auxilium neceſſarium ad conuerſionem: *Nam Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat:* Iuxta illud Ezech. cap. 18. & 31. & Apoſtol. ad Roman. cap. 2. numer. quarto dicentis: *Ignoras homo inanis, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Cùm enim Dei miſericordia ſit infinita, & vult omnes homines ſaluos fieri, numquam denegat auxilium gratiæ ſuæ viatoribus, ſemperque dat ſufficientia auxilia ad conuerſionem, quæ ſi non reſpuantur dat efficacia: Nam cum peccator in hac vita ſemper ſit viator, & de ratione viatoris eſt, vt ſemper ad terminum poſſit accedere, quod ſine auxilijs neceſſarijs facere minimè poterit, ergò Deus numquam huiuſmodi denegat auxilia, licèt peccata ipſius grauiſſima ſint, atque innumerabilia: Non enim peccatum poteſt eſſe infinitum formaliter, & intrinſecè, neque ſecundùm numerum: neque ſecundùm grauitatem, pro vt ſupra in tract. 2. de effectibus peccati capite ſexto, ſequendo ſcholam ſubtilium diffuſiùs probauimus.

Ezech. c. 18. Ad Rom. c. 2.

De ratione viatoris eſt, vt poſſit peruenire ad terminum.

10 Finiti ad infinitum nulla eſt proportio. D. Thom. Suar. Henriq. Bonac. Filliuc. Conc. Later. Concil. Trid.

Cùm ergò miſericordia Dei, & benignitas ſit infinita formaliter, & finiti ad infinitum nulla ſit proportio, ſequitur: Numquam Deum auxilia neceſſaria viatoribus denegare: Ità D. Thom. tertia parte, quæſtion. 86. Art. primo, Suar. D. 8. ſect. 2. num. 6. Henriq. lib. 4. c. 16. num. 4. Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. q. 4. punct. 2. nu. 2. Filliuc. d. tract. 6. cap. 4. quæſt. 2. n. 88. Et in Conc. Later. c. Firmiter de ſumma Trinit. dicitur: *In hac vita neminem à Deo deſeri, niſi prius ipſe ſe deſerat:* Quod etiam habetur ex doctr. Concil. Triden. ſeſ. 6. cap. 14.

11 Tertiò Quæritur: An ſacramētalis abſolutio deleat tantùm

Digitized by Google

Tertium quæſitum. De peccatis oblitis. Reſolutio.

tantùm peccata confeſſa, An etiam oblita, & omiſſa ex cauſa excuſante, & quomodo?

Reſpondetur: Abſolutionem ſacramentalem per ſe, & directè tantùm delere peccata confeſſa, nam ſuper illa directè cadit abſolutio iudicialis, quæ accuſata ſunt in ſacramentali confeſſione: Per accidens autem, & indirectè ratione gratiæ, quæ virtute ſacramenti infunditur etiam delentur oblita peccata, aut ex cauſa relicta: Et Ratio huius eſt, quia gratia Dei dimidiata dari non poteſt, neque enim peccatum vnum mortale poteſt dimitti, remanente altero: Nam implicat contradictionem Dei gratiam eſſe in homine cum peccato mortali, quia tunc homo eſſet ſimul Dei amicus, & inimicus, quod eſſe non poteſt, vt colligitur ex Trid. ſeſſ.5. cap.5. dicente: *Iuſtificatis nihil manere, quod habeat rationem peccati*, & ideò illa dimittuntur indirectè, & conſecutiuè virtute ſacramenti: Verùm eſt tamen, quod ſemper remanet obligatio illa ſubijciendi clauibus, ad hoc, vt deleantur directè, quando illorum pœnitens recordabitur, eritque tempus opportunum illa confitendi: Ità Henriquez capitul. 13 §.8.

Peccata oblita dimittuntur indirectè, & conſecutiuè.

Gratia Dei dimidiata dari non poteſt.

Concil. Trid.

Remanet tamen obligatio illa confitendi quando recordabitur. Henriq.

12 Quartum quæſitum, de ſecundo effectu.

Quartò, Quæritur circa ſecundum effectum abſolutionis: An virtute ſacramenti ſimul cum culpa remittatur pœna peccatis debita, & quomodo commutetur in pœnam temporalem, pro vt communiter dici ſolet?

Quomodo mutatur pœna æterna in temporalem.

Reſpondetur, quod Deus ab æterno conſtituit, & taxauit ſingulas pœnas pro peccatis reddendas ſecundùm diuerſos ſtatus eorum: E. g. tali peccato mortali ſi perpetuo maneret in homine reſponderet pœna æterna, ſi verò non perpetuo maneret, tunc reſponderet alia pœna temporalis: Quare ſublata culpa, mutatur ſtatus ipſius peccatoris, ideòque non debetur illi, niſi temporalis pœna, quia vna pœna ſuccedit alteri: Ex quo patet, quomodo ſublata pœna æterna adhuc remanet luenda temporalis pœna. Et hoc eſt, quod DD. aiunt: Per ſacramentum Pœnitentiæ mutari pœnam æternam in temporalem, quia cùm peccator ante abſolutionem peccatorum eſſet dignus æterna pœna, ſuſcepto ſacramento Pœnitentiæ, vel elicito actu contritionis cum ſacramenti voto, dignus remanet tantummodò pœna temporali, iuxta Domini taxationem factam, ſecundùm delicti quantitatem, & qualitatem, quę etiam temporalis pœna ſoluenda eſt à Pœnitente, vel hic, vel in Purgatorio.

Sublata culpa mutatur ſtatus peccatoris.

Sacramentũ Pœnitentiæ mutat pœnã æternam in temporalem.

13 Aliquando etiam tota pœna, vel pars dimittitur, & quomodo.

Verum eſt tamen, quod per actum contritionis, & confeſſionis, & virtute abſolutionis ſacramentalis, conferentis gratiam remittitur etiam pars illius pœnæ temporalis, iuxta diſpoſitionem pœnitentis, recipientis ſacramentum: Quàpropter quandoque pœnitens poterit ità eſſe benè diſpoſitus per actum perfectę contritionis, & deuotionis, quo ſacramentum abſolutionis recipit, quod tota pœna luenda remittatur: Ità communiter omnes Theologi, vt Diu. Thom. 3. part. quæſt.86. Art.4. ad 3. Henriq. libr.4. capit.4. numer.1. Suarez d. tom.4. Diſt.10. ſect.3. num.7. Filliuc. tom.1. tract. ſexto, capite quarto, numer.98. Gregor. de Valent. tomo quarto, Diſt. ſeptima, quæſtione ſeptima, parte quarta, & Bonacina diſ.5. quæſt. ſexta, ſect.2. p.4.

D. Thomas. Henriq. Suarez. Filliuc. Valentia. Bonac.

14 Tertiũ quæſitum de tertio effectu.

Quintò quæritur de tertio effectu; An Sacramentalis abſolutio conferat ſacramentalem gratiam infallibiliter, & quæ ſit iſta gratia?

An conferat gratiam infallibiliter? Concluſio eſt affirmatiua. Concil. Trid. Gratia ſacramẽtalis, quæ.

Reſpondetur: Talem eſſe virtutem omnium ſacramentorum ipſam conferre, vel augere non ponentibus obicem virtute operis operati, pro vt dicitur in Trid. Seſſ.7. Can. 8. Hæc autem ſacramentalis gratia eſt auxilium quoddam ſpeciale Diuinæ aſſiſtẽtiæ, quo non ſolùm fit ſuſcipiens Deo gratus per eius gratiam iuſtificantem: Verùm etiam præſeruatur à peccatis futuris, & facilius perſeuerat in iuſtitia, fit etiam per huiuſmodi gratiam humilior, atque cautior, eiuſque virtute roboratur ad victoriam reportandam à Dæmone: quàpropter Diabolus conatur quantum poteſt omni arte, via, & modo ſibi poſſibili Sacramentum confeſſionis impedire, ne frequentetur à fidelibus, ſciens fructus vberrimos, quos pœnitentes conſequantur per huius ſacramenti virtutem; pro vt docet ſancta Trident. Sinodus ſeſſ.14. cap. primo, & talis effectus eſt proprius huius ſacramenti, mediante ſacramentali abſolutione: Legite Suarez, & Filliuc. loc. ſupra cit.

Diabolꝰ quare conatur impedire frequẽtiam ſacramẽti Pœnitẽtiæ.

Sextò quæritur de quarto effectu primario: An Sacramentum Pœnitentiæ tollat peccatorum reliquias, & quomodo? 15

Quæſitum 6. De quarto effectu. An tollat peccatorum reliquias? Reliquię Peccatorum dupliciter conſiderantur. Soto. D. Thom.

Reſpondetur: Reliquias peccatorum duplici modo tolli poſſe: Primò per actus contrarios, & exercitia virtutum peccato oppoſita: Secundò per Sacramenta, præcipuè per illa ſacramenta, quibus culpa remittitur, cuiuſmodi eſt Pœnitentiæ Sacramentum, quæ ſecunda tabula dicitur poſt naufragium: Pro vt docet Soto in quarto D.15. quæſtione prima, Artic.1. ex doctrina Diui Thomæ tertia parte, quæſt.86. Artic. quinto, & alij.

Hinc eſt, quod licèt hoc ſacramentum det vigorem contra tentationes, & fatigationes animi ex peccato relictas, non tamen omninò aufert propenſionem ad malum, ſed opus eſt exercitio, & frequentatione actuum virtutum, cum frequentatione ſacramentorum, & præcipuè Pœnitentiæ, quæ non ſolùm eſt ſecunda poſt naufragium Tabula, verùm etiam eſt, quaſi quædam veſtis nuptialis, mediante qua diſponitur homo ad cœleſte conuiuium communionis, ad quod dignè accedendum neceſſaria eſt ſacramentalis confeſſio ex præcepto Diuino: Item diſponit ad gloriam conſequendam remittendo peccata, & pœnas illis debitas, ſaltem ſecundum partem, pro vt dictum eſt ſupra, atque remittit venialia, vt ſtatim infra dicetur: Et tandem viris pijs, qui deuotè confitentur tranquillitatem, & pacem conſcientiæ affert cum vehementi ſpiritus conſolatione, pro vt habetur ex Trident. ſeſſ.14. capite tertio, de ſacramento Pœnitentiæ. 16

Pœnitentia eſt veſtis nuptialis pro ſacramentali conuiuio. Alij effectus ſacramenti Pœnitentiæ explicantur.

Conc. Trid.

His ergò declaratis de quatuor primarijs effectibus huius ſacramenti, ſupereſt dicendum de tribus à ijs ſecundarijs, quæ ſunt: Peccatorum venialium remiſſio: Viuificatio operis ſacramenti ficti ſuſcepti, & Reſtitutio in priſtinam dignitatem, & merita: Vndè circa primum effectum, qui eſt peccatorum remiſſio venialium, 17

De tribus alijs effectibꝰ ſecundarijs.

Quæritur ſeptimò; An peccata venialia remittantur per ſacramentum Pœnitentiæ? 18

Quæſitum 7. An remittantur peccata venialia? Remiſſio peccatorum venialium eſt beneficiũ gratiæ.

Reſpondetur: Supponendo primò: Remiſſionem peccati venialis eſſe beneficium gratiæ, nec poſſe viribus naturæ comparari, ſine auxilio Dei gratuito: Supponit enim in ſubiecto, cui facienda eſt remiſſio gratiam ſanctificantem, vel quæ tunc fiat, vel quando quis iuſtificatur per ſacramenta, vel extra per contritionem, vel quæ præceſſerit, & maneat, ſaltem virtualiter quando remittitur, vel per quodcumque opus meritorium, & actum virtutis: Pro vt docent Diu. Thom. tertia parte, quæſt.86. Art. quarto, Suarez de Pœnitent. Diſtinct.11. ſect. ſecunda, num. quarto. Soto in quarto Diſt. decimaquinta, quæſt. quarta, A. ſecundo, & Bonac. de Pœnitent. D.5. quæſt.6. ſect.2. part.1. & 6.

D. Thom. Suar. Soto. Bonac.

Ratio autem præcipua noſtræ aſſertionis eſt: quia Nullus actus inimici acceptator à Deo ad ſpiri- 19

Ratio aſſertionis.

Digitized by Google

tualem fructum, cuiuſmodi eſt peccatorum remiſſio, etiam venialium: Nam vt dicit Eccleſiaſticus capite 43. *Dona iniquorum non approbat Altiſſimus.* & *Sine charitate impoſſibile eſt placere Deo*, ſecundum Apoſt. 1. Cor. c. 13.

Eccleſ. c. 43. Dona iniquorum non acceptat Deus ad Cor. c. 13.

20 Venialium remiſſio ſupponit gratiam in ſubiecto.

Et quamuis venialium remiſſio non requirat per ſe gratiæ infuſionem, ſiuè augmentum ipſius; ſupponit tamen quando remittitur ſubiectum in gratia: quia vel remittitur ſimul tempore cum mortali, vel per ſe ſolùm: ſi primum ſemper infunditur gratia, ſi ſecundum, vel remittitur per Sacramentum, & tunc ſemper gratia infunditur, vel augetur: Si extra Sacramentum, & tunc neceſsè eſt fieri ſaltem aliquem actum meritorium, ad quem ſequatur gratiæ augmentum: Hinc patet, quod quomodocumque augeatur gratia, vel per Sacramentum, vel extra etiam remitti ea venialia, quorum eſt actualis, ſiuè ſaltem virtualis pœnitudo, quia in Sacramentis recipiendis, ſaltem requiritur ſupernaturalis attritio, tanquam debita diſpoſitio ad recipiendam gratiam.

21 Peccata venialia ſine pœnitudine dimitti non poſſūt.

Si extra Sacramentum: Vt debeat fieri peccatorum venialium remiſſio, ſemper debet eſſe aliquis actus bonus, & meritorius, qui virtualiter deleat ea venialia, quorum eſt debita diſpoſitio: Nullum enim peccatum etiam veniale remitti poteſt, cum de eo hominis voluntas actu, ſiuè virtute ſibi complacet, quia ſi de illo complaceret, ipſo tunc de nouo peccatet, ſaltem venialiter; quando autem peccatum illud committitur, in illo tunc remitti non poteſt, quia tunc homo ſimul mereretur, & demereretur, quod implicat.

22 Concluſio. D. Thom. Caiet. Palud. Soto. Suar. Bellarm. Filliuc. Bonac.

Concludimus ergò: Actum pœnitudinis, ſiuè actualem, ſiuè virtualem requiri ad peccatorum venialium remiſſionem; pro vt eſt communis doctrina vtriuſque D. Thom. in 3. p. quæſt. 86. A. 1. & 3. & Palud. in 4. D. 22. q. 2. Soto, Suarez, & Bellarm. Filliuc. & Bonacinæ, locis ſupra citatis.

23 Corollariū.

Vndè virtute Sacramenti Pœnitentiæ non ſolùm peccata mortalia, verùm etiam venialia, quæ adhuc remiſſa non ſint tolluntur: Et ſi contingat aliquando per virtutem contritionis omnia peccata mortalia, atque venialia totaliter eſſe remiſſa, Sacramentalis abſolutio ſemper confert nouam gratiam remiſſiuā, vel augmentum ipſius gratiæ, & præſeruantiam in poſterum à futuris.

24 Quæſitum 8. Quomodo peccata venialia remittantur, poſt mortem, quò ad culpam?

Octauò quæritur: Quomodò remittatur peccatum veniale poſt mortem, de quo nulla in hac vita pœnitentia eſt habita? Et Ratio dubitandi eſt, quia poteſt contingere, vt homo iuſtus moriatur cum aliqua culpa veniali, cuius non habuit in hac vita dolorem aliquem, neque formalem, neque virtualem: vt in eo caſu, in quo iuſtus habens aliquod veniale peccatum, repentina morte deficiat: Quæritur ergò in caſu: Quando deleatur talis culpa? Nam cum illa, certum eſt non poſſe intrare in Gloriam, in qua nihil coinquinatum intrabit.

25 Concluſio. Remittitur per actum dilectionis Dei in ipſo inſtanti ſeparationis Animæ è corpore.

Reſpondetur, quod licèt de hac quæſtione ſit diuerſitas opinionum inter Theologos, ſequendo tamen probabiliorem ſententiam dicimus, quod: Remittitur in illo inſtanti ſeparationis Animæ è Corpore, per actum veræ dilectionis Dei: Anima enim cum decidat in charitate habet perfectiſſimam cognitionem ſui ſtatus, & quia videt ſe habere aliquod veniale peccatum, concipit in illo inſtanti actum formalem deteſtationis illius, & ſic remittitur in illo inſtanti talis culpa venialis: Ità D. Thom. quæſt. 7. de malo, Art. 11. Riccard. in 4. D. 21. A. 2. quæſt. 1. Palud. quæſt. 1. A. 1. Soto D. 15. q. 2. A. 2. q. 1. Suar. de Pœnit. D. 11. ſect. 4. nu. 15. Filliuc. tom. 1. tract. 6. c. 5. q. 8. nu. 122. Coninch. de Sacramentis D. 2. d. 15. nu. 132. Vaſq. 3. p. q. 87. A. 1. d. 2. Bonac. de Pœnit. D. 5. q. 6. ſectione 2. p. 4. numer. 7. Henriq. lib. 4. cap. 15. num. 9. Moiſeſ. tractat. 7. cap. 6. num. 137.

D. Thom. Riccard. Palud. Soto. Suar. Filliuc. Coninch. Vaſq. Bonac. Henriq. Moiſeſ.

26 Obiectio. Solutio. Declaratur quomodo anima in illo inſtanti accidentaliter mereri poſſet.

Neque obſtat, quod in alia vita Anima ſeparata è corpore ſit extra ſtatum merendi, cum ſit in termino: Reſp. enim id verum eſſe reſpectu præmij eſſentialis, non autem accidentalis, pro vt dicit D. Thom. in 4. D. 21. q. 1. A. 3. q. 1. Inſuper dicimus: In eo caſu poſſe fieri remiſſionem culpæ ſine merito de condigno, ideòque per modum ſufficientis diſpoſitionis ex parte Animæ, & tunc prodeſſe merita præcedentia, vel propria, vel Chriſti applicata ad hoc, vt illorum ratione non poſſet remiſſio illius culpæ denegari: Non remittitur autem pœna in tali caſu, ſed tantùm culpa venialis: pœna autem remanet luenda in Purgatorio: aliàs multiplicatis actibus Charitatis poſſet Anima citius liberari ab igne quod non eſt dicendum, cùm in illa vita non ſint amplius opera ſatisfactoria per meritum, ſed tantùm ſatiſpatiendi, quamobrem huiuſmodi pœna tolletur per ſatiſpaſſiones, & ſuffragia: Ità Vaſq. & Bonac. cum alijs locis ſupra citatis.

Pœna non remittitur, ſed tantum culpa.

27 Quæſitum 9. De ſecundo effectu ſecundario.

Quæritur Nonò: De ſecundo effectu Viuificationis operis Sacramentalis, ficti ſuſcepti: An Videlicet Sacramentum Pœnitentiæ ſuſceptum cum obice conferat ſuum effectum recedente fictione?

Abſolutio valida, & informis, quæ.

Reſp. poſſe aliquando dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, ità vt Sacramentum ſit validum, ſed in ſuſcipiente non operetur conferendo gratiam: & eſt quando pœnitens facit confeſſionem formaliter integram, licèt materialiter talis non ſit, & bona fide abſolutionem Sacramentalem recipiat, talis tamen abſolutio non confert gratiam propter defectum pœnitentis inculpabilem, in quo caſu abſolutio dicitur Informis.

28 Quatuor modis confeſſio poteſt eſſe valida, & informis.

Hoc autem quatuor modis accidere poteſt: Primò ex defectu doloris ſufficientis, quando eſſet ex ſolis viribus naturæ, & non aduerteretur à pœnitente eſſe talis; ſecundò: Ex parte propoſiti, quando pœnitens putaret ſe habere firmum propoſitum, & tamen in rei veritate non eſt tale, cùm ſit aliquantum remiſſum; tertiò: Ex ignorantia non craſſa, aliquo tamen modo culpabili, quæ non facit Sacramentum inualidum, quamuis non ſufficiens ſit ad gratiam conſequendam, & quartò: Ex negligentia in examine, quod non fuit ſufficiens, tunc enim recedente fictione, producendo firmum propoſitum, & dolorem ſufficientem pœnitens talis iuſtificatur, & non per claues ſequentes, quia non tenetur amplius peccata illa confiteri, ergo per præcedentes tunc conſequitur effectus gratiæ virtute Sacramenti ſuſcepti: Hoc tamen ſemper intellige, quando bona fide recepta ſit abſolutio, & inculpabiliter, vt nos fuſius declarauimus ſupra tract. 4. de confeſſ. iteranda capit. 5. numer. 4 & habetur ex doctrina Diu. Thom. in addit. 3. par. quæſt. 9. Art. 1. Henriq. cap. 16. §. 1. Filliuc. tractat. 6. cap. 4. num. 131. Chamerot. tractat. 7. de confeſſ. cap. 4. d. 2. & 3. & alij.

Aduertentia.

D. Thom. Henriq. Filliuc. Chamerota.

29 Quæſitum 10. De tertio effectu ſecundario. An reſtituat in priſtinam dignitatem? Concluſio eſt affirmatiua. Ezech. c. 18.

Quæritur decimò tandem: An Sacramentalis abſolutio reſtituat pœnitentem in priſtinam dignitatem, & meritum, ſicut antea?

Cum gratia reſtituitur homo in priſtinam dignitatem.

Reſpondetur Affirmatiuè: Reſtituit enim pœnitentem in priſtinam dignitatem, & amicitiam Dei, pro vt dicitur in Ezech. cap. 18. & 31. *Si autem impius pœnitentiam egerit ab omnibus iniquitatibus ſuis: In quacumque hora ingemuerit omnium iniquitatum eius non recordabor amplius:* Vndè Deus virtute pœnitentiæ, conferendo ſuam gratiam pœnitenti reſtituit etiam omnes virtutes infuſas, quæ conſequuntur gratiam ipſam, ac etiam omnia opera bona, facta in ſtatu gratiæ, quæ per peccatum mortale mortificata reman-

remanſerant reuiuiſcunt, non ex ſola Dei miſericordia, vel iuſtitia, ſed ex vtraque ſimul virtute Sacramenti ex opere operato.

30 Opera mortificata reuiuiſcunt. Viuificantur autem opera mortificata per peccatum, non ſolùm quò ad accidentale præmium, ſed etiam quò ad eſſentiale; iuxta illud, quod legitur in Euangelio Luc. c. 15. de Filio illo prodigo, de quo dixit pater ipſius: *Citò afferte ſtolam primam, & induite illum, & date illi annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius:* Vndè ſæpè etiam ad maiorem gradum gratiæ poteſt reſurgere, iuxta intenſionem actuum ipſius pœnitudinis, pro vt dicit D. Thom. 3. par. quæſt. 89. Artic. 5. & Diu. Bonau. in 4. Diſtinct. 14. 2. part. d. Art. ſecundo.

De ſtola primæ filij prodigi.

D. Thom. D. Bona.

31 Opera mortua reuiuiſci non poſſunt. Opera verò mortua, quæ in peccato mortali facta ſunt, amplius reuiuiſci non poſſunt, ſecundùm omnes: Peccata autem ſemel abſoluta, & per pœnitentiam deleta non redeunt per ſequens peccatum commiſſũ: Non enim Dominus iudicat bis in idipſum, quamuis peccata commiſſa poſt obtentam aliorum peccatorum remiſſionem grauiora ſint, habeantque maiorem deformitatem ratione ingratitudinis contra beneficium, à Deo prius acceptum, quia ſequens peccatum grauius eſt, cœteris paribus, quò maiora fuerunt auxilia, & dona à Deo accepta.

Peccata remiſſa non redeunt.

Aggrauatur per ingratitudinem peccatum.

32 Ingratitudo, dup. materialis, & formalis. Verùm eſt tamen, quod talis ingratitudo, non eſt de neceſſitate explicanda in Sacramentali confeſſione, eò quod ſpeciem peccati non mutet, cùm non ſit ingratitudo formalis, ſed tantum materialis, & generalis, pro vt nos in tractatu de effectibus contritionis diximus: Ità Bonacina de Pœnit. D. 5. q. 6. ſect. 3. p. 1. & 2. Filliuc. tract. 6. cap. 6. num. 161. & Henriq. in ſum. lib. 4. c. 32. nu. 4. Vaſquez 3. p. quæſt. 88. A. 1. d. 1. numer. 5. & alij.

Bonac. Filliuc. Henriq. Vaſq.

TRACTATVS XXIV.

De Sacramentis.

Et de miniſtro Abſolutionis Sacramentalis.

Tract. VII.

PROOEMIVM.

EXplicatis explicandis, ac declaratis declarandis, quæ ad eſſentiam, & quiditatem Pœnitentiæ Sacramenti faciebant: materia Videlicet, & forma: ex quibus, hoc morale quaſi compoſitum conſtituitur: Materia (inquam) non ſolum remota, quæ ſunt peccata deſtruenda, ac deteſtanda, verùm etiam propinqua, quæ in actibus ipſius pœnitentis conſiſtit, ſupra quos cadit Sacramentalis abſolutio, quæ forma partis ipſius Sacramenti eſt, cum ſecundum Scotum, ſit principale fundamentum forma totius: At quoniam Sacramenta nouæ legis, iuxta doctrinam Trident. Concil. tribus perficiuntur, materia, Videlicet, forma, ac miniſtri intentione, tanquam à cauſa efficiente; Nam licèt principale agens Sacramentorum ſit ſolus Chriſtus Dominus, qui ſolus auctoritatiuè confert gratiam, atque peccata dimittit, Sacerdos tamen habet poteſtatem miniſterialem abſoluendi peccata in terris ab ipſo Diuino Verbo incarnato, quando dixit: Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: *& ideò operæ pretium eſt, vt de ipſo Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, quæ neceſſaria ſunt in hoc præſenti tractatu aperiamus: Ideòque primò de ipſo miniſtro, deque ipſius poteſtate Ordinis, ac iuriſdictionis ordinaria, ac delegata: ſecundò de qualitatibus requiſitis ad ipſum miniſtrum ad rectè, ac legitimè ipſum Sacramentum adminiſtrandum, vt de Scientia, Poteſtate, Prudentia, & Bonitate ipſius: & tertiò de facultate pœnitentium ad confeſſarium eligendum: & quartò de Aliquibus dubijs, ac difficultatibus, occurrentibus circa talem facultatem, & quintò de Præceptis, ſiuè obligationibus ad ipſum miniſtrum ſpectantibus pro valida, & digna adminiſtratione ipſius Sacramenti, quæ neceſſaria ſunt dicamus.*

Scotus.

Principale fundamenti Sacramenti Pœnit. eſt abſolutio.

Conc. Trid.

Sacerdos habet poteſtatẽ miniſterialẽ, dimittendi peccata.

Diuiſio tractatus.

P. Geſualdus de Bononiȷs Capucc.

DE MINISTRO ABSOLVTIONIS Sacramentalis, & de Poteſtate Ordinis, & Iuriſdictionis ipſius.

CAP. I.

SVpponimus, tanquam rem certiſſimam, ac indubitatam: Illum tantum poſſe eſſe miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ, qui poteſtatem habet à Chriſto Domino in terris dimittendi peccata virtute clauium, ſibi collatam: Nullus enim poteſt validè iudicialem actum exercere ſine poteſtate, ac facultate: Quæ quidem facultas abſoluendi peccata hominum ſolis Sacerdotibus nouæ legis à Chriſto Domino fuit tradita, quandò poſt ſuam Sanctiſſimam Reſurrectionem inſufflauit Apoſtolis dicens eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* 1 Auctoritas dimittendi peccata eſt à Chriſto.

Hoc igitur ſuppoſito, Dico primò: Solum Sacerdotem poſſe eſſe miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ, ità vt ob nullam neceſſitatem, ſiuè diſpenſationem alius non Sacerdos poſſit eſſe: ſic enim definitum eſt in multis Concilijs, & præcipuè in Triden. ſeſſ. 14. cap. 6. & habetur ex text. in Can. Quidam dicunt de Pœnit. D. 6. Et ratio huius eſt, quia in miniſtro ſacramenti huius neceſſaria eſt poteſtas clauium, cùm ſit actus iudicij. At nullus poteſt eſſe iudex ſine poteſtate: Hæc autem poteſtas, cùm ſit ſupernaturalis à nemine exerceri poteſt, niſi prius à Chriſto ſit tradita, ſed tantummodò Sacerdotibus data eſt talis poteſtas: ergò tantummodò ipſi poſſunt eſſe huius Sacramenti miniſtri, Quod de fide tenendum eſt. 2 Concluſio. Solus Sacerdos poteſt eſſe miniſter Sacramenti Pœnit. Concil. Trid. Ratio concluſionis.

Quapropter turpiter errauere Hæretici opinantes, & dicentes: Laicum etiam hominem poſſe peccata abſoluere, præſertim ſi iuſtus ſit, & bonus: putauerũt enim poteſtatem abſoluendi peccata omnibus fidelibus à Chriſto fuiſſe collatam, & non tantum Sacerdotibus, & ideò iuſtè per Sacrum Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 6. & Can. 10. condemnati ſunt. 3 Error Hæreticorum.

Sed contra hanc noſtram Aſſertionem poſſet aliquis obijcere, dicendo: Neceſſitate aliqua vrgente licitum eſſe confeſſionem facere laico: pro vt dixit Magiſt. ſent. in 4. D. 17. cap. 5. quem videtur ſequutus eſſe D. Thom. quæſt. 3. A. 2. ad primum, dicens, quod: In Articulo mortis, quandò quis non poſſit confiteri peccata ſua Sacerdoti confiteri debeat laico: & D. Auguſt. libro 10. de Vera, & falſa pœnitent. dixit: *Tantam eſſe vim confeſſionis, vt ſi deſit Sacerdos confiteatur proximo,* & refertur in Can. Quem pœnitet de Pœniten. D. 6. & D. Iacobus Apoſtolus, qui fuit confeſſionis promulgator in ſua Can. dixit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra:* & in Extra. cap. Furis, de furtis, dicitur: vt fur, qui actuali furto interficitur careat ſepultura Eccleſiaſtica, & ſubditur: *Si autem Diacono, vel Presbytero confeſſus fuiſſet communione non priuetur:* Vndè ſignũ eſt, quod in neceſſitate, præcipuè 4 Obiectio. Magiſt. ſent. D. Thom. D. Auguſt. Can. Quem pœnitet. Iacob. Apoſt. C. Furis.

Digitized by Google

in articulo mortis, ſaltem Diaconus poterit confeſſionem audire, ergo non ſolus Sacerdos.

5 *Solutio obiectionis. Confeſſio facta laico Sacramentalis, eſſe non poteſt.*

Reſpondetur iterum noſtram Aſſertionem confirmantes dicimus, quod: In nulla neceſſitate, quæcumque ſit illa Sacramentalem confeſſionem fieri poſſe non Sacerdoti, cum alijs præter Sacerdotem non habeant clauium poteſtatem, ideòque Sacramentaliter abſoluere minimè poſſunt, ſed tantummodò deprecatoriè, dicendo: Miſereatur tui &c. Quæ abſolutio cùm Sacramentalis non ſit, nullo modo talis confeſſio neceſſaria eſſe poteſt: Nullus enim non Sacerdos Sacramentaliter abſoluere poteſt, & ideò talis confeſſio, & abſolutio non eſt alicuius momenti. Imò dicit Scotus Talem confeſſionem conſulendam non eſſe, quia in tali confeſſione homo diffamaret ſe ipſum ſine cauſa, & D.17.A.3. dubitat probabiliter: An talis confeſſio ſit licita, cum ſit valdè periculoſa, quod etiam idem ſentit Soto in d.4.D.18. q.4.A.2.

Scotus dicit talem modũ confitendi, eſſe periculoſum, & illicitum.

6 *Soluitur textus in c. Futis.*

Reſp. ergò ad Textum illum in cap. Futis: ſenſum eſſe: Si talis oſtenderet ſigna contritionis, & pœnitentiæ nõ eſſe illi denegandam communionem à Diacono: nam Diaconus, deficiente Sacerdote poteſt licitè Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus miniſtrare, non tamen conficere neque Sacramentaliter abſoluere, ſed tantùm Sacerdos.

7 *Reſpond. ad auctoritatem D. Auguſt. in c. Quem pœn.*

Reſp. inſuper ad illud D. Auguſt. in d.c. Quem pœniter D. 6. Nullum ibi ſonare præceptum, ſed commendationem virtutis pœnitentiæ, & confeſſionis, quæ tanta eſt, vt poſſit fieri laico, deficiente Sacerdote, & idem ſentiunt prædicti Doctores, vt D. Tho. cum Magiſtro, locis ſupra citatis: Nam per ly verbum: (Debet) non ſonat præceptum, & neceſſitatem, (vt aliqui arbitrati ſunt) ſed decentiam, & conſilium, quia vt puto, tempore D. Thom. & illorum Doctorum talem confeſſionem fraternam humilitatis cauſa forſitan erat in vſu.

Confeſſio fraterna aliquando fuit in vſu.

8 *Reſpond. ad illud D. Iacob. Confitemini alterutrum.*

Similiter etiam ad illud Diu. Iacobi: Reſpondetur; Non certum ibi eſſe ſermonem de Sacramentali confeſſione, ſed potius locutum eſſe de confeſſione fraterna: Vel ſi intelligatur locus ille de Sacramentali confeſſione, ſenſus eſt, vt homines non tantum Deo, ſed etiam hominibus deberi confiteri peccata ſua, non tamen omnibus indifferentibus, ſed illis, qui ad hoc munus ſunt deputati, cuiuſmodi ſunt presbyteri, qui habent poteſtatem clauium abſoluendi: Quod ipſe Apoſtolus ſupponebat eſſe in Eccleſia ſatis diſtinctum, & ordinatum, cùm ipſe loqueretur cum fidelibus: Vndè prius dixerat: *Infirmetur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ*, ſubſequitur poſtea: *confitemini alterutrum peccata veſtra*, ideſt Sacerdotibus. Ità Coninch. de ſacram. D.8.d.1.num.6. Regin. lib.1.num.6. Soto in 4.D.18.q.4.A.1. Bonac. de Pœnit. D.5.q.7.p.1.num.2. Filliuc. tract.7.c.7.quæſt.4.nu.182. Vaſq.3.p.q.93.A.1.d.1. & alij.

Coninch. Reginald. Soto. Bonac. Filliuc. Vaſq.

9 *Laicus ſacramentaliter abſoluens eſt ſacrilegus. Sot. & Palud. An ſit irregularis? dup. eſt opin. Syluest.*

Hinc infero, quod: Si laicus ille, cui facta eſſet confeſſio Sacramentaliter abſolueret, non ſolum nullum faceret Sacramentum, verùm etiam grauiſſimè peccaret, & eſſet graui ſupplicio puniendus, tanquam ſacrilegus, vt aiunt Soto D.18.q.4. & Palud. dicit, quod irregularitatem ipſo facto incurreret: ad quod etiam inclinat Soto, & colligitur ex c. ſi quis de Clerico non ordin. miniſt. licèt Sylu. in Verbo confeſſor.1.num.1. hoc non admittat, qui dicit: in iure non eſſe expreſſam irregularitatis pœnam in hoc caſu: Nullus autem iudicandus eſt irregularis, niſi quando eſt in iure expreſſum. C. His, qui de ſentent. excommun. numero 6.

C. His qui de ſent. excom.

10 *Concluſio.*

Nihilominus tamen exiſtimo, ſecundum prædictos Doctores probabiliter irregularitatem huiuſmodi incurrere ipſo facto: Nam in prædicto c. Si quis, iniungitur pœna irregularitatis, cuicumque non ordinato Sacramenta ſolemniter adminiſtranti, quo verbo omnia Sacramenta comprehenduntur, & certè par eſt de omnibus, pro vt ſentit Suarez to.4. de Pœnit. D.24. ſect. 1. num.12. *Suar.*

Dico ſecundò: Non omnes Eccleſiæ Sacerdotes, præter caſum extremæ neceſſitatis eſſe ſufficientes Miniſtros Sacramenti Pœnitentiæ circa materiam neceſſariam, quæ ſunt peccata mortalia, ſed tantum illos, qui habent non ſolùm Ordinis poteſtatem, verùm etiam iuriſdictionis ſupra pœnitentes abſoluendos, ſiuè talis iuriſdictio ſit ordinaria, ſiuè delegata: Nam cùm Sacramentum hoc ſit actus iudicij, neceſſariò in iudice requiritur iuriſdictio: Nam ſententia, data ab alio, qui iuriſdictionem non habet ipſo facto nulla eſt: Hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum in 4. D.17. D. Thom. Soti. Palud. & D. Bona. A.3. q.2. & aliorum, quos refert Suarez d. tom.4. Diſt.24. ſ. & 2. nu.5. 11

Non omnes Sacerdotes ſufficienter ſacramentaliter abſoluere.

Sententia data abſque iuriſdictione nulla eſt. D. Thom. Palud. Soto. D. Bona. Suar.

Notandum autem, pro declaratione huius noſtræ Aſſertionis, quod duplex eſt poteſtas, quam confeſſarij habere debent pro Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando, Vna dicitur: Poteſtas Ordinis, quæ eſt ſupra Corpus Chriſti verum; per quam poſſunt Sacerdotes conficere Corpus Chriſti in Euchariſtia, & facere cætera Sacramenta ad ipſos ſpectantia: & hanc poteſtatem habuerunt Apoſtoli in nocte Cœnæ, quando fuerunt ab ipſo Domino ordinati Sacerdotes noui teſtamenti in illis verbis: *Hæc quotieſcumque feceritis, &c.* Et ſacerdotes illam recipiunt ab ipſo Chriſto, quando ab Epiſcopo initiantur Sacerdotes, & recipiunt Characterem Sacerdotalem, qui extenditur, poſtea, quando conſummato ſacrificio Miſſæ poſt communionem, Epiſcopus dicit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Quam Apoſtoli receperunt poſt Chriſti reſurrectionem, Ioan.20. & Hæc eſt poteſtas clauium remittendi peccata, quam Chriſtus ante promiſerat Petro; dicens: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quorum remiſeris peccata in terris, erunt ſoluta, & in Cœlo.* 12

Notandum poteſtas Sacerdotalis duplex, Ordinis, & iuriſdictionis.

Ioan. c. 20. Poteſtas clauium.

Rectè autem hæc poteſtas ſignificata eſt nomine clauium, quia ſicut clauis metaphoricè eſt poteſtas, ſiuè facultas quædam aperiendi, & claudendi; ità hæc poteſtas eſt ordinata ad remittendum peccata, quibus ſolutis, ſiuè detentis aperitur, vel clauditur ingreſſus Regni Cœlorum: Et quamuis hæc poteſtas completè vna ſit, tamen, ſecundum diuerſos reſpectus ſignificatur nomine plurium clauium: Ità Reginald. libr.1. de Pœnitent. num.3. Suarez de Pœnitent. Diſt. 16. ſect.2. Soto in 4. Diſtinct.20. quæſt.1. Art.2. Victor. de Clauibus num.1. Filliuc. tom.1. tract.7. cap.7. num. 174. & Bonac. tom.1. de Pœniten. D.5. quæſt.7. p.2. numer.4. pro vt melius explicabitur in tractatu de Clauibus. 13

Quare poteſtas Sacerdotis ſignificatur nomine clauium.

Reginald. Suar. Soto. Victoria. Filliuc. Bonac.

Altera dicitur: Poteſtas Iuriſdictionis, quæ eſt ſupra Corpus Chriſti miſticum, ideſt vnionem fidelium, per quam Sacerdotes habent iuriſdictionem, & auctoritatem ſupra fideles, quibus conferenda ſunt Sacramenta: His ergò poſitis, & declaratis ponimus tertiam concluſionem in ordine, quæ talis eſt. 14

Poteſtas Iuriſdictionis quæ.

Ad Pœnitentiæ Sacramentum legitimè adminiſtrandum non ſolùm requiritur in miniſtro poteſtas ordinis Sacerdotalis, verùm etiam neceſſaria eſt poteſtas iuriſdictionis, adeo vt abſolutio data ab eo, qui ſupra pœnitentem iuriſdictionem non habet, vel ordinariam, vel ſaltem delegatam nulla eſt, & inualida. 15

Concluſio 3. Requiritur in confeſſario poteſtas iuriſdictionis.

Probatur: In omni iudicio, vt valida ſit ſententia, ſemper neceſſaria eſt poteſtas iuriſdictionis in illo, qui 16

Probatur. Concluſio.

debet

debet dare ſententiam, Nam omnis ſententia à non iudice data, eſt ipſo facto nulla, & nullius momenti: ſed actus abſolutionis eſt actus iudicij, ergò in actu abſolutionis requiritur iuriſdictio: Maior eſt per ſe nota, Minor determinata eſt per Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. vbi dicitur: *Nullius momenti eſſe abſolutionem à Sacerdote datam, qui neque ordinariam, neque delegatam habet iuriſdictionem*: Et in c. ſi Epiſcopus de Pœnit. & Remiſſ. dicitur; *Nulla conſuetudine poſſe introduci, vt aliquis præter ſui ſuperioris licentiam confeſſarium ſibi eligere poſſit, qui eum valeat à peccatis abſoluere*, ergò ſignum eſt: Poteſtatem iuriſdictionis neceſſariam eſſe in confeſſarijs ad ſententiæ validitatem, ergò non omnis ſacerdos (per ſe loquendo) eſt miniſter ſufficiens huius Sacramenti.

Concil. Trid.

C. ſi Epiſc.

17 Iuriſdictio ordinaria q.

Iuriſdictio ordinaria eſt illa, quam de iure habent Prælati, qui ex vi proprij muneris, & officij ſunt ſuperiores ordinarij ſuorum ſubditorum, & in præſenti materia dicuntur illam habere omnes illi, qui ex officio ſunt Paſtores, & habent curam animarum, qui propterea poſſunt, & habent facultatem illam alijs committere.

18 Tres ſunt ordines ſuperiorum.

Tres autem ſunt ordines Paſtorum, ſiuè Prælatorum in Eccleſia Dei, qui habent hanc ordinariam iuriſdictionem in foro conſcientiæ ſupra ſubditos, ad quos omnes alij reduci poſſunt.

19 In 1. gradu eſt Summus Pontifex.

In primo, & ſupremo ordine eſt ſolus Summus Pontifex, qui iuriſdictionem habet ſupremam, & ordinariam ſupra omnes Chriſti fideles: vt dicitur in c. Paſtores de offic. & poteſtat. Iudicis. Ad hunc ordinem ſpectat legatus eius à latere, eiuſque pœnitentiarius in tota ſua Prouincia, vbi eſt deſtinatus: Similiter Summus Pœnitentiarius Papæ in tota Eccleſia, & ſi qui ſunt alij, qui excellentiori modo illam participant, vt notauit Suarez de Pœnitent. Diſtinct. 25. ſect. 1. Similiter etiam Archiepiſcopus in toto ſuo Archiepiſcopatu, dum tamen viſitat, non autem extra, ſecundum Suarez ſupra num. 14. & Syluеſt. Verb. confeſſor. 1.

Legatus à latere. Summus Pœnitentiarius. Suar. Archiepiſcopus dum viſitat. Suar. Sylu.

20 In 2. ordine eſt Epiſcopus.

In ſecundo ordine ſunt Epiſcopi in ſua Diœceſi, quia quicquid poteſt Papa in Vniuerſa Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, niſi in his quæ ſpecialiter prohibita, aut reſeruata ſunt à Papa: Nam cũ Epiſcopali munere intrinſecè eſt coniuncta iuriſdictio ordinaria in foro pœnitentiæ circa oues ſuas.

21 In 3. ordine ſunt Parochi. C. Omnes vtriuſque ſexus.

In tertiò ordine ſunt Parochi in ſua Parochia, illi etiam ſunt iudices ordinarij in hoc foro ex communi conſenſu omnium Theologorum in 4. D. 17. & ex vſu Eccleſiæ, pro vt colligitur ex c. Omnes vtriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſ. Vbi nomine proprij Sacerdotis præcipuè intelligitur Parochus, qui in ſua Parochia poteſt iuriſdictionem ſuam alijs Sacerdotibus delegare ad confeſſiones audiendas ſuorum ſubditorũ, quod eſt munus Iudicis ordinarij.

22 Vicarius Parochi.

Ad hunc ordinem reducitur primò: Vicarius perpetuus Parochi, nam ille iam habetur tanquam ordinarius Paſtor, qui poteſt vices ſuas delegare, ſecundum mentem Suarez ſupra nu. 15. Reduci etiam ſolent Archipresbyteri, pro vt nunc ſunt in vſu; ſunt enim quaſi primarij Parochi aliquarum Eccleſiarum, iuxta c. 3. de offic. Archipresbyt.

Archipreſ.

23 Regularium Prælati maiores, & minores.

Reducuntur, & in Religionibus pro ipſis Regularibus immediati eorum Prælati, vt ſunt Abbates, Priores, Rectores, Guardiani, aut eorum Vicarij in eorum abſentia, & in vniuerſum omnes, quibus ex iure, vel priuilegio ſpeciali cura eſt commiſſa Animarum: Et hi nimirum habent iuriſdictionem ordinariam, ſicut Parochi, & poſſunt eam pro ſuis ſubditis alijs ſacerdotibus committere, & delegare, quò ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum: pro vt dicit Syluеſt. verbo confeſſor. 1. num. 4. & Armilla Verbo Abſolutio, & Suar. loc. cit.

Syluеſt. Victoria. Suar.

24 Generales, & Prouinciales Regularium.

Generales autem, & Prouinciales, ſimiliter, & alij Prælati maiores Religionum potius reducuntur ad ſecundum ordinem, quam ad tertium, nam iſti habent iuriſdictionem, ſicut Epiſcopi in ſuo Epiſcopatu, ita Prouinciales in tota Prouincia, & Generales in tota Religione, pro vt eſt communis ſententia omnium Theologorum, & conſtat ex praxi.

25 Iuriſdictio delegata quæ.

Iuriſdictio delegata eſt illa, quæ committitur ab illis, qui habent iuriſdictionem ordinariam: Non enim eſt cogendus Paſtor ſemper per ſe ipſum exequi officium ſuum in confeſſione audienda ſuorum ſubditorum, ergò poteſt, & debet vices ſuas alijs Sacerdotibus delegare, vt colligitur ex c. Inter cunctas de Offic. Ordinum, & ex c. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſ.

C. Inter cunctas. C. omnis vtriuſq; ſexus.

26 Auctoritas Summi Pontificis delegã di ſumma.

Ex quo patet poſſe Summum Pontificem abſolutè cui voluerit Sacerdoti hanc iuriſdictionem committere, & delegare pro tota Eccleſia, pro quolibet loco, & pro quibuſcumque peccatis etiam abſque conſenſu Epiſcopi, ſiuè proprij Parochi, cùm ipſe Summus Pontifex habeat pleniſſimam, & ſupremam iuriſdictionem ordinariam in tota Eccleſia: Clement. Dudum de ſepulturis: & capit. Inter cunctas de Priuilegijs.

Clement. Dudum. C. Inter cunctas.

27 Epiſcopi auctoritas. C. Quoniam. C. Inter cunctas.

Idem etiam proportionato modo, dicendum eſt de Epiſcopo in toto ſuo Epiſcopatu; cum hac tamen limitatione, vt ſuperior, ideſt Papa non reſiſtat, vel reſeruet: c. Quoniam, & c. Inter cunctas, de Offic. Ord.

28 Parochi auctoritas. C. omnis vtriuſq; ſexus. Nauarr.

Similiter etiam Parochus in tota ſua Parochia, cum hac tamen limitatione, vt ſuperior non reſiſtat, vel impediat, vt colligitur ex prædicto c. Omnis; pro vt notauit Nauarr. in c. Placuit de Pœnit. D. 6.

29 Prælati Regularium.

Idem etiam iudicium eſt de Regularibus: nam Generalis pro tota ſua iuriſdictione poteſt liberè, cui voluerit Sacerdoti pro ſuis ſubditis delegare: Prouincialis pro tota ſua Prouincia: Prior, ſiuè Guardianus, ſiuè Superior cuiuſcumque Conuentus, ſiuè domus: Abbas pro toto ſuo Monaſterio, & in vniuerſum omnes, qui habent ordinariam iuriſdictionem poſſunt illam pro ſuis ſubditis delegare: Delegatus autem eam ſubdelegare non poteſt, vt dicitur in c. Vltimò §. Vltimò. Extra. de Offic. Deleg.

Delegatus ſubdelegare non poteſt.

30 Notandum. Pro delegatione facienda requiritur approbatio ordinarij.

Notandum autem, quod licèt ex vi iuris communis illi, qui habent iuriſdictionem ordinariam poſſint ſuam iuriſdictionem cuilibet Sacerdoti delegare ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum, tamen, vt rectè, & legitimè fiat talis delegatio: oportet talem Sacerdotem, cui committitur auctoritas audiendi confeſſiones eſſe idoneum, quò ad ſcientiam, prudentiam, & probitatem, vt infra dicetur: & ideò, vt rectè fieret in poſterum talis delegatio confeſſariorum ſtatuit Trid. Synod. ſeſſ. 23. c. 15. *Nullum etiam Regularium poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut per examen ab Epiſcopo approbatus fuerit*.

Concil. Trid.

31 Approbatio confeſſarij poſt Concil. Trid.

Licèt enim ante prædictum Decretum Concil. Trid. Parochus ex vi iuris communis licitè, & validè poterat iuriſdictionem ſuam committere cui vis Sacerdoti, qui ſecundum naturale, & Diuinum ius idoneus eſſet ad hoc Sacramentum miniſtrandum, etiam ſi aliam Epiſcopi approbationem non habuiſſet: Tamen certiſſimum eſt, poſt prædictum Concilij Decretum, non poſſe amplius Parochum ſuam iuriſdictionem delegare ad confeſſiones audiendas, niſi illis, aut ab ordinario prius fuiſſent approbati, & tanquam idonei declarati per approbationem examinis, vel habeant

patochiale beneficium, iuxta formam Concilij Trid. legire Suarez de Pœnit. D. 28. ſect. 4.

32 Approbatio confeſſarij diſtinguitur à iuriſdictione.

Ex quo ſequitur: Approbationem diſtingui à delegatione iuriſdictionis: Poteſt enim Epiſcopus concedere approbationem, & non delegare iuriſdictionem: Nam conceſſio iuriſdictionis eſt veluti quædam gratia, quam liberabiliter concedit Epiſcopus: Approbatio autem eſt veluti opus iuſtitiæ, quo Sacerdos declaratur idoneus ad confeſſiones audiendas. Vndè poteſt Epiſcopus declarare aliquem ſacerdotem idoneum, & concedere illi approbationem, non delegando iuriſdictionem, vel poteſt, quando voluerit concedere iuriſdictionem ad tempus. Approbatio autem non conceditur ad tempus, cùm ſemel approbatus ſemper ſit approbatus.

Approbatus ſemel eſt approbatus. Iuriſdictio cõcedi poteſt ad tempus.

33 Concluſio. Approbatio confeſſarij quæ.

Quàpropter concludendo dicimus: Approbationem nihil aliud eſſe, quam publicam quamdam declarationem de ſufficientia talis ſacerdotis ad confeſſiones audiendas, quando tamen habebit delegationem à ſuo Prælato, ſiuè Parocho: Nam approbatio (vti diximus) eſt veluti quædam diſpoſitio neceſſaria, vt ſacerdos proximè ſit capax iuriſdictionis, & elegibilis per priuilegia, ſiuè per Bullas: vt benè aduertit: & notauit Suarez de Pœnitent. tom. 4. Diſtinct. 28. ſect. 4. num. 22.

Suar.

34 Notandum. Regulares pro ſuis confeſſionibus non ſunt approbandi ab Epiſcopo.

Notandum autem, quod: Concilium Tridentinum circa approbationem confeſſariorum ab Epiſcopo non loquitur de Regularibus; (ait enim) *Confeſſiones ſæcularium, aut presbyterorum ſæcularium*: Noluit enim Trid. Concil. in hoc ſubijcere Regulares Epiſcopis, quò ad confeſſiones, quas ipſi faciunt inter ſe de peccatis ſuis: Nam ipſi Regulares habent proprium, & peculiarem modum, quo gubernantur, & proprios Paſtores, à quibus confeſſarios recipere ſolent: Superiores enim Religionum poſſunt exponere ſuis ſubditis confeſſarios, etiam non approbatos ab vllo Epiſcopo, quia hoc poterant antiquo iure, & communi, & per Decretum Concilij nihil eſt innouatum, quò ad ipſos.

Superiores Regularium poſſunt exponere pro ſuis ſubditis non approbatos ab Epiſcopo.

35 Nauarr. Aduertentia.

Vndè ſequitur (vt benè notauit Nauarrus in man. cap. quarto, nu. 7.) Quod ſi Religioſus, nunc haberet facultatem à ſuo Prælato eligendi ſibi confeſſarium, quem maluerit, poſſe eligere quemcumque Sacerdotem inuenerit ſibi idoneum, quamuis aliàs ab Epiſcopo approbatus non eſſet: Nam Regulares non adſtringuntur ad huiuſmodi approbationem, quantum ad ipſos. Habuit enim Tridentinum Concilium fidem Regularibus, & noluit ad hanc approbationem Epiſcopi adſtringere circa confeſſarij proprij electionem, confidens moraliter de ipſorum conſcientia, & prudentia: Pro vt dicit Suarez de Pœnitent. D. 28. ſect. 2. num. 4.

Regulares nõ adſtringuntur ad approbationẽ pro ſe ipſis.

Suar.

36 Limitatio pro Capuccinis.

Aduertendum tamen eſt, quod Religio noſtra Capuccinorum de more habet, & obſeruat, vt Guardiani locorum non deputent confeſſarios pro ſuis ſubditis, niſi Sacerdotes illos, qui prius à Prouincialibus pro Prouincia, aut à Generali pro toto Ordine prius fuiſſent approbati: Et ſic hodiè pro toto Ordine noſtro obſeruatur: Pro vt notauit Hieronym. à Polirio ſup. Regul. Diui Franciſ. capitulo ſeptimo, num. 59.

Hieronym. à Politio.

37 Alia limitatio.

Neque poſſunt audire confeſſiones fratrum Sacerdotes à Prouincialibus approbati, niſi quando in aliquo conuentu ſunt Deputati confeſſarij, vel à Capitulo, vel à Guardianis illius Conuentus, quia tunc cõfertur illis iuriſdictio delegata: Non enim approbatio dat iuriſdictionem, quia ſimplex approbatio nihil aliud eſt, quam quædam declaratio de ſufficientia talis Sacerdotis, vt poſſint deindè deputari à minoribus Prælatis in confeſſarios idoneos, pro quolibet Conuentu, iuxta formam præſcriptam à Trident. vt ſupra declaratum eſt de Epiſcopi approbatione, ſecundum explicationem Suarez ſupr. loco citat. & hodiè ſatis, ſuperque declaratum fuit in Capitulo noſtro Generali celebrato Romæ anno 1637. & patet per noſtras conſtitutiones nouiter emanatas, & impreſſas.

Approbatio non dat iuriſdictionem.

Deputatus pro vno Conuentu non poteſt audire cõfeſſiones in alio Conuentu.

Nec valet dicere: Conſtitutiones noſtras non eſſe obligatorias ſub pœna peccati mortiferi, vt in fine illarum declaratur. 38

Reſpondetur tacitæ obiectioni de conſtitutionibus non obligatorijs.

Reſpondetur enim: Hoc verum eſſe, vt Conſtitutiones ſunt, nam in his, quæ de communi iure ſunt neceſſaria, Conſtitutiones etiam obligant; Quàpropter declarando Conſtitutiones: (*Non poſſe*) non conferunt iuriſdictionem Sacerdotibus, quæ iuriſdictio neceſſaria omninò eſt in confeſſarijs ad abſoluendos penitentes, vt patet.

Quàpropter abſolutè concludendo dicimus, quod: Si quis frater confiteretur de materia peccati mortiferi alicui Sacerdoti ſimpliciter approbato, & non deputato in confeſſarium illius Conuentus, talis confeſſio, & abſolutio omninò nulla eſt, pro vt explicant ferè omnes Theologi noſtræ Religionis: Neque confeſſarius deputatus ad audiendas confeſſiones in vno Conuentu poteſt audire confeſſiones in alio Conuentu, & abſoluere oues alterius Paſtoris, eò quod ſuper illas nullam habeat iuriſdictionem delegatam, pro vt expreſsè declarant Conſtitutiones noſtræ Generales. 39

Concluſio. De confeſſarijs non deputatis, quamuis approbatis.

Notandum inſuper: Regulares non poſſe confiteri peccata ſua alio Sacerdoti, etiam ab Ordinario expoſito, niſi intra Ordinem à ſuo Prælato iuriſdictionem delegatam ad audiendas confeſſiones Fratrum habeat, vel ſi ipſe Religioſus à ſuo ſuperiori facultatem haberet eligendi ſibi quem maluerit confeſſarium, etiã extra ordinem: aliter enim contra facientes ſine ſuorum ſuperiorum conſenſu nullam facerent confeſſionem, cum illi Sacerdotes extranei ſupra Regulares iuriſdictionem ad abſoluendum non habeant, ſine conſenſu ſuorum Superiorum: Et fratribus Minoribus ſpecialiter prohibitum eſt per Decretum Clementis IV. & Bonifacij VIII. ne poſſint dicti fratres extra Ordinem confiteri, niſi in neceſſitatis articulo, vt eſt caſus mortis, quando non adſint confeſſarij Ordinis: Pro vt refert Hieron. Sorbo in Comp. Priuileg. verb. Confeſſor. num. 1. 40

Regulares nõ poſſunt extra ordinem confiteri.

Specialis prohibitio pro fratribus Minoribus. Clemens IV. Bonifacius VIII. Hier. à Sorbo.

Inſuper addit Politius in d. c. 7. Reg. num. 42. Fratres Minores; neque etiam de Prælatorum conſenſu poſſe extra ordinem confiteri, niſi in neceſſitatis articulo, & noſtri Ordinis Sacerdotes non adſint, quia exiſtimat ipſe Politius: Eſſe hoc contra Regulam D. Franc. nam in d. c. 7. habetur, quod quando Prælati noſtri Ordinis Sacerdotes non ſint, mittant ſuos ſubditos pro abſolutione caſuum reſeruatorum ad alios Sacerdotes Ordinis pro abſolutione, ergò, (ait ipſe) non extra Ordinem poſſunt mittere: Ità Politius loc. citat. citans Piſanum, & Hugonem in conformitatibus, & Specul. fol. 16. 41

Opinio Politij de confeſſione extra Ordinem. Fundamentum Politij.

Piſanus. Hugo. Speculum.

Et quamuis tale præceptum Regulæ expreſſum non ſit, negari tamen non poteſt eſſe ſecundum mentem, & intentionem Regulæ, vt extra ordinem fratres confiteri non poſſent, niſi in neceſſitatis articulo: Et licèt Leo X. conceſſerit, quod: Concionatores fratrum Minorum quando ſunt extra territorium, vbi non adeſt Monaſterium ſui Ordinis, & non habent Sacerdotes Ordinis, poſſent in caſu confiteri peccata Sacerdoti alterius Ordinis, vel Presbytero ſæculari, dummodò fiat, ſine fraude ſuorum Prælatorum. 42

Cõceſſio Leonis Papæ pro Concionatoribus.

Capuccini autem, quia omnia priuilegia, quæ puri- 43

Digitized by Google

Limitatio. Capuccinorum.

puritatem Regulæ relaxant voluntariè, & liberè renuntiauerunt per conſtitutionem Generalem de conſenſu totius Capituli Generalis, & ideò prædicti fratres Capuccini, non videntur poſſe tali vti priuilegio, neque talem facultatem à miniſtris obtineri; cùm ſecundùm Regulam promiſſam facere nō poſſint. Hęc Poſitius; ſupra nu. 44. An verò hoc ſit obligatorium videant Docti, &c.

Poſitius.

44 In mortis articulo quilibet Sacerdos abſoluere poteſt.

Notandum eſt etiam, quod; In manifeſto mortis periculo poteſt quilibet Chriſtianus, etiam Regularis, cuiuſcumque Regulæ profeſſus ſit confiteri cuilibet Sacerdoti legitimè ordinato. Nam in tali caſu quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, ſuſpenſus, ſiuè degradatus poteſt abſoluere ſacramentaliter, etiam à reſeruatis Summo Pontifici, quandò pœnitens eſt in probabili mortis articulo, & non adſit alius Sacerdos, qui poſſet talem abſoluere: Nam in illa hora mortis quilibet Sacerdos habet iuriſdictionem delegatam à Summo Pontifice, vt conſtat: ex Extra. Ea noſcitur de ſenten. excommun. & in Conc. Trident. ſeſſ. 14. capit. 7. dicitur; *In mortis articulo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris liberè abſoluere poſſunt*: Ità Gregor. de Valent. 3. p. quæſt. 93. A. 1. d. 3. numero quarto, & d. 4. num. 8. Henriquez, in ſumm. lib. ſexto, cap. 11. Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. q. 7. p. 1. nu. 9. Filliuc. tract. 7. c. 7. quæſt. 6. nu. 186. & nu. 223. Reginald. lib. 1. n. 56. Sayrus de Pęnit. cap. 24. nu. 3. & alij.

Etiam à reſeruatis, & cenſuris.

Extra: Ea noſcitur. Concil. Trid.

Valentia. Henriq. Bonac. Filliuc. Reginald. Sayrus.

45 Limitatio.

Hoc tamen eſt aduertendum, quod quandò adſit Sacerdos approbatus non poteſt ſimplex Sacerdos etiam in tali periculo abſoluere, quia tunc non adeſt neceſſitas: Similiter etiam dicimus, quod ſi adſit Sacerdos Catholicus, non poteſt licitè moribundus abſolui ab excommunicato præciſo, hæretico, ſiuè degradato: Si verò non adſit alius Sacerdos, tunc in caſu poterit liberè moribundus à quocumque Sacerdote, etiam hæretico abſolui pro vt aduertit Bonac. loc. cit. cum omnibus ſupra dictis Theologis.

Bonac.

46 Ad peccata venialia, & m. abſoluta abſoluenda non requiritur iuriſdictio. Limitatio.

De peccatis autem venialibus, aut etiam de mortalibus aliàs ritè confeſſis, & abſolutis vnuſquiſque Sacerdos poteſt abſolutionem Sacramentalem de illis dare: Et ratio huius eſt, quia de talibus peccatis permittitur à iure Diuino, vt quilibet Sacerdos legitimè ordinatus abſoluere poſſit, cùm ad talia peccata abſoluenda non requiratur aliqua iuriſdictio, modò tamen talis Sacerdos non ſit excommunicatus vitandus, vel degradatus: Ità Viualdus in Candel. Aur. de Abſolut. num. 18. Suar. D. 26. ſect. 5. nu. 5. & 6. Zerola in praxi de Pœnit. cap. 15. quæſt. 9. Coninch. D. 8. d. 2. num. 17. Bonac. Henriq. Vaſq. & Filliuc. loc. cit. & Nauarr. in Man. c. 4. nu. 5.

Candel. Aur. Suar. Zerola. Coninch. Bonacin. Henriq. Filliuc. Nauarr.

47 Aduertentia pro Regularibus.

Notat autem Nauarr. ſupr. num. 6. Regulares, qui per obedientiæ votum non habent velle, neque nolle non poſſe licitè. & ſine nota culpabili confiteri alijs Sacerdotibus non expoſitis etiam de venialibus, tamen ſi hoc facerent abſolutio eſſet valida, quamuis poſſint à ſuis Prælatis licitè puniri; Ità Nauarrus, & Palud. in 4. D. 17. A. 5. D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 7. Angel. ver. Confeſſor §. 4.

Nauarr. Palud. D. Anton. Angel.

DE QVALITATIBVS, ET Conditionibus, quæ in Confeſſario requiruntur.

CAP. II.

1 Quinque conditiones requiſitæ in confeſſarijs.

Diximus de Miniſtro huius ſacramenti, deque eius poteſtate Ordinis, ac iuriſdictionis, tam ordinaria, quam delegata, quæ ſunt de neceſſitate requiſita in confeſſarijs, vt validè poſſint pœnitentes à peccatis confeſſis abſoluere. Videndum modò eſt de qualitatibus, quæ requiruntur in confeſſarijs, vt rectè munus ſuum exequantur: Quàpropter dicimus ſecundùm mentem omnium Theologorum in 4. libr. ſentent. D. 17. & omnium Summiſtarum in ver. Confeſſor. Quinque conditiones requiri in quolibet confeſſario, vt rectè exequatur munus ſuum in confeſſionibus audiendis, videlicet Scientia, Prudentia, Bonitas, Sollicitudo, & Sigillum: de quibus omnibus eſt dicendum.

Sciētia. Prudentia. Bonitas, ſollicitudo, & ſigillū.

2 Quanta, & qualis ſcientia requiritur in confeſſario.

Dicimus ergò: Primò in confeſſario talem requiri ſcientiam, vt ſufficienter pœnitentem imperitum docere poſſet circa ea, quæ neceſſaria ſunt ad illius ſalutem Animæ, vt rectum iudicium facere poſſet, & vtilè proferre ſententiam de peccatis ſibi confeſſis: Et ratio huius eſt, quia nullus poteſt eſſe iudex legitimus in aliqua graui cauſa, niſi habeat ſcientiam proportionatam ad æquum ferendum iudicium: Nam aliàs ſe errandi exponeret periculum: Ergò multò magis in hoc iudicio neceſſaria eſt proportionata ſcientia, atque intelligentia, cùm ſit res grauiſſima, & ad Animarum ſalutem neceſſaria.

3 Pœnitentiæ ſacramētum eſt actus iudicialis. Suar. Reginald. Sayrus. Filliuc.

Eſt enim Pœnitentiæ ſacramentum actus iudicialis, in quo Sacerdos Chriſti Domini vicem principalis Iudicis tenet, & ideò debet eſſe ſufficienter inſtructus ad ritè munus ſuum exequendum; pro vt benè obſeruant Suarez de Pęnit. D. 28. ſect. 2. num. 6. & Reginald. lib. 1. nu. 139 Sayr. de Pœnit. c. 29. Filliuc. to. 1. tract. 7. c. 9. q. 8. nu. 254.

4 Sacerdos imperitus confeſſiones audiens peccat mortaliter. Prælatus permittēs etiam p. m. Henriq. Rodriq. Nauarr. Bonac. Vaſq. Suar.

Ex quo ſequitur Sacerdotem, exequētem officium confeſſarij extra neceſſitatem, ſine ſufficienti, & conuenienti ſcientia grauiter peccare, eò quod ſe exponit periculo non ritè adminiſtrandi Pœnitentiæ Sacramentum: Sic etiam à peccato mortali non excuſatur Superior, qui talem Sacerdotem inhabilem, & imperitum ad confeſſiones audiendas expoſuit, & ſcienter tolerat, & permittit, pro vt docent Henriqu. libro 6. cap. 26. Rodriqu. in ſumm. cap. 61. Nauarr. in manu. cap. 4. numero 9. Bonac. tomo 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 7. punct. 4. §. 2. nu. 6. Vaſqu. 3. p. quęſt. 93. A. 3. d. 1. Suar. ſupr.

5 Quando excuſatur confeſſarius ratione obedientiæ. Nauarr. Suar. Bonac. Rodriq.

Verum eſt tamen poſſe aliquandò Sacerdotem excuſari à peccato mortali, qui dubitat ſe eſſe idoneū ad confeſſiones audiendas, ſi hoc faciat ex obedientia, præſtando fidem Superiori, affirmanti ipſum eſſe idoneum: Nam in caſu habet ſufficientem rationem deponendi ſcrupulos, ſiuè dubia de propria imperitia, pro vt aduerterunt Nauarr. Suarez, Bonac. Rodriqu. cum alijs loc. cit.

6 Quandò non excuſatur confeſſarius imperitus.

Si autem confeſſarius manifeſtè cognoſcat, ſe non eſſe ſufficientem ad tale miniſterium: In tali caſu non poteſt, nec debet ſuo obedire Prælato præcipienti, vt confeſſiones audiat, quia obediendo in caſu mortaliter peccaret, cùm ſe exponeret manifeſto periculo peccandi mortaliter, & irritum faciendi ſacramentum: pro vt habetur; ex cap. Non eſt putandum 1. quæſt. 1. & aduertit Suarez d. D. 28. ſect. 2. n. 7. cum Nauar. d. c. 4. nu. 9. & 14. cum alijs.

C. Non eſt putandum. Suar. Nauarr.

7 In tribus caſibus excuſari poteſt Sacerdos imperitus.

Verum eſt tamen in tribus caſibus confeſſarium imperitum poſſe excuſari à culpa mortali: Primò quandò is, qui confitetur eſt doctus, & valdè ſibi ipſi ſufficiens ad ſuorum grauitatem peccatorum confeſſario exponendam, & reputatur rectam habere conſcientiam. Secundò quandò pœnitentes ſunt perſonæ ſpirituales, ſæpè ſolitæ confiteri, & promdè communiter non aliter, quam de peccatis venialibus ſoleant confiteri: Et tertiò quandò pœnitens ſit in periculo mortis, & non adeſt alius Sacerdos, qui poſſet dictum morientem abſoluere: Similiter etiam dicimus

de

de illo Sacerdote qui commoratur apud infideles, & non habetur ibi copia peritioris confeſſarij: Vbi plures Catholici commorantur. Itá Nauar. in Man. cap. 4. numero 13. D. Anton. 3. p. titul. 17. cap. 6. & omnes communiter.

Nauarr. D. Anton.

8 Quanta ſcientia requiratur in cōfeſſario.

Quanta autem ſcientia requiratur in confeſſarijs ad rectè, & ſine errore munus ſuum exequendum, ad aliqua capita reducendo explicabimus ſecūdùm doctrinam Theologorum, & Canoniſtarum.

Quæ ſit materia, & Forma ſacramēti. Quid ſit peccatum m. & circūſtantiæ explicandæ.

Tenetur ergò primò Sacerdos, qui vult aliorum confeſſiones audire ſcire ea omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ſacramentum validum faciendum, & ideò, quæ ſit materia, & forma ſacramenti, & quales ſunt circumſtantiæ, quæ de neceſſitate in confeſſione ſunt explicandæ: Quoties, & in quibus caſibus ſit iteranda confeſſio præterita propter inualiditatem: Inſuper quodnam ſit peccatum mortale; Quænam excuſant à mortali, necnon, & alia, quibus cenſeri poſſit idoneus iudex, & medicus Spiritualis, vt lepram à lepra diſcernere poſſet, & vulnera pœnitentium curare, ne ambo in foueam cadant.

Debet eſſe iudex, & medicus.

9 Inter lepr*ā*, & non lepr*ā*.

Tanta itàque ſcientia requiritur in confeſſario, vt ſciat diſtinguere inter peccatum, & non peccatum, inter mortale, & veniale, non quidem ſubtiliter ſpeculando, & diſputando, ſed ſatis eſt, vt communi, & ordinario modo de talibus valeat iudicium ferre practicè, quantum ad An eſt, vt benè notauit Caietan. in ſum. ver. Confeſſori neceſſaria, numero ſecundo. & alij: Et ſi aliquandò eſſet dubitatio ſciat ſaltem ad libros, ſiuè ad peritos recurrere: Itá Suarez D. 28. sect. 2. num. 2. Armilla ver. confeſſor. numer. 2. & alij communiter.

Sciat ſaltem dubitare, & ad peritos recurrere.

Caiet. Suar. Armilla.

10 Secūdò debet cognoſcere ſtatum Pœnitentis.

Secundò opere pretium eſt: Ipſum confeſſarium non modò ſcire ea, quæ ſunt de huius ſacramenti ſubſtantia, verum etiam ea, quæ neceſſaria ſunt, vt pœnitens ſit abſolutione dignus: Non enim ſolùm tenetur confeſſarius validam ferre ſententiam, ſed etiam iuſtam. Nec ſolùm debet facere ſacramentum validū: ſed etiam non dare ſanctum Canibus. Quapropter conari debet, vt ſtatum pœnitentis cognoſcat: An ſit rectè diſpoſitus, & an ſit in proxima occaſione peccandi, & ſi ſic occaſionem tollere debet, priuſquam Sacramentum abſolutionis impendat, pro vt communiter dicunt omnes ſupra citati Doctores.

Non debet ſanctum dare canibus.

11 Scientia de vſuris, & reſtitutione quomodò neceſſaria.

Tertiò tenetur confeſſarius ſcire, vel ſaltem poſſe ſcire, quando oritur obligatio reſtitutionis famæ, ſiuè rerum temporalium, & huiuſmodi: Ideòque notitiam habere tenetur de vſuris, de cambijs, de contractibus, quantum ſatis eſt ad percipiendam obligationem pœnitentium, quò ad reſtitutionem faciendam; oportet enim admonere pœnitentem de obligatione, quam habet, & ab illo debitam ſatisfactionem, vel ſaltem propoſitum eius exquirat, aliter enim abſoluens grauiter peccaret.

12 Quando occurrunt caſus difficiles, quid faciendum.

Verum eſt tamen, quod quandò aliqui caſus difficiles accidunt, quos ipſe confeſſarius in audiendo confeſſionem non poſſit ſtatim diſſoluere, ſed indigent maturiore indagine, & conſultatione à peritioribus, ſi pœnitens promittat confeſſario, ſe facturum, quod tenetur, ſecundùm quod à peritis iudicatum fuerit: Poterit in caſu confeſſarius abſolutionem dare, nam talis pœnitens in tali euentu cenſetur ſufficienter eſſe diſpoſitus ad recipiendum abſolutionis ſacramentum cum onere faciendi illud, ad quod fuerit obligatus: Itá Nauarr. c. 26. num. 3. Henriqu. cap. 26. num. 6, Coninch. de Pœnitent. D. 8. d. 16. nu. 126. Sylu. ver. Confeſſio, 3. nu. 12, Bonac. d. D. qu. 7. p. 4. §. 2. nu. 10. Suar. D. 28. sect. 2.

Nauarr. Henriq. Coninch. Syluest. Bonac. Suar.

12 Scientia cenſurarū, quā neceſſaria ſit.

Quartò oportet ſcire excommunicationes, quæ ipſo facto incurruntur, tam à iure, quam ab homine. Tum quia non poteſt licitè abſoluere pœnitentem à peccatis, niſi prius ab excommunicatione incurſa pœnitentem abſoluat; Tum etiam, quia debet admonere pœnitentem de ijs, quæ neceſſaria ſunt, vt ab excommunicatione abſoluatur. Et ſi audit confeſſiones Clericorum, ſiue Sacerdotum tenetur etiam, & de irregularitatibus habere notitiam, vt poſſit pœnitentem admonere circa ſtatum ſuum, quomodò ſit agendum.

De irregularitatibus pro Clericis.

14 Aduertētia.

Caueat autem confeſſarius, ne poſito rationabili dubio alicuius excommunicationis pœnitentem abſoluat, antequam conſilium à ſapientibus capiat, vel antequam libros reuoluat ad rei veritatem indagandam, ne abſolutionem impendat, abſque iuriſdictione: Itá Vaſq. 3. p. q. 93. A. d. 1. Henriquez lib. 6. cap. 26. Suarez, D. 28. sect. 2. Nauarr. cap. 4. num. 8. Bonacin. ſupra, num. 8.

Vaſq. Henriq. Suar. Nauarr. Bonac.

15 Notitia caſuum reſeruatorū, quæ.

Quintò confeſſarius debet ſcire omnes caſus reſeruatos illius Prouinciæ, ſiuè Epiſcopatus, in quo confeſſiones audit, vt ſcire poſſit, quæ peccata valeat, & quæ non valeat abſoluere, ne falcem ſuam mittat in meſſem alienam: Ideòque ſcire tenetur, quæ peccata ſint tantummodò Summo Pontifici reſeruata, & præcipuè, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur: Nemo enim de illis ſine Pontificis auctoritate caſus illos abſoluere poteſt: Similiter etiam dicimus de caſibus Epiſcopo reſeruatis ſiuè alijs Prælatis, ſi qui fuerint, aliter enim de illis abſoluens abſque facultate prius obtenta, non ſolum abſolutio, ipſo facto nulla eſſet, nulliuſque valoris, verum etiam ipſe confeſſarius peccatum ſacrilegij committeret, vt ſuo loco videbitur in tractatu vltimo de caſibus reſeruatis, ac de cenſuris in ſecunda parte noſtræ Theologiæ moralis.

Caſus in Bulla Cœnæ.

16 Collectio ſupradictorū.

Hæc enim ſecundùm Theologorum mentem cuilibet confeſſario neceſſaria ſunt, aliter enim ſi neceſſaria ignoret, non ſolùm mortaliter peccaret, itá abſoluendo, ſed etiam multoties nullum faceret ſacramentum, quando talis eſſet ignorantia, ex qua defectum ſubſtantiale committeret, vel circa formam, vel circa materiam, vel circa intentionem, vel circa iuriſdictionem, quandò poteſtatem non habet abſoluendi pœnitentem.

17 Limitatio. Habenda eſt ratio locorū, & perſonarum.

Verumtamen aduertendum eſt, quod habenda eſt ratio locorum, & perſonarum: Multò enim maior ſcientia requiritur in vno loco, quam in alijs, & reſpectu vnius perſonæ, quam alterius: Vnde confeſſarius, qui confeſſiones excipit in Ciuitate inſtructior eſſe debet eo, qui in Villa confeſſiones ruſticorum excipit; Nam grauiores difficultates, & magis implicatæ quæſtiones in Ciuitatibus, quam in villis contingere ſolent, pro vt benè aduertit Nauarr. in man. cap. 25. num. 138. & Bonac. de Pœnit. D. 5. qu. 7. p. 4. §. 2. num. 8.

Nauarr. Bonac.

18 Limitatio pro confeſſarijs.

Non eſt tamen neceſſe, confeſſarium exactè noſſe omnes circumſtantias, excommunicationum, irregularitatum, aut omnes rationes peccatorum, & circunſtantiarum, ſed ſufficit ea noſſe, quæ frequentius accidunt in eo loco, in quo confeſſiones audit, ſciatque de alijs ſaltem dubitare, alioquin pauciſſimi reperirentur confeſſarij idonei: Tum quia in caſibus particularibus confeſſarius, poſito dubio, poterit conſilium à ſapientibus petere, aut veritatem inquirere, ſtudendo, & itá muneri ſuo poterit ſatisfacere, pro vt dicunt Suarez D. 28. sect. 2. num. 4. Armilla, & Caiet. & Bonac. locis ſup. cit.

Suar. Armillam. Caiet. Bonac.

19 Non tenetur confeſſarius de quolibet peccato ſpecialiter iudicium facere.

Notandum autem: Non eſſe obligatum confeſſarium, audito quolibet peccato in confeſſione explicitè iudicare eſſe mortale, aut veniale, ſed ſatis eſt, vt percipiat peccatum commiſſum, licèt omninò determina-

terminatum iudicium ferre non poſſit, ſed videtur ſatisfacere attendendo ad ſingula peccata, quibus auditis, & intellectis videtur virtualiter proferre iudicium eo modo, quo cognouit; Ità Nauarr. in manu. cap. 4. num. 9. Vaſq. 3. p. quæſt. 13. A. 3. d. 1. numero 1. Reginald. libro primo num. 247. Bonac. de Pœnit. tom. 1. D. 5. quæſt. 7. p. 4. num. 12. Suarez de Pœnit. D. 28. ſect. 2. numero ſecundo. Sylu. ver. Confeſſor. 3. p. quæſt. 9. num. 13.

Nauarr. Vaſq. Reginald. Bonac. Suar. Syluest.

20 Hinc ſequitur: Confeſſionem pœnitentis, bona fide factam Sacerdoti imperito, & abſolutionem ab huiuſmodi collatam validam eſſe, ſi concurrant omnia requiſita ad validitatem formæ, quamuis confeſſarius iniuſtè abſoluat, aut erret in imponenda pœnitentia ſalutari, & in peccatis diſcernendis propter ipſius imperitiam, pro vt dicunt Suar. d. D. 22. ſect. 6. num. 4. & D. 28. ſect. 2. Reginal. lib. primo, num. 141. & 161. Bonac. de Pœnitent. tom. 1. D. 5. q. 7. p. 5. num. 14. Medin. Co. de Confeſſione iteranda ob defectum confeſſarij Coninch. D. 6. d. 5. num. 18. & addit. q. 8. A. 5. d. 4. in fine.

Cõfeſſio bona fide facta confeſſario imperito quando eſt valida. Suar. Reginald. Bonac. Io. Medina. Coninch.

21 Secundò ſequitur: Eum qui confeſſus eſt peccatum, quod ipſe pœnitens, aut etiam confeſſarius neſciebat, aut dubitabat eſſe mortale, ſi poſteà percipiat peccatum confeſſum fuiſſe mortale, non teneri illud iterum confiteri, cuius ratio eſt, quia pœnitens in caſu ſufficienter manifeſtauit peccatum ſuum, & non eſt neceſſe (vt dixi) quod confeſſarius manifeſtè ſciat peccatum confeſſum eſſe mortale, an veniale, vt ſupra diximus; Ità Sanchez in ſumm. lib. primo, c. 10. & Suarez ſupra num. 14. & Coninch. D. 6. d. 5. num. 18. & alij ab ipſis citati.

Non eſt neceſſe, quod confeſſarius, & pœnitens cognoſcant quodlibet peccatum fuiſſe mortale.

Sanch. Suar. Coninch.

22 Dico ſecundò: In confeſſarium Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrante requiri probitatem, & bonitatem, adeò vt quandò ſacramentum abſolutionis adminiſtrat ſit in ſtatu gratiæ, aliter enim contra faciẽs mortaliter peccaret; Et ratio huius eſt, quia cum Sacerdos ſit miniſter Conſecratus ad hoc ſacramentum adminiſtrandum, in quo Chriſti Domini vicem gerit conferendo gratiam virtute ſacramenti, ideò ſi indignè, hoc eſt, extra gratiam tale ſacramentum adminiſtraret iniuriam faceret ipſi Chriſto, cuius vicem gerit in tali ſacra actione, & ideò mortaliter peccat, cùm teneatur ſancta ſanctè pertractare, vt eſt communis omnium Theologorum ſententia.

Secunda cõditio eſt Bonitas. Bonitas confeſſarij qualis eſſe debet. Aſſignatur ratio. Abſolutionẽ ſacramentalem conferẽs extra gratiã m. p.

23 Quàpropter probitas miniſtri, ſiuè confeſſarij, abſoluentis talis eſſe debet, vt ſit, vel probabiliter credat, ſe eſſe extra ſtatum culpæ mortiferæ, adeò vt non habeat conſcientiam peccati mortalis in actu, quo ſacramentum perficit, de quo peccato non exiſtimet ſe eſſe confeſſum, vel ſaltem ſufficienter contritum cum propoſito confitendi.

Sufficit contritio exiſtimata.

24 Non ſufficit autem in caſu attritio cognita, cum requiratur contritio vera, ſaltem putata ſufficiens eſſe, vt ipſe confeſſarius ſit in ſtatu gratiæ, aliter enim à culpa mortifera minimè eſſet excuſatus propter indignam ſacramenti adminiſtrationem, vt nos diximus fuſiùs in tract. ſecundo de ſacramentis in Gener. cap. 2.

Attritio cognita non eſt ſufficiens.

25 Hinc infero, cùm ipſum ſacramentum, ac eius miniſterium inchoetur in ipſa confeſſione pœnitentis, debere Sacerdotem ad totum illum miniſterium accedere benè diſpoſitum, & in ſtatu gratiæ: Quia totum illud eſt ſacramenti opus: Ac proindè malè faceret Sacerdos, qui in peccato mortali confeſſionem alicuius pœnitentis incipit audire ſpe habendi contritionem antequam ipſum pœnitentem ſacramentaliter abſoluat: Nam exponeret ſe periculo non habendi contritionem ſufficientem in actu, quo daturus eſt ſacramentalem abſolutionem; Nam actus contritionis perfectæ non eſt in poteſtate hominis, vel ſaltem negari non poteſt magnam partem huius ſacramenti, & miniſterij huiuſmodi exerceri extra gratiã, quod indecens eſt: Ita docet Suar. tom. 4. de Pœnit. D. 28. ſect. 1. in 3.

Opinio. Suar. Non ſufficit ſpes conſpiendi contritionem ante abſolutionem. Actua contritionis non eſt in poteſtate hominis.

Suar.

Verum eſt tamen, quod ſi quis Sacerdos, neceſſitate aliqua compulſus, inciperet confeſſionem audire in eo ſtatu, confidens diuino protegente auxilio, & bona fide, & animo habendi actum contritionis ſufficientem, quam primum poſſet antequam pœnitentem abſoluat: Et in hoc poſteà moralem diligentiam adhibeat ad producendum contritionis actum ſufficientem, faciliter credo poſſe huiuſmodi Sacerdotem excuſari à noua culpa mortali; Et ratio huius eſt, quia actus contritionis breuiſſimo tempore concipi poſſet: Nam in quacumque hora ingemuerit peccator, Deus illi parcet: Qui non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat: & facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam. 26

Limitatur opinio. Suar.

Contritio breuiſſimo tempore concipi poteſt. Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam.

Difficultas modò eſt: An qui in ſtatu culpæ mortiferę abſque debita contritione audit multorum cõfeſſiones, ad ſe venientium, tot peccata mortalia committat, quot abſolutionis formas pronuntiet? In hac difficultate duæ ſunt opiniones, quarum vna eſt Azorij 1. p. lib. 4. cap. 4. quæſt. 6. & Suar. tom. 4. de Pœnit. D. 22. ſectio. 5. numero 55. & aliorum dicentium: Tot peccata mortalia committere Sacerdotem, quot perſonas diſtinctas abſoluet, cùm vnumquodque per ſe ſit ſacramentum diſtinctum, quod extra gratiam perficit, & ideò toties peccata committet ſacrilegij. 27

Difficultas. Quot peccata cõmittet, qui extra gratiã multos abſoluit. 1. Opinio. Azor. Suar.

Altera opinio eſt Roderici in ſumm. to. 2. cap. 44. numer. 23. quem ſequitur Diana parte prima tract. 7. de Circumſtant. peccat. Reſolut. 43. & aliorum dicentium, quod quandò confeſſarius ſucceſſiuè illos pœnitentes abſolueret cum vnico actu voluntatis cõtinuato; Tantummodò eſt vnum peccatum in genere mortis, ſecus autem eſſet, ſi cum notabili interruptione, modò vnum, modò alterum abſolueret, quia tunc abſque dubitatione tot eſſent peccata diſtincta: Quam ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo, ſic etiam docet Fagund. p. 2. lib. 4. c. 5. num. 9. & alij. 28

2. Opinio. Rodriq. Diana. Fagund.

Notandum autem, quod prædicta bonitas miniſtri, regulariter non eſt neceſſaria ad ſacramenti validitatem: Nam malus Sacerdos indignè ſacramenta adminiſtrans ſibi tantùm diſpendium parat: Non enim poteſt Sacerdos quantumcumque pollutus ſacramenta coinquinare, vt habetur in can. Sciſcitantibus 15. quæſtione 8. Dum tamen habeat rectam intentionem faciendi ſacramentum, vt ſupponitur, & non ſit ſuſpenſus, neque excommunicatus, ſiuè degradatus. 29

Bonitas miniſtri non eſt neceſſaria ad validitatem ſacramenti, ſed ad licitè miniſtrandum. Can. Sciſcitantibus.

Dixi autem (regulariter) nam per accidens aliquãdò bonitas miniſtri poterit eſſe neceſſaria: Ex. gr. ſi Sacerdos per propriam malitiam non haberet intentionem faciendi ſacramentum, aut pœnitens ſine rationabili cauſa illum Sacerdotem malum ad tale miniſterium in malo ſtatu adminiſtrandum induceret, quia tunc, & ipſe pœnitens mortaliter peccaret in illo actu; cùm ſit cauſa proxima illius peccati, & tunc in actuali peccato abſolutionem Sacramentalem reciperet, quod in hoc Sacramento impedit valorem propter indiſpoſitionem ſubiecti, vt ex ſupra dictis conſtat. Ità Reginald. lib. 1. num, ibi Sayr. de Pœnit. cap. 26. num. 3. Fillinc. tract. 7, cap. 9. quæſt. 8. Bonac. tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 7. p. 4. §. 2. num. 3. Vide plura circa hoc ſupra in tract. 2. cap. 5. de ſacramentis in Gener. 30

Bonitas miniſtri per accidens aliquando poterit eſſe neceſſaria, & quomodò.

Reginald. Sayr. Fillinc. Bonac.

Dico tertiò: In confeſſario, vt rectè munus ſuum exequatur requiritur; Prudentia in præbendis pœnitentibus 31

Tertia cõditio eſt Prudentia.

Digitized by Google

Quæ, & quãta prudentia requiritur in confeſſario.

tentibus remedijs opportunis, & in ijs ritè præſtandis, quæ ad proprium ipſius confeſſarij officium pertinent, & ideò tanquam medicus ſpiritualis debet ipſum pœnitentem inſtruere, hortando ad integrè confitenda peccata abſque verecundia, & timore, ipſaque deteſtanda cum dolore, & propoſito amplius illa non committendi cum ſpe veniæ à Deo obtinendæ; & prudenter, & ſobriè ipſum pœnitentem interrogando de circumſtantiis tantummodò neceſſarijs: Sed cum maxima circumſpicione, & cautela, atque prudentia, ne ſe ipſum in aliquam præcipitaret tentationem, & forſitan pœnitentem doceat peccata, quæ ignorat, & præcipuè circa materiam venereorum; Idcircò habita vltima ſpecie peccati, non vltra procedat, verbis etiam honeſtis interroget, ac modeſtis propter ſacramenti reuerentiam debitam.

32 *Prudens in iniungenda pœnitentia ſalutari.*

Sit etiam Prudens in pœnitentia ſalutari iniungenda ad peccatorum vindictam, & remedium pro ipſius pœnitentis ſalute; Sit etiam Prudens in attentè conſiderando: An pœnitens ſit in proxima occaſione reincidendi in peccatum, dando illi opportuna remedia pro vt in Domino expedire iudicauerit, & tãquam medicus prudens applicando medicamenta neceſſaria ad euitanda peccata, modò cum dulcedine, modò cum aſpera reprehenſione, & pœnitentia.

33 *Qualitates, quas habere debet confeſſarius.* D. Thom.

Et tandem pœnitentem excipiendo debet confeſſarius ſe talem exhibere, qualem eſſe debere ſignificant illi duo verſus relati à D. Thom. in 4. libr. ſent. D. 17. in expoſitione textus in fine dicentis.

Carmina pro memoria.

Confeſſor Dulcis, Affabilis, atque ſuauis.
Prudens, Diſcretus, Mitis, Pius, atque Benignus.

Nauarr. Suar. Filliuc.

Quomodò autem confeſſarius ſe gerere debeat erga pœnitentem ad plenum loquuntur Summiſtę omnes in ver. Confeſſor. & Nauarr. in Manu. cap. 10. per totum copiosè, & doctè de hoc miniſterio inſtruit cõfeſſarium & Suarez d. tom. 4. D. 32. Filliuc. tract. 7. de Inſtitut. confeſſarij, capit. 4. & alij legantur ibi per totum.

34 *4. Cõditio eſt Charitas, & ſollicitudo.*

Dico tandem: Confeſſarium debere eſſe charitate præditum, & ſollicitum circa Animæ pœnitentis ſalutem: eſt enim medicus, & paſtor, qui debet pœnitentem inſtruere, & vulnera ipſius mederi cum omni ſollicitudine, & charitate ne pœnitens in foueam cadat: Hæc autem propoſitio clariſſima eſt, lumine naturæ hoc dictante: Iudicem, Medicum ſpiritualem, Paſtorem, atque Doctorem debere ea præſtare, quæ ad proprium munus ſpectant; Hæc Bonacina d. D. 5. quæſt. 7.

Eſt Iudex, Medicus, & Paſtor. Bonac.

35 *5. Cõditio eſt Sigillum fidelitatis.*

Vltima tandem conditio confeſſarij eſt Fidelitas in ſeruando ſigillum eorum, quæ in confeſſione ab ipſo pœnitente audiuit, de quo ſigillo dicturi ſumus plenius in ſequenti tractatu, & ideò modò de hoc ſigillo non dicimus.

DE FACVLTATE POENITENTIVM eligendi Confeſſarium.

CAP. III.

1 *Poteſtas eligendi confeſſarium dup. à iure vel ab homine.*

POſteaquam de poteſtate, & qualitatibus Miniſtri Sacramenti Confeſſionis, quæ neceſſaria erant explicauimus: opere pretium eſt, vt de Facultate eligendi confeſſarium, non nulla dicamus: Quæ facultas duobus modis à nobis poteſt conſiderari, Vel enim eſt à Iure, vel ab homine: hoc eſt Diuino, vel poſitiuo, ideſt Pontificio.

2

Dicimus ergò primò: Summum Pontificem tantùm facultatem habere ex Diuino iure eligendi ſibi confeſſarium quemcumque maluerit Sacerdotem, vt ipſum à peccatis commiſſis legitimè abſoluat: Nullus enim præter ipſum in terris caret proprio Paſtore, ſiuè Iudice in hoc foro: Nam prima ſedes à nemine iudicatur: At quoniam Summus Pontifex Chriſti Domini Vicarius, cùm ſit homo poteſt, ſicut, & cæteri peccata committere, quia humanum eſt peccare, & ideò poſt peccatum indiget abſolui, & cùm ſe ipſum abſoluere non poſſet, ideò ex Diuino iure ipſe Pontifex habet hanc facultatem: Nam ſicut poteſt ſuam iuriſdictionem pro alijs delegare, ità, & pro ſe ipſo: Vndè licèt poteſtas in ipſo Pontifice ſit à Iure Diuino, iuriſdictio tamen in eo caſu transfertur in cõfeſſarium, mediante ipſomet Pontifice, vt benè dicũt D. Thom. in 4. D. 19. qu. 1. A. 3. & Gabr. A. 3. d. 6. Soto D. 18. q. 4. A. 2. & alij.

Prima ſedes à nemine iudicatur. *Aſſignatur ratio aſſertionis.*

Iuriſdictio confertur ab ipſo Pontifice. D. Thom. Gabr. Soto.

3 *Exemplum de conceſſione Indulgẽtię. Et diſpenſationis votorum.*

Exemplificat Suarez tom. 4. de Pęnitent. D. 27. ſect. 2. num. 2. de conceſſione Indulgentiarum: Nam, ſicut Pontifex, concedens Indulgentiam lucrandam à fidelibus, ipſemet Pontifex ipſam lucratur: Et poteſt etiam ipſemet diſpenſare in votis ab ipſo Deo factis, & præceptis Eccleſiaſticis, quatenus etiam ipſum cõprehendunt: Et hæc diſpenſandi poteſtas poteſt committere ſuo confeſſario ab ipſo electo, quæ ſunt actus iuriſdictionis, ergò idem erit dicendum de iuriſdictione abſoluendi: Nam ſi alicui competit facultas eligẽdi ſibi confeſſarium, certiſſimè ipſi Summo Pontifici competere debere: Et cum ipſe non habeat aliquem ſuperiorem in terris, certè habet à iure Diuino: Ità Bonac. D. 5. q. 7. p. 3.

Suar. Bonac.

4 *Aſſertio 2. Facultas ab homine triplex eſſe poteſt.*

Dico ſecundò: Facultatem eligendi confeſſarium ab homine, ſiuè à Iure Pontificio tripliciter eſſe poſſe: Vel ab ipſo iure Canonico, vel ex ſpeciali conceſſione, vel ex conſuetudine, & ideò de his tribus breuiter à nobis eſt dicendum.

5 *1. à Iure Canonico. Prælati, qui habent hanc facultatem à iure Canonico. Prælati exẽpti, qui ſunt.*

1 Facultas eligendi ſibi confeſſarium à Iure Canonico habent omnes Prælati Eccleſiaſtici exempti, tam maiores, quàm etiam minores, qui ſunt immediatè ſubiecti Summo Pontifici, vt ſunt omnes Epiſcopi, ac eorum ſuperiores, vt Archiepiſcopi, Patriarchæ, Primati, Abbates, ac Priores abſoluti, qui non ſubduntur iuriſdictioni Epiſcopali, ſed immediatè ſubduntur Papæ, & ideò dicuntur Exempti.

6 *An Cardinales gaudeant hoc priuilegio.* Palud. Soto. Suar. Armilla. Caiet. Sylu. Angel.

De Cardinalibus autem non Epiſcopis eſt aliqua dubitatio: An gaudeant tali priuilegio Iuris, pro vt dicit Palud. & Soto D. 17. Tamen, re vera, & de facto ipſi gaudent, ſiuè hoc ſit vi huius Iuris, ſiuè alicuius declarationis, ſiuè ſpecialis conceſſionis Pontificum, ſiuè ſaltem ex conſuetudine; pro vt dicunt Suarez, Armilla, & Caiet. Verbo Abſolutio num. 2. Sylu. & Ang. Verbo confeſſor. 1. §. 2.

7 *Nomine Epiſcopi intelligitur etiam electus, & confirmatus. Degradatus, non gaudet.*

Nomine verò Epiſcopi intelligitur etiam is, qui iam electus eſt, & Cõfirmatus, qui ipſo facto gaudet Epiſcopali auctoritate, & conſequenter venit nomine Epiſcopi: etiam ſi fortè ſuſpẽſus ſit, vel depoſitus verbaliter, Hic enim non priuatur quolibet Epiſcopali priuilegio, niſi expreſsè exprimatur, licèt priuetur vſu iuriſdictionis, & officij, ſecus autem dicimus, ſi de facto, & realiter eſſet degradatus, quia tũc de facto priuatus eſſet omnibus priuilegijs, conceſſis ratione dignitatis: Ità Filliuc. to. 1. tract. 7. c. 9. nu. 231. & Bonac. D. 5. q. 7. p. 3.

Filliuc. Bonac.

8 *Prælati Regularium, gaudent hoc priuilegio Iuris.*

Similiter etiam dicimus: Gaudere dicto priuilegio Iuris omnes Prælatos inferiores, ſiuè minores exemptos: vt ſunt Abbates (Priores abſoluti, qui non ſubduntur Abbati, Rectores, Guardiani) Correctores, Propoſiti, ſiuè quomodòcumque nominati, qui ſunt Prælati inferiores Religionum; Et ſimiliter etiam Prælati maiores, vt ſunt Prouinciales, & Generales: Omnes enim iſti poſſunt ſibi liberè confeſſarium eligere ex vi Iuris Canonici in c. Vltimo de Pœnit. & remiſſ.

C. Ne pro dilatatione pœnitentiæ.

vbi

vbi dicitur; (*Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat Animarum, permittimus Prælatis exemptis, tam maioribus, quam etiam inferioribus, vt poſſint præter ſui ſuperioris licentiam eligere ſibi confeſſarium aptum, & idoneum*) & D. Thom. in 4. D. 17. rationem aſſignat huius conceſſionis, quia Prælatis ex officio Sacramẽta ſuis ſubditis miniſtrare incumbit, & ideò mundi eſſe debent.

Ratio huius conceſſionis. D. Thom.

9 De ſpeciali autem conceſſione, & quibus de facto hæc facultas concedatur, non poteſt à nobis explicari, quia pendet ex voluntate Paſtorum: Regulariter verò ſolent ipſam habere Imperatores, & Reges, alijque ſimiles Principes magni abſoluti, qui appellari ſolent Reguli: Item in illis regionibus, in quibus Bulla Cruciatæ concedi ſolet, aut per Iubilæa, & ſimiles gratiæ ſpeciales: In quibus verba diplomatis ſunt conſideranda, & expendenda, quia priuilegia ſpecialia tantum valent, quantum ſonant, vt patet: Hæc autem facultas concedi poteſt ab his, qui habent poteſtatem ordinariam ſuis ſubditis tantùm, & dumtaxat, pro vt nos diximus ſupra in primo capitulo huius tractatus numer. 25.

De ſpeciali conceſſione. Imperatores, Reges, & Principes magni.

Per Bullam Cruciatæ, & Iubilæa.

Priuilegia tantum valent: quantum ſonant.

10 Ex conſuetudine tandem videntur habere aliqui facultatem eligendi ſibi confeſſarium abſque ſpeciali conceſſione ſuorum ſuperiorum, & iſti ſunt Parochi, & Archipresbyteri, qui non includuntur in dict. cap. Vltimo de Pœnit. & Remiſſ. ſub nomine Prælatorum exemptorum. Et ratio huius eſt, quia, (vt dicit Suarez d. D. 27. ſectione 2. num. 7.) reuera, & ſimpliciter, & abſolutè nunquam Parochi dicuntur Prælati in Iure, quia (vt ait Gloſſa, in cap. Decernimus de Iudicijs:) De ratione Prælatorum eſt, vt habeant aliquam iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro contentioſo, quam non habent Parochi, & Archipresbyteri: Et eſto, quod ſint Prælati (quod non concedimus) non ſunt tamen exempti, cum ſint ſubditi Epiſcoporum, vel Abbatum: Vndè cum non habeant à Iure talem facultatem videntur habere ex conſuetudine; & idem videtur dicendum de alijs perſonis in aliqua dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis.

Ex conſuetudine habent facultatem Archipresbyteri, & Parochi.

Parochi non ſunt Prælati exempti. Suar.

Prælatus debet habere iuriſdictionẽ in foro contentioſo.

11 Quapropter dicendum eſt, quod vbi conſtaret talem conſuetudinem eſſe introductam, & videntibus, ac tacentibus Ordinarijs Paſtoribus bona fide exerceri poſſe, & eam ſufficere, vt huiuſmodi perſonæ ſecuri vti poſſint hac facultate, quia (vt colligitur ex cap. Vt contingat de foro Competenti, & ex c. Delicti de arbitr. & ex cap. Conquæſtus 9. qu. 3.) conſuetudo poteſt dare iuriſdictionem, ſicut è contrario conſuetudo illam aufert.

Conſuetudo recepta dat iuriſdictionẽ. C. vt contingat. C. Delicti. C. Conquæſtus.

12 Sed contra obijciet aliquis, dicendo: in cap. 2. de Pœnit. & Remiſſ. in 6. dicitur: *Nulla conſuetudine introduci poſſe, vt aliquis valeat ſibi eligere confeſſarium ſine facultate proprij Paſtoris*, ergo conſuetudo talis non ſufficit ad talem faciendam facultatem.

Obiectio. C. Nulla cõſuetudine.

13 Reſpondetur; Hoc verum eſſe, ſed illa conſuetudo potius videtur ex tacita conceſſione ſuorum Superiorum, qui videntes, & permittentes tacitè videntur cõcedere: Vndè exiſtimo, in prædictis caſibus præceſſiſſe facultatem aliquandò, ſaltem generalem, & nunquam fuiſſe reuocatam, & ità ex vi talis permiſſionis, ſiuè conceſſionis quaſi continuata conſuetudine fuiſſe introductam; ideòque talis conſuetudo ex voluntate pendet ſuperiorum, qui quando, & quotieſcumque voluerint illam poſſunt mutare, & derogare, pro vt dicit Suarez d. tom. 4. de Pœnitent. *Diſtinct.* 28. ſect. 3.

Solutio.

Talis cõſuetudo pendet ex voluntate ſuperiorum. Suar.

14 Aduertendum tamen eſt, quod; ex cuius paſtoris voluntate talis conſuetudo fuit introducta ex illius, vel ſuperioris arbitrio reuocari poterit, non tamen ab inferiori: Et ideò conſuetudo illa, quæ ex voluntate Summi Pontificis fuit introducta, vt eſt illa de confeſſione peccatorum venialium, (vt nonnulli exiſtimant) non poteſt ab inferiori reuocari; Illam autem quæ ex permiſſione Epiſcopi fuit introducta, vt eſt illa de Parochis non dubito, quin poſſet Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu mutare; pro vt dicit Suarez loco citato.

Aduertentia.

Cuius permiſſione talis conſuetudo fuit introducta ab illo poteſt auferri. Suar.

DE ALIQVIBVS QVAESTIONIBVS, Scitu dignis circa hanc facultatem eligendi Confeſſarium.

CAP. IV.

Locutis de Facultate eligendi confeſſarium, & quibus à Iure, ſiuè ex conſuetudine, aut ex conceſſione ſpeciali permittitur: poſſe aliquem confeſſarium ſibi eligere præter ſui ſuperioris licentiam; Inſurgunt nonnullæ dubitationes circa talem facultatem neceſſariò explicandæ: & Ideò

1 Quæritur primò: An Prælati exempti, habentes facultatem à Iure eligendi ſibi confeſſarium, ſint adſtricti eligere Ordinarios Curatos, atque eos tantum, qui ab aliquo Ordinario ſemel fuerunt approbati apti, & ſufficientes ad audiendas confeſſiones, iuxta formam Concil. Trid. An poſſint eligere quemcumque ſimplicem Sacerdotem, quamuis numquam fuiſſet approbatus, & examinatus.

Quæſitum 1. An confeſſarij eligendi à Prælatis debeant eſſe approbati?

2 Pro deciſione huius quæſtionis, dico Primò: fuiſſe quaſi communem opinionem multorum Doctorum, (vt ait Soto in 4. Diſt. 18. quæſt. 4. Artic. 3. circa finem) allegans D. Anton. in 3. par. titul. 17. & Gabr. Diſt. 17. quæſt. 2. d. 5. Adrian. de confeſſ. quæſt. 2. d. 1. Paludan. quæſt. 3. A. 1. Caiet. in ſumm. V. Abſolutio, & Armill. & Sylu. V. confeſſio 1. §. 1. alioſque dicentes; Prælatos exemptos virtute illius Decreti Greg. IX. in c. Vltimo de Pœnitent. & Remiſſ. poſſe ſibi eligere quemcumque maluerint Sacerdotem etiam non approbatum ab vllo Epiſcopo: & D. Thom. rationem aſſignat talis conceſſionis, quia Prælatis incumbit miniſtrare Sacramenta ſuis ouibus, ideòque ſemper parati, & mundi eſſe debent; propterea à Iure conceditur talis facultas: vt poſſint liberè cuicumque Sacerdoti peccata ſua confiteri.

1. Sententia.

Soto. D. Anton. Gabr. Adrian. Palud. Caiet. Armilla. Sylu. D. Thom.

3 Fundamentum huius opinionis eſt, Nam ad validè Sacramentum abſolutionis faciendum duo requiruntur, poteſtas Vid. Ordinis Sacerdotalis, & iuriſdictionis, ſaltem delegatæ: Et quidem Ordinis poteſtatem vnuſquiſque Sacerdos habet; Iuriſdictionis autem ille, qui priuilegium contulit per electionem pœnitentis, qui ei confert hanc facultatem eligendi ſibi confeſſarium præter ſui ſuperioris licentiam; ergò liberè poſſunt etiam ſimplicem Sacerdotem, etiam non approbatum eligere ſibi.

1. ratio fundamentalis huius ſententiæ.

4 Secundò probant ex illis verbis Diplomatis, dicentis: (*Permittimus, vt poſſint ſibi eligere confeſſarium:*) Nam hoc non eſt eligere eum, qui actu eſt confeſſarius expoſitus, ſed per electionem facere confeſſarium, ſicut quando eligitur Epiſcopus, non eligitur ille, qui erat Epiſcopus: Et quamuis addatur in Decreto: *(Idoneum)* Additio illa duo ſignificat, primò quod non ſit ſuſpenſus per cenſuram; ſecundò admonitur pœnitens iuxta tenorem Canonis: Quem pœnitet D. 6. vt eligat confeſſarium ſcientem ligare, & ſoluere; Nihilominus optio ipſi relinquitur, & priuilegia non ſunt coarctanda magis, quam ſonant, & gratiæ ampliandæ ſunt, non autem reſtringendæ: & maximè in materia odioſa: Ita Soto, loco ſupra citato, & alij.

2. Ratio.

Idoneus cõfeſſarius quid ſignificet. Can. Quem pœnitet.

Gratiæ ſunt ampliandæ. Soto cum alijs.

5 Hoc verò dubium, (pro vt refert Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 28. ſect. 4. num. 7.) diſcuſſum fuit Romæ in

Difficultas quæſtionis.

Sacra

Sacra Congregatione Cardinalium. in qua decem inter fuerunt Cardinales, & quinque ex illis cum prædicta prima opinione inclinabant, rationibus moti ſupradictis: Nam aliàs nullius valoris eſſet talis conceſſio: Reliqui verò Cardinales contrarium exiſtimabant, rationibus infrà dicendis.

1. Sententia.

6 De hac ſententiarum diuerſitate. conſultus Summus Pontifex Gregorius XIII. Reſpondit: In te dubia tutius eſt adhærere Decreto Concil. Trid. Quare dicendum eſt: Prælatos inferiores Epiſcopis, qui iuriſdictionem non habeant Epiſcopalem, non poſſe eligere ſibi in cõfeſſarium, niſi Sacerdotem approbatum ab Ordinario. iuxtà formam Trident. Concil. ſeſſio. 23. cap. 15. dicentis: *Nullum Sacerdotem etiam Regularem poſſe confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, niſi ab Ordinario fuiſſet antea approbatus, vel Parochiale beneficium habeat:* Igitur ſiuè à pœnitente eligendus ſit confeſſarius, ſiuè à proprio ſuperiori ſit deputandus, ſemper ſupponi debetur hæc approbatio poſt dictum Decretum Conc. Trid. etiam ſi ſint ipſi pœnitentes Prælati exempti.

Deciſio quæſtionis. Greg. XIII. Concil. Trid.

7 Quàpropter, qui habent facultatem eligendi ſibi confeſſarium debent eligere Sacerdotem ab Ordinario approbatum: *Nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſuperior non eſſet veroſimiliter conceſſurus, ſi ſpecialiter de hoc rogaretur:* At Summus Pontifex non concederet in ſpecie hanc facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti non approbato, cùm periculum ſit. vt pœnitens Sacerdoti rudi, & indocto confiteatur, igitur talis approbatio ſemper præſupponenda eſt in confeſſario eligendo: Ità enim declarauit Sacra Congregatio Cardinalium: pro vt refert Suar. loc. ſup. cit.

In generali conceſſione non veniunt ea, quę non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus.

Sacra Congregatio. Suar.

8 Quamuis autem Summus Pontifex, delegando facultatem de abſoluta poteſtate poſſet illam communicare, non ſeruata forma Concilij Trid. tamen quoties ſimpliciter, & ſine tali declaratione illam committit: intelligitur ſemper iuxta formam Concilij Trident. Epiſcopi verò, & qui iuriſdictionem habent Epiſcopalem, vt ſunt Prouinciales Regulariũ, ſi velint eligere ſibi ſubditum, illum poſſunt approbare, tam pro ſe, quàm pro alijs, ſi voluerint: At verò, ſi velint eligere ſibi non ſubditum, debent ſemper eligere approbatum ab Ordinario loci, cui talis Sacerdos eſt ſubiectus: Ità enim habetur ex declaratione Cardinalium: deciſ. 1158. & 1160. pro vt refert Suar. D. 28. ſectio. 4. & hanc ſententiam tenent Vaſq. 3. p. qu. 93. A. 1. d. 5. nu. 3. & art. 3. d. 4. nu. 2. Reginald. lib. 1. nu. 178. & Filliuc. to. 1. tract. 7. c. 8. nu. 256. Viuald. in Candel. cap. de confeſſ. nu. 26. Bonac. de Pœnit. to. 1. D. 5. q. 7. p. 3. nu. 5. & Angel. Vanc. de diſcip. Cler. lib. 1. ad finem p. 51. & alij recentiores.

Ratio 1. ſententiæ.

Prælati maiores Regulariũ habent iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalem.

Deciſio Cardinalium. Suar. Vaſq. Reginald. Filliuc. Candel Aur. Bonacin Angelus. Vanc.

9 Reſpondetur ergò ad primum argumentum primæ opinionis: Hoc non eſſe quia Sacerdos ille careat iuriſdictione, & poteſtate, ſed quia deficit conditio illa neceſſaria, ſine qua non poteſt conferri iuriſdictio delegata, quæ eſt approbatio, quò ad ſufficientiam, iuxta formam Decreti Concil. Trid. Neque Doctores illi ſupra citati loquuntur expreſsè de tali approbatione, ſed agunt de iure ordinario ante Conc. Trid. quandò adhuc non erat neceſſaria talis approbatio, ſed tantummodò iuriſdictio.

Soluuntur rationes ſententię primę. Ad Primum.

10 Ad ſecundùm Reſpondetur, quod: Verba Diplomatis non dicunt, *Vt ſibi quemlibet Sacerdotem ſimplicem eligant, ſed vt ſibi poſſint eligere idoneum confeſſarium:* Non enim poſt Concil. Triden. quilibet Sacerdos, ſimpliciter ordinatus poteſt eligi, vel deputari in confeſſarium. ſed tantùm ille, qui ab Ordinario mediante examine fuerit ante approbatus, iuxta formam Trident. Concil.

Soluitur 2. ratio.

Nec valet dicere, quod priuilegium illud nihil eſſet: Nam prædicti Prælati exempti virtute dicti priuilegij poſſunt eligere quemlibet Sacerdotem approbatum. licèt non fuiſſet deputatus in confeſſarium pro illo loco, & hoc in quocumque loco etiam extra ſuam iuriſdictionem, quod facere non poſſent abſque tali conceſſione. & idcò inſtantia, facta à Soto nullius eſt momenti. 11

Reſp. ad inſtantiam Soti.

Et quamuis Epiſcopi ſimpliciter Sacerdotes ſæculares non ſint, cùm ſint Prælati conſecrati, & in dignitate Pontificia conſtituti, in hoc tamen ſub nomine Sacerdotum comprehenduntur à Tridentino, pro vt declarauit ſacra Congregatio Cardinalium ſupra citata ex mente Summi Pontificis Greg. XIII. pro vt refert Suar. loc. ſupra cit. Neque poteſt hæc materia propriè dici Odioſa, ſed ſauorabilis, cum in fauorem Sacramenti, & Conſcientiæ redundet: & propriè nullum ius Epiſcoporum aufert: *Et priuilegia tantum valent, quantum ſonant.* 12

An Epiſcopi ſub nomine Sacerdotis comprehendantur? Declaratio Cardinaliũ.

Reſp. tacitæ obiectioni.

Ex quo ſequitur primò à fortiori: Illum, qui facultatem habet eligendi confeſſarium ſibi idoneum, debere ſemper eligere confeſſarium ab Ordinario approbatum: Nam Trident. Concil. requirit approbationem, vt aliquis iudicetur confeſſarius idoneus, non obſtantibus priuilegijs, & conſuetudinibus. exceptis habentibus beneficium Parochiale, cuius nomine, non ſolùm venit beneficium, quod communiter vocatur Curatum. Verùm etiam alia ſuperiora beneficia, quibus annexa eſt facultas audiendi confeſſiones: vt Archidiaconatus, Abbatiæ, Prioratus, & huiuſmodi, quibus cura Animarum coniuncta eſt: Nam obtinentes huiuſmodi beneficia cenſentur ipſo facto approbati ad confeſſiones audiendas, cùm obligatio audiendi confeſſiones ſit onus annexum talibus beneficijs: quàpropter in huiuſmodi beneficiatis non requiritur ſpecialis approbatio, modò tale Parochiale beneficium adhuc retineant: Ità Suarez D. 28. ſectio. quarta numer. 18. Filliuc. tractat. 7. cap. 9. quæſt. 9. num. 257. Reginald. ſupra num. 191. & Bonac. ſupra num. 6. 13

Infertur argumentum à fortiori.

Nomine Parochi, quid veniat Archidiaconus, & Prior comprehenduntur.

Suar. Filliuc. Reginald. Bonac.

Secundò ſequitur Epiſcopum non poſſe eligere ſibi in confeſſarium, niſi Sacerdotem ex approbatis, niſi fortè eligat ſibi ſubditum, illumque tunc approbet, & Sacerdos talis ſit idoneus, qui approbatur, iuxta Decretum Concilij Trident. ſeſſ. 23. capit. 15. Quod idem dicendum eſt de Cardinalibus. alijſque Prælatis, qui talem habent facultatem, ſaltem ex conſuetudine. 14

2. Conſequentia.

Notandum autem Reſtrictionem iſtam non intelligi pro Prælatis Regularium; quia Triden. Conc. non loquitur de Regularibus: Vndè ſicut poterant. & etiã nunc poſſunt Regularium ſuperiores exponere pro ſuis ſubditis Sacerdotem non adhuc approbatum ab vllo Epiſcopo, vt ſupra in cap. 1. huius tractatus diximus. Ità etiam pro ſe ipſis poſſunt eligere: Quàpropter per dictam conceſſionem poſſunt Superiores Regularium, qui in domo Superiorem non habent, vt ſunt Abbates, Priores, & Guardiani, alijque ſimiles Prælati exempti, & à fortiori Prouinciales, & Generales ſe ipſos, cui voluerint Sacerdoti ſubijcere vt ab illo ſacramentaliter à peccatis abſoluantur ex conceſſione ſupra dicta Gregor. IX. pro vt benè adnotauit Pater Hieronymus à Politio ſuper Regulam D. Franciſci c. 7. num. 39. Tantùm ergò Prælati ordinum, Regularium, non ſubditi ſimplices Sacerdotes ſibi in confeſſarios eligere poterunt. 15

Limitatio pro Regularibus.

Superiores Regularium non adſtringuntur ad eligendos pro ſe ipſis approbatos.

Polit.

Verùm eſt tamen, quod Religio Capuccinorum de more habet, & obſeruat, vt ſimplices Sacerdotes prius à Prouincialibus approbentur, deindè à Guardianis pro ſuis ſubditis in confeſſarios eligantur, & talis conſuetudo 16

Reſtrictio Capuccinorum ex conſuetudine.

ſuetudo

Digitized by Google

ſuetudo ad præſens videtur habere vim legis, & pro tali communiter reputatur in tota noſtra Religione: Voluit enim noſtra Religio conformari ſe Conc. Triden. quia ſicut Sacerdotes prius approbantur ab Epiſcopo, quam exponantur in confeſſarios à Parochis; ità Sacerdotes noſtri prius approbantur à Prouincialibus, deindè quandò caſus occurrerit à Guardianis poſſunt exponi, & deputari in confeſſarios pro fratribus Conuentus.

Approbatio confeſſariorum à Prouinciali Vnde oritur.

17 Vndè per dictam conſuetudinem, & ordinationem non poſſunt Guardiani noſtri ordinis eligere etiam ſibi in confeſſarios, niſi Sacerdotes illos, qui prius à Prouincialibus eſſent admiſſi, & approbati, iuxta formam Trid. præſcriptam pro confeſſione fidelium: Ipſi autem Prouinciales, qui, & eligere poſſunt, & approbare, tam pro ſe, quam pro alijs fratribus, ſi velint eligere ſibi ſubditum, poſsũt eligere quemlibet Sacerdotem ſi illis videbitur expedire, ſi verò velint eligere ſibi non ſubditum debent eligere approbatum à ſuo Prouinciali, cui eſt ſubiectus talis Sacerdos.

Conſuetudo iſta Capuccinorum habet vim legis.

18 Secundò quæritur: Quibus perſonis hæc facultas eligendi confeſſarium ſibi à Iure conceditur in d. cap. vltimo: Ne pro dilatatione, de Pœnit. & Remiſſ.

2. quæſitum. Qui habent facultatem eligendi ſibi cõfeſſarium.

Reſpondetur in Iure Canonico: Hoc permiſſum eſſe Epiſcopis, alijſque ſuperioribus in dignitate conſtitutis, nec non & minoribus Prælatis exemptis, vt poſſint ſibi præter ſui ſuperioris licentiam eligere confeſſarium prouidum, diſcretum: vt in c. ſupra dicto dicitur: Ideò Videndum eſt primò, Quid nomine Epiſcopi in eo textu intelligitur?

19 Reſpondetur; Nomine Epiſcopi in caſu non ſolùm intelligi illum, qui realiter eſt Epiſcopus conſecratus, & actu habet ſuum Epiſcopatum: Verum etiam ille, qui nondum eſt conſecratus, modò tamen ſit electus, & confirmatus, quia reuera tunc eſt Epiſcopus, & non habet proprium Parochum præter Summum Pontificem: Conſimiliter etiam intelligitur ille, qui eſt Epiſcopus conſecratus, licèt nõ habeat Epiſcopatum, vel ſit ad tempus depoſitus, ſiuè ſuſpenſus: Non tamen ille, qui eſt degradatus, aut in perpetuum depoſitus, aut electus tantùm, & non adhuc confirmatus: Ità Suar. D. 27. ſect. 2. nu. 5. Bonac. de Pœnit. D. 5. qu. 7. p. 3. nu. 1. & Filliuc. tract. 7. c. 9. nu. 231. alijque; (Quicquid dicat Palud.)

Quid ſub nomine Epiſcopi comprehendatur.

Suar. Bonac. Filliuc.

20 Dico 2. quod nomine Superioris Epiſcopi intelliguntur omnes Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, & ſi qui ſunt alij tantùm Summo Pontifici ſubiecti. De Cardinalibus, non Epiſcopis, aliqui dubitant: An ex Iure gaudeant tali priuilegio, vt Soto, & Palud. in 4. D. 17. Tamen re vera, & de facto ipſi etiam tali gaudent priuilegio, vt referunt Caiet. in ſum. Verbo Abſolutio nu. 2. Angel. & Sylu. Verbo confeſſor. 1. §. 2. ſiuè hoc ſit ex vi iuris communis, vt putat Suarez, ſiuè ex alijs conceſſionibus Pontificũ, ſiuè ex conſuetudine, vt in præcedenti c. dictum eſt.

Quid nomine ſuperioris Epiſcopi.

Soto. Palud.

Caiet. Angel. Sylu. Suar.

21 Dico 3. quod nomine Prælatorum inferiorum exẽptorum intelliguntur illi, qui Epiſcopis non ſubduntur, vt ſunt Abbates Monaſteriorum, Priores, Guardiani, & ſi qui ſunt alij exempti ſolummodò Summo Pontifici ſubiecti: Necnon omnes Prælati Religionum, tam maiores, quam etiam minores, Generales Vid. Prouinciales, Guardiani, Rectores, & alij Superiores Religionum quomodòcumque nominati, qui verè dicuntur Prælati, iuxta ſtatuta Religionum, qui in domo Superiorem non habent, pro vt notauerunt Armill. V. Abſolutio nu. 14. & Caiet. nu. 2. Politius c. 7. Reg. n. 39. Palud. in 4. D. 19. q. 3. A. 1. & alij.

Prælati minores exempti, qui ſunt. Prælati omnes Religionum. Tã maiores, quam etiam minores.

Armilla. Caiet. Polit. Palud.

22 Priores autem Monachorum, qui ſunt ſub Abbate, aut Vicarij Priorum, ſiuè Guardianorum: Quandò adeſt Superior Prælatus non gaudẽt priuilegio iſto, quia ipſi realiter Prælati non ſunt, licèt ſint aliquo modo Superiores, ſecus autem ſi eſſent Prælati abſoluti, ſi Prælati abſentia nõ ſolùm eſſet à domo, verùm etiam à Ciuitate, vel ſi Guardianus eſſet mortuus, vel ex alia cauſa dimiſerit officium: tunc enim huiuſmodi Vicarij gererent vicem Guardiani, & eſſent veri Prælati, & tunc in caſu gaudebunt priuilegio Guardiani: pro vt dicunt Alph. de Leone de Offic. confeſſ. to. 2. Recollectione 6. num. 36. & Coriolanus lib. de Caſib. reſer. 1. p. A. 24. Megala 1. p. lib. 1. c. 10. n. 4. Tamb. de Iure Abbat. to. 1. D. 15. q. 11. nu. 10. quos ſequitur Diana p. 3. reſol. moral. tract. 2. de Regul. reſol. 1.

Priores Monaſteriorum ſub Abbate, non ſunt Prælati.

Vicarij habdomedarij non ſunt veri Prælati.

Alph. de Leone. Coriolanus. Megala. Tamb. Diana.

Notandum autem: Tale priuilegium in prædictis ſuperioribus domorum tantum durare, quantum officium prælationis durat, & in proprio Conuentu, vbi eſt ſuperior, nam ceſſante Officio, ceſſat etiam, & prælatura. Ideò ſi Officium ſit perpetuum, ſiuè temporale, ſimiliter etiam erit priuilegium, pro vt notauit Suarez de Pœnit. D. 28. ſect. 2. num. 8. 23

Prælatura Vicariorum quantum durat.

Suar.

Sed difficultas modò eſt: An prædicti Prælati Religionum, tam maiores, quam etiam minores, vt ſupra explicatum eſt: poſſint licitè, & validè per illud Ius, (*Ne pro dilatatione*) confiteri, peccata ſua cuicumque Sacerdoti ſimplici non adhuc approbato ab Ordinario ſuo, ac etiam extra Ordinem? 24

Difficultas. An Prælati Religionum poſſint confiteri extra Ordinem?

Reſpondetur Affirmatiuè: Nam per dictum priuilegium poſſunt prædicti Prælati minores exempti, præter ſui ſuperiores licentiam eligere ſibi confeſſarium: & per Concil. Trid. non tenentur eligere approbatum, ergò licitè poſſunt hoc facere: Nam Concil. Trid. fidem habuit Regularibus, & noluit adſtringere ad talem approbationem confeſſariorum ab Ordinarijs ad confeſſiones audiendas regularium: vt ſupra iam explicatum eſt. 25

Concluſio eſt affirmatiua. Ratio concluſionis.

Et quamuis in aliquibus Religionibus per conſtitutiones Generales, ſiuè Prouinciales factum ſit ſtatutum, quod non poſſint aliquo modo huiuſmodi Regulares extra Ordinem proprium confiteri, renunciando quodcumque priuilegium Summorum Pontificum, hoc concedens: Hoc tamen non obſtante: etiam affirmamus, licitè poſſe, Nam priuilegia, quæ ſunt in corpore Iuris, cuiuſmodi eſt illud in d. capit. (*Ne pro dilatatione*) renunciari non poſſunt, ſine expreſſa conceſſione Summi Pontificis. Ità Medin. & Miranda in Man. Prælat. tomo 1. quæſt. 45. A. 6. Henriquez lib. 6. c. 6. num. 4. Fagund. præcept. 2. lib. 7. c. 2. n. 15. & nu. 78. Rodriq. tom. 1. qq. Reg. q. 59. A. 2. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 9. diffic. 47. nu. 4. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 2. cap. 9. d. 1. & Diana p. 3. tract. 2. de Regul. reſol. 1. 26

Difficultas de illis Regularibus, quorum ſtatuta hoc expreſsè prohibent.

Reſolutio. Priuilegia quæ ſunt in corpore iuris renunciari non poſſunt.

Io. Medina. Miranda. Henriq. Fagund. Rodriq. Villalob. Io. à Cruce. Diana.

Tertiò quæritur ex parte materiæ: Ad quæ peccata ſe extendat facultas iſta, quam habent Prælati minores circa electionem Confeſſariorum? 27

Quæſitum 3. De qua materia p. intelligenda eſt iſta facultas.

Reſpondetur primò: Hoc intelligendum eſſe de peccatis mortalibus: Nam de venialibus non eſt neceſſaria conceſſio cùm quilibet Sacerdos de peccatis venialibus ſemper de illis etiam Sacramentaliter poſſit abſoluere: Nam qui facultatem petit, aliquod ſpeciale petit, & in eodem ſenſu ſuperior illam concedit: Nam confeſſio ſimpliciter dicta, non accipitur tantùm pro illa, quæ de ſolis venialibus eſt, ſed de omnibus etiam mortalibus.

Intelligitur de omnibus peccatis etiã mortalibus.

Verum eſt tamen, quod conceſſio talis qualiſcumque illa ſit non intelligitur de peccatis reſeruatis, niſi ſuperior de illis ſpecialiter mentionem faceret: vt colligitur ex cap. ſi Epiſcopus de Pœniten. & Remiſſ. in 6. & ex Clement. de Priuileg. & ex Extrauag. Inter cunctas, eodem tit. *Cum in generali conceſſione non veniant ea quæ non eſſet, quis in ſpecie veroſimiliter conceſſurus*: pro vt rectè notauerunt Palud. in 4. d. 17. q. 3. Syl. v. 28

Non autem de caſibus reſeruatis.

C. ſi Epiſcopus Clement. de Priuileg. Extrau. Inter cunctas.

Palud. Syluest.

Suar.

confeſſor. 1. qu. 9. & Suarez D. 28. ſect. 6. num. 2.

Decretum Gregorij IX. non intelligitur de caſibus reſeruatis.

29 Quapropter Prælati inferiores, vt ſunt Guardiani Fratrum Minorum, ſi habent peccata reſeruata Prouincialibus non poſſunt de illis extra Ordinem abſolui, neque intra Ordinem: virtute illius Decreti (*Ne pro dilatatione*) niſi ab illis confeſſarijs, qui in Conuentu deputati ſunt pro ſubditorum numero, iuxta Decretum à Clement. VIII. præſcriptum de caſibus Reſeruatis: Nam dictum Decretum Gregorij IX. nullam fecit mentionem de Reſeruatis, Neque Decretum Clementis VIII. ſe refert ad Decretum Gregorij IX. & ideò quò ad reſeruata non intelligitur, vt poſteà loquendo de Caſibus reſeruatis plenius probabitur.

Neq; ad diſpenſandum circa vota. Ratio huius aſſertionis. Vota à ſimplici confeſſario in meliùs poſſunt commutari. Suar.

30 Neque etiam ex vi huius facultatis datur vlla facultas confeſſario electo ad diſpenſandum in votis, Et ratio huius eſt, quia omnia peccata tolli poſſunt manente voto, nec pertinet ad confeſſarij munus curare pœnitentem tollendo obligationem Voti; Igitur ex vi huius facultatis nulla datur facultas ad diſpenſandum in votis: Quamuis ex vi huius muneris interdum confeſſarius poſſit ſuper vota diſpenſare, quandò talis diſpenſatio eſſet in melius, vel in æquali, pro vt dicit Suarez d. D. 28. ſect. 6. num. 6.

Quæſitum 4.

31 Quartò quæritur: An facultas eligendi cõfeſſarium ſpiret per primam electionem?

Quanto tempore duret facultas eligendi confeſſarium?

Reſpondetur, quod ſi indefinitè, & ſine aliqua limitatione conceſſa ſit talis facultas eligendi confeſſarium, pro vt eſt illa, quam habent Prælati exempti in Iure: Clarum eſt illam non ſpirari vnico actu, neque electionem vnam faciendam de vno confeſſario eſſe immutabilem, ſed poſſe fieri modò vni, & modò alteri, pro arbitrio eius, cui facultas talis conceſſa eſt, quia licèt conceſſio ſimpliciter facta, & Sermo ſimpliciter prolatus in odioſis, & oneroſis fieri poteſt reſtrictio, vt intelligatur de vno actu: in fauorabilibus autem, & minus oneroſis fieri poteſt extenſio ad iteratos actus, niſi aliter conijciatur de mente, & voluntate concedentis: vt in L. Placet: de liberis, & poſthumis; Facultas autem eligendi confeſſarium eſt fauorabilis, & fauores ampliandi ſunt, ergò, &c. Ita Regin. libr. 1. num. 96. Sayr. de Pœnit. c. 22. nu. 1. Bonac. D. 5. qu. 7. p. 1. nu. 4. Nauarr. in c. Placuit de Pœnit. D. 6. nu. 167. Sylu. V. Confeſſor. 1. q. 7. Palud. in 4. D. 17. q. 3.

In fauorabilibus facienda eſt extenſio. L. Placet. Reginald. Sayr. Bonac. Nauarr. Sylu. Palud.

32 Aduertentia. De peccatis oblitis poteſt iterum atque iterum confiteri. Facultas nõ videtur finita, niſi actus ſit perfectus.

Aduertendum autem, quod quando quis facultatem obtinuit à ſuo ſuperiore eligendi pro vna vice tantùm confeſſarium, ſi aliquid in ea, confeſſione oblitus fuerit, poteſt ex vi illius facultatis obtentæ iterũ, atque iterum peccata oblita confiteri confeſſario electo; Nam facultas non videtur finita, niſi actus ſit cõpletus. Verumtamen eſt, quod quandò conceſſio eligendi confeſſarium eſt limitata, tunc ſecundùm limitationem illius conceſſionis eſt intelligenda, & ſecundùm mentem concedentis, quæ de circumſtantijs cõijci poteſt; Ita Nugn. in addit. 3. p. q. 8. A. 5. d. 2. concl. 4. & Suar. D. 28. ſect. 6. n. 7. & alij ſup. cit. DD.

Nugn. Suar.

33 5. Quæſitum. An expiret per mortem concedentis? 1. Opinio. Syluestri, & D. Anton.

Quintò quæritur: An facultas eligendi confeſſarium ceſſet, & finiatur per mortem concedentis, ità vt mortuo concedente, non poſſit amplius talis fieri electio?

Reſpondetur, quod licèt Sylu. ver. Confeſſor. 1. q. 7. & D. Anto. 3. p. tit. 17. q. 9. exiſtiment talem facultatem ipſo facto per mortem cõcedentis expirari, niſi actus confeſſionis fuerit iam inchoatus: Contraria tamen ſententia eſt communior, & vera, abſolute dicens: Talem facultatem non expirare per mortem concedentis; Et ratio huius eſt, quia hæc facultas non conceditur tanquam delegatio, quæ mortuo delegante expirat, ſed exiſtimatur tanquam gratia: Gratiæ autem non ceſſant per mortem concedentis, quamuis res ſit integra, niſi à ſucceſſore fuerit reuocata, vel ab ipſo concedente limitata.

2. Opinio. [illegible]

34 Cõcluſio pro ſecunda opinione.

Quapropter concludendo dicimus, quod quandò verba facultatis abſolutè, & ſine limitatione proferuntur præſeferunt concedi cum hac permanentia, & quaſi perpetuitate: Tum quia ſicut Sacerdos, abſque limitatione temporis approbatus ad confeſſiones audiendas poteſt confeſſiones audire, mortuo, vel excommunicato Epiſcopo, qui facultatem conceſſit, & approbauit; Ità qui facultatem eligendi ſibi confeſſarium obtinuit poteſt eum eligere mortuo concedente: Ità Sayr. de Pœnitent. capit. 21. numero 3. Vaſquez 3. p. quæſt. 93. A. 3. d. 5. numero 2. Coninch. D. 8. d. 10. numero 71. Soto in 4. D. 18. quæſt. 4. A. 3. Sanchez de Matrimon. libro octauo D. 28. numer. 75. Nauarr. in Can. Placuit de Pœnitent. D. 6. numero 162. & Bonacin. tom. 1. de Pœnit. D. 5. qu. 7. p. 3. num. 2.

Sayrus. Vaſq. Coninch. Soto. Sanch. Nauarr. Bonac.

35 Limitatio, quandò dicitur vſque ad beneplacitũ noſtrum.

Verumtamen eſt, quod quandò facultas conceſſa ſit cum hac additione: *Vſque ad beneplacitum noſtrum*, talis additio cenſetur eſſe limitata, & ideò in caſu extinguitur per mortem concedentis, quia beneplacitum perſonæ ab illa pendet; Secus autem ſi diceret: (*Vſque ad beneplacitum noſtræ ſedis*) quia tunc exiſtimatur eſſe perpetua: quia ſedes non moritur, ſed eſt perpetua: Ità Suarez D. 28. ſectio. 6. n. 8. & 9.

Suar.

36 Quæſitum 6. An ſufficiat voluntas præſumpta ſub ſpe ratihabitionis?

Sextò quæritur: An ſufficiat aliquandò hæc facultas interpretatiua, ſeu præſumpta, hoc eſt: An ad huiuſmodi delegationem, ſeu facultatem ſufficiat futura ratihabitio in præſenti bona fide præſumpta ex cõfidentia, quod ſuperior illam ratam habebit: Et ideò in virtute talis confidentiæ poſſet quis ſibi confeſſarium eligere?

37 Ratihabitio de futuro nõ eſt ſufficiens in ſacramentis. Validitas ſacramenti nõ poteſt pendere ex futuro. Probatur ratio.

Reſpondetur ratihabitionem iſtam dupliciter poſſe conſiderari, vno modo de futuro, altero modo de præſenti: Quò ad primam communiter negant omnes ſufficere, quia quod non eſt, licèt futurum ſit, non poteſt in præſenti operari, & ideò ſpes, aut præſumptio futuræ ratihabitionis non eſt ſufficiens, quia validitas ſacramenti non poteſt eſſe pendens ex futuro euentu.

Sacramentũ quod ſemel non fuit validum nõ poteſt validari per ſuperioris conſenſum.

Nam ponatur caſus: Superiorem poſteà non habuiſſe ratum præteritum factum: Quæro An ſacramentum præteritum fuit validum, nec ne? Si enim fuit validum, ergò à principio ſemper eſt validum, quia ſi aliquandò validum fuiſſet, quicquid ſuperior poſteà vellet ſemper validum permanſiſſet: Neque enim poteſt irritari abſolutio ſacramentalis, quæ ſemel fuit valida: Si autem à principio fuit inualidum non poteſt poſteà per ſolam ratihabitionem ſuperioris validum fieri, quia ſacramentum, quod à principio valorem non habuit, non poteſt per ſolum conſenſum fieri validum.

38 In abſentia ſacramẽtalis abſolutio dari non poteſt.

Patet hoc manifeſtè de re, de qua agimus, quia Abſolutio prius data à non iudice, ſeu à non habente iuriſdictionem ipſo facto fuit inualida, poſteà verò per ratihabitionem non efficitur, vt illa abſolutio detur ab habente iuriſdictionem, quia nec datur à delegante, ſeu ratam habente, nam ille non abſoluit, quia in abſentia pœnitentis abſolutio dari non poteſt: Neque etiam datur à delegato, quia ille ſolùm incipit habere iuriſdictionem, quandò ſuperior conſentit, & tunc ipſe non repetit abſolutionem in abſentia pœnitentis, ergò non ſufficit facultatem iſtam eſſe præſumptam, niſi præſumptio fundetur in aliquibus ſignis, quæ ſufficienter, ac moraliter indicent præſentem ſuperioris voluntatem actu concedentis, quæ facultas tunc realiter non dicitur præſumpta, ſed data: Quamuis per ſigna adeò expreſſa data non fuerit, ſicut dari poſſet.

Niſi voluntas ſuperioris fundetur in aliquibus ſignis præſentibus.

39 Quandò autem indicia huius facultatis ſint ſufficientia

Digitized by Google

Difficiliter explicari poteſt ratihabitio de præſenti.

cientia ad talem præſumptionem ſuperioris voluntatis oſtendendam: Difficillimum eſt explicari, & vix in praxi hoc poſſit admitti, niſi alioquin habeatur expreſſa ſignificatio voluntatis ſuperioris de præſenti talem eſſe, vel conſuetudo practica declaret tacitum ſuperioris conſenſum: & hæc eſt vera ſententia, quam

3 Syluest. Ledeſm. Soto. Filliuc. Palud. Gabr. Maior. D. Anton. Suar.

docuerunt Nauarr. in Man. capit. nono numer. 6. & in Can. Placuit de Pœnitent. D. 6. num. 103. Syluest. ver. Confeſſor. 1. quæſt. 6. Ledeſma 3. quarta parte, quæſt. 22. Art. 1. Soto in, 4. D. 18. quæſt. 4. Art. tertio. Filliuc. de Pœnit. tract. 7. capite octauo, quæſt. 4. nu. 208. Palud. in 4. D. 17. quæſt. 3. num. 28. Gabr. quæſtione 2. A. 3. Maior D. 19. quæſt. 1. D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 4. caſu 8. & Suarez de Pœnit. tom. 4. D. 26. ſect. prima, num. 14. & D. 27. ſect. 6. num. 16. & alij multi.

40 *Doctores, contrarium exiſtimantes reijciuntur. Capreol. Raymund. Hoſtien.*

Et quamuis aliqui Doctores contrarium ſentire videantur, vt Capreolus, Raymundus, & Hoſtienſis, exiſtimantes ratihabitionem ſufficere: Non ſunt tamen in hoc ſequendi: Vndè meritò reiiciuntur à Suarez, & multis rationibus concludentibus impugnantur; Nam regula illa eſt vera in his, quæ à principio ſunt valida ſubſtantialiter, poſſunt tamen irritari ob defectum alicuius ſolemnitatis accidentalis, & de ijs, quæ licèt à principio nulla ſint, poſſunt tamen per ſubſequentem conſenſum firmari, vt in Contracti-

Sacramenta pendere non poſſunt ex futuro euentu.

bus. Non tamen hoc valet in ſacramentis, quæ pendere non poſſunt ex futuro euentu, in quibus nullo modo ratihabitio ſuperioris ſufficere poteſt ad faciẽdum validum ſacramentum, quod antea non fuit validum propter carẽtiam iuriſdictionis in miniſtro neceſſaria, vt ex ſupra dictis clarè patet.

41 *Quæſitum 7. Facultas petita, & non obtenta, an ſit ſufficiens?*

Septimò quæritur: An ſufficiat hæc facultas petita, quamuis non ſit obtenta, quandò videlicet ſuperior talem facultatem ſuo ſubdito, petenti iniuſtè negauerit, ſiuè ex malitia, ſiuè etiam ex praua voluntate: Si in hoc caſu talis ſubditus, habens rationabilem cauſam ei non confitendi: An tũc poſſet ſibi propter talem cauſam confeſſarium eligere præter ſui ſuperioris facultatem?

42 *Concluſio eſt negatiua. D. Thom.*

Reſpondetur negatiuè: Et ratio huius eſt, quia non ſufficit prædictam facultatem eſſe petitam, & non obtentam, pro vt aiunt D. Thom. in 4. D. 17. quæſt. 3. A. 3. quæſtiunc. quarta ad quintum, & ſextum, vbi ait: in huiuſmodi caſibus, ità ſe debere pœnitentem gerere, tanquam eum, qui non habet copiam confeſſa-

Alex. de Ales. Maior. Marſil. Filliuc. Suarez.

rij: Idem tenent Alex. de Ales. 4. p. quæſt. 77. membr. 3. A. 1. Maior in 4. D. 17. & Marſil. in 4. quæſt. 12. A. p. 4. p. concl. 2. Filliuc. tom. 1. de Pœnit. tract. 7. c. 9. q. 6. nu. 248. & Suar. D. 28. ſect. 6. nu. 10.

43 *Probatur Aſſertio.*

Probatur ità hæc aſſertio, quia ſola petitio facultatis non ſatis eſt ad obtinendam iuriſdictionem: Quin potius hoc ipſo, quod negatur facultas à proprio Sacerdote, euidens eſt ab illo non dari iuriſdictionem, quia ex negatione ſatis conſtat: Nec voluntas debita, ſeu potius obligatio volendi ſufficit ad conferendam iuriſdictionem, niſi voluntas adſit, vt per ſe notum eſt, quia aliud eſt debere, aliud facere.

44 *Reſpondetur tacitæ obiectioni.*

Nec dici poteſt, quod, Iniuſtè illo negante, ſtatim ipſo iure, vel facto det illam aliquis ſuperior Prælatus, quia vel hoc præſupponitur eſſe facturus, & hoc nullius eſt momenti, vt ex ſupra dictis patet: non enim ſufficit ratihabitio futura: Vel ex conſuetudine talis facultas habetur, & iſta non reperitur, vt con-

C. Si Epiſcop.

ſtat ex capit. Si Epiſcopus de Pœniten. & Remiſſ. in 6. Neque etiam inuenitur aliquod ius, aut Diuinum, aut poſitiuum, quod hanc iuriſdictionem concedat,

Suar. Quid faciendum eſt in caſu.

vt benè probauit Suarez ſupra numero 21. & 22. Ideò in tali caſu recurrendum eſt ad ſuperiorem: Quod ſi hoc fieri non poteſt, differenda erit confeſſio, donec melior opportunitas occurrat, ſibique per contritionem prouideat, tanquam ſi non haberet copiam confeſſarij: Niſi tamen pœnitens eſſet in mortis articulo, & huiuſmodi: Quia tunc ſolùm datur vnicuique Sacerdoti facultas ad abſoluendum pœnitentem in tali periculo, etiam à reſeruatis, vt in proprio loco dicemus: Et hæc de facultate eligendi confeſſarium dicta ſufficiant.

DE PRAECEPTIS, SPECTANTIBVS ad Confeſſarium.

CAP. V.

PRo complemento huius præſentis tractatus, dicendum ſupereſt de obligationibus, & præceptis ad ipſum miniſtrum ſacramenti ſpectantibus: Vndè præter ea, quæ de hac materia in ſuperioribus diſcuſſa ſunt. Dicimus breuiter: Tribus modis talem obligationem confeſſariorum ad audiendas fidelium confeſſiones oriri poſſe: Primò ex Charitate, Secundò ex Obedientia, ſiuè voto, & Tertiò ex Officio. 1 *Obligatio ſacerdotis ad audiendas confeſſiones triplex.*

2 *1. Obligatio ex charitate. Quandò quis eſt in mortis periculo tenetur Sacerdos quilibet illum abſoluere.*

Quò ad primum de obligatione Charitatis, dicimus: Vnumquemque Sacerdotem teneri hoc Sacramentum adminiſtrare, quandò proximus eſt in manifeſto mortis periculo, & non eſt præſens alius Sacerdos, qui poſſit, & velit illum talem abſoluere, tunc tenetur talis Sacerdos ex præcepto Charitatis illum periclitantem abſoluere, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, quoniam vnicuique data eſt cura proximi ſui, maximè in ſpiritualibus, pro vt benè probauit Suar. to. 4. de Pœnit. d. 32. ſect. 1.

Suar. Contritio nõ eſt in poteſtate hominis.

Nam licèt in rigore poſſit proximus virtuti contritionis perfectæ ſaluari: Non eſt tamen contritio in poteſtate hominis, neque viribus ſolis naturalibus haberi poſſit ſine ſpeciali Dei auxilio, ideò magno periculo exponeretur, ſi ſine medio ſacramenti abſolutionis in tali caſu relinqueretur, & ideò quilibet Sacerdos præſens tenetur illum talem ſacramentaliter abſoluere, vt ſaltem virtute Sacramenti Anima illa ſaluetur.

3 *2. Obligatio. Ratione voti, ſiuè obedientiæ.*

Secunda obligatio oriri poterit aliquandò ex obedientia, ſiuè voto, & tunc maior eſſe poterit talis obligatio Sacerdotis ad tale Sacramentum adminiſtrandum: Quia præter charitatis præceptum additur obedientia ſuperioris præcipientis, ſiuè, obligatio facta adimplendi votum, quandò talis facta eſſet obligatio. At quoniam huiuſmodi obligationes ſunt extrinſecæ, ad præſentem materiam parum ſpectant, cùm ſint accidentariæ, & ideò nihil de talibus obligationibus ſpecialiter occurrit dicendum: Tantùm ergò dicere oportet de tertia obligatione, quæ oritur ex officio: Tertia ergò obligatio communiter oritur ex officio curati, de qua obligatione, dicimus ſequentia. *3. Obligatio, Oritur ex officio.*

4 *1. Aſſertio. Curatus tenetur ex officio audire confeſſiones ſuorum ſubditorum.*

Dicimus ergò primò: Illum tantùm Sacerdotem confeſſiones fidelium audire teneri, quandò ex officio ad id eſt ſpecialiter deputatus, vt eſt Parochus, ſiuè Curatus, & hoc non ſolùm, quandò fidelibus occurrit præceptum confeſſionis, (vt nonnulli ſentire videntur,) verùm etiam alijs temporibus, quandò ipſi rationabiliter petant à ſuo Curato: Ità enim ait Nauarr. in Can. Conſideret de Pœnit. Diſtinctio. 6. numero 132. citans Adrian. quæſtione quinta de Confeſſione Dill. 8. concordant Soto in 4. D. 18. quæſtione quarta Ar. ſecundo, cum Suarez, d. D. 32. ſect. prima, numero 4. Quicquid aliqui aſſerant. *Nauarr. Adrian. Soto. Suar.*

Verum eſt tamen hoc eſſe intelligendum, cùm 5 *Limitatio.*

hac limitatione, quando videlicet huiuſmodi pœnitentes rationabiliter confiteri poſtulant, & non adeſt rationabilis cauſa, vt Curatus poſſet hoc negare: Nam ſi ſubditi nimis importunè, & nimis frequenter confiteri voluerint, & maximè tempore incommodo, non ſemper teneretur Parochus (per ſe loquendo) adſtatim, & ſemper illos audiendos in confeſſione, eſſet enim onus nimis oneroſum: Cùm habenda ſit etiam ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus præſunt Curati. Non enim tenentur maximum laborem, & diligentiam adhibere, ſed moderatam, iuxta prudentis iudicium: pro vt aduertit Suarez loco ſupr. citat. & Bonacin. D. 5. quæſtio. 7. §. ſecundo part. 4. numero 23. & alii ab ipſis citati.

Suar.
Bonac.

6
Curatus per ſuos coadiutores poteſt muneri ſuo ſatisfacere. Niſi quandò ſubditus haberet neceſſitatem cũ illo confitendi.

Deindè non tenetur Curatus ad ſemper ſe ipſum hoc facere perſonaliter: Si enim ſint aliqui Sacerdotes, qui poſſint huic muneri ſatisfacere, poterit Parochus facultatem ſuam illis concedere, & tunc per illos coadiutores ſubuenire poterit pijs deſiderijs ſuarum ouium: Niſi in aliqua vrgente neceſſitate aliquis fidelis non poterit ſuæ conſcientiæ ſatisfacere, niſi ipſi Parocho confiteretur, quia tunc in tali caſu tenebitur, etiam per ſe ipſum ratione proprij officij ad illum audiendum in confeſſione: Curatus enim ratione ſui muneris tenetur Curam habere, & ſollicitudinem ſalutis Animarum ſuorum ſubditorum: Ità Nugn. in addit. tertia parte, quæſt. 8. A. 4. d. 3. Henriquez lib. 6. cap. 27. Vaſq. tertia part. quæſt. 93. d. 6. Suar. & Bonac. ſupra.

Nugn.
Henriq.
Vaſq.
Suar.
Bonac.

7
9. A Tertio. Confeſſarius quilibet tenetur rectum iudicium facere.

Dico ſecundò, quod: Omnis Sacerdos, qui aliorum confeſſiones audit, ſiuè hoc ex officio, ſiuè ex charitate, ſiuè ex propria voluntate faciat: Tenetur ſemper rectum, & iuſtum iudicium facere, quapropter antequam pœnitentem abſoluat oportet, vt primò prudenter iudicet pœnitentem eſſe benè diſpoſitum, & abſolutione dignum; Et ideò diligenter inueſtigare oportet: An pœnitens abſoluendus, ſit in proxima occaſione peccandi. An habeat verum, & firmum propoſitum non peccandi in poſterum, mediante Diuino auxilio, ſi pœnitens fideliter promittat facere reſtitutionem, ſi talis pœnitens aliquandò aliquid reſtituere tenetur, & cet. Qua autem prudentia hoc agendum ſit, plenè dictum eſt ſupra in ſecundo capitulo huius tractatus, agendo de prudentia confeſſarij: Legi etiam poſſunt D. Anton. tertia parte tit. 17. c. 19. Nauarr. in Man. cap. tertio, num. 10. & capite 26. numero 8. Sylueſt. ver. Confeſſor. 3. qu. 12. & Suar. ſup. ſect. 2. nu. 2.

Qua cura, & prudẽtia hoc ſit agendum.

D. Anton.
Nauarr.
Sylueſt.
Suar.

8
Aſſertio 3. Debet Cõfeſſarius diligẽter pœnitentem interrogare.

Dico tertiò: Præter diligentiam, Circa diſpoſitionem pœnitentis, inuigilare etiam debet confeſſarius circa integritatem confeſſionis, & ideò debet confeſſarius inquirere omnes; & ſingulas circumſtantias, neceſſariò explicandas, & quicquid interrogandum iudicauerit eſſe neceſſarium, vt ipſe pœnitens confeſſionem ſuam integram faciat, quò ad fieri poteſt: Non enim ſatis eſt, vt alia via confeſſario nota ſint peccata pœnitentis, cùm neceſſe ſit, vt de illis proprio ore ſe accuſet: Ideòque ſi confeſſarius iudicauerit pœnitentem non plenè explicuiſſe peccata ſua, aliquaque peccata mortalia reliquiſſe, ſiuè per negligentiam, ſiuè per minus perfectam examinationem ſuæ conſcientiæ, ſiuè per ignorantiam, vel malitiam: Tenebitur in caſu confeſſarius prudenter de illis interrogare antequam abſolutionis ſacramentum conferat, pro vt communiter docent omnes Theologi cum Magiſt. in 4. ſent. D. 17. & 19. Soto Diſt. 18. quæſt. ſecunda A. 4. circa fin. & colligitur ex Cap. Omnis vtriuſque ſexus de Pœniten. & Remiſſ. & ex cap. 2. de Pœnit. D. 7.

Magiſter.
Soto.
C. Omnis vtriuſq; ſex.

9
Aſſertio 4. Poſtquam pœnitens eſt benè confeſſus eſt abſoluendus fideliter.

Dico quarto: Teneri confeſſarium ſub graui peccato, poſtquam pœnitens integrè confeſſus eſt peccata ſua, eſtque benè diſpoſitus, non negare illi abſolutionem, ſed fideliter illum abſoluere: Hoc enim poſtulat ratio iuſti iudicij, & eſt æquitas inter pœnitentem, & confeſſarium: Debet enim iudex, audita cauſa reum abſoluere, & iudicare, ſi dignus ſit: pro vt communiter docent Theologi omnes, vt Soto D. 18. quæſtione ſecunda, Art. 5. Reginald. libro ſecundo, numer. 23. Nauarr. in Manu. cap. 27. numero 280. & num. 288. & in Cap. Si quis autem. de Pœnitent. D. 7. Bonacin. D. 5. quæſt. 7. §. 2. punct. quarto num. 18. Suarez D. 32. ſect. ſecunda, & D. Anton. tertia parte titul. 4. cap. 10. §. 10. & alij plurimi: Ità è contra quandò confeſſarius iudicauerit pœnitentem non eſſe benè diſpoſitum ad ſacramentum recipiendum, effectumque eius conſequendum, non poteſt licitè illum abſoluere, quamuis pœnitens ad hoc ſit valdè importunus, quia ſi confeſſarius ità illum abſolueret, tam ipſe, quam pœnitens ſacrilegium committerent, vt ex dictis patet.

Soto.
Reginald.
Nauarr.
Bonac.
Cap. Si quis.
Suar.
D. Anton.
Quandò indignus eſt abſolutione, non eſt abſoluendus.

10
Quandò adſit diuerſitas opinionum, quid faciendum?

Si verò diuerſitas opinionum occurreret, vel circa reſtitutionem, vel circa alia: Et pœnitens nollet ſatisfacere, eò quod habeat opinionem probabilem aliquorum Doctorum, dicentium; Non eſſe obligatum, licèt confeſſarius è contra teneret contrariam opinionem, quamuis probabiliorem: Nihilominus in caſu confeſſarius poteſt, & debet talem pœnitentem abſoluere, cuius Ratio eſt, quia in eo caſu pœnitens integrè confeſſus eſt, eſtque benè diſpoſitus, (vt ſupponitur,) & nihil agit contra conſcientiam, cum ſit diuerſitas opinionum, & illa opinio pœnitentis ſit probabilis, & ſecura, quamuis altera ſit ſecurior, maximè quandò res non ſit deciſa: Sufficit enim in tali caſu, quod pœnitens intentionem habeat, quod ſi in poſterum realiter nouerit, ſe eſſe obligatum ſatiſfaciet.

Poteſt aliquandò confeſſarius ſequi opinionem minus probabilem.

Ità Sayrus de Pœnitent. cap. 53. numero ſecundo, Henriquez libro ſexto, capite 26. numero 26. Coninch. D. 8. d. 17. numero 135. Sanchez in ſumm. libro 1. capite nono, numero 29. Azor. parte prima, libro ſecundo, cap. 17. quæſt. 10. Bonacin. ſup. p. 4. & Filliuc. tractat. 7. cap. 12. quæſt. 5. num. 368. cum Suar. D. 32. ſect. 5. num. 4.

Sayrus.
Henriq.
Coninch.
Sanchez.
Azor.
Bonac.
Filliuc.
Suarez.

11
Aſſertio 5. Confeſſarius tenetur eſſe in gratia quãdò adminiſtrat.

Dico quintò: Confeſſarium quandò Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrat teneri eſſe in gratia, aliter enim contra faciens mortaliter peccat: Quod ſi contingat aliquandò debere pœnitentem aliquem ſacramentaliter abſoluere, & non poſſet antea confiteri conteratur, & ſic à culpa excuſabitur, pro vt ſupra dictum eſt in capitulo Secundo huius tractatus.

12
Aſſertio 7. Tenetur inuiolabiliter ſeruare ſigillum.

Vltimò tandem dico. Oportere Sacerdotem inuiolabiliter ſigillum confeſſionis ſeruare, ità vt quidquid in confeſſione audiat tenetur ſub ſigillo cuſtodire, & non ſolùm peccata mortalia, & venialia, verum etiam qualitates, & circumſtantias, omniaque, quæ pro explicandis peccatis pœnitens expoſuerit, ſiuè illa fuerint de neceſſitate confeſſionis, ſiuè ex leuitate pœnitentis prolata, dum tamen ad ſacramentalem confeſſionem tendant, quæ omnia directè clauduntur ſub ſigillo ſacramentali, vt in tractatu ſequenti plenius explicabitur.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS XXV.

De Sacramentis.

Et de Sigillo confeſſionis.

Tract. VIII.

PROOEMIVM.

Introductio.

QVoniam in ſecundo capitulo præcedentis tractatus dictum eſt: Vnam ex conditionibus requiſitis in confeſſario eſſe ſacrum ſigillum, mediante quo obligatur Sacerdos ad celanda ea omnia, quæ à pœnitentibus in ſacramentali confeſſione, ſeu in ordine ad illam explicantur, adeò, vt nulla via, ac modo, neque directè, neque indirectè ſignificare poſſit, & hoc non ſolum in vita ipſius pœnitentis, verum etiam poſt mortem ipſius ſine graui crimine ſacrilegij: Et ideò in præſenti tractatu de hoc ſacro ſigillo accuratè eſt dicendum, tenendo ſemper ſecuriorem opinionem: Illa enim eſt amplectenda, quæ magis fauet ſacramento, ad cuius Sanctum tribunal alliciendi potius, quam retrahendi ſunt pœnitentes: Sine enim hoc ſigillo Pœnitentiæ ſacramentum difficillimè in Eccleſia ſancta Dei ſubſtineri poſſet: De quo ſigillo in hoc præſenti tractatu iſto ordine procedemus: Vt primò de ipſius ſigilli natura, & obligatione diſcutiemus: Secundò de ijs, quæ cadunt ſub tali ſigillo confeſſionis, Tertiò de ijs, qui obligantur ad ſigillum: Quartò de vſu, & fractione ſigilli. Quintò de quibuſdam dubijs explicandis ſcitu dignis circa vſum talis ſigilli: Et ſextò de pœnis in iure taxatis contra violantes confeſſionis ſigillum; de quibus omnibus eſt dicendum.

Sine ſigillo ſacramentū Pœnitentiæ ſubſiſtare nō poteſt. Diuiſio tractatus.

DE SIGILLO SACRO CONFESSIONIS.

CAP. I.

1 Etymologia nominis ſigilli.

SIgillum propriè dicitur à ſigillando, quod à Græcis dicitur: σφραγίζω, quod propriè ſignificat ſignaculum alicui rei appono: Signaculum enim à Græcis dicitur: χαρακτὴρ, & eſt ſignum alicui rei impreſſum, vt lateat: Vndè ſigillum propriè dicitur ſignum illud, ſiuè ſignaculum, quo clauſæ litteræ ſignantur, ne ab alienis aperiantur, eò quod non liceat externis aperire litteras ſigillo ſignatas, quapropter ſigillum violans grauiter peccat, quia iniuriam facit mittenti litteras, & cui diriguntur, pro vt dicit Graff. libr. pract. reſeru. libro tertio de caſibus reſeru. capit. 6. numero ſexto.

Frāges ſigillum litterarū grauiter peccat. Graff.

2 Secretū confeſſionis, quare dicitur ſigillum. Quid propriè ſit hoc ſigillum. D. Thom.

Hinc Theologi, & Canoniſtæ ex hac metaphora ſumpta à clauſura litterarum ſecretum ſacramentalis confeſſionis: Sigillum appellant, quod in præſenti materia aliud non eſt, niſi debitum celandi illud, quod in confeſſione pœnitentium ſub tali ſigillo manifeſtatur, pro vt dicit D. Thom. in 4. D. 21. quæſtio. tertia, Artic. primo quæſtiuncula tertia. Quemadmodum enim ſigillum litterarum rem celatam tenet, quod non aperiatur, nec palam fiat, quod ſigillo clauditur: Ità debitum, vel obligatio tenendi aliquod ſecretum efficit, ne res aperiatur, vt benè notauit Chamerota libro de Sacrament. tractat. 7. de Confeſſione capite ſeptimo, & Nauarr. in Manu. cap. 8. num. primo. & in capite Sacerdos de Pœnitent. D. 6. num. 35. & Bonac. tomo primo de Pœnitent. D. 5. quæſtion. 6. punct. primo.

Chamerot.

Nauarr. Bonac.

3 Sigillum duplex naturale, & confeſſionis. Sigillum naturæ, quid ſit. Prou. c. 11.

Sigillum autem ſecreti, Duplex eſt: Vnum dicitur Naturale, ſiuè ſecreti naturæ, Alterum Confeſſionis: Sigillum ſecreti naturæ eſt, Debitum, ſiuè obligatio celandi aliquod iure naturæ inducta: Vndè in libro Prouerb. capit. vndecimo dicitur: *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana, qui autem eſt fidelis ſeruat amici commiſſum*: Sine enim fidelitate ſecreti periret maxima pars amicitiarum, conſiliorum, & negotiorum: Nam de iure naturæ non debemus alijs facere, quod ipſi nolumus. Sigillum verò confeſſionis eſt debitum, ſiuè obligatio celandi ea, quæ in confeſſione à pœnitente manifeſtata ſunt occaſione confitendi peccata ſua.

Sigillum cōfeſſionis, quid.

4 Sigillum cōfeſſionis fortius eſt ſigillo ſecreti naturalis. Obligatio ſigilli confeſſionis inſtituta eſt à Chriſto.

Ex quo ſequitur omne ſigillum confeſſionis eſſe ſigillum ſecreti, non tamen omne ſigillum ſecreti eſſe ſigillum confeſſionis: Vndè ſequitur fortius eſſe ſigillum ſacramentale, quam naturale, maioremque, ac fortiorem eſſe illius obligationem, quam ſecreti naturæ: Nam obligatio ſigilli naturalis à lege naturæ in bonum proximorum introducta eſt: Obligatio autem ſacramentalis ſigilli introducta eſt à Chriſto, quatenus Deus eſt, & auctor gratiæ, quæ per ſacramentum confertur: Quapropter grauius peccat frangens ſigillum confeſſionis, quam naturæ: Ità Nauarr. in dict. capite Sacerdos, numero 38.

Nauarr.

5 Sigillum cōfeſſionis omni iure præceptum eſt.

Sigillum ergò confeſſionis adeò ſanctum eſt, tantoque vinculo obligat, vt mors ſit potius eligenda, quam modo aliquo reueletur: Omne enim iure hoc ſigillum præceptum eſt Naturali, Poſitiuo, Diuino, & Eccleſiaſtico, vt eſt communis ſententia omnium Theologorum, & Canoniſtarum, vnanimiter hoc aſſerentium.

6 Probatur 1. Quod ſit de iure Diuino naturali.

Quod autem ſit de iure Diuino probatur ſimul, & declaratur. Ità qui enim inſtituit aliquod, omnia illa cenſetur inſtituiſſe, ſine quibus illud ſuſtineri nequit: At ſacramentalis confeſſio nequit conſiſtere ſine ſigillo, quia à nemine amaretur, à nemine fieret. Immò eſſet omnibus exoſa, niſi ſummè ſecreta ſeruaretur, vt experientia docet, ergò ſaltem tacitè per quamdam conſequentiam videtur ea auctor inſtituiſſe, ſine quibus confeſſio, vel fieri non poſſet, vel ſaltem difficillimè: Sed clarum eſt confeſſionem, & eam faciendi neceſſitatem, ab ipſo Saluatore eſſe inſtitutam, ergò & lex, de celanda illa per ipſum Saluatorem lata fuit, Qui enim finem præcipit, iubet etiam, & neceſſaria media ad ipſum finem: Sed Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit, & præceptum confeſſionis dedit, ergò ſimul iuſſit, & vniuerſos fideles confiteri, & confeſſarium ſecretum tenere. Nam ſigillum eſt neceſſarium medium, & ſine illo confeſſio perſiſtere non poſſet, vt benè probauit Soto in 4. Diſtinction. 18. & de Ratione tegendi membr. 3. quæſt. quarta concluſ. prima ex Doctrina Diui Thom. in 4. D. 21. quæſtione tertia. Vbi dicit ſigillum confeſſionis eſſe ex præcepto Diuino, Concordant Nauarr. in dicto capite Sacerdos, numero 33. & Bonacina, tomo primo de Pœnitent. D. 5. quæſtione 7. ſectio. quinta, & alij communiter.

Sine ſigillo confeſſio ſuſtineri non poteſt.

Soto.

D. Thom.

Nauarr. Bonac.

7 Sigillum cōfeſſionis eſſe de iure naturæ. Probat Scot. quatuor rationibus.

Quod autem ſit de iure Naturæ probat Scotus in 4. D. 21. quæſt. 2. Vbi dicit Sigillum confeſſionis non ſolùm eſſe de iure Diuino, verum etiam de iure Naturæ: Quod quatuor rationibus probat: Ratione nempè Charitatis, Fidelitatis, Veritatis promiſſæ, & Vtilitatis.

8 Primò ratione charitatis. Matt. cap. 7. Lucæ cap. 6.

Probatur ergò Primò ratione charitatis ex verbis illius Domini: in Matth. cap. 7. & Luc. capite ſexto,

dicentis: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc eſt lex, & Prophetæ*: Sed quilibet deſiderat bonum nomen, vt videlicet peccata ſua non publicentur, ergò confeſſarius debet idem diligere, & velle ipſi confeſſo: At reuelatio peccati tolleret famam pœnitenti confeſſo, & bonum nomen, ergò ratione Charitatis, tenetur celare peccata proximi ſui: Cùm enim quilibet homo teneatur diligere proximum ſuum, ſicut ſe ipſum: Ergò tenetur peccatum illius celare ſecundùm rectam rationem charitatis.

9 Secundò ratione Fidelitatis. Prou. c. 11.

Secundò probatur ratione fidelitatis: Nam de lege naturæ amico fidelitas eſt ſeruanda, reuelanti ſecretum ſuum ſub ſigillo fidelitatis, ſecundùm illud Salomonis in Prouerb. capite decimo, dicentis: *Qui fidelis eſt celat amici cõmiſſum*, ergò, ne ſit infidelis amico tenetur quilibet cuſtodire ſecreta proximi ſui, ergò tantò magis confeſſarius, cui pœnitens ſua peccata occulta ſub ſigillo fidelitatis dixit.

10 Tertiò ratione veritatis promiſſæ. Filliuc. Chamer.

Tertiò probatur ratione veritatis promiſſæ. Nam inter confeſſarium, & pœnitentem interuenit promiſſio, quędam tacita de ſeruando ſecretum, ſicut rem ab altero in cuſtodiam acceptam, & ideò tenetur ſub ſigillo fideliter eſſe ſecretus, numquam manifeſtando, quæ illi in confeſſione fidata ſunt: Ità Filliuc. tomo primo de confeſſ. tract. ſeptimo, capite 11. num. 315. & Chamerota de Sacramentis, tractat. 7. de confeſſ. cap. 7.

11 Quartò ratione vtilitatis.

Quartò tandem probatur: Ratione vtilitatis, ex quo ſigillo multæ conſequuntur vtilitates, tam in Eccleſia, quam in quolibet pœnitente, ſine enim hoc ſigillo non confiterentur homines peccata commiſſa; & ità multa incommoda ſequerẽtur, niſi enim eſſet celatio peccati confeſſi, non eſſet ſacramenti vtilitas, vt experientia conſtat, ergò, &c.

12 Probatur quod ſit de iure poſitiuo Eccleſiæ. C. Omnis vtriuſque ſexus. C. Sacerdos.

Quod autem ſit de iure Eccleſiaſtico poſitiuo, probatione non indiget: Apertè enim habetur in capite Omnis vtriuſque ſexus de Pœnitent. & Remiſſ. 5. Caueat: Vbi dicitur: *Caueat Sacerdos, ne verbo, aut ſigno, vel aliquo quouis modo aliquatenus peccatorem prodeat*, vbi ſtrictiſſimè præcipitur confeſſario ſub pœna comminatoria depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monaſterio faciendæ, qui hoc ſigillum violauerit, & in Capite Sacerdos de Pœnitent. D. 6. Quæ pœna ſolùm extenditur ad confeſſarios: Alij autem pœna arbitraria ſunt puniendi, pro vt dicit Menoch. de Arbitr. libro 2. Centur. 5. caſu 414. & Graff. libro 1. deciſ. cap. 23. num. 45.

Menoch. Graff.

13 Sigilli confeſſionis obligatio quanta ſit.

Quod præceptum tranſgreſſionis huius ſigilli adeò ſtrictè obligat confeſſarium, vt nullo caſu, nulloque præcepto, nullo metu, nullaque cauſa liceat reuelare, niſi de pœnitentis expreſſa licentia, etiam ſi peccatum ſit leue, neque ad hominis vitam ſeruandam, nec pro ſalute totius mundi, ſiuè temporali, ſiuè ſpirituali, neque etiam aliquo modo poterit violari, quamuis vniuerſa Eccleſia, & fides tota Chriſtiana, (per impoſſibile) periret, niſi ſacramentale ſigillum violaretur. Neque in hoc poteſt Summus Pontifex, neque tota Eccleſia ipſa diſpenſare, vt in aliquo caſu non ſeruetur: Cùm ſit de iure Diuino, annexo in ipſa inſtitutione ſacramenti: Vt ſupra iam probatum eſt: Ità Scotus in 4. D. 21. quæſtione ſecunda Diuus Thomas quęſtion. 3. Richard. quæſt. 2. ad ſecundum Durandus, quęſtion. 4. omneſque Theologi, & Canoniſtæ communiter.

Eccleſia non poteſt in hoc aliquo modo diſpenſare. Scot. D. Thom. Durand. Richard.

14 Sigillum cõfeſſionis ſeruandum eſt etiam poſt mortem pœnitentis.

Quod ſigillum non modo ſeruandum eſt in vita pœnitentis confeſſi, verum etiam poſt mortem: Iniuria enim fieret Sacramento, & pœnitenti, non minor, quam ſi in vita reueletur: Fieret etiam confeſſio ipſa odioſa, fieretque etiam iniuria ipſi cõfeſſo: Nam homines etiam poſt mortem bonum nomen deſiderant: pro vt dicit Soto in 4. D. 18. quæſt. 4. A. 1. Concl. 1. Inſuper, cum hoc ſit præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper, ergò nunquam reuelare licebit: eſſet enim huiuſmodi reuelatio mortale peccatum Sacrilegij: Ità Caiet. in ſumm. Verb. confeſſ. num. 2. Nauarr. in man. cap. 8. nu. 7. D. Thom. 2. 2. qu. 33. A. 2. in Corp. & omnes communiter.

Soto. Eſt præceptũ negatiuum, quod obligat ad ſemper. Caiet. Nauarr. D. Thom.

15 Sigillum violãs duo peccata committit iniuſtitię, & ſacrilegij.

Inſuper dicimus, quod ſi confeſſarius ſigillum confeſſionis violauerit duo peccata mortalia ſpecialia diſtincta committeret: Vnum contra iuſtitiam, alterum contra Religionem: Quod ſit contra iuſtitiam patet ex ſupradictis: ſemper enim inter confeſſarium, & pęnitentem intercedit virtuale quoddam pactum de ſeruando iſto ſecreto in omni caſu, & ſine vlla exceptione: cùm ergò talis violatio ſemper ſit iniuſta, ſemper inducit peccatum contra iuſtitiam.

16 Probatur quid ſit peccatum ſacrilegij Contra Religionem. Tenetur vtrũque peccatũ confiteri.

Secundò peccat contra Religionem peccato ſacrilegij: facit enim iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, quod cum obligatione ſigilli à Deo inſtitutum eſt, & ſit iniuria ipſi Chriſto inſtituenti: Quapropter violator ſigilli confeſſionis tenetur hanc duplicem circumſtantiam confiteri, ſicut duplicem quoque committit culpam lethalem ſpecie diſtinctam, quia frangit illicitè ſecretum, quod ſub promiſſione ſacra implicitè ſeruare promiſit, & peccatum iniuſtitiæ, quæ ſunt duæ circumſtantię diuerſæ, mutantes ſpeciem peccati: Ità Bonac. de Pœniten. D. 5. quæſt. 6. ſect. 5. p. 2. numer. 4. Ochagauia de Sacramentis 3. p. tom. 2. qu. 31. A. 1. Roſella, & alij, quos ſequitur nouiſſimè P. Diana p. 3. de ſigillo tract. 11. Reſol. 2. & alij.

Bonac. Ochagauia. Roſella. Diana.

17 Etiam ſi reueletur peccatum leue. ſit contra ſigillum.

Inſuper affirmando dicimus: Violationem huius ſigilli non ſolùm eſſe Duplex peccatum mortale, ſi detegatur deliberatè peccatum mortale: Verum etiam, ſi detegatur quodcumque veniale, etiam, ſi audientes non intelligant illud peccatum veniale auditum fuiſſe in confeſſione: Et ratio huius eſt, quia Reuelatio cuiuſcumque peccati in confeſſione auditi ſemper eſt ſacrilega, eò quod ſit iniuria grauis Sacramento, etiam ſi detegatur peccatum veniale.

18 Non datur paruitas materiæ in fractione ſigilli. Suar. Henriq. Vaſq. Filliuc. Soto. Nauarr. Onuphrius.

Ex quo patet: In hoc ſigillo non dari paruitatem materiæ, excuſantem à mortali, cum ex manifeſtatione cuiuslibet rei in confeſſionem auditæ grauia ſequi poſſe inconuenientia, & confeſſio Sacramentalis oneroſa, & odioſa fidelibus redderetur: Ità Suarez D. 33. ſect. 1. nu. 12. Henriq. lib. 6. c. 19. num. 3. Vaſq. 3. p. 93. A. 4. d. 12. nu. 14. Filliuc. 1. p. tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 316. Soto in 3. D. 18. quæſt. 4. A. 5. Nauarr. in cap. Sacerdos de Pœnit. D. 6. nu. 39. & Hierony. Onuphrius de ſigillo q. 1. ſect. 5. & alij.

DE PERSONIS, QVI TENENTVR ſeruare ſigillo.

CAP. II.

1 Non ſolum Sacerdos, ſed etiam alij tenentur ſeruare ſigillũ. P Interpres confeſſionis obligatur ad ſigillum. D. Thom.

SCiendum eſt primò: Sigillum Sacramenti Pœnitentiæ non ſolùm obligare Sacerdotem confeſſarium, verum etiam, & alios multos, qui ad Sacramentum confeſſionis, vel ex cauſa, vel ex materia participant, vt ſunt aliquandò Interpretes, quandò Sacerdos, & pœnitens non ſunt eiuſdem idiomatis, & linguæ: Tunc enim pœnitens poteſt in caſu per interpretem ſua peccata confiteri: & tunc ipſe interpres tenetur etiam ſeruare ſigillum, ſicut Sacerdos: quia vt ait D. Thom. in 4. D. 21. quæſt. 3. A. 1. quæſt. 3. Sicut participat interpres actum clauium, ità participat ſigillum: ſic etiam dicit Scotus Diſtinct. 17. quæſt. 1. Bonac. Diſt. 5.

Scotus. Bonacin.

Diana.

q.6.ſect.5.p.3.num.5. & Diana p.5.tract.11. de ſigillo Reſol. 48. qui allegat plus quam 30. Doctores Claſſicos iſtius ſententiæ, & varijs rationibus probat hanc ſententiam.

2 Opinio Caietani, & Soti de interprete.

Quamuis Caiet. in ſumm. Verbo Confeſſio: cond. 11. & Soto in 4. D.18. q.4.A.5. concl.4. contrarium ſentire videantur, dicentes. Interpretantem non teneri ad ſigillum ſacrum confeſſionis propriè dictum, ſed ratione fidelitatis: & Ratio illorum eſt, quia interpres non habet claues, neque eſt inſtrumentum Chriſti in illo actu, ſed eſt organum pœnitentis, & cum talis confeſſio, facta per interpretem non ſit neceſſaria, non obligat ipſum interpretem ad ſacrum ſigillum, ſicut obligat Sacerdotem, qui gerit perſonam Chriſti.

3 Reijcitur. Nauarr. Præceptum ſigilli cadit ſuper rē ipſam idest confeſſionem factā.

Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam veriorem eſſe, & ſequendam exiſtimo, quia (ait Nauar. in c. Sacerdos de Pœnitent. *D.6.* num.46.) Præceptum hoc Diuinum de ſigillo ſeruando, non tantùm ſuper perſonam Sacerdotis, ſed ſuper rem ipſam, idest confeſſionem cadit: & Ad rationem contrariæ opinionis, dicimus: Interpretem non ſolùm eſſe inſtrumentum pœnitentis, ſed etiam Sacerdotis: Nam ſicut pœnitens per illum loquitur, ità etiam, & Sacerdos ſuo modo per illum audit, ideòque participat ſecretum eius, & actum clauium: Et quamuis interpres non ſe teneat ex parte confeſſarij, cui fit confeſſio, ſed potius ex parte pœnitentis, quia pœnitens medio ipſo interprete confitetur Sacerdoti, & ſubijcit ſuam confeſſionem illi, nihilominus cognoſcit peccata pœnitentis ex confeſſione, inchoatiuè Sacramentalis, quia etiam vt directa ad ipſum interpretem eſt inchoatiuè ſacramentalis, quia medio ipſo, & per ipſum fit, & dirigitur ad confeſſarium, & ſubijcitur clauibus, & proindè reuelando peccatum irrogat iniuriam confeſſioni inchoatiuè Sacramentali, ex qua illud cognoſcit: Ità Hurtado de Sacramentis D.11. de Pœnit. diffic.4. cum alijs ſupra citatis.

Interpres reuelando facit iniuriam ſacramento inchoatiuè. Hurtado.

4 Sententia Suar. Soto.

Quapropter Suarez tom.4. de Pœnit. *D.33.* ſect.4. num.4. doctiſſimè dicit: Illum eſſe propriè ſigillum, quamuis non tam graue, ſicut in Sacerdote: Quod etiam videtur ſenſiſſe idem Soto libr. de Ratione tegendi: m.3. quæſt.4. Vbi dicit: In nullo caſu poſſe interpretem ſecretum illum violare, eò quod magnum afferat ſecreti vinculum: Neque etiam Caietan. omnino diſſentire videtur: Sic etiam dicimus ad vltimam rationem, quod confeſſio per interpretem non ſit neceſſaria, Dicimus: Non valere, Nam peccata venialia non ſunt de neceſſitate confeſſionis, & tamen tenetur ea confeſſarius ſeruare ſub ſigillo, pro vt dicit Pet. Ochagauia lib. de Sacramentis tract. 3. de ſigill. confeſſ. q.2. num.1.

Caiet. Soluitur alia ratio.

Ochagauia.

5 2. Aſſertio. Conſiliarius tenetur ſeruare ſigillum, ſicut Sacerdos.

Dico 2. Conſiliarium teneri, etiam ſeruare ſigillum, ſiuè præſens fuerit in confeſſione, ſiuè poſtea Sacerdos de licentia pœnitentis illum conſulet, & ex imprudentia confeſſarij conſiliarius veniat in cognitionem pœnitentis, tenetur enim ſine controuerſia ipſe conſiliarius ſeruare ſigillum, quia participat actum clauium, quò ad clauem ſcientiæ, & ſupplet defectum miniſtri: Et talis conſiliarius, ſiuè Doctor notitiam habuit de peccato pœnitentis dicto in confeſſione, neque confeſſario facta fuit facultas aperiendi aliter, quam in ordine ad hoc Sacramentum, & conſiliarius tanquam doctor ſupplet aliquo modo defectum ſcientiæ confeſſarij, & vt confeſſarius pœnitentem poſſit dirigere, ergò Doctor cenſendus eſt notitiam habere ex ipſa confeſſione, & in ordine ad claues: Tum quia res ſemper cadit ad alium cum ſuo proprio onere: Vndè confeſſarius eo modo reuelans tenetur modum ſuæ cognitionis explicare, vt conſiliarius ſeruet ſecretum debitum Sacramento Pœnitentiæ: Ità Pitig. in 4. Diſt. 21. to.2. q.2. A.5. Turrian. de Pœnit. D.33. ſect.4. nu.6. Ochagau. de ſacramentis tract.3. de ſigillo confeſſ. q.5. nu.5. Fagundez p.2. lib.6. c.5. nu.20. Henriq. lib.6. c.20. num.3. lit. S. Ioan. Præpoſit. in 3.p. de ſigil. d.4. num.37. Em. Sà Verbo confeſſor. nu.30. Diana 3.p. tract.11. reſol.11. & alij: Quicquid alij aſſerant, putantes conſiliarium non teneri ad ſigillum confeſſionis, ſed tantum ad ſigillum ſecreti naturalis.

Conſiliari°, participat clauem ſcientiæ.

Res trāſit ad alium cum ſuo onere.

Pitig.

Turrian. Ochagauia. Fagund. Henriq. Io. Præpoſit. Em. Sà. Diana.

Dico 3. Illum etiam, cui iniquè à confeſſario reuelatur confeſſio teneri ſeruare ſigillum, quia, vt benè dicit Nauarr. in c. Sacerdos nu.44. & 46. Hoc ſigillum eſt veluti onus propriè notitiæ acceptæ per confeſſionem, ergò cuicumque communicatur illa notitia ſemper tranſit cum ſuo onere, quia Sacerdos ipſe non habet ius reuelandi confeſſionem, ergò nec poteſt in alterum transferre: Et hæc eſt communior opinio, quam tenent omnes ſupra citati Doctores: cum Suar. ſupra nu.8 (quicquid dicant Medina cum Caietano, contrarium opinantes.) 6

Aſſertio 3. Confeſſio reuelata obligat audientes ad ſigillum. Nauarr.

Suar.

Similiter etiam dico, quod quando pœnitens ante confeſſionem conſultat virum doctum in ordine ad confeſſionem faciendam, non cum illo, ſed cum alio, talem conſiliarium teneri fideliter ſeruare omnia ſub ſigillo: quia quamuis huiuſmodi conſiliarius, nec ex confeſſione, nec per confeſſionem illa peccata ſciat, ſcit tamen in ordine ad confeſſionem, & modo aliquo participat vſum clauis ſcientiæ, quatenus dirigit pœnitentem ad Sacramentum confeſſionis: Quæ quidem directio, quamuis pœnitenti fiat, ſuaptè tamen natura, ſe tenet ex parte confeſſarij, & ad illum pertinet quatenus talis conſiliarius, ſiuè director facit id, quod debuerat facere confeſſarius, ſi doctus, ac prudens eſſet: Ità Fagund. par.2. lib.6. num.23. citans alios multos cum Nauarr. & alijs, ſequitur Diana ſupra reſol. 44. & Martin. Forn. de Inſt. confeſſ. lib.1. tract.1. cap. 3. num.13. 7

Conſiliarius pœnitentis tenetur etiam ſeruare ſigillum.

Fagund. Nauarr. Diana. Forn.

Dico 4. Illum, qui furtiuè audit confeſſionem alicuius confitentis, ſiuè caſu, ſiuè malitiosè hoc faciat teneri etiam ad ſigillum, & Ratio huius eſt, quia talis ſic audiens peccata confitentis facit iniuriam ipſi confitenti, & Sacramento confeſſionis: ergò tenetur illam iniuriam reſarcire quantum poteſt, ſed ſic eſt, quod nullo modo poteſt, niſi ſeruando ſecretum, quantum ſigillum poſtulat, ergò ad hoc obligatur: Ità Vaſq. in 3.p. q.93. A.4. d.2. nu.3. Nugn. in addit. 3.p. q. 11. A.1. d.1. Onuphr. de ſigillo confeſſ. ſect.2. q.1. d.2. Graff. p.1. Deciſ. lib.1. c.23. num.45. Bonacin. de Pœnitent. D.5. q.6. ſect.5. p.3. num.6. & Scotus in 4. Diſt. 21. q.2. & alij. 8

Aſſertio 4. Qui peccata confitentis audit caſu, ſiuè furtiuè tenetur ad ſigillum.

Vaſq. Nugn. Onuphrius. Graff. Bonac. Scotus.

Similiter etiam dico: Quando aliqui in naufragio, ſiuè tempore peſtis confitentur publicè peccata ſua coram pluribus audientibus tunc omnes illi, qui peccata illorum audiunt tenentur ſeruare omnia ſub ſigillo confeſſionis: Neque ipſi inter ſe, neque cum ipſo Sacerdote poterunt impoſterum loqui, neque cum alijs de illis peccatis, quæ à pœnitente, taliter confitendo audierunt: aliter enim iniuriam facerent Sacramento: Ità Fagund. cum alijs ſupra citatis, quibus addo Angel. Verbo Confeſſio Vltimo nu.16. Armill. nu.8. alioſque: Tenentur ergò ad ſigillum omnes, qui alterius peccata audiunt in ordine ad confeſſionem, ſiuè licitè, ſiuè illicitè, ſiuè mediatè, ſiuè immediatè audiant peccata confitentis. 9

Ex confeſſione publica facta oritur obligatio ſigilli.

Fagund. Angel. Armilla. Concluſio.

Dico 5. ſi quis inuenerit deſcripta in charta peccata alicuius, quæ ipſe litteris mandauit fortè memoriæ cauſa, vt illa confiteretur, tenetur ſub ſigillo, ſiuè iam confeſſio facta ſit, ſiuè adhuc ſit facienda: & Ratio huius eſt, quia chartæ illius tenor eſt aliquid confeſſionis, & quaſi confeſſio ſcripta, & æquiparari poſſit charta illa eo modo, quo quis audit confeſſionem 10

Aſſertio 5. Peccata ſcripta in charta in ordine confeſſionis obligant ad ſigillum.

alicu-

alicuius, cùm illa charta ſit quaſi internuntia, adiuuans memoriam confitentis, itàque cenſetur ſigillara ſigillo ſacro: Ità Malderus de ſigillo confeſſ. cap. 13. Fagund. p. 2. libr. 6. c. 5. num. 15. citans Gabr. Nauar. Viuald. & Rodriq. in ſumm. tom. 2. cap. 55. num. 4. Fauſt. de Sacram. Pœnitent. lib. 7. quæſt. 29. Graff. p. 1. Deciſ. lib. 1. cap. 23. num. 43. & nouiſſimè ſequitur Pater Diana p. 5. tract. 11. de ſigillo Reſol. 27. & par. 3. tract. 4. Reſolut. 12.

Malderus. Fagund. Gabr. Nauarr. Condel. Aur. Rodriq. Bartol. de S. Fauſt. Graff. Diana.

11 Inſuper dico: Eum, qui prædictam chartam inuenit, in qua peccata alicuius ſcripta continentur, grauiter peccare, ſi aliquod ex illa legat poſtquam cognouit in ea contineri peccata alicuius ſcripta in ordine ad confeſſionem: nam legendo grauem iniuriam infert pœnitenti inuito, ſicut etiam grauem iniuriam facit, qui alicuius confitentis confeſſionem audit, ipſo neſciente: Ità Nauarr. in c. Sacerdos de Pœnit. D. 6. nu. 113. Bonac. D. 5. q. 6. ſect. 5. p. 3. nu. 9. Regin. lib. 3. nu. 34. & alij.

Peccata alterius ſcripta legens m. p.
Nauarr. Bonac. Reginald.

12 Inſuper etiam dico, quod: Si Iudex inuenerit rei peccatum ſchedulæ commendatum ad confeſſionem faciendam, non poteſt Iudex aliquo modo vti illa notitia: Imò etiam ſi reum iam condemnaſſet conuictum tribus teſtibus, & poſtea intelligeret totam dilationem, vel accuſationem ortam fuiſſe ex violatione ſigilli confeſſionis, tenetur damnatum abſoluere, & dimittere: Ità Fagund. præcept. 2. libr. 6. numer. 4.

Iudex tenetur reum condēnatum liberare quādo per reuelationē ſigilli fuit condemnatus.
Fagund.

13 Dico 6. Prælatum, dum ab eo petitur facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, teneri ne perſonam pœnitentis aliquo modo prodat, nec poteſt inueſtigare peccatum eo modo, quo perſonam pœnitentis intelligat, quando talis petitio fit mediante confeſſario; & Ratio huius eſt, quia (moraliter loquendo) ſuperior intelligitur vna perſona cum confeſſario in ordine ad impetrandam abſolutionem pro pœnitente, cùm ergò confeſſarius teneatur ad ſigillum, eodem modo tenebitur, & ſuperior Prælatus, à quo talis facultas petitur. Ità Sot. in 4. D. 18. q. 4. A. 5. Concl. 5. Coninch. de Sacramentis D. 9. q. 3. num. 39. Henriq. libr. 3. de Pœnitent. c. 20. num. 1. Fauſt. de Pœnit. lib. 7. q. 32. Fagund. præcept. 2. lib. 6. cap. 6. num. 2. Pitig. in 4. Diſt. 21. tom. 2. quæſt. 5. Art. 5. Onuphr. de ſigillo ſect. 3. quæſt. Vnica d. 6. Malder. tractat. de ſigillo capit. 13. Suar. de Pœnit. D. 33. ſect. 4. p. 4. Io. Præpoſit. in 3. p. q. 11. de ſigillo d. 2. nu. 23.

Aſſertio 6. Prælatus, à quo petitur facultas à reſeruatis tenetur ad ſigillū. Ratio aſſertionis.
Soto. Coninch. Henriq. S. Fauſtus. Fagund. Pitig. Onuphrius. Malder. Suar. Io. Præpoſit.

14 Hinc infert Turrianus de Pœnitent. q. 11. D. 33. d. 1. Non licere ſuperiori alicuius domus, ſiuè Conuentus dicere Prouinciali, ſiuè Generali tempore viſitæ: In illo Conuentu, ſiuè domo ſæpè poſtulari à confeſſarijs poteſtatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, quia ſi hoc fiat in ordine ad gubernationem planè eſt periculum, ne ex illa notitia, & ex alijs circumſtantijs, vel certè Prouincialis ſiniſtram concipiat alicuius opinionem, vel certè cognoſcatur peccatum aliquod ſubditi illius familiæ, quod erit contra rationem ſacri ſigilli: Vndè Clemens Papa VIII. in Decret. Caſ. reſer. talem gubernationem externam ex notitia reſeruatorum prohibuit in §. Caueat, &c. vt dicetur cum agemus de caſibus reſeruatis in proprio loco: Legite Dianam p. 5. tract. 11. Reſol. 45.

Nota aduertentiam factā à Turriano circa caſus reſeruatos.
Decretū Clementis VIII.
Turrianus. Diana.

15 Vltimò tandem ex dictis colligere poſſumus, hoc vniuerſale principium, quod: Omnis notitia, competta ex confeſſione Sacramentali, ſiuè in ordine ad illam mediatè, ſiuè immediatè, ſiuè caſu, ſiuè malitioſè, licitè, vel illicitè, ſiuè à Clericis, ſiuè à laicis, ſiuè à viris, ſiuè à fœminis, ſemper remanet ſub ſigillo: & Ratio huius eſt, quia lex illa Diuina, implicitè incluſa in inſtitutione Sacramenti confeſſionis, non ſolum continet, ne Sacerdos reueler, ſed ne vlli reueletur, quod in confeſſione à pœnitente explicatum eſt: Ità quod obligatio ſigilli non ſolum in perſonam confeſſarij primariè cadat, ſed etiam in rem ipſam, Scilicet confeſſionem: Ità Nauar. in c. Sacerdos de Pœnit. D. 6. nu. 46. & in Man. c. 8. nu. 4.

Corollariū.
Nauarr.

16 Quæritur 2. Ex qua confeſſione oriatur hæc obligatio ſigilli?

2. Quæſitum. Ex qua confeſſione oritur obligatio ſigilli.

Reſpondent communiter Theologi: Sigillum confeſſionis tantùm oriri ex Sacramentali confeſſione, ſiuè in ordine ad illam: Vndè quando confeſſio Sacramentalis non eſt, neque ad illam aliquo modo ordinatur, non eſt illi annexum ſacrum ſigillum: Quapropter explicandum eſt: Quæ confeſſio dicatur Sacramentalis, & ſufficiens ad hunc effectum, tam ex parte confeſſarij, quàm ex parte pœnitentis, & Quæ ſunt, quæ ordinantur ad illam?

17 Reſpondetur ergò, quod ſi aliquis confiteatur laico, ſiuè clerico non Sacerdoti ex deuotione, quamuis vera cenſeatur ab ipſo pœnitente eſſe confeſſio propter ignorantiam Iuris, exiſtimante in neceſſitate poſſe confiteri laico, Dicimus: Talem confeſſionem nullo modo poſſe eſſe Sacramentalem, & ideò talis audiens non teneretur ſtrictè ad ſacrum ſigillum confeſſionis, ſed tantùm ad ſigillum ſecreti fidelitatis: Ignorantia enim iuris non eſt ſufficiens ad obligandum audientem ad ſacrum ſigillum, eò quod illa non ſit, neque poteſt eſſe Sacramentalis confeſſio, neque ordinetur ad illam: Ità Tannerus to. 6. D. 6. q. 9. d. 6. nu. 139. & Petr. de Ochagauia de Sacram. tract. 5. de ſigillo q. 2. nu. 6. Suarez de Pœnit. D. 33. ſect. 2. nu. 2. & alij communiter.

Ex confeſſione non Sacramentali non oritur Sacrū ſigillum.
Ignorantia iuris non eſt ſufficiens.
Tannerus. Ochagauia. Sayr.

18 Quamuis Nauarr. in Man. c. 8. num. 7. Ioan. Præpoſitus 3. p. q. 11. de ſigillo d. 2. num. 22. Videantur dicere: Etiam laicum, cui propter aliquam neceſſitatem aliquando fit confeſſio teneri ad hoc ſigillum: Credimus tamen hos Doctores voluiſſe dicere, quando pœnitens exiſtimaſſet illum eſſe ſacerdotem, & poſſe ipſum Sacramentaliter abſoluere, quia tunc non eſſet ignorantia iuris, ſed facti, & in hoc ſenſu, verum dicunt: Si autem intelligunt de ignorantia ſimpliciter Iuris, & non facti, tunc credimus voluiſſe dicere de ſigillo ſecreti naturalis, & fidelitatis, non autem de Sacro ſigillo confeſsionis: Nam confeſsio ſcienter facta à laico Sacramentalis eſſe non poteſt, neque ad illam ordinari, ex qua ſolum oritur obligatio ſacri ſigilli: pro vt docent omnes communiter, legite Bonac. D. 5. q. 7. ſect. 5. p. 2. nu. 2. citantem Coninch. Vaſq. Graff. Nug. Reginal. Fillinc. Molfeſ. Soar. & alios.

Nauarr. opinio reducitur ad bonū ſenſum.
Confeſſio ſcienter facta laico ſacramentalis eſſe non poteſt.
Bonac. Coninch. Graff. Reginald. Fillinc. Molfeſ. Soar.

19 Sed difficultas eſt: An quando aliquis laicus, ſiuè Clericus fingat ſe eſſe Sacerdotem ad decipiendum pœnitentem: Et pœnitens credens talem eſſe ſacerdotem peccata ſua bona fide illi confiteator, putans ſe Sacramentaliter confiteri: An iodè oriatur obligatio ſigilli, cùm talis confeſsio, nec ſit, nec eſſe poſsit Sacramentalis?

Difficultas. Quando aliquis fingit ſe eſſe Sacerdotem.

20 Reſpondetur, quod licèt talis confeſsio de facto non ſit Sacramentalis, cùm non terminetur (vt ità dicam ad Sacerdotem) tamen, vt fit à tali homine ex intentione Sacramenti, quia pœnitens manifeſtauit illi peccata, putans ſe Sacramentaliter confiteri Sacerdoti, valenti illum abſoluere, & ideò talis confeſſio fieret in fide Sacerdotis, ideòque ad ipſum etiam Sacramentum, & præceptum ſigilli explicat illa peccata ſub ſigillo, quia hoc præceptum factum eſt in fauorem pœnitentis, & Sacramenti, ergò ampliandum eſt ad confeſsionem, bona fide factam ſub ratione, & intentione Sacramenti: Nam pœnitens manifeſtauit illi peccata ſua animo ſe accuſandi in ordine ad Sacramentalem abſolutionem, alioquin confeſſio redderetur odioſa: Tum quia fraus non debet patrocinari delin-

Reſolutio.
Præceptum ſigilli factum eſt in fauorē pœnitentis.
Fraus non debet patrocinari delinquēti.

Digitized by Google

Suar. Reginald. Coninch. Filliuc. Ochagauia. Bonac. Diana.

deſinquenti: Ità Suarez de Pœnit. D.33. ſect.2.nu.3.& Reginal.lib.3.nu.5. Coninch. de Pœnit.D.9.nu.8. Filliuc.tract.7.c.11.q.2.num.319.& 321. Ochagau.de Sacram.tract.3. de ſigill. q.1. nu.4. Bonac. ſupra nu.2. ſequitur Diana to.5. de ſigillo tract.11.Reſol.15. citans multos alios.

21 Similiter etiam dicendum eſt; Si is, qui confeſſionem audit ſit Sacerdos, non tamen habeat iuriſdictionem, qui ſi in caſu pœnitens bona fide illi confiteatur, putans illum habere iuriſdictionem, licèt poſtea conſtaret illam defuiſſe, non faciet ad rem, quin indè oriatur obligatio ſigilli, quia confeſſio illa, quantum ex intentione pœnitentis Sacramentalis eſt, licèt per accidens contingat defectus ex parte miniſtri, & ideò: Ad reuerentiam Sacramenti pertinet, vt in ea ſeruetur ſigillum: Nam oppoſitum, reuera, multum huic Sacramento derogaret, & illud redderet oneroſum: Intentio enim Sacerdotis ad ſigilli obligationem non eſt neceſſaria: ſed tantùm neceſſaria eſt pœnitentis intentio, vt confeſſio fiat intentione ſubijciendi ſe Clauibus Eccleſiæ: Ità Suar. D.33. ſectione 2. Gabr. in 4.D. 21.quæſt.1, Art.2. Palud.quæſt.3. multique alij ab ipſis citati.

Confeſſio, & ſi non ſequatur abſolutio obligat ad ſigillum.

Intentio Sacerdotis non facit ſigillum ſed pœnitentis intentio. Suar. Gabr. Palud.

22 Ex quo ſequitur ex parte pœnitentis requiri Confeſſionem fieri intentione, & animo ſubijciendi, & accuſandi ſe in hoc foro: & Ratio eſt, quia ſi confeſſio non inchoata fuerit hoc animo, & intentione, re vera non eſſet Sacramentalis confeſſio, nec peccata illa ſubijcerentur clauibus; ergò neque illa eſſet res ſacra, neque ex illa orietur ſacrum ſigillum: Ità Caietanus 2.2.quæſt.70.Artic.1. & tom.1. opuſc.tractat.21. Soto in 4. Diſtinct.18. quæſt.4. Artic.5. Nauarr. Man.capit. 18.num.55.

Si pœnitens non habeat intentionem verè confitendi non facit ſigillum.

Caiet. Soto. Nauarr.

23 Hinc ſequitur primò, quod ſi quis dicat alteri: Hoc tibi dico ſub ſigillo confeſſionis, etiam ſi alter affirmet, ſe illud recipere ſub ſigillo: Non propterea tale eſt verum confeſſionis ſigillum, ſed eſt ſigillum ſecreti, & fidelitatis, quoniam quicquid ambo dicant, nunquam eſt confeſſio Sacramentalis; Vel etiam ſi genibus flexis, & præmiſſa confeſſione generali tale ſecretum dicat, non tamen intentione confitendi, aut ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ: Non indè inſurgit ſigillum Sacramentale, ſed tantùm ſecretum naturæ, pro vt docent Soto cum Nauar. & Diana loc. ſupra citatis cum alijs.

Confiteor Deo, & tibi pater: non facit ſacrum ſigillum.

Soto. Nauarr. Diana.

24 Secundò ſequitur, quod à confeſſione, quæ aliquando fieret ab aliquo animo decipiendi confeſſarium, ſiuè inducendi illum ad malum, ſiuè illum illudendi. non oritur ſigillum Sacramentale, qualis eſſe poterit confeſſio alicuius hæretici, ſiuè meretricis, quando confiteretur animo inducendi confeſſarium ad malum, non autem animo verè confitendi, tunc enim talis non eſſet vera confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio, ſiuè irriſio Sacramenti, neque illud eſſet forum pœnitentiæ. cùm ille talis potius diceretur impœnitens, quam pœnitens: Ità Soto de Rat.tag.m.3.quæſt. 4.concl.2. & Durand. in 4.Diſtinct.21.quæſt.4.Art.3. Sylu. Verb. confeſſio 3. quæſt.5. & Verb. confeſſor.1. quæſt.4. Chamer. de Sacramentis tract. 7. de confeſſ. c. 7. & alij.

Confeſſio facta cum mala intentione decipiendi confeſſarium nõ obligat ad ſigillum.

Soto. Durand. Sylu. Chamer.

25 Hic tamen eſt primò Notandum: Latum eſſe diſcrimen inter ſigillum ſecreti, & ſigillum confeſſionis: nam ſigillum confeſſionis nullo modo licebit vlli reuelari; Sigillum autem ſecreti in aliquibus caſibus reuelare licebit. vt Videlicet ad bonum publicum, vel ſi ille, qui tale ſecretum recepit fuerit legitimè à iudice competenti interrogatus, poterit illud propalare: Quod tamen nefas eſſet, ſi in confeſſione Sacramentali illud habuiſſet: Hæc Soto in 4. D.18.q.4.A.5.concl.5.§. Eſt tamen latum.

Notandum 1. Diſcrimen inter ſigillum ſecreti, & ſacramentale.

Soto.

Notandum ſecundò, quod: Vt ex aliqua confeſſione oriatur obligatio ſigilli Sacramentalis, non requiritur neceſſariò, vt illam ſequatur abſolutio Sacramentalis, ſed ſufficit, vt pœnitens aperiat peccata ſua animo confitendi, & ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ ad recipiendam abſolutionem, & tunc quamuis talis non abſoluatur, vel ratione defectus contritionis, ſiuè alia cauſa: peccata tamen illa confeſſa manent ſub ſigillo, quia pœnitens habuit animum confitendi Sacramentaliter; Aliter enim retraherentur homines ab huiuſmodi confeſſione, quæ tamen vtilis eſt, vt homo à confeſſario inſtruatur ad veram confeſſionem faciendam: Ità Malderus de ſigillo cap.15. Henriq.lib.6.cap. 21.num.3. Kelliſonius 3.p.tom.2.quæſt.11.Art.2.d.2. Palud.in 4. D.21.quæſt.3. A.2. ad 4. Soto, & Chamer. ſupracitati, ſequitur Diana p.5.tractat.11. de ſigillo: Reſol. 26. 26

Notandum 2. Ea qua confeſſione oritur ſigilli obligatio.

Sufficit, quod peccata detegantur in ordine ad confeſſionem.

Malderus. Henriq. Kelliſonius. Palud. Soto. Chamer. Diana.

Imò verò licèt, qui faciat confeſſionem non habeat firmum propoſitum abſtinendi ſe à peccatis, ſed confiteatur animo petendi conſilium, & ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ, ſi Deus illum diſponat, etiam ex tali confeſſione oritur obligatio ſigilli, pro vt docent omnes ſupradicti Doctores, iuxta c. Quod quidam, de Pœnit. & Remiſſ. 27

Sufficit animus petendi conſilium in ordine ad cõfeſſionem faciendam. C. Quod quidam.

Ex quibus omnibus infertur hoc corollarium: Teneri ad ſigillum primò Sacerdotem excipientem confeſſionem; ſecundò Laicum, qui ſe gerit tanquam Sacerdotem: tertiò Interpretem, qui eſt inſtrumentum pœnitentis, qui proximè concurrit ad explicationem peccatorum: quartò Eum, qui inculpatè audit confeſſionem alterius, & multò magis eum, qui malitiosè audit, vt qui ſe furtiuè ingeſſit ad audienda peccata confitentis: quintò Eum, qui peccatum aliquod audiuit ex confeſſario reuelante; ſextò Eum, qui alterius confeſſionem deſcribit, vt ſi pœnitens petat ab illo peccata ſua deſcribi, vt illa melius poſſet in confeſſione facienda recenſere, quia hoc modo inchoatur confeſſio: Similiter etiam conſiliarium, & ſeptimò: Superiorem, cui, vel ante, vel poſt confeſſionem explicatur caſus reſeruatus pro auctoritate petenda: cauſa liberandi pœnitentem à præſentatione: Hæc omnia patent ex ſupradictis: Vide Io: Præpoſitum in 3.p.q. 11.de ſigillo d.4.à nu.31. vſque ad 35. 28

Epylogum omnium ſupradictorum.

Io. Præpoſit.

DE ILLIS REBVS, QVAE CADVNT ſub ſigillo Confeſſionis.

CAP. III.

QVæritur Primò (pro maiori intelligentia præſentis materiæ) An omnia in confeſſione audita cadant ſub ſigillo ſacro confeſſionis, adeò vt non poſsit confeſſarius aliquod ex illis vnquam reuelare? 1

Reſpondetur primò; Ea omnia cadere ſub ſigilli obligationem, quæ manifeſtata ſunt à pœnitente Sacerdoti per ordinem ad ſacramentalem confeſſionem, factam animo ſe accuſandi: Nam ſi aliquod ex illi Sacerdos aliquo modo reuelauerit eſſet ſacrilegus, & ſigilli ſacri violator, nam aliàs Sacramentalis confeſſio redderetur odioſa: Quàpropter abſolutè dicimus, cadere ſub ſigillum omnia, & ſingula peccata mortalia cum omnibus circumſtantijs, & numeris, & non ſolùm mortalia, verùm etiam venialia, tam occulta, quàm etiam publica, quæ aliàs ignota erant ipſi confeſſario, & ideò confeſſarius nullo modo loqui poteſt, etiam de rebus publicis in confeſſione auditis, quarum ipſe aliundè cognitionem non habebat; omnia enim peccata, ſiuè mortalia, ſiuè venialia,

Quæ celanda ſunt ſub ſigillo confeſſionis.

Non ſolum mortalia, ſed etiam venialia, etiam publica cadere ſub ſigillo.

lia, etiam minima quæcumque illa ſint, quæ in confeſſione Sacramentali à confitente manifeſtantur celanda ſub ſigillo confeſſionis, ità vt ſemper ex ea parte eſſet peccatum mortale aliquod ex illis reuelare.

2 Dixi (ex ea parte) quia ex ignorantia, ſiuè inaduertentia naturali inculpabili poterit aliquando eſſe excuſatio, quia non poteſt eſſe peccatum, ſaltem mortale, niſi ſit voluntas committentis, cùm ergò hoc eſſet inaduertenter poterit eſſe excuſatio: Ità Coninch. de Pœnit. D.9.num.8. Filliuc. to.1.tract.7.cap.11.quæſt.3. num.321. Soto in 4. D.18. quæſt.4.A.5.concl.5. Suar. D.33.ſect.3.n.1. Chamerot.tract.5.d.5.c.7.& alij citati ab ipſis.

Inaduertētia aliquando excuſat à peccato.
Coninch.
Filliuc.
Soto.
Suar.
Chamerota.

3 Et quamuis peccatum veniale ſit materia leuis, eius tamen reuelatio reſpectu Sacramenti, ſemper eſt grauis iniuria, & nocumentum, quia aliàs auerterentur homines à confeſſione peccatorum venialium: Nec refert; quod confeſſarius dicat: illa ſciuiſſe in confeſſione, vel quod audientes percipiant peccata illa audita fuiſſe in confeſſione, quia id ad ſummum ſolùm excuſaret à peccato ſcandali, non autem à ſigilli violatione; Ità Filliuc. loc. ſupra citato, cum omnibus prædictis.

Non datur parit. leuis in reuelatione ſigilli.
Filliuc.

4 Neque valet dicere, quod quando quis ſacramentaliter confitetur ſemper præſupponitur, & intelligitur ſaltem habere peccata venialia; ergò illa reuelare non eſſet contra ſigillum: Nam Reſpondetur, quod licèt in genere hoc intelligatur, in ſpecie tamen manifeſtari non poſſunt, quia tunc iniuria fieret Sacramento, pro vt eſt communis ſententia.

Reſp. tacitæ obiectioni. In ſpecie peccatum veniale manifeſtari non poteſt.

5 Hinc infertur, quod ſi aliquis confeſſarius dicat, vel ſignificet talem pœnitentem feciſſe, vel confeſſum fuiſſe grauia peccata venialia, aut plura frangeret ſigillum, nam reuelat illud, quod eſt ignotum; Ignotum enim eſt pœnitentem illum plura, aut grauia venialia peccata feciſſe, ſecus autem eſſet, ſi diceret ſimpliciter: Pœnitentem confeſſum fuiſſe peccata venialia, non addendo ly plura, aut grauia, quia tunc non reuelat peccatum occultum; clarum enim eſt illum, qui confitetur, & Sacramentaliter abſoluitur habuiſſe, ſaltem aliquod veniale peccatum pro materia abſolutionis; Ità Hurtado D.12. de Pœnit. diffic. 4. & Malder. de ſigillo c.12. quos ſequitur Diana p.5. tract. 11. de ſigillo Reſol.49.

Dicere pœnitentem confeſſum fuiſſe grauia, aut multa peccata venialia nõ licet.
Hurtado.
Malderus.
Diana.

6 Dico ſecundò; Indirectè cadere ſub ſigillo, etiam res, quæ non ſunt peccata, ex quorum manifeſtatione audientes venire poſſint in notitiam peccati, vel peccatoris; Quapropter quicquid per ſe, vel per accidens, directè, vel indirectè poſſet verecundiam, vel confuſionem, ſiuè malam ſuſpicionem, vel aliud quodcumque nocumentum, etiam leue pœnitenti præſtare ex illis, quæ in confeſſione manifeſtauit pœnitens; cadunt ſub ſigillo, etiam locus, & tempus, & omnia, ex quibus deueniri poteſt in notitiam peccati non ſolùm ſimpliciter, verùm etiam relatiuè ad perſonam, quæ illud commiſit, & confeſſa eſt reuelari non licet: Ità Sylu. in Verbo confeſſio 3. quæſt.2. Riccard. in 4. D.21. Filliuc. tom.1. tract.7. de Confeſſ. c.11. quæſt.3. num. 321. Soto in 4. d.18. quæſt.4. A.5. Nauarr. cap. 8. nu. 10 & alij.

Aſſertio 2. Res, quæ non ſunt peccata quomodo cadunt ſub ſigillo.
Locus, & tēpus peccati cadunt ſub ſigillo.
Syluest.
Riccard.
Filliuc.
Soto.
Nauarr.

7 Quapropter concludendo, dicimus; Ea omnia, quæ à pœnitente in confeſſione dicuntur occaſione declarandi conſcientiam ſuam, ſiuè ſint circumſtantiæ neceſſariæ, ſiuè non ſint circumſtantiæ, quæ concomitanter à pœnitente explicantur, quorum declaratio poſſet reddere ipſi pœnitenti confeſſionem grauem, & odioſam, etiam ſi peccata non ſint, cadere ſub ſigillo; E.g. quod aliquis ſit illegitimus, vel ortus ſit ex Iudæis, ſiuè ex ludibus, & ſordibus parentibus, & huiuſmodi, non poſſunt ſine fractione ſigilli reuelari, vt eſt communis Theologorum ſententia, vt eſt Soto, Filliuc. & Suarez, loc. cit. quibus addo Onuphrium Opuſc. de ſigill. lect.4. q.7. d.2. Granad. 3.p. de ſacramentis controuerſ.7.tract.11. d.3.nu.2. Malder. tract. de ſigillo c.15.

Concluſio. Defectus naturales cadūt ſub ſigillo, quando ſciuntur ex confeſſione.
Soto.
Filliuc.
Suar.
Onuphrius.
Granad.
Malder.

8 Imò etiam addunt, quod: Defectus etiam naturales, & vitia occulta corporis, & ſimilia, quæ pœnitentes explicando peccata declarant confeſſario in Sacramentali confeſſione cadunt ſub ſigillo, etiam ſi eorum explicatio parum conducat ad peccati accuſationem, ſed addantur, ex ſimplicitate pœnitentis: Ità Granad. ſupra, & Reginald. tom.1.lib.3.c.4.num.39. qui dicit: Quicquid à pœnitentibus in confeſſione apertum eſt, non ſolùm ſi ad peccatum declarandum neceſſarium fuiſſet, ſed etiam fuerit vtile; Imò quoties in eum finem aliquid dixerit, (etiam ſi id fortè agat minus prudenter) eſt fideliter celandum, habita ratione communis modi confitendi hominum: multa enim ſæpè dicentium animo declarandi peccata ſua, quæ nihil ſunt ad id neceſſaria, imò interdum, neque vtilia: Vt ergò ſimplices, & imprudentes auertendi non ſint à confeſſione, ſicut nec alij tacenda ſunt quæcumque ab eis dicuntur ad explicationem ſuorum peccatorũ, vt poſſint ſecurè, & ſine timore reuelationis confiteri: Ità etiam docet Faber Fauentin. in 4.D.19. de Pœnit. diſp.39 cap.2.num.31.

Nota etiam diligenter.
Granado, & Reginald.
Quicquid à pœnitente declaratum eſt in confeſſione eſt ſub ſigillo celandum.
Faber Fauentinus.

9 Dico tertiò: Non poſſe confeſſarium dicere ex notitia comperta in confeſſione: In tali Conuentu, ſiuè Monaſterio tale peccatum committitur, quia ex huiuſmodi detractione Monaſterium, ſiuè Conuentus Religionis iacturam famæ incurreret, & amitteret bonum nomen: Ità Coninch. D.9.d.3.num.16. Henriq. li. 6.cap.21.num.6. Nauar. in cap. Sacerdos num.54. Hurtado de Pœnit. D.12. diffic.4. Vbi etiam exiſtimat eſſe contra ſigillum confeſſarium diffamare Ciuitatem, alicuius generis peccati grauis, quod ex ſola confeſſione nouit, quoniam ipſi ciues aliquo modo aſficerentur infamia, ob quam confeſſio redderetur odioſa, quod facilè contingere poteſt, maximè quando Ciuitas illa non eſſet ampla, & pœnitentes eſſent aliquo modo ſuſpecti, de tali crimine, quia tunc ex reuelatione illa eueniret pœnitentibus aliqualis infamia, ob quam confeſſio redderetur odioſa: Ità etiam docent Killiſonius in 3.p.tract.2.q.5.A.1.d.5. Vaſq. to.4.q.93. A.4.d. 3.& Fagundez p.2.lib.6.cap.4.num.2.

Aſſertio 3. Dicere: In tali Monaſterio, ſiuè Ciuitate, &c. eſt contra ſigillum.
Coninch.
Henriq.
Nauarr.
Hurtado.
Killiſonius.
Vaſq.
Fagund.

10 Dico quartò: Reliqua omnia, quæ in confeſſione audiuntur, quæ ad ipſam confeſſionem non ſpectant, ſed ſunt ſimpliciter à pœnitentibus narrata ex loquacitate, & non ſpectant ad bonum nomen pœnitentis, quamuis per ſe non cadant ſub ſigillo confeſſionis: Eſſe tamen fideliter ſeruanda, & celanda, quoniam interpretatiuè, ſiuè tacitè, ſiuè expreſsè ea pœnitens tradit, ſaltem ſub ſigillo ſecreti, quod obligat iure naturali: Vndè tam propter ſacramenti reuerentiam, quam etiam propter ſcandalum, ne confeſſio aliquo modo redderetur odioſa, nullo modo confeſſarius de illis loqui debet, quæ in confeſſione audiuit: Vt eſt communis opinio omnium Theologorum ſupra citatorum, & aliorum; Legite Filliuc. d.tom.1.tract.7.cap. 11. num.322.

Aſſertio 4. Limitatio prædictorum aſſertionum. Impertinentia non cadūt ſub ſigillo, ſunt tamen fideliter ſeruanda.
Filliuc.

11 Dico tandem; Ea, quæ nullo modo ad confeſſionem pertinent, nec refert multum pœnitenti, vt ea reuelentur, neque ſub ſecreto dicta ſunt, & præſertim ſi ſint in fauorem pœnitentis: vt illius Patria, Dignitas, Officium, Sanitas, Prudentia, &c. dici poſſunt ſine peccato; Non tamen dicere debet confeſſarius, ſe illa in confeſſione nouiſſe: Sed optimum eſt Conſilium nihil vnquam de confeſſione dicere, pro vt conſulunt omnes ſupra citati Doctores.

Aſſertio 5. Quæ pertinēt ad bonum pœnitentis non cadunt ſub ſigillo.

12 Vltimò tandem dico: Non poſſe confeſſarium manife-

Aſſertio 6. Pœnitentia iniuncta non eſt declaranda alijs à confeſſario.

[ma]nifeſtare aliquam pœnitentiam iniunctam pœnitenti in confeſſione, quando pœnitentia eſſet alicuius momenti, vt Corona, Roſarium, &c. quæ imponi ſolet pro aliquibus peccatis aliquantum grauibus, ſecus autem ſi pœnitentia fuiſſet leuiſſima, quæ imponi ſolet, quotidiè pro peccatis quotidianis venialibus, vt Pſalm. Miſerere, vel quid ſimile: Ità Diana tomo 5. tract. 11. de ſigillo Reſol. 31.

Diana.

DE VSV NOTITIAE CONFESSIONIS ſine fractione ſigilli.

CAP. IV.

1 Quæſtio 1. An de licentia pœnitentis poſſint ipſius peccata aliquando reuelari? 1. Opinio negatiua. Rationes illius opinionis.

QVærimus in hoc præſenti capitulo circa vſum ſcientiæ confeſſionis, & primò: An liceat confeſſario ſine fractione ſigilli, ex licentia habita à pœnitente reuelare aliquod peccatum ipſius in confeſſione habitum?

Reſpondetur; quod licèt aliqui Doctores videantur dicere: Hoc non licere, quorum ratio eſt, quia exiſtimant non poſſe pœnitentem in hoc diſpenſare, cùm hoc ſit præceptum Diuinum, quod à nemine diſpenſari poteſt: Secundò, quia confeſſarius nouit peccata pœnitentis in confeſſione, non vt homo, ſed vt Deus, cuius vicem gerit, audiendo confeſſionem, ergò non poteſt pœnitens illi facultatem facere, vt loquatur, vt homo: Tertiò, quia licèt pœnitens poſſet cedere iuri ſuo, non tamen cedere poteſt iuri Sacramenti: Quapropter dicunt illi Doctores: Debere pœnitentem in tali caſu manifeſtare tale peccatum extra ſigillum, vt confeſſarius poſſet deindè de tali peccato loqui extra confeſſionem?

2 Secunda ſententia affirmatiua. D. Thom. D. Bona. Riccard. Paludanus. Soto. Sylu. Nauarr. Suar. Confeſſarius de licentia pœnitentis poteſt loqui de auditis in confeſſione. Ratione Secunda ſententiæ.

His tamen non obſtantibus, abſolutè dicimus, ſequendo communiorem ſententiam, quam tenent D. Thom. in 4. D. 21. quæſt. 3. A. 2. D. Bona. 2. p. D. 4. 3. quæſt. 2. Riccard. A. 4. quæſt. 1. Paludan. quæſt. 3. num. 42. Soto D. 18. quæſt. 4. A. 5. Sylu. ver. Confeſſio 3. q. 3. Nauarr. in Man. cap. 8. §. 18. num. 15. & in cap. Sacerdos de Pœnitent. D. 6. num. 151. alijque quam plurimi à Suar. citati tom. 4. de Pœnitent. D. 33. ſect. 6. num. 6. abſolutè, dicentes: Poſſe confeſſarium de licentia pœnitentis, liberè obtenta in confeſſione, aut extra confeſſionem vti ſcientia illa ipſius peccati habita in confeſſione, & Ratio eſt, quia pœnitens poteſt, ſi velit cedere iuri ſuo, concedendo facultatem confeſſario loquendi ſecum, vel cum alijs de peccatis ipſius in confeſſione cognitis; Nam hoc ſigillum inductum eſt in gratiam, & fauorem pœnitentis: Licèt enim ſigillum ſit ſacrum, continetur tamen ſub genere ſecreti, & eius rationem, & naturam participat: Natura autem ſecreti poſtulat, vt ipſius obligatio tollatur de conſenſu illius, qui ſecretum commiſit; Vndè interueniente pœnitentis licentia nullum (per ſe loquendo) ſequitur inconueniens, cùm hoc præceptum in fauorem pœnitentis ſit inſtitutum, & in caſu nulla iniuria ſit Sacramento, nec ipſi pœnitenti, ergò, &c.

3 Soluitur prima ratio primæ opinionis.

Ad primam ergò rationem oppoſitæ opinionis, exiſtimantis, & dicentis: Pœnitentem in Diuino præcepto diſpenſare non poſſe.

Reſpondetur talem non eſſe diſpenſationem Diuini præcepti, ſed mutationem materiæ eius: Nam ſenſus præcepti eſt, vt hoc ſecretum ſeruetur, iuxta voluntatem committentis, & ità nulla eſt diſpenſatio.

4 Soluitur Secunda ratio.

Ad ſecundum Reſpondetur confeſſarium non ità ſcire, vt Deum, quin etiam ſciat, vt homo; Imò in caſu tunc loquitur ſicut Dei miniſter, cùm in eodem foro loquatur ex voluntate ipſius pœnitentis.

5 Soluitur Tertia ratio.

Ad tertium reſpondetur, quod: In caſu confeſſarius, quando loquitur de rebus in confeſſione auditis de licentia pœnitentis non derogat fauorem ſacramenti, neque aliquid includit oneroſum, & contra bonum ipſius, cum tale ſecretum ſeruandum ſit in fauorem pœnitentis, & ideò ipſe pœnitens poteſt cedere iuri ſuo.

6 Soluitur Vltima ratio.

Ad illud autem, quod contraria opinio dicebat, quod: pœnitens debeat peccata illa dicere extra confeſſionem, Dicimus: Illum modum pœnitenti non eſſe vtilem, neque conſulendum, quia ſic magnum ei ſequeretur incommodum; Eſt enim inter vtrumque modum magna differentia: Nam quando Sacerdos loquitur de licentia pœnitentis facultas illa ſemper eſt reuocabilis, cùm pendeat ex voluntate ipſius dantis, qui per facultatem illam nouam notitiam ei non contulit, quod ſecus eſſet, ſi ſemel extra confeſſionem dixerit, quia tunc notitia illa irreuocabilis eſſet, nec poſſet pœnitens facere, vt poſtea confeſſarius illa tantum ſciret in confeſſione: Pro vt benè dicunt Fagund. p. 2. lib. 6. cap. 1. nu. 14. & Ioan. Præpoſit. in 3. p. q. 11. de ſigillo d. 6. num 43.

Fagund. Io. Præpoſit.

7 Quando Sacerdos loquitur de auditis in confeſſione, is qui audit obligatur ad ſigillum. Suar. Vaſq. Och. g. ula.

Inſuper Quando Sacerdos loquitur de notitia confeſſionis tantum, tunc is, qui audit obligatur ad ſigillum, idcircò debet ei dicere confeſſarius, ſe illud ſcire in confeſſione, & loqui de licentia pœnitentis, vt audiens debito modo recipiat: quod ſecus eſſet ſi Sacerdos extra confeſſionem ſciret, pro vt aduerterunt Suarez d. 33. ſect. 5. num. 7. & Vaſq. 3. p. D. 91. tom. 4. A. 4. d. 7. Ochagau. de Sacrament. tract. de ſigillo q. 5. num. 3.

8 Aduertentia pœnitenti. Talis licentia non eſt concedenda ſine rationabili cauſa. Onuphrius. Reginald. Sayrus. Notandum 1.

Caueat autem pœnitens, ne talem licentiam loquendi cum alijs de auditis in confeſſione confeſſario concedat abſque honeſta, & rationabili cauſa: Nam infamia pœnitentis non eſt permittenda abſque graui, & rationabili cauſa, pro vt aduertit Onuphrius lib. de ſigillo, ſect. 2. q. 5. & Regin. lib. 3. nu. 58. Sayr. de Pœnit. c. 21. nu. 1. de ſigillo.

9 Secunda aduertentia notanda. Bonac. Lazarus.

Notandum autem: Pœnitentem, qui dedit facultatem confeſſario loquendi de auditis in confeſſione nō cenſeri conceſſiſſe facultatem reuelandi perſonam ipſius pœnitentis, niſi aliter conſtet de mente ipſius pœnitentis, pro vt aduertit Bonac. de Pœnit. D. 5. q. 6. ſect. 5. nu. 9. Lazarus lib. Can. qq. ſect. ſecunda, q. 17. num. 6. Præſumitur enim ſemper pœnitentem velle ſuam famam conſeruari.

10 Notandum 2. Licentia manifeſtandi peccata debet eſſe libera.

Notandum Secundò: Hic non ſufficere quamcumque licentiam præſumptam virtualem, ſiuè interpretatiuam, etiam in bonum ipſius pœnitentis ad reuelandum ſigillum confeſſionis, ſed requiri formalem, atque expreſſam, quæ debet eſſe libera, & ſpontanea, non autem vi, aut dolo extorta, imò neque per preces importunas, neque per metum reuerentialem ipſius confeſſarij obtenta: Nam in dictis caſibus licentia talis erit nulla, & confeſſarius huiuſmodi propriè frangeret ſigillum: (Quod benè aduertant Magiſtri Nouitiorum, ſiuè alij ſuperiores, aut quicumque alij confeſſarij, quando licentiam petunt à pœnitentibus manifeſtandi aliqua de auditis in confeſſione) quia ſæpè ſæpius hoc concedunt per metum reuerentialem, & non liberè; Pro vt benè aduertit Fagund. præcept. 2. libr. ſexto, capite primo, num. 21. & Diana p. 5. de ſigillo tract. 11. Reſol. 10. quia ſi ſic redderetur multoties confeſſio odioſa.

Metus reuerentialis. Fagund. Diana.

11 Notandum 3. Prudentia confeſſarij circa ſigillum.

Notandum Tertiò: Confeſſarium aduertere debere omni cum diligentia, vt de vſu talis facultatis omnis ſuſpicio, & ſcandalum audientium omni-

nò

nò vitetur, quod prudentiæ confeſſarij relinquitur, ne ſine vrgente cauſa, & rationabili hoc faciat, & cum omni circumſpicione, & prudentia pro reuerentia ſacramenti.

12 Quæſtio 2. An liceat loqui cum ipſo pœnitente de auditis in confeſſione, poſt abſolutionem?

Secundò Quæritur: An confeſſarius, peracta iam confeſſione, & data abſolutione ſacramentali pœnitenti, poſſit iterum loqui cum ipſo pœnitente de rebus in confeſſione auditis, ſine fractione ſigilli, aut ſaltem ſine peccato?

13 Non licet ſine expreſſa licentia liberè obtenta.

Reſpondetur ex communi ſententia Theologorum: Hoc ei non licere, ſine expreſſa licentia ipſius pœnitentis, prius obtenta: & Ratio huius eſt, quia data iam abſolutione expirauit auctoritas confeſſarij in illo actu, quam ſolum habebat ad loquendum de rebus confeſſis intra ipſam confeſſionem: Vndè, illa peracta, requiritur noua licentia expreſſa ipſius pœnitentis: Nam ſi hoc liceret. Valdè onerosum eſſet pœnitenti. & rubore, & pudore vehementer aſficeretur, quod ſine dubio redundaret in præiudicium Sacramenti Confeſſionis. & confeſſio fieret odioſa: Ità Fagund. præcep. 2. lib. 6. c. 4. nu. 33. Granado 3. p. de Sacrament. tract. 11. contro. 7. D. 5. num. 1. Onuphr. Opuſc. de ſigillo ſect. 4. cap. 5. Malder. tractat. de ſigillo cap. 21. Soto de ſecret. m. 3. q. 4. d. 4. & alij.

Fagund. Granado. Onuphrius. Malderus. Soto.

14 Limitatio. Niſi quando ipſe pœnitens incipiat loqui de rebus confeſſionis.

Verum tamen eſt, quod ſi pœnitens incipiat poſt confeſſionem alloqui cum ipſo confeſſario de rebus in confeſſione dictis, tunc in caſu, ſi confeſſarius etiam loqueretur cum ipſo pœnitente de illis, non frangeret ſigillum: Nam pœnitens hoc facto, ſufficienter indicat ſe facultatem ipſi confeſſario dare loquendi cum ipſo de auditis in confeſſione facta, cùm non ſolùm verbis, verùm etiam factis animus ipſius indicetur: Ità Bonac. D. 5. q. 6 ſect. 5. num. 11.

Bonac.

15 Difficultas. Quando confeſſarius commiſit errorè in cōfeſſione.

Sed difficultas eſt: Quandò confeſſarius commiſit defectum in confeſſione audita, poſſet in caſu extra confeſſionem illud aperire, pœnitente renuente ſine ſigilli fractione, & peccato?

16 Reſolutio.

Reſpondetur, quod, In caſu ſi pœnitens noluerit conſentire, vt confeſſarius cum ipſo loquatur de rebus in confeſſione auditis: Non licebit aliquo modo aperire, & rem totam ſilentio præmendam eſſe, ſuoque tunc officio confeſſarium ſatis eſſe functum.

Aliquorum reſponſio reijcitur.

Iudiciū poſt abſolutionē, iam terminatum eſt.

Nec valet dicere: In caſu confeſſarium non loqui extra confeſſionem (vt aliqui putant) ſed eam perficere: Nam reuera extra confeſſionem loquitur, quia iudicium per abſolutionem datam; iam conſummatum fuit, & ideò non licebit amplius loqui cum ipſo pœnitente de ijs, quæ pertinebant ad iudicium: Ità Malder. tractat. de ſigillo cap. 22. Henriq. de Pœnitent. lib. 3. cap. 2. num. 7. Fagund. d. præcep. 2. lib. 6. cap. 4. num. 33. Soto de ſecret. m. 3. q. 4. concl. 5. d. 4. Io. Præpoſit. in 3. p. q. 11. de ſigillo D. 5. num. 4. & Diana parte quinta, tract. vndecimo de ſigillo reſol. 18.

Malderus. Henriq. Fagund. Soto. Io. Præpoſit. Diana.

17 Confeſſarij non poſſunt loqui inter ſe de ijs, quæ ſciunt per cōfeſſionem.

Inſuper dicimus: Non poſſe confeſſarios, qui eiuſdem pœnitentis confeſſiones, ſimul exceperunt de peccatis eiuſdem pœnitentis in confeſſionibus auditis ſermonem ad inuicem habere, quia ſi cum ipſomet pœnitente non licet loqui extra actum confitendi, multò minus cum alio, etiam ſi ille talis notitiam illius confeſſionis habeat: Nam reuera illorum alloquutio eſt extra confeſſionem, ideòque prohibita, cùm hoc ſit pœnitenti onerosum; Nam confirmat memoriam, & infamiam eius, eſtque aliquo modo contra ipſius honorem: Ità Filliuc. tract. 7. c. 11. q. 5. num. 324. Lazar. lib. Canonic. qq. ſect. 17. num. 13. Bonac. D. 5. q. 6. ſect. 5. num. 24. Suar. tom. 4. D. 33. ſect. 5. num. 3.

Filliuc. Lazarus. Bonac. Suar.

Tertiò quæritur: Quibus modis ſigillum confeſſionis dicitur reuelari? 18

Quæſtio 3. Quibus modis ſigillum dicitur violatum. Reſpondetur dup. directè, & indirectè.

Reſpondetur: Hoc eſſe poſſe duobus modis, Directè, videlicet, & indirectè: De primo modo. Nulla eſt difficultas, cùm res ipſa per ſe clara ſit: Si quis enim confeſſarius directè propalaret, ea, quæ à pœnitente in confeſſione audiuit, ipſo facto eſt ſacrilegus. & ſigilli confeſſionis violator, vt per ſe patet, cùm faciat directè contra ius Diuinum.

De ſecundo autem modo de violatione indirecta, dicimus: Talem violationem pluribus modis fieri poſſe à confeſſarijs; Primò, ſi quis Sacerdos loqueretur de rebus in confeſſione auditis in genere, cum periculo tamen, quod circumſtantes, ſiuè audientes veniant aliquo modo in cognitionem alicuius pœnitentis in particulari, & hoc ſiuè verbis; ſiuè nutibus, ſiuè ſignis: Nam confeſſarius circa ea, quæ in confeſſione audiuit proindè ſe debet gerere, ac ſi nihil ſciret, ex quibus ſequi poſſet ſuſpicio aliqua contra pœnitentem: Vndè ſi confeſſarius auditis duobus, aut tribus pœnitentibus in confeſſione, dicat; Iſte non habet pecc. mort. & ſic indirectè ſignificat alios habuiſſe peccata mortalia, quod erit contra ſigillum, licèt non directè, eſt tamen indirectè: Ità Ioann. Medina C. de Confeſſione, quæſtione 51. 19

Violatio ſigilli indirecta quæ. 1. Aſſertio. Loquens de peccatis in genere cum periculo reuelationis indirectè.

Ex duobus pœnitentibus non licet dicere. Ille non habet p. mor.

Io. Medina.

Secundò dico, Si quis confeſſarius dixerit: Hunc pœnitentem non abſolui, eſſet confeſſionis violator, quia per illa verba innuit talem non eſſe ſufficienter diſpoſitum: Nam alij, qui huiuſmodi verba audiunt, ſtatim conijciunt pœnitentem, vel fuiſſe confeſſum graue peccatum, ac deteſtabile, propter quod fuit illi abſolutio denegata: Nam abſolutio (moraliter loquendo) non negatur, niſi habenti graue aliquod peccatum, Vel non fuiſſe ſufficienter diſpoſitum, & ideò reuelat ſaltem indirectè ſtatum pœnitentis contra rationem ſigilli, pro vt communiter dicunt Theologi, ſtatim infra citandi. 20

2. Aſſertio. Non poteſt dicere hunc pœnitentem non abſolui.

Et quamuis ſint multæ, ac variæ cauſæ, ob quas poſſet pœnitens abſque defectu ipſius non abſolui, pro vt dicunt Caietan. ver. Confeſſori neceſſaria, & Henriq. libr. 6. cap. 2. num. 5. Ex eo tamen dicto confeſſarij. quando non declaratur cauſa honeſta, ob quam non fuit abſolutus, ſemper generatur in mente audientium grauis ſuſpicio contra pœnitentem confeſſum, cui abſolutio fuit denegata: Ità Fagundez præcept. 2. lib. 6. cap. 7. num. 11. & Suar. de Pœnit. D. 33. ſect. 6. Nauarr. in Man. cap. 8. num. 10. & in c. Sacerdos de Pœnitent. D. 6. num. 63. Soto in 4. D. 18. quæſt. 4. A. 5. Granado 3. p. de Sacram. D. 6. tract. 11. d. 1. controuerſ. 7. num. 2. Coninch. D. 9. d. 1. Vaſq. 3. p. tract. 4. D. 93. A. 4. d. 10. num. 9. Ioann. Præpoſit. 3. p. quæſt. 11. de Sigillo d. 3. nu. 27. Hurtado de Sacrament. D. 12. de pœnit. diffic. 12. Diana p. 5. tract. 11. de ſigillo Reſol. 42. 21

Aliquorum Limitatio Reijcitur.

Fagund. Suar. Nauarr. Soto. Granado. Coninch. Vaſq. Io. Præpoſit. Hurtado. Diana.

Dico tertiò: Non poſſe confeſſarium, ſiuè Parochum ſacram communionem denegare pœnitenti ob peccatum in confeſſione auditum, ſicut, neque Epiſcopus poteſt Clericum repellere ob crimen in confeſſione auditum ab Ordinibus ſuſcipiendis, quia confeſſionis ſigillum. non ſolùm ſeruandum eſt verbis, verùm etiam factis: Tum quia indè ſequeretur pudor. & confuſio pœnitentis, & talis eſſet virtualis, & indirecta violatio ſigilli, per quam confeſſio redderetur odioſa: Ità colligitur ex c. Omnis vtriuſque ſexus: de Pœnit. & Remiſſ. Vbi dicitur: *Caueat Sacerdos, ne verbo, nec ſigno, vel alio modo pœnitentem prodat*. Ità Sanchez lib. 3. de Matrim. D. 16. nu. 4. Reginal. lib. 3. 22

Aſſertio 3. Sigillum non ſolum verbis ſeruandum eſt, ſed etiam factis.

C. Omnis vtriuſq; ſexus. Sanchez. Reginald.

Filliuc. Henriq. Bonac.

lib.3.num.23. Filliuc.tract.7.cap.11.num.329 Henriq. lib.6 cap.19.num.5. & Bonac. to.1. D.5. q.6. ſect.5.p. 4. num.17.

23 Aſſertio 4. Peccata etiã aliorum celãda ſunt ſub ſigillo. Chamerot.

Dico quartò confeſſarium, qui peccatum alterius perſonæ ex confeſſione pœnitentis cognitum, alijs declaret: Eſſe ſigilli confeſſionis violatorem, quia non ſolum peccata pœnitentis, ſed etiam aliorum celanda ſunt ſub ſigillo. Ità Chamerota lib.de Sacram. tract.7. c.7.d.6. de Confeſſione.

24 Aſſertio 5. Peccata publica in confeſſione audita, quomodo ſint celanda.

Dico quintò, quod confeſſarius, qui de publico peccatore diceret: Talis confeſſus eſt mihi peccata ſua publica, vel multa peccata grauia &c. faceret contra ſigillum: Quia licèt talis peccator ſit publicus, poſtquam tamen ad confeſſionem dilatum eſt, non licèt illud peccatum extra proferre, tanquam confeſſum, quia tunc eſſet iniuria Sacramenti; Ità Caiet.ver.Confeſſor, Et Soto in 4. D.18. q.4. A.5. & Chamerota, loco citato, d.7. & alij.

Caiet. Chamerota.

25 Aſſertio 6. Regula generalis pro ſigillo.

Dico tandem pluribus, varijſque alijs modis indirectà reuelatio ſigilli confeſſionis contingere poteſt: Vndè talis datur generalis regula à Doctoribus: Quotieſcumque ex verbis, ſiuè ex factis, ſiuè ſignis confeſſarij intelligi poteſt aliqua nota de conſcientia pœnitentis, tam directè, quam indirectè de ſcientia habita in ſacramentali confeſſione, ſemper fit contra ſigillum: Nam confeſſarius ità ſe debet gerere poſt confeſſionem auditam, ac ſi nihil ſciuiſſet de peccatis confeſſis: Ità docent communiter omnes Theologi, ſupra citati.

26 Aduertentia, & Limitatio.

Notandum tamen, quod ſi confeſſarius tantum dixerit: Ille confeſſus eſt mihi peccata ſua ritè, de quibus illum abſolui, vel peccata venialia leuia ſine ſpecificatione alicuius peccati ſpecialis, non eſſet violator ſigilli: Verùm eſt tamen, quod confeſſarius in hoc debet eſſe cautus, & prudens, ne confeſſio ſacramentalis redderetur odioſa: Remanent tamen aliqua dubia diſcutienda de hac materia, quæ in ſequenti capitulo dicentur.

DE ALIQVIBVS DVBIIS EXPLIcandis, circa Sigillum confeſsionis.

CAP. V.

1

PRo maiori declaratione, & vberiori notitia circa obſeruantiam ſigilli confeſsionis, remanent diſcutienda nonnulla dubiola, ſiuè quæſtiunculæ, quæ in hoc præſenti quinto in ordine capitulo ſunt neceſſariò declaranda, vt dictum confeſsionis ſigillum inuiolabiliter ſeruetur. Quorum primum eſt: An poſsit elector, ſiuè vocalis capituli cuiuſcumque electionis Canonicæ, ſiuè Magiſter Nouitiorũ, ſiuè Prælatus &c. propter ſolam confeſsionis notitiam negare votum, ſiuè ſuffragium in Electionibus faciendis ei, qui exterius reputatur dignus: Ipſe autem elector per ſolam confeſsionis notitiam, ſcit eſſe indignum, & præcipuè in ſcrutinio ſecreto?

Dubitatio P. An in electionibus faciendis poſſit vti ſcientia confeſſionis?

2 Reſolutio. Difficultas quæſtionis. P. Sententia. D. Thom. Soto. Syluest. Nauarr.

Reſpondetur potius me velle talem deciſionem ab alijs diſcere, quam illam ſoluere: Cùm res difficillima mihi videatur: Et ratio difficultatis eſt: Quia eſt quaſi communis opinio multorum Doctorum, & Summiſtarum, ex quibus eſt D. Thomas in 4. D.21. quæſtione tertia, A. primo, & ſecundo, Soto de Ratione tegendi m.3. quæſtione quarta, poſt quintam concl. & Sylu. ver. Confeſsio tertio, quæſt.14. & Nauarr. in c. Sacerdos de Pœnit. D.6. num.146. & alij affirmantes: Non ſolum poſſe, ſed etiam debere, quando tamen nullum eſt periculum reuelationis ſigilli confeſsionis.

Ratio autem iſtorum eſt, quia eligere indignum eſt intrinſecè malum, & tunc poteſt euitare hoc malum, ſine incommodo Sacramenti, quia (vt ait Soto) in caſu non eſſet reuelatio confeſsionis, ſed eſt hominem vti iure ſuo: Sicut enim ſi Sacerdos plures habens ſeruos, quorum vnum per ſolam confeſsionis notitiam ſciret eſſe latronem, nullam ei faceret iniuriam, ſi pecuniam illi non crederet, quam credet alijs, aut ſi domo pelleret alia ficta cauſa: Sic non dando illi vocem ſuam in electione ſecreta, non reuelat confeſsionem, cum poſsit vti iure ſuo, & poſsit alijs fictis cauſis illi denegare ſuffragium.

3 Ratio iſtius ſententiæ. Eligere indignum eſt intrinſecè malum. Exemplum de ſeruo latrone.

Quàpropter ait Diu. Thom. cum Syluest. quod ex multis cauſis, quam ex peccato redditur quis indignus prælatione, vt ex defectu ſcientiæ, ætatis, vel huiuſmodi; Vndè quando contradicit, nec ſuſpicionem de crimine facit, neque reuelat confeſsionem; Imo circumſtantes ſuſpicare poſſunt, quod ipſe elector, vel ex odio, vel ex propria ambitione ad hoc moueatur: Vndè ait idem Soto: Electorem potius debere permittere, vt alij exiſtiment, ſe malè negare ſuffragium, quam eligere indignum ex ſola confeſsione cognitum.

4 Ex Pluribus cauſis redditur, quis prælatione indignus.

Soto.

Imò addit Nauarrus in d.c. Sacerdos, numer. 150. Iuſtè, quis poſſet electoribus diſſuadere alicuius in Prælatum electionem ob ſolam in confeſsione de ipſo ſcitam malitiam, Dummodò ità rem gerat, vt nullo modo peccatum illius prodeat, ſed aliquam extrinſecam cauſam fingendo, vt ſupra dictum eſt: Hæc Nauarrus.

5 Dictum Nauarri circa electionem.

His tamen non obſtantibus: Oppoſitam ſententiam omnimodò tenendam eſſe exiſtimo: Et Ratio noſtra eſt, quia Sacerdos Confeſſarius in nullo caſu poteſt aliter ſe habere cum Pœnitente poſt confeſsionem, quàm antea, nec poteſt, ſe iuuare aliquo modo ex notitia confeſsionis, ſed cuncta debere gerere, ac ſi proſſus pœnitentis conſcientiam ignoret, & non ſolum in quibus periculum eſſet proditionis ſigilli, (quod etiam fatentur contrariæ opinionis Auctores) verum etiam in his, in quibus id eſſet confuſio, ac pudor pœnitenti: Aliter enim contra faciens iniuriam ſacramento faceret, quod magnum peccatum ſacrilegij erit: Iniuria autem conſiſtit in hoc, quod confeſsio ſacramentalis fieret odioſa, nam retardarentur homines à confeſsione, neque cum fiducia poſſent ad hoc ſacramentum accedere: Eò enim quod pœnitens intelligit, ſe poſſe priuari officio, ſuffragio, ſacris Ordinibus, ſiue voce in electione facienda à ſuo confeſſario propter notitiam habitam ex ſua confeſsione: Quis enim dicet indè non reddi hoc Diuinum Sacramentum hominibus formidabile, atque odioſum? Et ità pronior fieret pœnitens ad celanda peccata, quod maximum erit inconueniens, contra Chriſti Domini inſtitutionem.

6 2. Sententia negatiua. Ratio ſecundæ ſententiæ.

Fieret iniuria ſacramento. Confeſſio ſacramentalis fieret odioſa.

Retardarentur homines, à confeſſione.

Quàpropter hanc noſtram ſententiam, ſequuntur multi, & grauiſsimi Theologi: Vt Fagund. præcept. 2. libro ſexto, capite ſecundo, numero ſecundo, Bannes ſecunda ſecundæ, quæſt.33. A.8. Suarez de Pœnitent. D.33. ſect.7. numero duodecimo, Onuph. Opuſc. de ſigillo, ſect. ſecunda, d.2. quæſt. ſecunda, Reginal. tomo primo de Pœnitent. libro tertio, cap. tertio, numer. 33. Sanchez de Matrim. tomo primo, libro tertio, D.6. numero ſexto, Coriolanus de Caſibus reſeruat. parte prima, ſect. prima, A.16. Hurtado de Sacramen. D.12. de Pœnit. diffi. 9 Bonac. tomo 1. de Pœnit. D 5. q 6. ſect.5. pun. quarto, num.16. Rodriq. tom. primo, qq. Regular. quæſt.21. A.4. & tomo ſecundo, q. 54. A.4. & nouiſsimè Pater Diana p.5. de ſigillo tract. 11. reſol.4.

7 DD. iſtius ſententiæ. Fagund. Bannes. Suar. Onuphrius. Reginald. Sanchez. Coriolan. Hurtado. Bonac. Rodriquez. Diana.

8 Nota hanc doctrinã Rodriquez. Imò addit Rodriq. d.tom.primo, ſupra citat. quod ſi pœnitens ſciret probabiliter, quod ſi ipſe Prælato ſuo, ſua confiteretur peccata: ipſe Prælatus ex illa notitia confeſſionis habita, impediret in poſterum aliqua bona ſpiritualia, aut etiam temporalia, negando ipſi ſuffragium ad ipſorum conſecutionem, haberet cauſam ſufficientem ad accedendum ad celebrandum, aut recipiendam Euchariſtiam ad euitandum ſcandalum, dum aliter confiteri non poſſet, cùm illa cauſa illius ſuſpicionis ſit ſufficiens ad excuſandum ſubditum, vt illi Prælato non confiteatur; Hæc Rodriquez ſupra.

9 Nota inſuper pro Definitoribus, & Prælatis. Inſuper addit in d. tomo 2. loco ſupra citat. Definitores, & Prælatos, atque Electores Regularium minimè peccare, dando ſuffragium ijs, quos in foro pœnitentiæ ſciunt eſſe indignos: Licèt enim (ait ipſe) Eccleſia Dei malè de miniſtris prouideatur; Hæc tamen prouiſio mala, non ità nocet Eccleſiæ vniuerſali, ſicut nocebit odium, quod ex negatione ſuffragiorum propter dictam ſcientiam ad ſacramentum Pœnitentiæ apportabit.

10 Dictum Suar. Pater autem Suarez loc. ſup. citato abſolutè dicit: Nullam committi culpam ab electoribus, eligendo dignum in publica ſcientia, quamuis ex notitia habita per confeſſionem ſcirent eſſe indignum: Quia propter ſacramenti reuerentiam poteſt confeſſarius licitè non vti illa ſcientia, ſed ità ſe gerere, ac ſi nihil nouiſſet, quia ſcientia illa confeſſionis non eſt per ſe regula talis actus: Cùm confeſſio non ſit ordinata, & inſtituta à Domino ad externam gubernationem, neque ad dignam faciendam electionem, ſed ſolum ad pœnitentem abſoluendum, & remedium ſalutare illi præſtandum ſolum in foro illo pœnitentiali, non autem extra, cùm ſacramentum in fauorem pœnitentis inſtitutum ſit, non autem contra ipſum: Imò ſi pœnitentes ſcirent confeſſarium ex notitia confeſſionis poſſe illis ſuffragium in electionibus denegare, retardarentur à confeſſione, & promptiores fierent ad celanda peccata commiſſa, quod maximum incommodum ipſis pœnitentibus apportabit, maximumque inconueniens in Eccleſia Sancta Dei introduceretur.

Confeſſio peccatorum non fuit inſtituta pro electionibus faciẽdis. Pœnitentiæ Sacramentũ in fauorẽ pœnitentiũ fuit inſtitutum. Alijs retardarentur à confeſſione, & promptiores fierent ad celãdã peccata.

11 Rodriq. Quapropter Rodriq. d.to.2.ſup.citato præcauet Superiores Regularium, ne illa notitia confeſſionis habita ad aliquam electionem faciendam vtantur: Nam (vt ipſe dicit) timet, ne hodie ex vſu huiuſmodi ſcientiæ ad prouidẽda Ordinis officia maxima ſacrilegia quotidiè committantur.

12 Decretum Patris Generalis Ieſuitarum contra primã ſententiam. Primam ſententiam appellat periculoſam, & ſcãdaloſam. Propter hanc autem doctrinam motus Reuerendus Pater Claudius de Aquauiua, Præpoſitus Generalis Societatis IESV Anno 1590. per Decretum ſuum prohibuit Patribus omnibus Ieſuitis vſum affirmatiuæ opinionis huius rei, non ſolùm ſuperioribus, verùm etiam alijs confeſſarijs: Quare ſtrictiſſimè præcipit, vt ità ſe gererent, ac ſi prorſus conſcientiam pœnitentis ignoraſſent, neque ſupradictam doctrinam affirmatiuam primæ opinionis aliquo modo defendant, nec dicant eſſe probabilem, cùm ſit periculoſa, & contra reuerentiam debitam Sacramento Pœnitentiæ.

13 Decretũ Clementis VIII. Pro regularibus. Et tandem Clemens Papa VIII. in Decreto de Caſibus reſeruatis emanato die vigeſimo ſexto, Menſis Maij 1594. §. Caueant expreſsè prohibet, dicens: *Caueant ſuperiores, tam pro tempore exiſtentes, quàm alij confeſſarij, qui poſtea ad ſuperiorem gradum fuerint promoti, ne illa notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad externam gubernationem vtantur*, quod decretum obligat ſub mortali, vbi non ſolùm continet directionem, ſed etiam præceptum, vt dicit Diana, loco ſupra citato:

Obligat ad mortale. Diana.

Cùm ergò Decretum Papæ indiſtinctè loquatur, non eſt quod à nobis limitetur, ſed ſimpliciter obſeruetur: Cùm ergò res ſit grauis, eius tranſgreſſio erit mortalis.

Quapropter breuiter concludendo dicimus, iuxta Decretum ipſius Clementis VIII. Superiores Regularium, pro nullo Religionis regimine poſſunt ſe in ſuo regimine dirigere ex notitia habita ex confeſſione ſubditorum: Nec poſſe licitè ſubditos ab officio, etiam amouibili remouere: Nec poſſe licitè à loco amouere, clauſuram melius cuſtodire, Oſtium domus, ſiuè Conuentus claudere, ſolitum egreſſum, è domo negare, & in mores ſubditi acrius inuigilare: Quod intelligitur de notitia per confeſſiones illorum comparata. 14 Concluſio. Nota diligenter.

Et quamuis prima opinio fuiſſet probabilis rationibus, ibi aſſignatis: tamen pro Regularibus eſt omninò improbabilis, ſtante Decreto ipſius Clementis VIII. ſupra dicto: Ità Filliuc. tomo primo, tract.7. cap.11. quæſt.7. num.337. Vndè per hæc, quæ dicta ſunt clarè patet reſponſio ad rationes oppoſitæ opinionis. 15 Prima ſententia non habet locum, quo ad Regulares.

Secundò quæritur: An ſi Sacerdos per confeſſionem alicuius intelligat mortiferum venenum in vinum eſſe immiſſum, & non poſſet, aut omittere ſacrificium, aut petere aliud vinum, niſi indirectè prodat confeſſionem illius pœnitentis: Tunc enim ſi ſacrificet, & ſumat videtur ſe occidere, & ità erit ſui ipſius homicida, ſi verò ſacrificium relinquat, iam videtur prodere ſaltem indirectè confeſſionem illius, ſaltem apud illos, qui tale venenum præparauerant: Quid ergò in caſu erit facturus? 16 Dubitatio 1. Sciens per confeſſionem vinũ in Miſſa eſſe venenatum, quid faciendum?

Reſpondent aliqui Doctores, quod ſi daretur caſus ità vrgens, ne Sacerdos poſſit vllo modo alijs fictis cauſis ſe excuſare à celebratione, ne ſe ipſum occidat: Tunc iſti Doctores, infrà citandi exiſtimant: Poſſe in tali caſu Sacerdotem vitare actionem, & deſiſtere à celebratione, & ſi opus eſſet etiam fugere periculum: (quidquid alij ſuſpicentur) & Ratio illorum eſt, quia confeſſarius vtitur iure ſuo, & ex vi talis actus nihil de confeſſione reuelat, eò quod ceſſatio illa celebrandi eſt ſignum indifferens ad plura ſignificanda, quamuis alij ex praua propria malitia, & conſcientia aliud exiſtiment: Ità Gabr. in 4. D. 21. quæſtione ſecunda, A.3. d.1. Maior. quæſt. tertia, ad ſecundum Chamerot. tractat.7. de confeſſione cap.7. d.vlt. Syluuer. Confeſſio 3. quæſt.19. num.12. & Scotus in 4. D. 21. q.2. ad tertium: Qui generalem ſtatuit Regulam dicens: Signum, quod de ſe eſt indifferens ad hoc, quod eſt, Tale peccatum eſſe confeſſum, vel non confeſsum, licèt aliquibus ſit magis ſignum determinatum ex aliquo ſuppoſito, non eſſe tamen ſignum reuelatiuum confeſſionis, nec per conſequens ſimpliciter illicitum confeſſario. 17 Prima ſententia. Ratio iſtius ſententiæ. DD. iſtius ſententiæ. Gabriel. Maior. Chamerot. Syluest. Scotus. Regula generalis Scoti.

Contrariam tamen ſententiam probabiliorem exiſtimo, & rationi conſentanea, quam tenent alij Doctores infra citandi, & meritò illam ſequor, quia ſigillum confeſſionis non ſolum directè, nec etiam indirectè, aliquo modo licet reuelari, nec prodere, ne confeſſio fieret odioſa, & ſuſpicionem ſcandali de huiuſmodi daretur notitia circumſtantibus: Quapropter Sacerdos, qui ex confeſſione ſibi facta cognouit in vino, in quo facturus eſt Sacramentum immixtum eſſe venenum mortiferum, nec poteſt, (data hypoteſi,) aut omittere ſacrificium, aut petere aliud vinum ſine ſuſpicione reuelationis confeſſionis ſaltem indirectè, tenetur vinum ſic mixtum ſumere, & Deo ſe commendare, tenens ſecundùm fidem Euangelij, dicente Domino in Euang. Mar.c.16. *Si mortiferum credentes biberint non eis nocebit*: maximè in caſu tantæ neceſſitatis pro- 18 2. Sententia. Marc.c.16.

propter Sacramenti reuerentiam, & obſeruantiam ſigilli confeſſionis: ne ſcandalum daret circumſtantibus.

19 Ratio 2. ſententiæ.
Ratio autem illius Aſſertionis eſt, quia reuelatio etiam indirecta confeſſionis eſt per ſe mala, & peccatum mortale, ergò in nullo caſu erit licita: Quod eſt veriſſimum etiam ſi eſſet periculum mortis, non ſolùm corporalis, verum etiam Spiritualis Animæ, vt ſi in caſu Sacerdos eſſet in mortali peccato, & non poſſet cõfiteri, tunc enim talis deberet ſibi prouidere omni meliori modo, quo poteſt de contritione, quæ cum ſacramento in voto ſufficit ad æternam ſalutem, & illo caſu ſacerdos non vtitur ſcientia confeſſionis, ſed ſciẽtia humana, ſecundum quam nihil nouit de veneno; & ideò non interficit ſe ipſum ſumendo vinum venenatum.

Tenetur Sacerdos ſeruare ſigillum etiam cũ periculo mortis.

Difficultas de morte ſpirituali.

20 Alia ratio pro 2. ſententia.
Deindè non tenetur credere pœnitenti extra illud forum, licèt enim confeſſarius debeat credere pœnitenti ad illum gubernandum, non autem ad gubernandum ſe ipſum, neque ad dirigendas actiones ſuas in damnum ſigilli confeſſionis: Hanc ſententiam tuetur, & defendit Pater Suarez to. 4. de Pœnit. D. 33. ſect. 7. nu. 7. & 6. ſic etiam tenent alii, quam plurimi, vt Nauar. in c. Sacerdos de Pœnit. D. 6. à nu. 135. vſque ad nu. 140. & Soto in 4. D. 18. q. 4. A. 5. concl. 5. §. Hoc adeò: Ledeſm. q. 10. A. 5. d. 6. Filliuc. de ſigillo confeſſ. tract. 7. c. 11. q. 7. nu. 334. Ricc. in 4. D. 21. A. 4. q. 2. ad 5. Tabien. Verbo confeſſionis Celatio nu. 13. Turrianus de Pœnit. D. 33. d. 5. quos ſequitur Diana p. 5. de ſigillo tract. 11. Reſol. 46. & alij.

Doctores huius 2. ſententiæ. Suar. Soto. Ledeſma. Filliuc. Riccard. Tabiena. Turrianus. Diana.

21 Alius caſus de Sacerdote ingrediente ſyluam cum latronibus.
Similiter etiam dicunt de ſacerdote, qui iter cum latronibus agens in ingreſſum nemoris per confeſſionem vnius intellexit in ingreſſum ſyluę parari ſibi mortem ab alijs latronibus: Quem quidem Sacerdotem, potius (aiunt illi Doctores) debere expectare mortem, quam per fugam confeſſionem reuelare, dum tamen aliter ſe excuſare non poſſet, quin confeſſionem illius, ſaltem indirectè reuelaret, vel confeſſionem ab illo factam aliquo modo ſuſpectam redderet, exponendo periculo eum, qui indicauit ſibi in confeſſione, quia fortè alij ſocij in eum irruerent, aliàs nemo vnquam vellet in tali caſu confiteri, & ſic confeſſio redderetur odioſa.

Debet potius mortem eligere paſſiui, quam indirectè reuelare.

22 Opinio aliquorum contrarium exiſtimantium, reijcitur.
Ex quo patet: Non benè dixiſſe Doctores contrariæ opinionis, exiſtimantes: poſſe Sacerdotem in tali caſu retrocedere ab ingreſſu ſyluæ, vt ſic ſe ſaluet à morte, quia huiuſmodi retroceſſio eſt actus per ſe indifferens, & ideò, &c.

23 Soluitur fundamentum illius opinionis.
Reſpondetur, quod licèt retroceſſio illa de ſe non ſit manifeſtatiua ſigilli, per accidens tamen poteſt eſſe manifeſtatiua. Videlicet ex circumſtantijs, quia, (vt ſupponimus) ſocij, cum animaduertant Sacerdotem audiuiſſe confeſſionem conſocij, ex repentino diſceſſu deindè Sacerdotis, poterunt facilè ſuſpicari detectum illi à ſocio machinatum flagitium. Vndè ſi in caſu talis Sacerdos occideretur à latronibus eſſet verè Martyr Chriſti, cùm ſuſtineret mortem propter ſigilli obſeruantiam: cùm mors priuatiuè ſubeunda ſit potius, quam reuelanda confeſſio, etiam indirectè, & Ratio huius eſt; quia etiam reuelatio indirecta, in nullo caſu eſt licita, etiam pro tuenda vita propria: ſed in caſu, (vt ſupponitur) non poteſt tueri vitam propriam, niſi indirectè confeſſio reueletur, ergò potius eſt eligenda mors, quam ſigillum modo aliquo reuelare: bonum enim ipſius Sacramenti præferendum eſt propriæ vitæ.

Si talis Sacerdos occideretur eſſet verè martyr.

Reuelatio indirecta ſemper eſt illicita.

24 Si eſſet in peccato contrarius,
Et dato, quod Sacerdos ille in tali caſu conſcientiam haberet peccati mortiferi, tunc poteſt elicere actum contritionis, & ità confidens in Domino, ingredi ſyluam, tanquam nihil ſciuiſſet, & ità propter fidem Sacramenti, & actum elicitum contritionis ſalnaretur: Ità docet Suarez, cum omnibus ſupra citatis.

25 Difficultas. An debeat exponere ſe periculo peccandi?
Inſuper augetur difficultas: ſi quis Sacerdos per confeſſionem alicuius nouerit ſibi parari grauiſſimam peccandi occaſionem, & moraliter timeat, (attenta ſua fragilitate) ne poſſit tali tentationi reſiſtere, niſi fugiat, & periculum illud euadat, cùm fugere, & vitare non poſſet, niſi indirectè reuelando, vt ſupra explicatum eſt de ſocijs præparati flagitij.

26 Reſolutio. Quare ponuntur iſti caſus.
Reſpondetur, quod licèt iſti actus potius mente fingantur, quam moraliter poſſint accidere: Nunquam enim deerunt alia media, vel rationes ſiue excuſationes, quibus in caſu poſſet Sacerdos vitare huiuſmodi pericula, ſine manifeſtatione indirecta confeſſionis: Ponuntur tamen à Theologis ad declarandam neceſſitatem, & cuſtodiam obſeruantiæ ſacri ſigilli. Tamen (data hypotheſi,) & admiſſo vrgenti caſu, in quo non poſſet vitare ſuſpectum aliorum de confeſſione illius, ſemper confeſſionis ſigillum ſeruandum eſt, ne aliquo modo confeſſio redderetur odioſa, & talis Sacerdos in caſu prouidebit Animæ ſuæ eo meliori modo, quo poſſet, orando, & conando ad habendam contritionem, vel tentationem ſuperandam, cui non ipſe ſe exponit, ſed coactè exponitur propter Chriſti Domini legem obſeruantiam de ſigillo confeſſionis: & cùm ipſe faciat, quod in ſe eſt, nõn deerit Diuinum auxilium ad tentationem illam ſuperandam: & Ratio noſtra eſt, quia concurrentibus duobus peccatis; vnum certum, & alterum incertum, potius debet homo ſe periculo exponi ad incertum, quam certum committere de reuelatione ſigilli indirecta, quod erit intrinſecè malum: Hæc Suarez ſupra numero octauo.

Ponuntur ad declarandum obligationẽ ſigilli.

Data hypotheſi tenetur ſeruare ſigillum.

Non deerit in caſu Diuinũ auxilium.

Concurrentibus duobus peccatis, certum, & incertum, quid faciendum? Suar.

27 Dubitatio 3. An debeat vitare excommunicatum in confeſſione cognitum?
Tertiò quæritur: An Confeſſarius, qui ex confeſſione nouit aliquem eſſe excommunicatum excommunicatione maiori euitanda, teneatur in occulto non communicare cum illo, & præcipuè in Diuinis?

Reſolutio eſt negatiua.
Reſpondetur: non ſolùm, non teneri, verum etiam neque licere: & Ratio huius eſt, quia licèt in caſu non reuelet alijs peccatum illius, ſaltem ipſi pœnitenti facto loquitur, quod ſine facultate eius facere minimè poteſt, nam talis euaſio pœnitentis eſſet quædam correctio extra confeſſionem pudefaciens pœnitentem, qui nouit Sacerdotem ipſum euitare propter notitiam in confeſſione habitam: Ità Medin. c. de Pœnitent. quæſt. 15. & Ledeſm. quæſt. 10. A. 5. d. 6. Suarez de Pœnitent. D. 33. ſect. 6. num. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 11. quæſt. 6. num. 329. cum alijs ab ipſis citatis.

Io. Medin. Ledeſm. Suar. Filliuc.

28 Nauarri opinio improbatur.
Licèt Nauarrus in c. Sacerdos de Pœnitent. D. 6. numer. 146. aliud ſentire videatur; ſed immeritò, imponit enim graue onus ſine ſufficienti fundamento, & ſine neceſſitate; maximè quia hodie non tenemur vitare excommunicatum occultum, niſi ſit publicè nominatus; Deindè ſcientia confeſſionis ſimpliciter non poteſt vti ſacerdos ad externam gubernationem, & ideò talis notitia excommunicationis pœnitentis per ſolam confeſſionem habitam, eſt tanquam non eſſet in rebus, quæ non pertinent ad confeſſionem.

Scientia confeſſionis non deſeruit ad gubernationẽ externam.

29 Dubitatio 4. An poſſit denegare communionẽ indignè petenti?
Quartò Quæritur: An ſi aliquis pœnitens petat ſacram communionem à confeſſario, qui ex confeſſione nouit illum eſſe indignum; An poſſet, & debeat illi denegare Sacramentum, maximè ſi nullus adſit alius, de Sacerdos illi cooperetur in malum?

30 P. reſponſio, ſi peccator eſt occultus.
Reſpondetur, quod ſi talis pœnitens publicè petat Euchariſtiam, nullo modo poteſt Sacerdos illi com-

munionem denegare propter ſolam notitiam in confeſſione habitam, quia id fieri non poteſt, ſine indirecta reuelatione, vt benè dixit Nauarr. in Man. c. 8. nu. 17. & alij communiter.

Nauarr. 2. Reſponſio ſi peccatum eſt publicū. Si verò peccator eſſet publicus, & confeſſarius hoc etiam ſciret extra confeſſionem; poſſet tunc omninò liberè illi denegare ſacram communionem, imò deberet, quia publico peccatori, de quo non conſtat pœnitentia non eſt danda ſacra communio. Ità Chamer. lib. de Sacramentis tit. 7. c. 7. de confeſſione, & alij.

Chamer.

31 Difficultas eſt quando occultè petat Euchariſtiā. 1. Opinio. Sed Difficultas eſt, ſi peccator ille ſit occultus, & in occulto petat; Tunc dicunt aliqui poſſe Sacerdotem dicere; Non poſſum tibi Sacramentum miniſtrare, vade in pace: & Ratio iſtorum eſt, quia illa Sacramenti indigna ſuſceptio poteſt vitari ſine reuelatione confeſſionis; Et quamuis videatur tacita exprobatio pœnitentis, non eſt tamen data à confeſſario, ſed ipſe pœnitens, (ſiuè vt melius dicam) impœnitens accepit ex propria ſua malitia, quia iniquè ſe ingerit cum ſuo proprio damno, maximè, quia talis actus confeſſionis non eſt ad aliquam gubernationem eaternam, neque ad aliam actionem publicam, ſed ſolum eſt negatio rei aliàs debitæ, ſolummodò ad vitandam Sanctiſſimi Sacramenti irreuerentiam, & cooperationem ad malum; Ità exiſtimant nonnulli Doctores.

32 2. Opinio. Et quamuis iſta talis opinio videatur aliquo modo probabilis, contraria tamen opinio eſt probabilior, docens; In nullo caſu confeſſarium extra confeſſionem aliter ſe habere debere, quam antea, & ideò non debet illi Euchariſtiam denegare, etiam ſi occultè petat: Nam negari non poteſt ex tali negatione Euchariſtiæ, quod pœnitens non intelligat hoc fieri à Sacerdote propter ſcientiam, habitam ex confeſſione, & ſic eſſet cum rubore, & confuſione ipſius, & ità fieret confeſſio odioſa: Ità Sanchez lib. 3. de Matrim. D. 16. nu. 4. & Reginal. lib. 3. nu. 16 Henriquez lib 6. c. nu. 5. Suarez ſupra ſectione 6. nu. 4. & Filliuc. d. to. 1. tract. 7. c. 11. nu. 329. & alij.

In nullo caſu poteſt Sacerdos vti ſcientia confeſſionis.

Reginald. Henriq. Suar. Filliuc.

33 Limitatio. Verùm eſt tamen, quod ſi Sacerdos poſſet prudenter alio titulo ſe excuſare, ne adminiſtret Sacramentum, vel quia non tenetur ex officio, vel quia eſt occupatus, poterit ſe excuſare ſi velit, quamuis ad hoc non teneatur, quia in vtroque ſe gerit, ac ſi nihil in confeſſione ſciuiſſet: At verò illo titulo negare non debet, quia extra confeſſionem etiam in occulto pœnitentem exprobare non licèt, propter ſolam confeſſionis notitiam compertam, vt ex præcedentibus ſatis plenè probatum eſt.

34 De illo, qui petit matrimonium contrahere cum impedimēto occulto. Ex quibus patet; Parochum non debere, neque etiam poſſe à Matrimonio repellere pœnitentem ob ſolum impedimentum in confeſſione cognitum, quāuis enim poſſet in confeſſione illum admonere, vt deſiſtat à tali matrimonio contrahendo, tamen extra confeſſionem, ſi petat non tenetur, nec poteſt illum repellere, aut etiam admonere, niſi prius licentiam ab ipſo obtineat: Ità Bonac. to. 1. de Pœnit. D. 5. q. 6. ſect. 5. p. 4. nu. 17. Onuphr. de ſigillo ſect. 4. q. 7. d. 4. Sayr. de Pœnit. c. 32. nu. 10.

Bonacina. Onuphrius. Sayr.

DE POENIS INFLIGENDIS CONtra Confeſſarios propter ſigilli fractionem.

CAP. VI.

1 Pœnæ duæ contra ſigilli violatores. C. Sacerdos. POEnæ deſignatæ in Sacris Canonibus duæ inueniuntur, quarum vna eſt in c. Sacerdos de Pœnit. D. 6. in quo imponitur Sacerdotibus ſigillum confeſſionis violantibus pœna depoſitionis à Iudice imponenda; & Altera, vt cogatur talis Sacerdos ignominioſè perpetuo peregrinari: At in c. Omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſ. per Concilium Lateranenſe: confirmata eſt eadem depoſitionis pœna, & additur, vt perpetuò detrudatur in Monaſterium ad perpetuam pœnitentiam agendam de tali delicto perpetrato; Vndè Ius illud antiquum in d. c. Sacerdos de perpetua peregrinatione per hoc nouum ius per Concilium Lateranenſe: ſublatum eſt, & pœna illa eſt in perpetuam reclusionem immutata, ne Sacerdotes cum dedecore ignominioſè mendicare cogerentur; Ità Bonac. D. 5. q. 6. p. 1. nu. 3.

Depoſitionis Peregrinatio nis perpetuæ. Con. Lateral. Limitauit ſecundam pœnam.

Bonac.

2 Tribunal S. Officij, quoniam poteſt cognoſcere hoc crimen. Hæc autem pœna imponenda eſt à Iudice Ordinario, cui ſubiectus eſt huiuſmodi confeſſarius, niſi tale crimen ſit coniunctum cum hæreſi, quia tunc cognoſcendum eſſet per Tribunal Sancti Officij, pro vt dicit Bonacin. in Bulla Cœnæ, & tom. 1. de Pœnit. D. 5. quæſt. 6. ſect. 5. num. 6. & Molfeſius in ſumm. tract. 1. c. 3. num. 68.

Bonac. Molfeſius.

3 Iſtæ pœnę nō incurruntur ipſo facto. Notandum tamen, quod Neutra pœna Videlicet depoſitionis, & perpetuæ recluſionis incurritur ipſo facto ante ſententiam Iudicis, quia ex nullo fundamēto conſtat aliquam pœnam ex illis ipſo facto incurri, niſi prius declaretur à Iudice incurriſſe.

4 Aliæ perſonę præter confeſſarium pœnis arbitrarijs ſunt puniēdę. Aliæ verò perſonæ diſtinctæ à confeſſario, quas etiam ad ſigillum confeſſionis obligatas eſſe diximus, non puniendæ ſunt dictis pœnis à Canone taxatis, vt ex dictis iuribus conſtat, ſed alijs pœnis mitioribus arbitrarijs; Nam in fractione ſigilli, non ità grauiter peccant alij, ſicut confeſſarius, quamuis multò grauius, quàm ſi ſolum frangeret ſecretum naturale, ſiuè iuſtitiæ naturalis; Ità Suarez de Pœnitent. tom. 4. D. 33. ſect. 8. Coninch. de Sacramentis; D 9. num. 70 Io. Præpoſit. in 3. p. quæſt. 11. de ſigillo D. 4. num. 39. Onuphr. Opuſc. de ſigillo ſect. 5. q. 2. Ochagauia de Sacramentis D. 12. de Pœnit. Dffic. 14. & alij communiter.

Suar. Io. Præpoſit. Onuphrius. Ochaguuia.

5 Quomodo hoc crimen probari poſſit. Quæritur tandem; Quomodo confeſſarius ſigilli violator conuinci poſſit à Iudice de hoc delicto perpetrato?

Reſpondetur breuiter: Poſſe primò conſtare per ipſius confeſſarij dictum, alioquin alijs coniecturis vtendum eſt, & interdum ſufficere poſſunt plures teſtes, quamuis non ſint conteſtes propter naturam delicti, circa quod vix poſſunt plures conteſtes, & eiuſdem actus inueniri.

6 Quando confeſſarius negat, quid faciendum. Non poteſt certa regula perſcribi, ſed remittitur ad Iudicium Iudicis. Quod ſi confeſſarius dicat, ſe habuiſſe licentiam à pœnitente ad reuelandum peccatum, & pœnitens id neget; In hoc negotio non poteſt certa regula aſſignari, ſed ex qualitate peccati, & eiuſdem circumſtantijs perſonarum, & publicatione delicti præſumptio eſt deſumenda, iuxta arbitrium iudicis, & indiciorum, quæ poſſunt conijci ex interrogatione iuridica, & alijs circumſtantijs, & ſignis, iuxta prudentis Iudicis rationem: Ità Ochagauia, & Onuphrius locis ſupra citatis, & Diaz in Practica Inquiſitorum c. 109. Fagund. de precept. Eccl. p. 2. lib. 6. c. 7. n. 10. & alij: Et hæc de ſigillo confeſſionis dicta ſufficiant.

Ochagauia. Onuphrius. Diaz. Fagund.

TRA-

TRACTATVS XXVI.

De Sacramentis.

Et de Caſibus reſeruatis.

Tract. IX.

PROOEMIVM.

Præcedentiũ tractatuum epilogatio.

EXplicatis, ac declaratis, quæ neceſſaria erant pro ſufficienti notitia Sacramenti Pœnitentiæ: Diximus enim de ipſa Pœnitentia in communi, deindè de partibus, tam remotis, quam etiam propinquis, quæ in actibus ipſius pœnitentis conſiſtunt: Inſuper de forma partis, quæ eſt Sacramentalis abſolutio à miniſtro Sacramenti debita cum intentione prolata; & ideò de ipſo miniſtro confeſſionis, qui ad poteſtatem Ordinis, ac iuriſdictionis, tam ordinariam, quam delegatam; ac tandem de ſigillo confeſſionis, quæ eſt ipſius miniſtri obligatio inuiolabiliter obſeruanda: Opere pretium eſt, vt etiam de caſibus reſeruatis, quæ nobis neceſſaria ſunt dicamus, in quibus caſibus, ſiuè peccatis abſoluendis non omnes confeſſarij ordinarij habent poteſtatem abſoluendi delegatam, ſed ipſi Prælati, qui dictos caſus ſibi reſeruauerunt: & ideò ne confeſſarius mittat falcem ſuam in meſſem alienam in præiudicium conſcientiæ ſuæ, ac pœnitentium: de ipſis accuratè eſt dicendum in his tribus ſequentibus tractatibus: In quorum primo agemus de ipſis: Primò in communi: Secundò de caſibus, qui ſunt tantummodò Summo Pontifici reſeruatis, & Tertiò de caſibus Epiſcopalibus: & Quartò tandem diſcutienda ſunt aliqua dubia, tam pro legitima reſeruatione facienda, quam pro ipſorum abſolutione obtinenda: In alijs tandem duobus vltimis tractatibus agemus de caſibus reſeruatis pro Regularibus iuxta formam Decreti Clementis Papæ VIII.

Introductio nonus tractatus.

Diuiſio tractatus.

DE CASIBVS RESERVATIS in communi.

CAP. I.

I Etymologia nominis caſus.

PRiuſquam Oceanum huius difficillimè materiæ ingrediamur opere pretium eſt, primò Etymologiam nominis explicare: Quid nomen caſus ſibi vendicet: Vndè ſciendum eſt, quod Caſus dicitur à cadendo, & propriè idem eſt, ac ruina: quapropter caſus in præſenti accipitur pro peccato, quo quis à rectitudine virtutis cadit, & dicitur: *Reſeruatus*, quia tollitur, & minuitur abſoluendi facultas ei, qui illam actu, ſiuè habitu habebat, vel habere poterat per delegationem factam, vel faciendam ab ipſo Prælato, eò, quod non omnes Sacerdotes expoſiti, & deputati habent poteſtatem delegatam abſoluendi omnia peccata, ſed tantum ſecundum delegationem conceſſam à ſuo ſuperiore delegante, qui poteſt talem facultatem aliquandò coarctare, & limitare, pro vt in Domino videbitur expedire pro ſalute ſuarum ouium: Nam de fide determinatum eſt per Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. & Can. 11. *In Dei Eccleſia militante poteſtatem eſſe reſeruandi aliqua peccata grauiora à ſuperioribus iudicibus tantummodò abſoluenda.*

Caſus reſeruatus, quid ſit. Delegatio abſoluendi à peccatis procedit à delegante.

Poteſtas reſeruandi caſus in Eccleſia eſt de fide. Concil. Trid.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

2 Quod etiam ratione probatur: In Miniſtro Sacramenti neceſſaria eſt iuriſdictio, ſaltem delegata; Hæc autem delegatio emanat à ſuperioribus Eccleſiæ Prælatis ad inferiores miniſtros, & ideò poteſt iuxta illorum arbitrium eſſe magis, vel minus limitata, & coarctata, ſecundum voluntatem ipſius delegantis: ideòque &c.

Ratio concluſionis.

3 Hæc autem reſeruatio caſuum conueniens multum eſt ad Animarum curam, & Eccleſia per traditionem ab ipſis Apoſtolis accepit, quod: Grauiſſima, & atrociora crimina ſuperioribus Pontificibus, & Prælatis maioribus, qui Sanctitate, & doctrina cæteris præcedere ſolent reſeruentur: melius enim, & accuratius graues illas contagiones medebuntur ij, quibus gregem Chriſti ſpecialiter eſt commiſſum, & iniungendo illis pœnitentiam ſalutarem à recidiuo præſeruabuntur, ne impoſterum facilè corrumpantur, & acriori metu correcti homines à talibus ſceleribus arceantur.

Ratio, & conuenentia reſeruandi caſus.

4 Quapropter concludendo dicimus, quod dicere: Prælatos non poſſe, aut non debere aliqua peccata ſibi pro abſolutione reſeruare eſſe condemnatum per Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. Can. 11. Ità Coninch. D. 11. nu. 78. Suarez D. 27. ſectione 1. Filliuc. tom. 1. tract. 7. c. 10. nu. 267. & Bonac. de Pœnit. tom. 1. D. 5. q. 7. p. 5. & alij communiter.

Concluſio de fide. Concil. Trid. Coninch. Suarez. Filliuc. Bonac.

5 Vndè ex his, quæ dicta ſunt infertur, Prima concluſio: Ille, qui ordinariam poteſtatem, & iuriſdictionem habet in hoc foro poteſt ſibi reſeruare abſolutionem aliquarum culparum, reſpectu omnium inferiorum, etiam habentium ordinariam poteſtatem, & hoc non tantum ſibi, ſed etiam alijs: Poteſt enim Superior Prælatus coarctare inferioris iuriſdictionem, ſibique caſus aliquos reſeruare: & Ratio huius eſt, quia etiam inter ipſos Ordinarios Paſtores eſt ſubordinatio in hoc foro, quæ ad bonum regimen in omni iudicio eſt neceſſaria: Ità omnes Theologi communiter.

Aſſertio 1. Qui habent ordinariã poteſtatem poſſunt ſibi reſeruare caſus.

6 Ex quo ſequitur primò: Poſſe Summum Pontificem reſeruare ſibi caſus reſpectu omnium fidelium, ſiuè ſint Epiſcopi, ſiuè quicumque alij Prælati, quod conſtat ex ſuprema poteſtate Summi Pontificis: Omnis enim iuriſdictio, quæ eſt in Eccleſia, tam Ordinaria, quam delegata emanat à Summo Pontifice, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè, ergò ipſe Summus Pontifex habet poteſtatem extendendi, vel illam limitandi, pro vt ipſe expediri iudicauerit: Clarum enim eſt poteſtatem ordinariam, ipſi ex Diuino Iure conuenire: vt ex Trident. ſeſſ. 14. capit. 7. conſtat: Ideòque poteſt reſeruare ſibi aliqua crimina, aliaque alijs committere: pro vt ipſe in Domino expediri iudicauerit.

Summus Pontifex reſeruare poteſt caſus reſpectu omnium.

Concil. Trid.

7 Secundò ſequitur: Epiſcopum pro tota ſua Diœceſi, poſſe ſibi reſeruare caſus, reſpectu ſuorum ſubditorum, etiam habentium Ordinariam poteſtatem, vt ſunt Parochi, & Archipresbyteri: Ratio enim, ſiuè congruentia hoc poſtulat, quia ipſi etiam ſunt ſub ordinario Prælato, ad quem maximè pertinet Animarum cura, & ideò oportuit, vt haberet poteſtatem pro ſuis ouibus: Ideòque poſſunt ſibi aliquos caſus reſeruare, alioſque alijs committere, quibus ipſi voluerint, ſed hoc ad ædificationem, & non ad deſtructionem, vt infrà dicetur.

Epiſcopus pro tota ſua Diœceſi etiã reſpectu Parochorum.

8 Verùm eſt tamen, quod ſi ſuperior aliquandò illicitè, & ſine cauſa reſeruationem faceret, teneret quidem reſeruatio facta, quamuis ſuperior contra Charitatem peccaret: Vndè ſequitur: Abſolutionem datam, ab inferiori de talibus reſeruatis, abſque facultate inualidam eſſe, & nullius valoris, cuius ratio eſt, quia cum inferior iuriſdictionem accipiat à

Reſeruatio illicita tenet. Abſolutio à reſeruatis, abſque facultate eſt ipſo iure nulla.

Digitized by Google

ſuperiore, ideò non poteſt validè abſoluere abſque iuriſdictione, quare ſequitur Inferiorem Sacerdotem non poſſe validè abſoluere, poſita reſeruatione: eò quod ſuperior per reſeruationem coarctat facultatem inferioris abſoluendi ab illis: Ità Coninch. D. 11. num. 78. Suar. D. 29. ſect. 4. & Filliuc. to. 1. tract. 7. ca. 10. q. 3. nu. 280.

Coninch. Suar. Filliuc.

9 Parochi An poſſint reſeruare caſus pro ſua Parochia?

Tertiò ſequitur Parochum poſſe de iure communi reſeruare ſibi aliquos caſus in tota ſua Parochia, cùm Parochus ſit ordinarius Paſtor in ſua Parochia, & ideò delegat iuriſdictionem ſuam confeſſarijs pro ſuis ouibus; Delegans autem habet ius reſeruandi aliquos caſus pro ſuis ouibus, ſi velit, pro vt docent Maior in 4. D. 17. q. 5. & Suar. D. 19. ſect. 1. n. 4.

Maior. Suar.

10 Non eſt in vſu, nec expediens.

Verum eſt tamen: Hoc non eſſe in vſu, quia, vel non audent tanta vti auctoritate, cùm ipſi Parochi ſint ſubditi ſuorum Epiſcoporum, vel Ordinariè non expedit, quia tam idonei cenſentur coadiutores, ſicut ipſi: De rigore autem poſſent, niſi ab Epiſcopis impediantur, ideòque non eſt communi vſu receptum, vt reſeruatio caſuum fiat à Parochis.

De rigore autē poſſent.

11 Prælati Regulariũ poſſunt ſibi reſeruare caſus.

Quartò ſequitur: Alios, qui in Eccleſia habent ordinariam iuriſdictionem ſimilem, ſeù proportionatam Epiſcopali, ſeù Parochiali poſſe etiam reſeruare caſus aliquos eadem proportione, & auctoritate, quam habent, pro vt communiter fit in Religionibus Regularium, de quibus poſteà dicemus.

12 Quæſtio 3. An omnia peccata mortalia poſſint reſeruari à Prælatis?

Secundò quæritur: An prædictos Paſtores ſola peccata, quæ habent excommunicationem annexam reſeruare poſſe, & ſolùm quò ad cenſuram, vel etiam quò ad culpam: & ideò per ſecundam concluſionem.

13 Reſolutio. Peccata etiã ſine cenſura validè reſeruare poſſunt. Conc. Trid.

Reſpondetur dicendo: Tam Summum Pōtificem, quàm etiam cæteros Paſtores, de quibus ſupra locuti ſumus poſſe non ſolùm cenſuras, verum etiam culpas reſeruare, & non tantùm ſi habeant cenſuram, verùm etiam, ſi non habeant: Hæc concluſio eſt ſatis vera, & clarè patet ex rationibus ſupradictis; & præcipuè per Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. Vbi apertè loquitur de reſeruatione culparum, & præſertim quò ad illa, quibus excommunicationis cenſura eſt annexa, & in Extra; Inter cunctas de priuileg. ita aſſeritur: Vbi numerantur varij caſus, in quibus nulla cenſura eſt annexa: De facto autem ad præſens: Nullum peccatũ inuenitur Summo Pontifici reſeruatum, quod non habeat cenſuram annexam: pro vt communiter aſſerunt omnes Canoniſtæ, cùm neque in toto corpore Iuris Canonici, neque in Bullis Pontificijs nunc talis reſeruatio reperiatur.

Extra, Inter cunctas.

Ad præſens omnes caſus Papæ reſeruati ſunt cũ excommunicatione.

14 An reſeruatio Papæ cadat ſolum in cenſuram? Reſolutio. Non ſolum cadit in cenſuras, ſed etiã in culpas. Suar. Nauarr. Caiet.

Quæritur ergò: An talis reſeruatio Caſuum Papalium cadat immediatè in culpam, An ſolùm in cenſuram?

Reſpon. Per reſeruationes Pontificias, etiam culpas ipſas in ſe reſeruari, & hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum in 4. D. 17. quam ſequitur Suar. tom. 4. de Pœnit. D. 29. ſect. 2. nu. 8. Quamuis non negamus illud, quod aiunt Nauarr. in Man. c. 27. nu. 261. & Caiet. in ſumm. V. caſus cum alijs. dicentibus; Omnia peccata habentia cenſuram annexam Papæ reſeruatam poſt abſolutionem eius legitimam ſimplicem Parochum, ſiuè confeſſarium abſoluere poſſe, quia per abſolutionem cenſuræ deſinit eſſe culpa illius cenſuræ reſeruata.

15 Abſoluta tamen cenſura non remanet amplius culpa reſeruata. Armilla.

Hoc autem non eſt, quia culpa etiam non ſit reſeruata, ſed quia, ſublata cenſura, vel facultate conceſſa, ad eam abſoluendam, præſupponitur etiam eſſe conceſſa facultas ad abſoluendum à culpa: Vel ſicut Armilla V. caſus ait, quia ſemel iam fuit iudicatum ante tribunal, cui erat reſeruatum crimen: Vndè ſequitur, quod quandò in Bullis conceditur facultas abſoluendi à caſibus Papalibus, conceditur etiam facultas abſoluendi à Cenſuris Papæ reſeruatis: quia (vt aiunt D. Ant. 2. p. tit. 17. & Armilla cum Nauarr. loc. ſupra cit.) Nullus hodie eſt caſus Papæ reſeruatus, cui non ſit annexa aliqua cenſura.

D. Anton. Armilla. Nauarr.

16 Epiſcopus concedens caſus, non concedit cenſuras.

E contrario autem, quandò Epiſcopus concedit caſus ſuos, ſibi reſeruatos, & nihil aliud dicit, aut quandò in Bullis, vel gratijs dicitur, quod fideles poſſint ſibi eligere confeſſarium, qui illos poſſint abſoluere à caſibus reſeruatis, & non additur etiam cenſuris; propter hoc non conceditur facultas abſoluendi etiam ab excommunicationibus reſeruatis, & commutandi vota, & diſpenſandi ſuper irregularitates: Et ratio huius eſt, quia hæc ſunt diuerſarum generum: (Niſi aliter de mente concedentis clarè cōſtet.) Nam à diuerſis non fit illatio: L. Papinianus ff. de Minor. & cap. ad Audientiam de Decimis; & ità omnes Canoniſtæ docent in V. caſus: Niſi Epiſcopus, ſiuè Prælatus, concedens facultatem expreſſè dicat; Concedimus totam noſtram facultatem: Tunc enim ab omnibus cenſetur eſſe conceſſa facultas abſoluendi.

Neque commutandi vota à diuerſis nõ fit illatio. L. Papinian. C. ad Audientiam.

Niſi dicat concedo totã facultatem meam.

Quartò quæritur: An omnia, & ſola peccata mortalia reſeruentur, vel etiam reſeruari poſſint?

17 Quæſtio 4. An omnia peccata reſeruari poſſint? Reſolutio eſt affirmatiua. Aſſignatur ratio. Caiet. Soto. Suar. Ledeſm.

Reſpondetur loquendo de rigore non deeſſe poteſtatem in Prælatis Ordinarijs reſeruandi omnia peccata mortalia, tam externa, quàm etiam interna, quamuis hoc non ſit expediens, neque in vſu habeatur: Et ratio huius eſt, quia peccatorum abſolutio ex delegatione procedit, & dependet ab ipſis Ordinarijs Paſtoribus, quæ ſecundùm magis, & minus delegari poteſt, pro vt melius expedire ipſis videbitur: Ità Caietan. 2. 2. quæſt. 11. A. 3. Soto in 4. D. 18. quæſt. 2. A. 5. Suar. D. 29. ſect. 3. Ledeſm. 2. 4. p. q. 8. A. 2. d. 10. & alij.

18 Non eſt tamen expediens, neque in vſu.

Verum eſt tamen: Non eſſe expediens, neque eſſe vſu receptum, vt peccata interna, & omnia peccata mortalia indifferenter reſeruentur à ſuperioribus, ſed tantummodo aliqua peccata grauiora pro Paſtorum arbitrio, non ad deſtructionem, & confuſionem, ſed ad ædificationem, & ſalutem Animarum reſeruentur: pro vt docuit Concil. Trid. ſeſſ. 14. capit. 7. Ideò inquirendum eſt: Quænam peccata de facto reſeruata ſint, quod tam de Summo Pontifice, quam de Epiſcopis inquiri poteſt: Nam de Parochis (vt diximus) non eſt in vſu, quod aliqua peccata ab illis reſeruentur, & ideò nihil eſt, quod de illis dicamus, cuius loco de Regularibus in ſequentibus tractatibus dicemus.

Niſi aliqua grauiora. Concil. Trid.

DE CASIBVS SVMMO PONTIFICI Reſeruatis.

CAP. II.

1 Ad præſens nullus caſus eſt reſeruatus Papæ niſi ratione cenſuræ.

QVò ad caſus Summo Pontifici reſeruatos, parum, aut nihil eſſet dicendum, cùm ſecundùm ordinarium ius Summi Pontifices nullum ſibi ſpecialiter reſeruari ſoleant peccatum, niſi ratione cenſuræ, pro vt notauit Nauarr. in Manu. cap. 27. num. 261. Et quò ad præſens nullum Crimen apparet reſeruatum Papæ, cui non ſit annexa aliqua cenſura, de quibus in materia de Cenſuris eſt dicendum in ſecunda parte noſtræ Theologiæ moralis.

2 Excommunicationes reſeruatæ in Bulla Cœnæ.

Nihilominus tamen breuiter dicimus, Omnes excommunicationes illas, quæ quolibet anno à Pontifice renouantur Feria V. in Cœna Domini eſſe ipſi ſoli reſeruatas, à quibus nulli vnquam abſoluere licèt, niſi pœnitens eſſet in manifeſto mortis periculo, quæ omnes excommunicationes ſunt numero 20. vt apparet

Sunt nu. 20.

Sorbo. Suar.

apparet in Bulla Sixti V. in qua vſque ad præſens nihil eſt innouatum pro vt refert Sorbus in compendio, & Suar. to. 5. de Cenſur. D. 21. ſect. 2. Quæ omnes ſunt inſraſcriptæ.

1. Excommunicatio contra Hæreticos.

3 Primò; Excommunicantur Omnes Hæretici, cuiuſcumque ſectæ eorumque fautores, legentes eorum libros, imprimentes, & quomodolibet defendentes, omneſque ſchiſmatici.

2. Contra appellantes ad futurū Concilium.

Secundò: Excommunicantur omnes à Romano Pontifice ad futurum Concilium appellantes.

3. Contra Piratas.

Tertiò: Excommunicantur Piratæ, eorumque receptores, atque fautores.

4. Contra accipientes bona naufragantium.

Quartò: Excommunicantur omnes ij, qui ſurripiūt bona Chriſtianorum naufragantium, licèt talia bona in littore inueniantur.

5. Cōtra imponentes noua pedagia.

Quintò: Excommunicantur; Imponentes noua pedagia, ſeù Gabellas, vel augentes, ſeù imponi, aut augeri prohibita exigunt.

6. contra falſificantes litteras Apoſtolicas.

Sexto: Excommunicantur; Falſificantes litteras Apoſtolicas, aut ſupplicationes ſignatas à quocumque authoritate habente.

7. Cōtra deferētes arma ad infideles.

Septimò excommunicantur; Deferentes arma, aut alia vſui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios inimicos Chriſtiani nominis.

8. Cōtra impedientes victualia Romæ.

Octauò excommunicantur; Qui impediunt, & inuadunt portantes victualia, & alia neceſſaria ad vrbem Romanam.

9. Contra lædentes venientes Romam.

Nonò excommunicantur: Qui ſua, aut aliorum opera lædunt venientes ad Sedem Apoſtolicam, vel ab ea recedentes.

10. Contra lædentes Peregrinos, & Romipetas.

Decimò excommunicantur; Qui læſerint Romipetas, & Peregrinos ad Vrbem accedentes, & in ea cōmorantes, & ab ipſa recedentes, & qui eis dant auxilium, conſilium, & fauorem.

11. Contra nocētes Cardinales.

Vndecimò excommunicantur; Qui nocuerint S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis, eoſque ab eorum Diœceſi eiecerint, eorumque fautores.

12. Contra impedientes, veniētes Romam.

Duodecimò excommunicantur: Qui lædunt eos, vel impediunt eos, qui ad Romanam Curiam in negotijs ſuis recurrunt, vel per ſe, vel per alios.

13. Contra appellantes, contra litteras Apoſtolicas.

Tertiodecimò excommunicantur: Qui appellant à grauamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum ad laicam poteſtatem.

14. Contra impedientes executiones litterarum Apoſtolicarum.

Quartodecimò excommunicantur: Quicumque executionem litterarum Apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent.

15. Contra Iudices ſeculares vſurpātes iuriſdictionem Eccleſiaſticam.

Quintodecimò excommunicantur Iudices ſæculares, qui trahunt ad ſua Tribunalia perſonas Eccleſiaſticas: Quique tollunt, aut perturbant Eccleſiaſticam libertatem.

16. Contra impedientes Prælatos, &c.

Sextodecimò excommunicantur: Qui impediunt Prælatos, omneſque alios Iudices Eccleſiaſticos Ordinarios, ne in ſua iuriſdictione vtantur. Quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes ad Cancellarias recurrunt.

17. Contra vſurpantes, iuriſdictionē Eccleſiæ.

Decimoſeptimò excommunicantur; Vſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum iuriſdictionem, vel fructus etiam ſequeſtrantes.

18. Contra Imponentes decimas.

Decimooctauò excommunicantur; Imponentes decimas & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Monaſterijs, aut Confraternitatibus, aut eorum fructibus.

19. Contra Iudices, qui recognoſcūt Clericos.

Decimononò excommunicantur iudices ſeculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminibus contra Eccleſiaſticas perſonas.

20. Contra occupantes bona Eccleſiæ.

Vigeſimò excommunicantur; Occupantes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ, & in illis ſupremam iuriſdictionem vſurpantes.

4 Quæ omnes excommunicationes Papales reſeruatæ pleniſſimè explicantur a Suarez d. tomo quinto de Cenſur. à quibus cenſuris nullus Sacerdos, neque Epiſcopus poteſt abſoluere neminem, niſi eſſet in mortis articulo conſtitutus, Nec etiam tunc, niſi deſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo iurauerint, cautione praſtita abſolui poſſit: Quod ſi forte aliquis contra tenorem præſentium tali excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere, & de facto præſumpſerint excommunicationis ſententiam ipſi, ipſo facto incurrunt, vt dicetur plenius in proprio loco in 2. p. Theol. Moral.

Excommunicationes iſtas nullus poteſt abſoluere, niſi Summus Pontifex, &c.

Abſoluentes ab iſtis, excommunicationem incurrunt.

Bulla Cœnæ quolibet anno renouatur.

Ignorantia iuris in hoc non excuſat.

5 At quoniam diuerſi Summi Pontifices præcedentes ſub diuerſis formis fecerunt ſupra dictum proceſſum, ſeu Bullam, quæ appellatur, In Cœna Domini, & ſimiliter credendum eſt, quod facient ſaciliter ſucceſſores eorum: Ideo oportet ſemper inquirere quolibet anno; Vtrum aliquod fuerit innouatum per Pōtificem præcedentem: Nam aliàs fortè ex ignorantia iuris, quæ neminem excuſat mittant ſalcem in meſſem alienam, abſoluendo pœnitentes, à quibus non habent facultatem, & ſic incederent in excommunicationem Papalem, & pœnas in dicto proceſſu contentas, vt videre eſt in dicta Bulla.

Nauarr.

D. Anton.

Curati tenentur dictam Bullam quolibet anno publicare.

6 Verum eſt tamen, quod talis excommunicatio, in quam incidit confeſſarius abſoluens non eſt reſeruata Papæ, vt benè notauit, & aduertit Nauarr. in Man. c. vigeſimo ſ primo, numero 37. pro vt colligitur ex Bulla Martini V. quam refert D. Anton. tertia parte, tit. 14. ca. 70. Idcirco que omnes confeſſarij, etiam Regularium tenentur habere apud ſe tranſumptum huius Bullæ: Curati verò tenentur dictam Bullam quotannis populo nunciare ſub pœna peccati mortiferi, pro vt ex eadem Bulla colligitur: Legite Sorbū in compend. priuileg. Capuccini adnotatio. verb. Excommunicatio, pagina 240. Et nos in ſecundo tomo plenius explicabimus.

Bulla Cœnæ debet eſſe affixa in quolibet Conuentu.

7 Notandum autem, quod Pius V. conceſſit patribus Ieſuitis, quod ſatisfacerent, ſi in ſingulis collegijs, vel Domibus eorum vnicum haberent exemplar dictæ Bullæ, & quod in eo loco affigeretur, in quo omnes confeſſarij legere illud poſſent, vt habetur in Compendio eorum priuilegiorum; ver. Bulla Cœnæ §. primo; Et ità per communicationem priuilegiorum: Sufficit, quod dicta Bulla ſit affixa in loco publico, vt poſſit ibi legi ab omnibus Regularibus eiuſdem Conuentus, & ità excuſantur à peccato mortali. Et hæc breuiter dicta ſufficiant de Bulla Cœnæ plura dicenda ſunt in proprio loco, in ſecunda parte noſtræ Theologiæ moralis, in Tractatu de excommunicationibus reſeruatis.

Excommunicatio es Summo Pōtifici reſeruatæ in iure ſunt, nu. 70.

Nauarr. Sorbo. Candel. Aur.

8 Præter excommunicationes ſupra enumeratas in Bulla Cœnæ inueniuntur etiam aliæ excommunicationes in iure Summo Pontifici reſeruatæ, à quibus etiam nulli licet abſoluere, abſque Pontificis facultate, quæ omnes inſertæ ſunt in libro Decretorum Gratiani, & in Decretalibus, & in Extrauagantibus, & Clementinis, in ſexto Decretalium; Si quis autem de his ſpecialiter notitiam habere voluerit legat Nauar. in Man. cap. 27. à num. 35; vſque ad 111. & Sorbum in compend. vet. Excommunicatio, Viualdum in Candel. Aur. d. verb. Excommunicatio: Vbi ſeptuag. excommunicationes numerantur in iure Summo Pōtifici reſeruatæ, quæ à nobis hic breuitatis cauſa non inſeruntur, cùm non ſit præſentis materiæ iſta ſpeculatio; Sed in tractatu de Cenſuris, quæ neceſſaria erunt explicabuntur in ſecunda par. noſtræ Theolog. Moral.

De votorum commutatione.

9 Circa autem votorum, & iuramentorum diſpenſationem, & commutationem, licèt non propriè hoc in loco tractentur, vt benè aduertit Nauarr. d. ca. 27. num.

Digitized by Google

num.262. quia hic non agitur de omni actu pertinente ad Papam, ſed ſolùm circa culparum reſeruationẽ: Tamen quia confeſſarijs neceſſaria eſt iſta notitia, ne ipſi in foueam cadant; Nam abſoluendo, ſiuè commutando vota, abſque facultate, mortaliter peccant, cum extendant manum ſuam ad ea, quæ non poſſunt, & ideò in caſu mẽdacium pernicioſum committerent, cum commutando oſtendant, ſe habere facultatem hanc, cum non habeant, & ità pœnitentem decipiunt, exiſtimantem commutationem voti facti eſſe validam, & hoc cum præiudicio auctoritatis Pontificis, vel Epiſcopi, quorum auctoritas propria eſt commutandi dicta vota, ſic etiam committent peccatum furti, & ſacrilegij, auferendo per diſpenſationem, ſiuè commutationem cultum, & rem Eccleſiæ debitam, applicando alteri ſine Pontificis auctoritate: pro vt benè dicit Graff. lib. de Reſeru. lib. 2. c. 43. num. 13.

Votum abſoluens ſine facultate peccat mortaliter.

Votorum commutatio eſt auctoritas Pontificis.

Graff.

10 Quapropter breuiter nonnulla de votorum commutatione dicam. Ideò primò ſciendum eſt: Summum Pontificem tantùm poſſe diſpenſare in votis perpetuæ Caſtitatis, & continentiæ annexo Ordini Sacro, & in votis caſtitatis perpetuæ, tam ſimplicibus, quàm ſolemnibus, in quibus non poteſt aliquis diſpenſare niſi Summus Pontifex, eſt communis ſententia omnium ferè Theologorum.

Vota SSmo Pontifici reſeruata, quæ? Votum caſtitatis, & Religionis.

11 Quamuis ſint aliqui Doctores exiſtimantes, & dicentes: In voto ſolemni Caſtitatis, neque Summum Pontificem poſſe diſpenſare: eò quod ſit de iure Diuino, in quo non poteſt Papa diſpenſare: Ita Sylu. & Tabien. in ver. Diſpenſatio § 7. num. 8. Verum eſt tamen, quod etiam in tali voto Caſtitatis ſolemni de plenitudine poteſtatis poteſt aliquandò Summus Pontifex diſpenſare: Hoc tamen paſſim non eſt faciendum, niſi in aliqua vrgente neceſſitate propter aliquod bonum commune: pro vt omnes communiter tenent.

Papa an diſpenſare poſſit votum ſolemne caſtitatis? Syueſt. Tabiena Vera reſolutio.

12 Sic etiam ſolus Papa diſpenſat in voto peregrinationis in terram Sanctam Ieruſalem, quod appellatur vltramarinum, vt habetur in cap. Ex multa, de voto: Item votum eundi Romam, vel ad ſanctum Iacobum de Compoſtellis, quod dicitur de Galitia: & votum peregrinationis ad Sanctam Mariam Lauretanã ex Greg. XIII. non enim in iſtis votis poteſt aliquis diſpenſare, niſi Summus Pontifex, vel per ſpecialem facultatem à Papa conceſſam.

Alia vota reſeruata Papæ.

13 Notandum tamen (vt ait Gloſſa in d.c. Ex multa, de voto) quod quando votum eſt factum ſine cauſa, vel cauſa deuotionis ſimpliciter, & ſine vtilitate illius loci, puta, quia vouens non promiſit aliquod portare, vel facere, ſiuè offerre in dictis locis: Tunc Epiſcopus poteſt diſpenſare ſecundùm dictam Gloſſam: Quamuis communis ſententia, & opinio Summiſtarum contrarium teneat, pro vt notauit Tabien. verb. Diſpenſatio §. 9. num. 11.

Quãdò Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis reſeruatis Papæ. Tabien.

14 Exceptis itaque votis ſupradictis omnia alia vota; vt peregrinationis, ieiunij, eleemoſynæ, caſtitatis ad tempus, & cæterorum huiuſmodi, eorum diſpenſatio pertinet ad Epiſcopum, vel ad habentes iura Epiſcopalia, vt ſunt Abbates, & Superiores Religionum, quò ad ſuos ſubditos: pro vt docet Gloſſa in c. 2. ver. reſeruata de Pœnit. & Remiſſ. in 6. & eſt communis ſententia omnium Doctorum.

Vota, in quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt.

15 Itaque confeſſarij ſimplices non poſſunt ſe intromittere ad commutanda vota, ſeu diſpenſanda, cùm hoc ſit munus Prælatorum, niſi pœnitens habeat priuilegium Bullæ Cruciatæ, ſiuè per Iubilæum. In melius autem, ſiuè in æquale poteſt ſimplex confeſſarius facere commutationem: vt ſi quis vouit dicere Roſarium, ſiuè Coronam; poteſt commutare in officium paruum B. Virg. vel quid ſimile, vt colligitur ex c. Peruenit de iure iurando.

Vota in melius, ſiuè in æquale commutari poſſunt à confeſſario.

16 Quapropter vota omnia in ſæculo emiſſa ceſſant per ſolemnem profeſſionem Religionis, quia euidenter commutantur in rem meliorem cap. Scripturæ de Voto: Sic etiam per ingreſſum Religionis omnes pœnitentiæ extinguuntur: Vt notauit Gloſſa in Can. Admonere 32. qu. 4. Similiter etiam vota minima, quorum tranſgreſſio non eſſet mortalis. Vt dicere Pater noſter ſingulis diebus: Nam de minimis non videtur curare lex, ſic docet Graff. de Caſibus reſeru. cap. 43. de voto, nu. 29. § 8.

Vota omnia extinguntur per ſolemnẽ profeſſionẽ. Can. Admonere.

Vota minima non obligant ad mortale. Graff.

17 Notandum eſt tamen, quod confeſſarij mendicantium, per Prælatos ſuos debitè præſentati, & ab Ordinario loci legitimè approbati poſſunt in foro conſcientiæ pœnitentibus ſuis omnia vota, quæ Epiſcopi poſſunt in alijs pijs operibus commutare: Et hoc per conceſſionem Papæ Sixti IV. Patribus Minimis conceſſam: Vt apparet in compend. priuileg. Sorbi ver. Abſolutio, quò ad ſæculares, numero vigeſimo. Et ex Bulla Pauli III. Patribus Ieſuitis, in qua eis cõceditur in foro conſcientiæ, vt poſſint omnia vota ſuorum pœnitentium in pijs operibus commutare, exceptis de Religione, Caſtitatis perpetuæ, vltramarini, Romæ, Lauretæ, & Sancti Iacobi de Galitia, in quibus ſolus Papa diſpenſat, pro vt notauit Collector priuileg. in Compend. Capuccini adnotatio, In reſolut. Materiæ abſolutionis: Et hæc de votorum commutatione, quò ad reſeruata, pro nunc breuiter dicta ſufficiant, plura eſſent dicenda, quæ loco ſuo in materia de Votis, ſi Deus dabit plenius dicentur in tertia parte noſtræ Theolog. Moral.

Confeſſarij mendicantiũ habent conceſſionẽ commutandi vota non reſeruata Papæ. Sixtus IV.

Paulus III.

Compend. priuileg.

18 Similiter etiam dicimus: Tantùm Summum Pontificem diſpenſare poſſe in multis irregularitatibus: Vt quandò quis permiſit ſe pluries Baptizari, vel eundem Ordinem ſacrum reiterauit, vel ſi non adhuc ordinatus Ordinem Sacrum exercuit, aut ſi excommunicatus, ſiuè ſuſpenſus celebrauit, vel ſacrum Ordinem ſuſcepit: In huiuſmodi enim irregularitatibus ex ordinario iure ſolus Papa diſpenſat, vt eſt communis ſententia.

Irregularitates Summo Pontifici reſeruatæ, quæ.

19 Notandum tamen, quod Trident. Concil. ſeſſ. 24. cap. 6. conceſſit Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, vt poſſint per ſe ipſos, aut per Vicarium ad id ſpecialiter deputatum diſpenſare poſſe in foro conſcientiæ, in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, quamuis occultiſſimo, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, & in quibuſcumque occultis, etiam Sede Apoſtolica reſeruatis in foro tantùm conſcientiæ gratis diſpenſare valeant, Pœnitentia ſalutari impoſita.

Concil. Trid. Epiſcopi poſſunt diſpenſare in irregularitatibus occultis. Excepto homicidio voluntario.

20 Hæc etiam facultas Deindè fuit conceſſa Miniſtris Generalibus, & Prouincialibus Regularium, & illis, quibus ipſi permiſerint, & commiſerint, vt poſſint abſoluere fratres, & Sorores moniales ſuæ obedientiæ ab omni vinculo excommunicationis, & quibuſcumque alijs cenſuris, & peccatis, & diſpenſare in foro conſcientiæ in irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto prouenientibus, exceptis illis deductis ad forum contentioſum, omnem in illis inhabilitatis infamiæ maculam purgare, & abſoluere, & in quibuſcumque occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, & in quibus Epiſcopi poſſunt cum ſuis ouibus vigore Triden. Concil. exceptis dumtaxat contentis in Bulla Cœnæ, antequam obtineatur facultas pro illis, quæ quolibet anno impetranda eſt à Reuerendo Patre Procuratore Ordinis ex priuilegiorum confirmatione vt habetur ex priuilegio Pij V. Ordini Fratrum Prædicatorum conceſſo, & refertur à Sorbo in com-

Hæc facultas conceſſa eſt Prælatis Regularium pro ſuis ſubditis.

Pius V. Compend. priuil.

compend. in reſol. matrim. abſolutionis Capuc. adnotatio.

21 In homicid. occulto poſſunt diſpenſare Prouinciales in foro conſcientiæ. Compend. priuil.

Notandum eſt etiam, quod ipſi ſuperiores Religionum ex conceſſione Martini V. vt ex priuilegijs Monachorum D. Benedicti habetur, & refertur in compend. ver. Abſolutio, quò ad fratres, §. 40. poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in omni irregularitate, etiam in illis, in quibus Papa ſibi reſeruauit vicem, vt in homicidio, & membrorum truncatione, & enormis ſanguinis effuſione (dummodò tamen aliquod horum non ſit notorium, & hoc propter ſcandalum.)

22 Extenſio cõceſſionis de homicidio.

Et quamuis hæc conceſſio fuerit conceſſa Priori, ſiuè Abbati S. Benedicti VallisOleti, poſteà tamen extenſa, & communicata fuit omnibus Abbatibus, & Prioribus aliorum Monaſteriorum, vt habetur in dictione, *Communicatio priuilegiorum* §. 34. pro vt refert Pater Hieron. à Sorbo, loc. cit.

23 Homicidium fortuitum diſpenſatur à Prouincialibus.

Imò Sixtus V. poſteà dedit facultatem Generalibus Fratrum Minorũ, ac etiam Prouincialibus, quod in homicidio fortuito, & non voluntario, non ſolùm in foro conſcientiæ, verùm etiam in foro exteriori poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, pro vt refertur à Sorbo in compend. loc. cit.

24 Prouinciales plus poſſunt diſpenſare, quam Epiſcopi, & quare?

Vndè ex dictis conſtat plus poſſe diſpenſare Prouinciales Regularium cum ſuis ſubditis, quam Epiſcopos cum ſuis ouibus: Nam Prælati Regularium in foro conſcientiæ poſſunt diſpenſare, etiam in irregularitate homicidij occulti, etiam voluntarii, quod Epiſcopis per Concil. Trid. non eſt conceſſum: Et ratio huius conceſſionis eſt, quia Regulares non poſſunt ità facilè ire Romam pro diſpenſatione in irregularitate occulta, ſine eorum nota, & ideò ſpecialiter hoc illis conceſſum eſt.

25 In corporibus vitiatis ſolus Papa diſpenſat. Panormit. Nauarr. Concluſio breuis de irregularitatibus.

In irregularitatibus autem ex defectu corporis prouenientibus ſolus Papa diſpenſat: Secundùm ſententiam Innocentij in C. Significauit de corporibus vitiatis: Et ibi Panormitan. numer. ſecundo Nauarr. in Manu. cap. 27. numero 200. & alii. Quapropter breuiter concludendo dicimus, quod: In corporibus vitiatis, ſi vitium, ſiuè defectum ſit impediens executionem Ordinis, ſicut in monoculis, nare, vel digito, vel alio membro carentibus, vel notabilem deformitatem generantibus, & in Bigamia, & homicidio voluntario, atque in alijs irregularitatibus ſupra notatis, quæ ad forum contentioſum ſunt deductæ, vel ſunt publicæ, & notoriæ. Solus Papa poteſt diſpenſare.

26 De Energumenis. De morbo caduco. De illegitimis. Nauarr. Graff.

Similiter, & cum Energumenis, ideſt, à Dæmonibus obſeſſis, & cum illis, qui patiuntur, vel ſemel paſſi ſunt Epilentiam, ſiuè morbum caducum, & cum illegitimis, & ſpuriis Epiſcopi diſpenſare non poſſunt, ſed tantùm Summus Pontifex, pro vt docent Nauar. in Man. cap. 27. num. 203. Graff. de Caſibus reſeru. lib. 2, cap. 17. num. 13.

27 Illegitimi quomodò purgantur.

Notandum tamen, quod irregularitas illa, quæ eſt ex defectu Natiuitatis procedit, tollitur per ingreſſum, & profeſſionem Religionis: Ità ſtatutum fuit in cap. primo de filiis Presbyterorum: Secundò tollitur etiam per legitimationem Canonum, vt probauit Suar. tom. 5. de cenſ. D. 50. ſect. 5. num. 7. Tertiò tollitur per morum probitatem: ſed iſta ad diſpenſationem pertinet, ſiuè ad Religionis ingreſſum reducitur: Et hæc de caſibus Pontificiis. Plura dicentur in Materia de Cenſuris loco ſuo, in ſecundo tomo noſtræ Theolog. Moral.

DE CASIBVS EPISCOPO *reſeruatis.*

CAP. III.

1 Caſus Epiſcopales, tripliciter fieri poſſunt.

Circa caſuum reſeruationem Epiſcoporum dicimus breuiter: Tripliciter fieri poſſe: Vel per ius commune, vel per conſuetudinem, vel per propria ſtatuta, & conſtitutiones Synodales, ſiuè Prouinciales factas ab Epiſcopo loci illius, de quibus eſt dicendum.

Primus modus eſt in iure canonico. Sex caſus in iure Epiſcopis reſeruati. Extra. ſuper Cathedram.

Primus itàque modus eſt: Talis reſeruatio fieri ſolet per ius commune, id eſt, quandò in iure eſt aliquis caſus ſolùm Epiſcopis per Decreta Pontificia reſeruatus, & ità à Doctoribus quinque, aut ſex caſus in iure reſeruati enumerari ſolent, quorum abſolutio Epiſcopis tantùm eſt reſeruata, pro vt colligitur ex Extrauag. ſuper Cathedram de Sepulturis.

2 Primus caſus eſt irregularitas. Syluest.

Primus itàque caſus eſt peccatum Clerici, quod irregularitatem habet annexam, ſecundùm Syluest. in verb. Caſus q. 3. qui dicit: Non ſolùm diſpenſationem ſuper irregularitatem, ſed etiam peccatum illi annexum eſſe Epiſcopo in iure reſeruatum.

3 Solum intelligitur de diſpenſatione, non de culpa. Nauarr. Angel. Caiet. Suar.

Verum tamen eſt, quod ſolùm diſpenſatio irregularitatis pertinet ad Epiſcopum, vel Papam; culpa autem abſolui poteſt à quolibet confeſſario antequã ab irregularitate ab Epiſcopo diſpenſetur: Ità Nauarr. in Man. cap. 27. num. 262. Angelus in verb. Caſus. & Caietan. ver. Irregularitas, & Suarez de Pœnit. tomo 4. D. 29. ſect. 4. num. 8. aliique quos ipſe refert contra Sylueſtrum.

4 Secundus caſus eſt de incẽdiarijs doloſis. C. Peſſimam. Nauarr. Sylueſt. Armil.

Secundus caſus eſt: De Incendiarijs etiam ante denuntiationem, 23. quæſt. 8. can. Peſſimam: Sed hoc intelligendum eſt de incendiarijs doloſis, & de mandantibus hoc fieri, ſeu dantibus conſilium, vel auxilium, ſecundùm Nauarr. d. capit. 27. numer. 262. Sylu. in ver. Caſus, quæſt. tertia, Armilla, nu. 6. alioſque Summiſtas.

5 Limitatio. Suar.

Suarez autem dicit, quod caſus iſte ex vi illius textus non videtur eſſe reſeruatus, ſed tantùm eſſe quoddam præceptum, vt talis incendiarius non abſoluatur, niſi tali pœnitentia impoſita, in qua Epiſcopus diſpenſare non poteſt: Nihilominus Nauarr. dicit: Caſum hunc ex communi opinione, & vſu eſſe receptum, quod abſolutio ipſius ſemper, & vbique reſeruata ſit Epiſcopis: Quod, ſi ità erit (ait Suar.) reſeruatus erit potius ex conſuetudinis vi, quàm iuris. At ſi ſemel excommunicatio ab homine feratur cõtra incendiarios ratione illius, ſtatim abſolutio illius excommunicationis manet reſeruata Papæ ex capite: Ex tua nos: de ſentent. excommunicationis.

Nauarr. Potius videtur reſeruatus ex cõſuetudine. c. Ex tua nos.

6 Tertius caſus eſt pœnitentia ſolemnis. Limitatio.

Tertius caſus, eſt graue peccatum, per quod imponenda eſt pœnitentia ſolemnis, quæ ob ſolùm peccatum graue, & ſcandaloſum imponitur, iuxta can. Finale 26. quæſtio. 6. ſed talis pœnitentia hodiè non eſt amplius in vſu, quia iam ſublata eſt talis conſuetudo, vt omnes Doctores fatentur, & ideo talis reſeruatio non eſt niſi in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ.

7 Quartus caſus eſt blaſphemia publica. C. Statuimus. Limitatio. Suar. Nauarr.

Quartus caſus eſt: Abſolutio blaſphemiæ publicæ, & notoriæ in capite ſtatuimus de Maledicis: Tamen, vt benè aduertit Suarez ſupra, num. 10. ibi ſolum eſt ſermo de Pœnitentia, quæ iniungenda eſt in foro exteriori contra blaſphemantes, quod etiam Nauar. videtur innuere, quia ibi tantùm præcipitur confeſſarijs, vt ab hoc peccato non abſoluant, niſi ſeuera pœnitentia impoſita, ſupponitur ergò, ſecundùm ius commune poſſe confeſſarios abſoluere peccatum

blaſphe-

blaſphemiæ in foro conſcientiæ, ſed ſi tale crimen cõmuniter inuenitur eſſe reſeruatum, hoc eſt per propria ſtatuta Synodalia, vel per conſuetudinem aliquorum locorum.

8 Quintus caſus eſt diſpẽſatio votorũ. Limitatio.

Quintus caſus eſt: Diſpenſatio votorum, & iuramentorum; At ſecundum rei veritatem talis diſpenſatio non eſt numeranda inter caſus, cùm tantùm diſpenſatio pertineat ad Epiſcopos, vel Papa, peccata autem tranſgreſſionum, niſi ſint ſpecialiter reſeruata ſimplex quilibet confeſſarius abſoluere poteſt: Ita Suarez. d.D.29. ſectio.3. numer.6. & Nauarr.d.capit. 27. num.263. (Suar. Nauarr.)

9 Sextus caſus. Eſt excõmunicatio maior reſeruata. Limitatio.

Sextus caſus eſt, quandò peccatum aliquod excõmunicationem maiorem annexam habet (vt omnes ferè Summiſtæ aſſerunt) ſed hoc eſt intelligendum, quandò talis excommunicatio per ſe eſt Papæ reſeruata, & in aliquo particulari caſu committitur Epiſcopo in iure: E.gr. vt ſæpè fit in excommunicatione Canonis: *Si quis ſuadente Diabolo percuſſerit Clericum*, quæ excommunicatio, licèt quandò eſt grauis, & notoria ſit reſeruata Papæ, quandò tamen eſt leuis percuſſionis abſolutio committitur Epiſcopo, vt in Cap. Peruenit de ſentent. Excommun. habetur: Similiter etiam in Capit. Mulieres eodem titulo contra Mulieres cuiuſcumque conditionis Clericos percutientes; quia Mulieres non poſſunt ire ad Papam, talis abſolutio commiſſa eſt Epiſcopo: Non enim Mulieres poſſunt ire Romam ſine magno incommodo, & periculo. (c. Peruenit. c. Mulieres.)

10 Excõmunicationes Papales occultæ commiſſæ ſunt epiſcopis. per Concil. Trid.

Similiter etiam in Concil. Trident. ſeſſ. 24. capit.6. committitur Epiſcopis abſolutio de caſibus occultis Papæ reſeruatis: Vel vt etiam ait Innocentius IV. in cap. Quamuis de ſenten. excommunic. Quotieſcumque pœnitentes Epiſcopi arbitrio ad Sedem Apoſtolicam adire non poſſunt; tunc ipſe Epiſcopus huiuſmodi excommunicatos abſoluere poteſt, & præcipuè in omnibus illis caſibus, quos Nauarr. in manu. cap. 27. à num. 88. vſque ad 221. explicauit, qui ibi videri poſſunt, & ſic concluditur, pro vt notauit Suar. ſuprà potius: Illam eſſe delegationem à iure factam, quam reſeruationem. (c. Quamuis. Nauarr. cap. 27. num 88. Suar.)

11 Excõmunicationes non omnes ſunt reſeruatæ. c. Nuper.

At verò quandò excommunicatio maior ſimpliciter fertur in iure, nulla reſeruatio eſt Epiſcopis, ſed quilibet Parochus, ſiuè alius illi in iuriſdictionem æqualis poteſt, & à culpa, & à tali excommunicatione abſoluere, iuxta Cap. Nuper de ſenten. excommunic. in 6.

12 Collectio, Suar. & Nauarri.

Ex quibus patet: In his caſibus in iure, vnum, aut alterum tantum eſſe vſu receptum, vt notauit Nauar. d. capit. 27. numero 262. Immò Pater Suar. ait: Ex ſolo iure communi, & ſecluſa conſuetudine, nullum peccatum reſeruatum eſſe Epiſcopis in iure præter diſpenſationem votorum, Iuramentorum, & Irregularitatum.

13 Aliæ tres excommunicationes reſeruatæ ſecundum aliquos Doctores. Candel. Aur. c. Monachi. c. Nuper. c. Si Concubinæ.

Tres autem aliæ excommunicationes per Synodalia, vel Prouincialia decreta Epiſcopis enumerantur à Vnaldo in Candel. Aur. & ab alijs Doctoribus, quæ ſunt ſequentes, quarum prima eſt illa Innocentij in cap. Monachi de ſentent. excommunic. in ſexto: Quandò excommunicatio Papalis, cuius abſolutio ob aliquod impedimentum iuſtum committitur Epiſcopo, de qua dictum eſt ſupra in ſexto caſu. Secunda eſt in cap. Nuper, & in cap. Si concubinæ eodem titulo contra ſcientes participantes cum excommunicato nominatim ab Epiſcopo in crimine, ob quod eſt excommunicatus, ſi illius excommunicationis abſolutionem prius Epiſcopus reſeruauerit: Et tertia, quandò aliquis abſolutus à Sede Apoſtolica, aut Nũtio, præcipientibus, vt ſe præſentet Ordinario, aut alijs Iudicibus ad exequendum eorum iuſſa, vel ad ſatisfaciendum læſis, ſiuè alijs, ob quos fuit excommunicatus non faciendo id, quod commodè fieri poterat.

14 De abſolutione neſcita cum obligatione repræſentandi ſub pœna reincidentiæ. c. Eos qui. In rei veritate nullus caſus in iure eſt Epiſcopis reſeruatus.

Similiter etiam quandò, quis abſolutus à ſimplici Sacerdote ab excommunicatione reſeruata in periculo mortis, cum onere ſe præſentandi ſi ſuperuixerit, & non ſe repræſentet in eamdem iterum cadit excommunicationem reſeruatam, vt colligitur ex capite Eos, qui de ſentent. excommun. in 6. Et hæc de caſibus reſeruatis Epiſcopis ſecundùm iura, ſi qui ſunt in vſu, Nam in rei veritate nullus ad præſens de rigore in iure eſt illis reſeruatus: Et ideò de ſecundo, & tertio modo reſeruandi caſus Epiſcopales eſt dicendum.

15 De ſecundo modo per cõſuetudinem.

Secundus ergò modus reſeruandi caſus Epiſcopales eſt per conſuetudinem: At quia conſuetudo iſta varia eſt, & diuerſa in pluribus Diœceſibus, & potius pertinet ad factum, quam ad Theoricam; Ideò certa Regula de iſtis dari non poteſt; Et ratio huius eſt, quia ſunt varij caſus per conſuetudinem Epiſcopis reſeruati, ſecundùm quod, quidam plures quidam pauciores reſeruare conſueuerunt.

16 Quinque caſus de cõſuetudine enumerantur reſeruati. Peccatũ homicidij conſummati. D. Anton. Syluest. Armilla.

Nihilominus per quandam conſuetudinem generalem, aut quaſi generalem; Quinque caſus de conſuetudine à Doctoribus enumerantur, vt elicitur ex Gloſſa in Extrauag. Inter cunctas de priuilegijs, quorum primus eſſe ſolet: Peccatum homicidij conſummati, aut realis membri abſciſſionis: Nam mentalis, ſiuè verbalis etiam perueniens ad percuſſionem non comprehenditur ſecundum D. Anton. 3. p. titul. 17. cap.11. in fin. Sylu. ver. Caſus, quæſt.4. Armilla, nu.6. & alios.

17 Secundus peccatũ falſariorum.

Secundus caſus eſt Falſariorum, ſiuè falſificantium ſcripturas, atque dantium teſtimonium falſum, ſiuè tacentium veritatem coram iudice competente: & comprehenduntur etiam peccata commiſſa à Notarijs, Aduocatis, & Procuratoribus, oſtendendo ſcripturas partibus aduerſis, ſecundum Nauar. in manu. cap.27. nu.262. & Armilla, vbi ſupra. (Nauarr. Armilla.)

18 Tertius violatio Eccleſiaſticæ libertatis. Et Eccleſiæ Immunitatis.

Tertius caſus eſt violatio Eccleſiaſticæ libertatis, quæ hodiè per proceſſus Curiæ in Bulla Cœnæ tales ſunt excommunicati, quorum abſolutio pertinet ad Papam: Similiter etiam dicimus de Violantibus Eccleſiaſticam Immunitatem, quales ſunt illi, qui proximum offendunt in perſona, aut in rebus in loco ſacro, ſed huiuſmodi caſus hodie pertinent ad Papam.

19 Quartus veneficia Incantationes, & Sortilegia. Syluest. Armilla. Can. Conſtituimus.

Quartus caſus eſt Veneficiorum, Sortilegiorum, & Incantationum, & huiuſmodi talia committentes ſunt infames, & à teſtimonio, & accuſatione repelluntur, pro vt dicunt Syluest. & Armilla in ver. caſus, & habetur in ſacris Canonibus: Can. conſtituimus, 3. qu.5. & contra huiuſmodi crimina perpetrantes poſſunt etiam procedere Illuſtriſſimi Inquiſitores ſanctæ Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem, quia ſapiunt hæreſim.

20 Quintus peccatum ſacrilegij.

Quintus caſus eſt peccatum quodcumque ſacrilegij, quod, vt plurimum, videtur eſſe reſeruatum Epiſcopis ſecundùm conſuetudinem Epiſcopatuum, ſed tales non ſunt ipſo facto excommunicati, ſed ſunt excommunicandi, vt colligitur ex cap. Si quis 17. quæſt.4. Ità Syluest. in ver. Caſus, quæſt.4. Armilla numer.6. & Nauarr. loco citat. qui dicunt peccatum ſacrilegij eſſe Epiſcopis reſeruatum ex conſuetudine: At quoniam talis conſuetudo non eſt vniuerſalis in tota Eccleſia, ſed in quibuſdam Diœceſibus, ideò cõſulenda eſt conſuetudo, in qualibet Diœceſi, & ſecundùm talem conſuetudinem faciendum eſt iudiciũ: pro vt notauit Suarez, to.4. de Pœniten. D. vigeſima nona ſect.3. num.10. (Can. Si quis. Syluest. Armilla. Nauarr. Conſuetudo varia eſſe poteſt. Suar.)

21 Quidam autem Doctores enumerant alios caſus, qui

Digitized by Google

Alij caſus de cõſuetudine reſeruati. Peccatũ blaſphemiæ publicæ. Matrimoniũ Clandeſtinũ. Vſura manifeſta. Solicitatio ad turpia in confeſſione. Fractio ſigilli cõfeſſionis. Sodomia. Beſtialitas. Inceſtus in 1. & 2. gradu. Cautum abortus.

qui ſunt dubij, & ſecundùm conſuetudinem Prouinciarum, & Diœceſum, non autem ſunt vniuerſales: videlicet Blaſphemia publica, Matrimonium Clandeſtinum, aut contra interdictum Eccleſiæ contractum, vſura manifeſta: Sollicitatio ad turpia in ſacramentali confeſſione, ſiuè in loco ad id deputato: Fractio ſigilli confeſſionis; Sodomia, ſiuè peccatum contra naturam: Beſtialitas. Inceſtum in primo, vel ſecundo gradu: Procuratio auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtus effectu conſecuto, & cætera huiuſmodi, quæ potius ad Statutum pertinet, quam ad vniuerſalem cõſuetudinem totius Eccleſiæ; Ideòque nihil de ipſis poſſumus affirmare, cùm vnuſquiſque Epiſcopatus, quædam ex his criminibus, quædam ex alijs reſeruari ſoleant.

22 De tertio modo reſeruãdi per ſtatuta. C. Vtinam. Nauarr.

Tertius modus reſeruandi caſus eſt per ſtatuta particularia Epiſcoporum, de quibus nihil ſpecialiter dicere poſſumus: quia pendent ex facto, & in varijs Diœceſibus ſunt varij, ideòque de illis vniuerſalis, & certa ratio dari non poteſt, quia quælibet Diœceſis abundat in ſenſu ſuo, cap. Vtinam, D. 36. Nauar. cap. 27. num. 236. Quàpropter in ſingulis Diœceſibus conſulendæ ſunt conſtitutiones Synodales.

23 Confeſſarij tenentur habere notitiã caſuum reſeruatorum vbi confeſſiones audiunt.

Sacerdotes igitur, tam Curati, quàm alij non priuilegiati conentur habere caſus ab Epiſcopo reſeruatos in cuius Diœceſi admiſſi ſunt ad confeſſiones audiendas, & ſecundùm taxationem eius faciant, & in dubijs ſecuriorem partem teneant: Caueant igitur confeſſarii, ne ab illis, quæ non poſſunt abſoluant, & ſciant, quæ & quantum poſſint, aliter enim non ſolùm nihil facient, abſoluendo ab illis, quæ non poſſunt, verùm etiam à culpa mortali excuſari non poſſunt: legite Armillam in ver. Caſus, & Suarez, cum alijs loco ſup. cit.

Armilla. Suar.

24 Aduertentia pro Epiſcopis.

Hoc autem obiter aduerto, quod Epiſcopi ipſi licèt de poteſtate ordinaria poſſint, quos voluerint caſus reſeruare, ſi tamen abſque rationabili cauſa multa peccata ſibi indifferenter reſeruent grauiter peccarent, eò quod potius ruinam, & confuſionem, quã ſalutem ouibus ſuis generarent: Ideòque per ſacram Congregationem Cardinalium admonentur Epiſcopi, vt caſuum reſeruatio magna cum conſideratione, & matura diſcuſſione fiat, adhibitis aliquibus pietate atque doctrina prudentibus viris: Illique denique reſeruandi ſunt, quos conſideratis diligenter, cuiuſque Prouinciæ moribus, ac natura, ac propenſione magis in Domino expediri eis videbitur ad retinendam diſciplinam in ædificationem, non autem in deſtructionem; Quàpropter, reſecata multitudine, reſeruent ſibi quam pauciſſimos caſus, eoſque maximos neceſſarios.

Congregatio Cardinaliũ.

25 Epiſcopi debent conſtituere pœnitẽtiarios cõfeſſarios.

Vltimò monentur Ordinarii, vt per totam ſuam Diœceſim, ac præſertim in illis locis à Ciuitate, & Cathedrali ſede remotis Pœnitentiarios, alioſque Sacerdotes conſtituant, quibus concedatur facultas abſoluendi caſus reſeruatos, quandò huiuſmodi confeſſarius ſibi debere committi iudicauerit, maximè in ſolemnitatibus præcipuis: Hæc omnia habentur per litteras Sacræ Congregationis, quæ refert Iacobus de Graffijs lib. de caſibus reſeru. c. 3. quod ex Triden. ſeſſ. 24. c. 8. colligitur.

Congregat. Cardinal. Graffius. Concil. Trid.

26 Confeſſarij Regularium, quam facultatem habẽt.

Sacerdotes autem mendicantium à ſuis Prælatis debitè præſentati, & ab Ordinariis approbati, atque ad confeſſiones ſæcularium audiendas admiſſi, per diuerſas conceſſiones à Pontificibus conceſſas, quæ omnes à Sorbo in compendio Priuileg. V. Abſolutio, quò ad ſæculares referuntur; poſſunt in illa Diœceſi, in qua ſunt approbati audire confeſſiones omnium ad ſe venientium, eoſque à cenſuris, propter peccata contractis abſoluere, ac in illis, ſi opus fuerit diſpenſare, & in omnibus aliis Eccleſiaſticis cenſuris exceptis nominatim excommunicatis, niſi parti læſæ ſatisfecerint, & exceptis caſibus à iure communi Epiſcopi reſeruatis, & cenſuris Papalibus.

Item poſſunt diſpenſare, & commutare in foro conſcientiæ omnia vota, quæ Epiſcopi poſſunt in alijs pijs operibus, exceptis illis quinque votis Papæ reſeruatis: Item poſſunt diſpenſare in Iuramentis eiuſdem materiæ, ac etiam de licentia ſuorum Prælatorum Prouincialium, poſſunt etiam cum inceſtuoſis diſpenſare cauſa copulæ carnalis mariti cum conſanguinea vxoris, & vxoris cum ſanguineo mariti intra quartum gradum, ac etiam cum illis, qui facto voto caſtitatis ſimplicis, deindè matrimonium contraxerunt, vt poſſint petere debitum matrimoniale: Vide Sorbum in Compend. V. Abſolutio, quò ad ſæculares in reſolut. matrim. Capuccini adnotatio in fine pag. mihi 64.

27 Commutatio votorum, & Iuramentorum.

Diſpenſare cum inceſtuoſis intra 4. gradum ad petendum actum coniugale.

Compend. Priuileg. Sorbi.

28 Aduertentia. Reuocatio priuilegiorũ Regularium facta à ſacra Congregat.

Aduertendum autem, quod die 9. menſis Ianuarij anno 1601. Sacra Congregatio Cardinalium de mandato Papæ Clementis VIII. & iterum die 26. Nouembris 1602. facta altera declaratione de mandato eiuſdem Pontificis præpoſita negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, iuſtis, & grauioribus cauſis id exigẽtibus prohibuit abſolutionem à caſibus infraſcriptis, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs: Vndè eadem Sacra Congregatio cum litteris authenticis declarauit.

20 Decretum ſacræ Cõgregationis.

Sanctiſſimus Dominus noſter: Clemens Papa VIII. derogando omnia priuilegia ampliſſimè prohibet quibuſcumque confeſſarijs ſæcularibus, & Regularibus, ne vigore ipſorum priuilegiorum abſoluant pœnitentes ſuos à cenſuris in Bulla Cœnæ clarè, vel obſcurè, aut dubiè contentis, necnon, & ab infraſcriptis Vid.

Quinque caſus reſeruati per ſacram Congregationem.

Violationis Immunitatis Eccleſiæ in terminis conſtitutionis Greg. XIII.

Prouocantium, & Pugnantium in duello in terminis Conc. Trid. & conſtitutionis Gregorij XIII.

Iniicientium manus violentas in Clericos, iuxta Canonem: Si quis ſuadente Diabolo 17. q. 4. ac iuris diſpoſitionem: Simoniæ realis ſcienter contractæ, & confidentiæ beneficialis.

30 Declaratur prohibitio dicti Decreti. In iſtis quinque caſibus reuocatur conceſſio. Concil. Trid. Graff. Summa Bullarij Quarã. Graff.

De iſtis ergò ſolus Papa abſoluere poteſt, quamuis ſint occulti, & etiam per hoc Decretum intelligitur reuocata facultas, facta Epiſcopis de occultis per Concilium Triden. ſeſſ. 24. cap. 6. vt apparet per declarationem Cardinalium factam circa hoc decretũ, quo derogantur omnia priuilegia, pro vt notauit Graffius de caſibus reſeru. libro primo cap. 5. num. 17. Quæ quidem declaratio Cardinalium regiſtrata eſt in Summa Bullarii Stephani Quarantæ in V. Caſus reſeruati pag. mihi 141. De quibus quinque caſibus ſupradictis alibi, ſi Deus dederit, fuſiùs à nobis eſt dicendum: pro nunc legite Graffium, qui de hoc copiosè tractat loc. cit. à c. 5. vſque ad 9. incluſiuè.

31 Declaratio prohibitionis ſupra dictæ.

Inſuper etiam per dictum Decretum Clementis VIII. prohibetur facultas confeſſariis quomodocumque priuilegiatis, ne deinceps abſoluant ab omnibus caſibus, quos locorum Ordinariis ſibi hactenus reſeruauerunt, aut reſeruabunt, etiam in caſu neceſſitatis, aut impedimenti, Niſi in articulo mortis, vel obtineant nouam facultatem ſpecialem à Sede Apoſtolica, vel ab Ordinariis.

32 Concluſio ſupradictorum.

Itaque ex dictis concludendo dicimus, quod confeſſarii Regularium, vel Sæcularium à prædictis tantùm abſoluere non poſſunt: In alijs autem caſibus illi, qui habent priuilegia poterunt, iuxta priuilegia, & facultates abſoluere, dummodò ante Decretũ talia priuilegia vſu recepta, vel non reuocata fuerint: Qui autem non habent, nihil de nouo eis conceditur.

Qua-

33 Epilogatio breuis.

Quàpropter prædicti confeſſarii Regularium non poſſunt amplius abſoluere ſæculares à caſibus Epiſcopo reſeruatis, vel neque in omnibus reſeruatis, ſecundùm declarationem prædictam Congregationis Cardinalium, niſi ſpeciali habita ad hoc facultate, Neque etiam vllo modo à Caſibus Bullæ Cœnæ, nec nominatim excommunicatos, neque poſſunt diſpenſare in votis Summo Pontifici reſeruatis, neque vti priuilegijs infra annum publicationis Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi anni Sancti, niſi pœnitentes habeant Bullam Cruciatæ, iuxta facultatem, quæ in dicta Bulla conceditur.

DE ABSOLVTIONE A Caſibus Reſeruatis.

CAP. IV.

1 1. Dubitatio, Quis poteſt directè abſoluere à reſeruatis? Reſolutio.

PRo huius tractatus pleniori notitia opere pretium eſt diſcutere nonnulla dubia circa abſolutionem caſuum reſeruatorum, Quæritur itaque Primò; Quis poſſit directè abſoluere pœnitentes à caſibus reſeruatis?

Reſpond. primò. Illum, qui fecit reſeruationem caſuum, ſiuè alium ſuperiorem illius Prælati in hoc furo poſſe liberè, & directè à talibus reſeruatis abſoluere. (*Dixi ſuperiorem in hoc foro*) quia non ſatis eſt, vt ſit ſuperior dignitate, vt eſt Archiepiſcopus, Patriarcha, ſed debet eſſe ſuperior in hoc foro pœnitentiali: Quapropter non poteſt Archiepiſcopus abſoluere ſubditum Epiſcopi, etiam ſuffraganei, quia non habet immediatam iuriſdictionem in Diœceſibus ſuffragantorum in hoc foro, niſi fortaſſe, quandò actu viſitat illas; ſiuè ſit legatus à Summo Pontifice, tunc enim in caſu habet iuriſdictionem in hoc foro, & tunc poteſt abſoluere omnes pœnitentes talis Diœceſis, etiam à reſeruatis.

Archiepiſcopus abſoluere nõ poteſt ſubditos ſuffraganeorũ. Niſi ſit in actu viſitæ.

2 Confeſſarij ſimplices nõ poſſunt abſoluere à reſeruatis.

Similiter etiam dicimus de confeſſarijs delegatis ab huiuſmodi ſuperioribus, ſi talibus ab ijſdem ſuperioribus delegetur facultas abſoluendi, etiam à reſeruatis, ſecus autem eſſet, ſi ſimpliciter detur facultas audiendi confeſſiones, quia tunc non intelligitur de caſibus reſeruatis: niſi expreſsè concedatur; *Nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veróſimiliter conceſſurus*: C. ſi Epiſcopus de Pœnit. & Remiſſ. in 6. Itá Suarez de Pœniten. tomo 4. D. 30. ſectio. 1. Filliuc. tom. 1. de Confeſſione tract. 7. cap. 10. qu. 4. num. 281.

In generali conceſſione non veniunt ea, &c. C. ſi Epiſcopus. Suar. Filliuc.

3 2. Dubitatio. De Peregrinis.

Quæritur 2. An Peregrinus iter agens per Diœceſim alterius Epiſcopi poſſit abſolui à caſibus reſeruatis ſuo Epiſcopo?

Reſpondetur, Affirmatiuè ſecundùm probabiliorem opinionem: Nam eò ipſo, quod talis iter agit per alienam Diœceſim fit Incola illius Diœceſis, & ideò poteſt confiteri peccata ſua in tali Diœceſi, & non tenentur confeſſarii vnius Diœceſis ſcire caſus reſeruatos alterius Diœceſis: Vndè tam confeſſarii deputati, quam etiam Epiſcopus illius Diœceſis, per quam peregrinus pertrãſit poſſunt liberè abſoluere dictum peregrinum ab omnibus peccatis. quia talis pœnitens iudicandus eſt, vt incola illius Diœceſis, & iuxta forum eius: Itá Nauarr. in manu. cap. 27. nu. 261. Caiet. in ſumm. V. Abſolutio 2. Palud. in 4. D. 17. queſt. 3. D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 4. Suarez loc. cit. & Filliuc. d. tr. 7. cap. 10. nu. 283.

Incola, & peregrinus in quocumque loco poteſt abſolui.

Nauarr. Caiet. Palud. D. Anton. Suar. Filliuc.

4 Incola, & peregrinus iudicandus eſt ſecundùm locum, in quo reperitur, quò ad reſeruata. Filliuc. Suar.

Secus autem, ſi tale peccatum eſſet reſeruatum in illa Diœceſi, in qua peregrinus confitetur: Tunc enim non poſſet abſolui ab illis ſacerdotibus admiſſis ad confeſſiones audiendas in tali Diœceſi, quamuis peccatum tale non eſſet reſeruatum in Diœceſi illius peregrini, quia pœnitens quilibet iudicandus eſt ſecundùm Diœceſim, in qua confitetur, & abſoluitur: Itá Filliuc. cum Suarez loc. ſup. cit.

5 Limitatur niſi malitioſè hoc faciat.

Si verò talis peregrinus ad declinandum iudicium pergeret in alienam Diœceſim, tunc non poſſet abſolui à confeſſariis illius Diœceſis, cum talis non ſit verè peregrinus, & non habeat facultatem à ſuo Epiſcopo peregrinandi, cum ob nullum negotium iter agat: ſed ſi confiteatur confeſſariis Regularium, qui habent priuilegium audiendi confeſſiones quorumcumque ad ſe venientium, poterit à talibus liberè abſolui: Nam reſpectu priuilegiatorum talis vtitur iure ſuo, cum Ipſi priuilegiati tale priuilegium habeant à Papa, qui eſt ſuperior omnium Epiſcoporum: Itá Filliuc. ſupra nu. 285. & Suar. ſupra nu. 6.

Regulares poſſunt audire confeſſiones omniũ ad ſe venientium. Filliuc. Suar.

6 Dubitatio 3. De Abſolutione indirecta.

Quæritur 3. An in aliquo caſu poſſit inferior Sacerdos abſoluere pœnitentem à caſibus reſeruatis directè, vel indirectè?

Confeſſor inferior nõ poteſt directè abſoluere à reſeruatis.

Reſpond. Nullum inferiorem confeſſarium poſſe directè abſoluere pœnitentes à caſibus ſuperiori reſeruatis, niſi aliquo iure, aut priuilegio conſtet, ſe talem facultatem habere, ſiuè per Bullam Cruciatæ, ſiuè per Iubilæum, ſiuè per quodcumque aliud priuilegium, conceſſum, & non derogatum: Nam licet cõfeſſarii Regularium habuiſſent priuilegia Summorum Pontificum abſoluendi à quibuſdam reſeruatis ab Epiſcopis, ad præſens tamen huiuſmodi priuilegia fuerunt derogata per Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium de mandato ſpeciali Clementis VIII. prohibentis, ne vllo prætextu priuilegiorum abſoluãt à Caſibus Bullæ Cœnæ, vt ſupra iam notauimus. niſi in mortis articulo, quo tempore Sacerdotes omnes quicumque ſint illi poſſunt abſoluere omnes in tali periculo exiſtentes ab omnibus, & quibuſcumque reſeruatis, nõ ſolùm indirectè, ſed etiam directè, cùm in tali articulo mortis nulla ſit reſeruatio vt patet per Concil. Triden. ſeſſ. 24. cap. 7. Vbi dicitur: *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in mortis articulo*: Itá Suar. D. 30. ſect. 3. nu. 2. Filliuc. tra. 7. cap. 10. q. 6. n. 290.

Reuocatio priuilegiorũ Regularium circa reſeruata. In mortis articulo nulla eſt reſeruatio.

Concil. Trid. Suar. Filliuc.

7 Dubitatio. An ſuperior debeat concedere facultatem ſubdito petenti? Superior in hoc debet eſſe facilis Niſi conſcientia aliud dictauerit.

Quæritur 4. An ſuperior debeat concedere facultatem ſubdito petenti, vel per ſe, vel per alium, vt poſſit abſolui à reſeruatis?

Reſpond. regulariter loquendo ſuperiorem in hoc debere potius eſſe facilem, quàm difficilem in tali facultate cõcedenda. ne occaſionem daret omnibus ſuis, aut dilatandi confeſſionem, aut reticendi peccatum in Animarum ruinam, & ideò debet ſuperior ex debito ſui muneris, & ratione Charitatis concedere huiuſmodi facultatem. quandò tamen non interueniat aliqua cauſa ſpecialis, compellens conſcientiam ipſius ſuperioris, ad denegandam talem facultatem.

D. Thom. Superior, qui in hoc ſe reddit difficilem, peccat.

Quapropter (ait D. Thom. in 4. D. 17. quæſt. 3. A. 3. quæſt. 4. ad 6. & opuſc. 19.) Peccare ſuperiorem, qui in hoc ſe præbet difficilem: Multi enim ſunt adeò infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quã tale peccatum commiſſum ſuperiori ſuo confiteri; Vndè ſuperiores, qui in hoc ſunt ſoliciti, vt mores ſubditorum per confeſſionem ſciant multis laqueum damnationis iniiciunt: ac etiam ſibi ipſi contra charitatem peccantes laqueum parant: Itá Soto in 4. D. 18. Ar. 5. Ledeſm. 2. p. 4. quæſt. 7. A. 5. Victoria in ſumm. num. 146. Nauar. in C. Placuit de Pœnit. D. 5. nu. 119. & nu. 151. Sylu. V. confeſſor. 1. Angel. V. confeſſio, 3. nu. 31. Armilla nu. 35. Suar. tom. 4. D. 30. ſect. 4. n. 3. & Filliuc. d. tract. 7. c. 10. nu. 299.

Soto. Ledeſme. Victoria. Nauarr. Sylu. Angel. Armilla. Suar. Filliuc.

8 Poterit aliquando ſuperior taxare pœnitentias ſecretas pro aliquibus reſeruatis.

Poterit tamen ſuperior aliquandò concedere facultatem abſoluendi à reſeruatis cum onere, vt talis imponatur pœnitentia, ſecreta tamen, quandò ita in

Domino

Digitized by Google

C. Latorem. Decretū Clement. VIII.

Domino ſuperior iudicauerit expediri, pro vt colligitur ex C. Latorem 33. q. 2. & habetur ex Decreto Clementis VIII. de caſib. reſeru. pro Regular. Vbi dicitur: *Licere ſuperioribus determinare aliquas pœnitentias particulares pro aliquibus grauioribus peccatis, tam reſeruatis, quam etiam non reſeruatis imponendas à confeſſarijs pœnitentibus.*

9 Hoc paſſim non eſt faciēdum niſi cum prudentia.

Verùm tamen eſt, hoc paſſim fieri non debere, niſi maxima cum maturitate, & prudentia, quandò ità in Domino pro pœnitentium ſalute videbitur expediri, ne retardarentur homines à Confeſſione: Nam quandò ſuperior confidit de prudentia Sacerdotis, cui committitur facultas abſoluendi caſum non eſt taxanda pœnitentia, ſed relinquenda eius arbitrio: Si verò non confidat totaliter in Confeſſarij ſufficientia, facultatem petentis, poterit in caſu ſuperior concedere facultatem abſoluendi, dicendo, ſi eſt tale peccatum detur talis pœnitentia, ſaluo tamen ſigillo, ſed melius eſſet hoc facere per modum conſilij, quam præcepti: Neque enim committenda eſt facultas cum tanta dependentia, ſed relinquendum eſt aliquid arbitrio Confeſſarii, & ità videtur eſſe praxis vſu recepta, nam aliter videretur nimis rigoroſum, & onus graue, multis periculis expoſitum pro vt docent Suar. d. 30. ſect. 5. num. 4. & Filliuc. d. tract. 7. cap. 10. qu. 8. numer. 195.

Facultas non eſt committenda cum tanto onere.

Suar. Filliuc.

10 An ſuperior poſſit inquirere de ſpeciebus peccatorum? Debet eſſe prudens, ne deueniat in notitiam pœnitentis contra ſigillum.

Et quamuis ſuperior poſſet interrogare Confeſſarium de ſpecie, qualitate, & numero peccatorum abſolutorum, ſiuè abſoluendorum in genere, non tamen poteſt ità ſpecialiter interrogare de circumſtantus, ex quibus deuenire poſſet in notitiam perſonæ pœnitentis: Neque Confeſſarius poteſt ità ſe explicare, vt det aliquam ſuſpicionem, ſiuè notitiam de pœnitente: Et ſuperior, prouocans, vel inducens Confeſſarium ad aliquam indirectam fractionem ſigilli, etiā peccaret mortaliter, vt eſt communis ſententia omnium Theologorum, qui de ſigillo Confeſſionis loquuntur: legite Suar. Filliuc. & Bonac. locis ſup. cit.

Suar. Filliuc. Bonac.

11 Dubitatio 5. De onere ſe præſentandi pro reſeruatis abſolutis, an obliget ad mortale?

Quæritur 5. An ſuperior, quandò concedit facultatem Confeſſariis, vt in eius abſentia poſſint abſoluere pœnitentes à caſibus reſeruatis, cum hoc tamen onere, vt pœnitentes abſoluti debeant poſteà ſe præſentare Prælato pro illo peccato reſeruato, vel ſi ipſe Confeſſarius voluerit eximere pœnitentem à tali onere ſe præſentandi, faciat ipſe Confeſſarius præſentationem pro pœnitente: An talis conditio obliget pœnitētem, ſiuè Confeſſarium ad talem præſentationem faciendam in viſita ſub pœna peccati mortiferi?

12 Concluſio eſt affirmatiua.

Reſpon. Affirmatiuè, poteſt enim ſuperior, quandò concedit facultatem abſoluendi à reſeruatis tale onus imponere, vel ſub obligatione, vt pœnitens abſolutus in eius abſentia ſe præſentet poſteà ſuo ſuperiori: Et tunc ſi pœnitens conſentiat ad abſolutionem ſub tali conditione conceſſa remanet obligatus ad ſe præſentandum ſub pœna peccati mortiferi, quia hoc ipſo, quod ea facultate vtitur remanet obligatus ad ſe præſentandum: Ità Nauar. in c. Placuit de Pœnit. D. 6. nu. 118. & Polit. in c. 7. Reg. D. Franc. nu. 34. & 35. Filliuc. & Suar. loc. infr. citandis.

Nauarr. Polit. Filliuc. Suar.

13 Nota pro cōſtitutionibus non obligantibus ad mortale.

Quapropter ſi in aliqua Religione concedatur facultas Confeſſariis per ſtatuta generalia, aut particularia abſoluendi pœnitentes à caſibus reſeruatis in abſentia ſuorum Prælatorum cum onere, vt poſteà, vel ipſe pœnitens abſolutus, vel Confeſſarius pro pœnitente abſoluto ſe præſentet Prælato pro benedictione, talis obligatio adſtringit ſub pœna peccati mortiferi, etiam ſi aliàs eius Religionis ſtatuta non obligent ad mortale, quia hoc ſequitur ex natura rei, & inſtitutione Sacramenti, cùm ſit obligatio ex graui cauſa: pro vt docent Filliuc. tomo 1. tract. 7. capit. 10. quæſt. 8. num. 297. & Suarez D. 30. ſect. 5. num. 20. Quæ quidem præſentatio non eſt ad confitendum denuò peccatum, cum iam fuerit directè abſolutum, ſed ad reddendam rationem facti, iuxta conditionem facultatis conceſſæ.

Obligatio oritur ex natura rei ratione materiæ. Filliuc. Suar.

14 Difficultas. An virtute Iubilæi poſſit ab hoc onere liberari.

Sed difficultas eſt: An pœnitens abſolutus à Confeſſario ſuo à reſeruatis cum onere præſentandi ſe ſuperiori, Aduenientē Iubilæo liberari poſſit ab hoc onere à quolibet Confeſſario ad hoc ſpecialiter electo?

15 Reſolutio eſt affirmatiua. Iubilæum liberat pœnitentes ab onere ſe præſentandi pro reſeruatis abſolutis.

Reſpondetur Affirmatiuè, Et ratio huius eſt, quia Summus Pontifex concedens Iubilæum de plenitudinis poteſtate concedit, vt quilibet faciendo opera præſcripta abſolui poſſit ab omnibus, & quibuſcumque peccatis, & exceſſibus quantumcumque grauiſſimis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, abſque vllo onere præſentationis: & ideò quilibet pœnitens lucrando Iubilæum liberatur ab omni onere ſe præſentandi Prælato ſuo pro quocumque peccato reſeruato ante conſecutionem Iubilæi commiſſo, vt eſt communis ſententia omnium Theologorum, vt videbitur plenius infra in tractatu de Iubilæo in ſecunda parte noſtræ Theolog. moral.

16 Maior difficultas de præſentatione confeſſarij pro pœnitente.

Sed maius Dubium eſt: An Confeſſarius, qui liberauit pœnitentem à præſentatione, iuxta facultatem, ſibi commiſſam obligando ſe ad præſentationem faciendam loco pœnitentis: Si virtute Iubilæi ipſe Confeſſarius poſſit liberari ab hoc onere ſe præſentandi loco pœnitentis, iam abſoluti?

17 Reſolutio eſt cum diſtinctione. Si pœnitens lucretur Iubilæum liberabitur, aliter non.

Reſpondetur: Quod ſi pœnitens abſolutus conſequatur Iubilæum, iam liber omninò erit à quocumque onere præſentationis, virtute Iubilæi conſecuti, quo eximitur omnis obligatio præſentationis, pro reſeruatis commiſſis, ergò ſi Confeſſario notum fuerit pœnitentem ab ipſo abſoluto conſecutum fuiſſe Iubilæum, tunc ipſe Confeſſarius, qui promiſit facere præſentationem pro pœnitente liber erit à præſentatione facienda, ſi verò pœnitens non lucretur Iubilæum, tunc Confeſſarius non eximitur ab obligatione promiſſa, ſicut nec pœnitens, ſed hoc fuſius dicetur in tractatu de Iubilæo in ſecundo to. Theol. Moral.

18 Dubitatio 5. An poſſit reſeruatorum abſolutio aliquando dimidiari? Reſolutio. Confeſſio debet eſſe integra ex parte pœnitentis.

Quæritur ſextò: An poſſit aliquis ſola reſeruata ſuperiori confiteri, vt illorum tantùm abſolutionem obtineat, & poſteà reliqua peccata non reſeruata alteri Confeſſario confiteri, vt de illis Sacramentaliter abſoluatur, dimidiando Confeſſionem?

Reſpondetur, Pœnitenti per ſe hoc facere non licere; Non enim Confeſſio peccatorum ſine neceſſitate dimidiari poteſt cum Cōfeſſionis integritas ſit de neceſſitate Sacramenti, vt ex ſupra dictis clarè patet.

19 Superior poterit quando eſt legitimè occupatus abſoluere tantū à reſeruatis, dimidiando abſolutionē.

Si verò aliquandò ſuperior ſit valdè occupatus, & non poſſet ſine magno incommodo totam integram Confeſſionem audire, tunc poterit in caſu reſeruata tantùm audire, & ab illis, etiam Sacramentaliter abſoluere, & deindè remittere pœnitentem, vt Confeſſario ſuo Confeſſionem perficiat: Tunc enim in caſu, quamuis, Confeſſio non ſit materialiter integra: eſt tamen integra formaliter, cùm per pœnitentem non ſteterit, vt integrè non confiteretur, ſed in caſu dimidiatur Confeſſio, & abſolutio propter impedimētum ſuperioris, nolentis reliqua peccata audire: & tunc in caſu pœnitens directè abſoluitur à ſuperiore à peccatis reſeruatis Confeſſis, & indirectè recipit gratiam ab omnibus etiam, quod de illis ſit tantùm ſufficienter attritus, cum gratia dimidiata dari non poſſit, cū obligatione tamen, vt reliqua peccata ſaltem mortalia clauibus ſubiiciat: Vndè in caſu talis pœnitens duplex Sacramentum recipit, & duplicem effectum, pro vt communiter docent Theologi: vt Rodriq. in ſum. cap. 55. numero 13. Conc. 12. Suarez to. 4 de Pœnit. D. 31. ſect. 1. n. 2. Henriq. in ſum. lib. 6. c. 14. Bona. to. 1.

In caſu duplex recipitur ſacramentum. Rodriq. Suar. Henriq. Bonac.

Reginald. Valentia. Filliuc. D. Anton. Nauarr. Soto. Palud. Richard.

de Pœnit. D.5. q.7.p.5.§.3. Reg. lib.8. num.77. Greg. de Valentia tomo 4. D.7. quæſt.11. p.1. Filliuc. tomo 1. tract.7. cap. 10. quæſt.9. nu. 300. D. Anton. 3. p. tit. 14. cap.19. §.6. Nauar. in can. Conſideret de Pœnit. D.5. §. cautus nu.12. & 18. Soto in 4. D.18. quæſt.2. A. 5. Palud. D.17. qu.5. Richard. qu.8. A.5. ad 2. & alij communiter.

20 Non debet tamen hoc fieri ſine vrgente neceſſitate.

Verum eſt tamen, quod ſine magna, & vrgente neceſſitate ſuperiorem hoc facere non debere, cùm in caſu poſſit ſuperior auditis reſeruatis, auferre reſeruationem, & dare liberam facultatem pœnitenti, vt à ſuo Confeſſario ab omnibus Sacramētaliter poſſit abſolui, imponendo pœnitentiam ſalutarem pro ſalute Animæ pœnitentis, ne Sacramentalis abſolutio ſine neceſſitate dimidiaretur, pro vt benè aduertit Suar. ſupra n.7. & Victoria in ſum. nu.149. & 162. & Filliuc. ſupra nu.301.

Suar. Victoria. Filliuc.

21 Quando neceſſitas adſit rationabilis licere.

Quando verò talis ſit cauſa culpæ reſeruatæ vt ad iudicium ſuperioris non ſit expediens alteri Confeſſario facultatem delegare, & ipſe ſuperior, non poſſet totam integram confeſſionem audire, licebit in caſu abſoluere Sacramentaliter à reſeruatis tantùm auditis, & reliqua committere inferiori, ut ſupra explicatum eſt.

22 Dubitatio 7. An hoc poſſit facere aliquando ſimplex Confeſſarius? Reſolutio eſt negatiua.

Quæritur 7. An ſimplex Confeſſarius poſſit aliquādò abſoluere à non reſeruatis, illumque poſteà ad ſuperiorem pro reſeruatis tranſmittere, vt ab illis directè abſoluatur?

Reſpondetur: Hoc ipſi non licere, niſi in caſu neceſſitatis, Et ratio huius eſt, quia Confeſſarius inferior, non poteſt ab vno peccato mortali abſoluere, quin abſoluat ab omnibus: cùm autem inferior Confeſſarius nequeat à reſeruatis abſoluere, ſequitur etiā non poſſe à non reſeruatis: Nam Confeſſio debet eſſe integra accuſatio coram legitimo iudice: Inferior autem Sacerdos non eſt legitimus iudex, quò ad reſeruata, & ideò hoc ei non permittitur: Ità Henriqu. in ſum. lib.1. nu.70. & lib.8. nu.80. Filliuc. ſupra num. 303. Coninch. D.7. d.9. nu.103. Suarez D. 31. ſect. 2. Bonac. to.1. D.5. q.7. p.5. §.3. n.5.

Henriq. Filliuc. Coninch. Suar. Bonac.

23 Quando adſit neceſſitas recipiendi Euchariſtiam, quid faciendum eſt? Confeſſio fiet integra, & abſolutio de tur dimidiata. Abſolutio directa, & indirecta, qua fit.

Quandò autem adſit neceſſitas, ſiuè cauſa vrgens, & rationabilis, aut Sacerdos aliquis, ſiuè laicus, habens peccata reſeruata, & neceſſitate compulſus celebrandi, aut recipiendi Euchariſtiam, & non habet copiam Confeſſarij, habentis facultatem abſoluendi à reſeruatis, tunc in caſu debet pœnitens omnia peccata, tam reſeruata, quàm non reſeruata integrè confiteri, ne dimidietur Confeſſio ex parte pœnitentis; & tunc Confeſſarius inferior in tali caſu abſoluit directè tantùm à non reſeruatis, & pœnitens indirectè recipit gratiam etiam à reſeruatis virtute Sacramenti, & mediante ſufficiente attritione.

24 Qualis obligatio remanet in caſu tali ità abſoluto. Ante ſumptionem Euchariſtiæ eſt præceptum confitendi Sacramētaliter.

Sed in tali caſu, talis pœnitens ità abſolutus remanet obligatus, habita præſentia ſui Prælati confiteri iterum peccata, quæ erant illi reſeruata, vt ab illis Sacramentaliter directè abſoluatur, de quibus directè non fuit abſolutus à Confeſſario inferiore propter carentiam iuriſdictionis: Et ratio huius eſt, quia iure Diuino, & Eccleſiaſtico tenetur quis ante Euchariſtiæ ſumptionem, quandò conſcientiam habet peccati mortiferi Sacramentalem Confeſſionem præmittere, quandò copiam Confeſſarii habet, quàpropter integram debet facere Confeſſionem: Sacerdos verò abſoluit, à quibus poteſt ſecundùm ſuam iuriſdictionem: Ità Coninch. D.8. num.13. Greg. de Valentia to.4. D.7. qu.11. p.1. Suar. D. 31. ſect.3. Filliuc. d. tract.7. cap.10. q.9. nu.305. Reginald. lib.8. nu.63. Bonacina D.5. q.7. p.5. §.3. num.6. Vaſq. q.91. A.3. d. 8. nu.5. & alii.

Coninch. Valentia. Suar. Filliuc. Reginald. Bonac. Vaſq.

25 Dubitatio.

Quæritur 8. An ſemel abſolutus à ſuperiore à caſibus reſeruatis talis pœnitens poſſit liberè abſolui à quocumque Confeſſario?

Abſolutus à ſuperiore à reſeruatis, & inualidè eximitur ab obligatione reſeruatorum.

Reſpondetur ſi eſt abſolutus Sacramentaliter à ſuperiore, poterit deindè iterum, atque iterum abſolui & à quocumque Sacerdote, quia per primam abſolutionem, iam adempta fuit reſeruatio, etiam ſi prima abſolutio per aliquam cauſam fuiſſet inualida: ſi verò tantum fuit ſublata reſeruatio, & impoſita pœnitentia, remiſſa abſolutione inferiori Sacerdoti, tunc debet pœnitens integrè omnia peccata confiteri ſuo Confeſſario, vt ab illis omnibus Sacramentaliter abſoluatur: Qui verò habent iuriſdictionem delegatam abſoluendi à reſeruatis non poſſunt, niſi Sacramentaliter abſoluere, & ideò Confeſſarius non poteſt auferre reſeruationem, remittendo alteri abſolutionem: Nam delegatus non poteſt ſubdelegare, pro vt benè aduertit Filliuc. ſupra nu. 308. cum alijs ſupra citatis.

Delegatus non poteſt delegationē alteri ſubdelegare.

Filliuc.

26 Dubitatio 9. De peccatis reſeruatis oblitis.

Quæritur 9. An quandò quis confitetur ſuo ſuperiori de reſeruatis, & abſoluitur ab illo, ſi talis pœnitens poſteà recordetur ſe reliquiſſe alium caſum reſeruatum propter obliuionem teneatur iterum adire Prælato, vt ab illo peccato oblito, iterum Sacramentaliter abſoluatur.

Reſolutio. Omnia peccata fuerunt abſoluta, etiā indirectè.

Reſpondetur, quod non: nam facta iam Confeſſione de reſeruatis cum ſuo legitimo Prælato, omnia peccata confeſſa fuerunt directè abſoluta, & oblita indirectè, & ideò fuit ſublata reſeruatio, etiam de oblitis, vt ex ſupradictis patet, & plenius explicabitur in tractatu de Iubilæo, vbi plures caſus circa hanc præſentem materiam declarabuntur in 2. p. noſtræ Theolog. Mor.

TRACTATVS XXVII.

De Sacramentis.

Et de Caſibus reſeruatis, quò ad Regulares.

Tract. X.

PROOEMIVM.

Diximus in præcedenti tractatu de caſibus, tam Summo Pontifici, quam Epiſcopis reſeruatis, opere pretium eſt, vt modo in ſequentibus de ipſis caſibus reſeruatis, quatenus ſpectant ad Regulares, ſpecialiter dicamus: Nam ſicut ſupra diximus: Illi etiam, qui habent iuriſdictionem ordinariam, ſiuè proportionatam Epiſcopali poſſunt etiam reſeruare ſibi caſus eadem proportione, pro vt fit, & fieri ſolet in Regularibus: Quapropter Prouinciales in tota Prouincia, & Guardiani, ſiuè Rectores, aut Priores in ſuo Conuentu, & Generales in toto Ordine poſſent de poteſtate ordinaria limitare iuriſdictionem delegatam in Confeſſarijs, & ſic reſeruare ſibi caſus, quoſcumque voluerint pro ſuis ſubditis, niſi tamen hoc eis à Summo Pontifice eſſet prohibitum, ſiuè limitatum: Vndè ne in hoc fieret exceſſus Clemens Papa VIII. die 26. menſis Maij 1593. fecit ſequent Decretum, ne in poſterum reſeruentur alij caſus; niſi de infraſcriptis.

Superiores Regularium habent facultatem reſeruandi caſus. Niſi à Summo Pontifice limitatum ſit.

DE-

DECRETVM CLEMENTIS VIII. Super Caſuum reſeruationem ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.

Intentio Papæ ad faciendum dictum Decretum.

SAnctiſſimus Dominus noſter, qui iam pridem accuratè perpendit, & re ipſa comperit, quod reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus, niſi ſuperiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdũ ſuperiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem: Quòcirca, vt huic malo Sanctitas ſua opportunè prouideret Decreuit; Vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruent, exceptis ijs, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, pro vt ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

1 1. Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.

2 2. Apoſtaſia à Religione, ſiuè habitu dimiſſo, ſiuè retento, quandò eo peruenerit, vt extra ſeptam Monaſterij, ſeù Conuentus fiat egreſſio.

3 3. Nocturna, & furtiua è Monaſterio, ſeù Conuentus egreſſio, etiam animo non apoſtatandi facta.

4 4. Proprietas contra votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

5 5. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeù legitimo.

6 6. Procuratio, auxilium, ſeù Conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fętum, etiam effectu non ſecuto.

7 7. Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus.

8 8. Furtum de rebus Monaſterij, ſeù Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

9 9. Lapſus Carnis voluntarius, opere conſummatus.

10 10. Occiſio, aut Vulneratio, ſiuè Grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ.

11 11. Malitioſum Impedimentum, aut Retardatio, aut Aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad ſuperiores.

§. 1 Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientię puritate reſeruandum videbitur, Id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

§. 2 Non liceat ſuperioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quandò peccatum aliquod reſeruatum commiſerint, aut ipſimet ſubditi ſpontè, aut proprio motu id ab iis petierint.

§. 3 Superiores in ſingulis domibus deputẽt duos, tres, aut plures confeſſarios, pro ſubditorum numero, maiori, vel minori, iique ſint Docti, Prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant: Et quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quandò caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe imprimis confeſſarius iudicauerit.

§. 4 Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm confeſſarii, qui poſteà ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt ad externam gubernationem vtantur.

§. 5 Licebit tamen ſuperioribus determinare pœnitentias graues, quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis à confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

§. 6 Atque ità per quoſcumque Regularium ſuperiores, quicumque illi ſint obſeruare mandauit; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aut cuiuſuis Concilii, etiam generalis Decreti. Necnon conſuetudinibus, ab innumerabili etiam tẽpore obſeruatis, aut Regulis, in Generalibus, ſeù Prouincialibus Capitulis editis, & conſtitutionibus quibuſcumque quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 26. menſis Maii 1593.

Inſuper Sanctitas ſua declarauit, & declarat, quod ſi huiuſmodi confeſſariis Regularium facultatem petentibus ſuperior dare noluerit, Nihilominus pro illa vice abſoluant, licèt licentia non fuerit obtenta. §. 1.

Est autem circa hos caſus aduertendum Pontificẽ non ſtatuiſſe, vt omnes ſupradicti caſus in omnibus Regularibus ſint reſeruati: Sed permiſiſſe tantùm, vt Superiores Religionum poſſint hos caſus ſibi, vel aliquos ex ipſis reſeruare, aut omnes, aut eorũ aliquos, pro vt ſubditorum vtilitati expedire magis videbitur: Prohibiſſetque, ne ſuperiores Regularium præter hæc peccata alia ſibi propria auctoritate reſeruẽt: Et ideò addidit: *Si quod aliud præterea: Pro religionis conſeruatione*, vt infrà videbimus; Nunc autem primo loco, hos prædictos caſus elucidare, & declarare oportet.

Aduertẽtia. Non omnes caſus per decretum ſunt reſeruati, ſed permittuntur.

DE VENEFICIIS, INCANTATIONIBUS, & ſortilegijs.

CAP. I.

PRo intelligentia iſtorum caſuum reſeruatorum iuxta Decretum ſupradictum eſt; Primò notandum, quod ſub his tribus ſpeciebus Veneficiorum, & ſuperſtitionum expreſsè nominatorum comprehenduntur cæteræ omnes ſpecies, de quibus infra ex identitate materiæ, vel maioritate rationis, eò quod ſunt eiuſdem generis: Nam quandò agitur de ſalute Animæ, & euitando peccato debet fieri extenſio etiam iuris pœnalis, pro vt docet Iaſon in Authen. Quas actiones, num. 25. cap. De Sacroſancta Eccleſ. qui alios citat DD. vbi dicit, quod talis potius dicitur, Incluſio ſimilium peccatorum, quàm extenſio. Ità Graff. de de caſib. reſeru. lib. 3. c. 1. nu. 2. & Coriol. p. 2. caſu 1. & patet ex c. Qui intitulatur c. de Maled. ſeu maleficiis, & cæteris ſimilibus.

1 Omnes ſpecies ſuperſtitionum ſub iſtis continẽtur.

Quandò licèt fieri extenſio in pœnalibus.

Iaſon.

Graff. Coriol. c. de Maledicis.

Veneficium ergò eſt primus caſus in Ordine reſeruatus, in quo intelligitur omne genus maleficiorum, quibus vtuntur homines venefici ex familiaritate, & auxilio Dęmonum ad occidendum aliquos homines, vel ad eis nocendum, ſiuè in perſona, ſiuè in rebus, & ità ſolent Lamiæ, ſiuè ſtrigæ homines occidere, ſiuè lædere, infirmitates, vel dolores cauſando, faciendo aliquas imagines cereas, aut huiuſmodi, & dum imaginis illius partem, vel membra pungunt, tunc tales perſonæ ſtatim patiuntur in illa parte, quę pungitur in imagine c. Si per ſortiaras 33. q. 3.

2 Per Veneficium, quid ſignificetur.

Lamiæ, ſiuè ſtrigæ.

Similiter etiam quandò nocent in rebus maleficiatis. Nam ad requiſitionum maleficum Dæmones aliquandò elementa concutiunt, aërem conturbant, deſtruunt vineas, atque arbores, occidunt animalia, & ſubuertunt ædificia, atque inducũt ſterilitatem, ex pacto facto cum maleficis, hoc permittente Deo occulto, ſed non iniuſto iudicio ipſius, & hoc, vel propter peccata hominum, vel propter aliquam certam cauſam occultam; vt dicitur in d. c. Si per ſortiaras 33. q. 1.

3 Veneficiorũ effectus.

c. Si per ſortiaras.

Quare ex his colligitur, quod quandò maleficus per aliqua exteriora exercet ſua maleficia, vt intingẽdo ſcopam in aquam, vt fiat grando, incuruando, 4

Quare Dæmones obſeruant pacta cum veneficis.

acum, dicens: Quamdiù acus ſic ſtat non poſſit coire cum vxore: Tunc maleficus non facit illa per opera ſua immediatè, ſed per Dæmones: Vndè quandò maleficus imaginem illam pungit, tunc opera Diaboli maleficiatus patitur in illa parte, vbi fit punctio, & hoc faciunt Dæmones ad obſeruandum pactum, factum cum talibus maleficis, non quia veraces ſint, ſed vt alii ipſis adhæreant, quia ſi nulla pacta ſeruarent, nulli eis ſeruirent, vt illi, quibus promiſſa ſeruant, eos colant. ità Scotus lib. 3. D. 34. & Gabriel, ibi.

Scot. Gabr.

5 Qui dant poculum amatorium ad bibendum comprehenduntur in caſu. Licèt effectus amoris non ſit ſequutus.

Comprehenduntur etiam in caſu illi, qui dant poculum amatorium ad bibendum, vt incitent aliquem ad amorem, vel odium, vt ſunt venenatæ herbæ, radices, & cætera talia, quarum occultas virtutes, & proprietates Dæmones nouerunt ad finem, vt maleficiatus impudico amore aliquem amet, vel odio habeat: Similiter etiam dicuntur malefici, qui dant poculum mulieri ad bibendum, ſiuè edendum cauſa inducendi illam ad turpiter amādum, quamuis effectus amoris non fuerit ſequutus, ſufficit enim, vt actio fuerit conſumata, idelt, quod mulier poculum acceperit: Ità Graff. d. lib. 3. de caſibus reſeruat. c. 1. num. 42.

Graff.

6 Qui maleficiū alio maleficio ſoluunt, ſiuè alijs ſuperſtitionibus.

Similiter etiam incidunt in caſum illi, qui maleficium aliquod maleficio tollunt per alias incantationes, quia non ſunt facienda mala, vt indè veniant bona: Non enim excuſantur operantes per finem boni, ſi indebito modo operentur: Maleficia enim curanda ſunt Sanctorum orationibus, ieiuniis, ſacrificiis, aliiſque piis operibus, & non per incantationes, & ſi Deus illa amouere non vult patienter ſunt toleranda, quamdiù ità Deo placeat. Ità Graff. in libro 2. D. 8. quæſt. 2.

Graff.

7 Qui per incantationes infirmitates curant. Syluest. Qui verba deprecatiua vtuntur cum Dæmonibus. Graff.

Includuntur etiam in caſu, qui faciunt incantationes ad infirmitates curandas, pro vt dicit Sylu. verbo maleficium, qu. 8. ſimiliter etiam qui verbis deprecatiuis vtuntur cum Dæmonibus, vt precor, oro, obſecro, vt aliquod eueniat mediante auxilio Dæmonum: Nam hæc verba deprecatiua includunt quamdam adorationem, quæ ſapiunt hæreſim. pro vt dicit Graf. d. l. 3. c. 1. nu. 41.

8 Malefici dicūtur ob facinorum grauitatem. Leuit. c. 19.

Et tandem comprehenduntur omnes ſpecies Superſtitionum, Incantationum, vel Maleficiorum, quàpropter ob facinorum grauitatem taliter operantes appellantur Malefici, quod peccatum maximopere Deo diſplicet: Vndè illud expreſsè prohibuit in libro Leuit. cap. 19. dicens: *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid ſciſcitetis, ne polluamini per eos:* & cap. 20. additur; *Anima, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de populo meo:* Cùm ergò tale peccatum indecentiſſimum ſit omnibus Chriſti fidelibus, præcipuè tamen viris Religioſis, & Deo dicatis, qui cum quotidiè ſacra pertractent, ſacriſque rebus ſint conſecrati, non debent poſtea ipſis rebus ſacris abuti, & ideò rationabiliter tale crimen eſt reſeruatum, quod abſolui non debet, niſi à ſuperioribus Prælatis, & cōtra tales procedere poſſunt Illuſtriſſimi Inquiſitores contra hæreticam prauitatem.

Quam graue ſit hoc peccatum.

Rationabiliter tale Crimē eſt reſeruatum.

9 Incantatio, quid ſit, & vndè dicatur, Eſt ſpecies maleficii, & eſt pecc. mor.

Incantatio dicitur ab incantare, quod eſt verbis quibuſdam ſuperſtitioſis, vel actionibus, quibuſdam verbis adiūctis aliquid ſupra naturam moliri deſiderantes: Habet enim ſpeciem maleficii, quàpropter Incātatio ex ſuo genere ſemper ſumitur in malum, & eſt peccatum mortale: Nam ibi ſemper eſt Dæmonis expreſſa, ſiuè tacita inuocatio ex aliqua ſuperſtitione adiūcta ad aliquem Dæmonis cultum; Vndè exercentes huiuſmodi incātationes non excuſantur à culpa mortali, & incidunt in caſum reſeruatum niſi inaduertentia, ſiuè imperfectio actus, ſiuè ignorantia inuincibilis fuiſſet in caſu: Vel quia, qui talia fecit non credebat ibi interuenire Dæmonis inuocationem, ſed bona fide arbitrabatur dare opera rei licitæ, & honeſtæ.

Niſi inaduertentia, ſiuè ignorantia ſit in cauſa.

10 Quomodò ignorantia excuſet à peccato in huiuſmodi. Quandò eſt comes peccati non excuſat. Caiet. Armill.

Hæc autem ignorantia tantùm habet locum in perſonis ſimplicibus, & idiotis, quamdiu nō ſunt monitæ: Poſt autem monitionem, ſi non deſiſtant, non excuſantur à peccato, quia tunc ceſſat bona fides: Ignorantia enim excuſat, quandò eſt cauſa peccati, non autem quandò comes eſt peccati, pro vt docent Caiet. in ſum. & Armilla, ver. Incantatio, num. 1.

11 Quomodò cognoſcitur, quando in verbis eſt aliqua ſuperſtitio illicita.

Hæc autem Dæmonis inuocatio in huiuſmodi incantationibus conijcitur ex aliqua conditione vana adiuncta, tamquam neceſſaria ad conſequendum effectum, quod procedere non poteſt, ex vi illius rei, ſed per Dæmonum auxilium; Vt quādò dicitur, quod verba debeant proferri facie verſa ad Orientem, ſiuè ad Occidentem, &c. ſiuè aliquo ſigno impertinente, vel cùm dicitur oportere huiuſmodi verba eſſe ſcripta in charta virgine, vel manu ſiniſtra, vel à virgine, vel in nocte, &c. Hoc enim nihil facit ad verborum virtutem; Siuè adiungantur aliqui characteres incogniti, quos Dæmones ipſi intelligunt, vel ſint adiuncta aliqua nomina incognita Angelorum, & ſimilia, in quibus ſemper eſt aliqua vana ſuperſtitio; & tacita incantatio Dæmonum, & ideò talia facientes, & exercentes incidunt in caſum, eo modo, vt ſupra explicatum eſt; Ità Graff. Coriolan, Sylu. & Armilla, locis ſup. cit.

Graff. Coriolan. Syluest. Armilla.

12 Concluſio.

Quàpropter breuiter concludendo dicimus, quod in orationibus, quæ dicuntur, aut in ſcriptis dantur non ſit aliquod incognitum, vel ſuperſtitioſum, quod ibi aliquo modo lateat tacita inuocatio Dæmonum: Sed omnia eſſe debent ſimplicia ad laudandum Deū, ipſumque deprecandum; & ideò nullus character eſt ibi depingendus, niſi venerabile ſignum Crucis Chriſti, ſiue nomen Chriſti Ieſu. Ità Armilla ver. Incantatio, & Graff. loc. cit. nu. 36. & alij.

Armilla. Graff.

13 Sortilegium, quid ſit, & vndè dicatur. Sortilegium dup. implicitum, & explicitum.

Sortilegium dicitur à ſorte illicita, & ſuperſtitioſa, quàpropter ſortilegi dicūtur, qui per quaſdam ſuperſtitiones ſortium, vel figurarum, futura prænuntiant, recurrentes ad auxilium Dæmonum explicitè, vel implicitè; Implicitè quidem, cùm ad ſortes ad hunc finem inſtitutas recurrunt, explicitè autem, quandò incantationibus, vel alijs diuinationibus hoc faciunt, legite Armillam, ver. Sortilegium, & Caiet. in ſumm. De quibus ſortilegijs illicitis, & de varijs nominibus ſortilegiorum habetur textus in Can. ſortilegi, 22. q. 1. & Can. Non liceat 26. q. 5. quæ omnia ſunt damnata, & prohibita, quàpropter huiuſmodi facientes incidunt in caſum reſeruatum: pro vt dicunt Graff. & Coriol. loc. cit.

Armill. Caiet. Cā. ſacrileg. Can. Non liceat. Graff. Coriolan.

14 Sub tribus iſtis ſpeciebus includuntur aliæ ex identitate materiæ. Superſtitio, Diuinatio, Idolatria, & Augurium. Armilla.

Sub his ergò ſpeciebus maleficiorum comprehenduntur omnes ſpecies ſuperſtitionum ex identitate, vel maioritate rationis, quia ſunt eiuſdem generis, & potius dicitur incluſio ſimilium peccatorum, quàm extenſio, vt patet ex cap. Qui dicitur de Maledicis, & maleficijs. Igitur ſub his tribus ſpeciebus ſupradictis, & explicitè in caſu nominatis intelliguntur omnes aliæ ſuperſtitionum ſpecies, quarum præcipuè ſunt quatuor, ſecundum Armill. in ver. Superſtitio, videlicet Diuinatio, Idolatria, Superſtitio, & augurium.

15 Diuinatio quid ſit, & vndè dicatur. Quare appellantur Diuini.

Diuinatio dicitur Futurorum indebita pronunciatio, quæ propriè loquendo ſonat in malum, & eſt quādò ſcientia Magica, ſiuè falſa, ſeu fallaci prophetatione, qua PſeudoPropheta, & Magi fingunt ſe præuidere, & prædicunt futura multa, & taliter pronunciātes appellātur Diuini à diuinatione, volētes vſurpare, quod proprium eſt Dei, & ideò huiuſmodi diuinantes

res grauiter peccant, & comprehenduntur in caſu pro vt dicit Graff. d. lib. 3. de reſeru. c. 1. num. 43. cum alijs infra cit.

Graff.

16 Præſtigioſi includuntur in caſu. Præſtigium quid ſit, & vndè dicatur.

Similiter etiam Diuinantes appellantur Præſtigioſi, quibus Dæmones apparere ſolent in vigilia, quibuſdam præſtigioſis apparitionibus ad pronuntiandum futura: Quæ quidem ſpecies Diuinationis vocatur Præſtigium ex eo, quod perſtringit oculos hominum ad videndum aliud, quod non eſt tale: Præſtigium enim dicitur Dæmonis illuſio, cuius apparitione fit, vt res exiſtens non appareat, aut aliter, quam res exiſtunt appareant, quæ vulgò dicitur: Tranſparentia rerum, quæ fit arte, & illuſione Dæmonum, pro vt dicunt Alex. de Ales, q. 44. memb. 3. A. 1. Gabriel in 4. 2. p. D. 8. quæſt. 2. A. 3.

Ars tranſparentiæ, fit arte Dæmonũ. Alenſis. Gabr.

17 Idolatria quid, & vndè dicatur.

Idolatria eſt ſimulacrorum cultura, vel cultus Deo debitus creaturæ exhibitus, ideòque grauiſſimum eſt peccatum contra primum Diuinum præceptum, & nõ ſolùm eſt caſus reſeruatus, ſed qui illud commiſerit hæreticus, & Apoſtata cenſendus eſt: Vndè omnes illi, qui circa aras Idolorum nefarias preces emittunt, ſacrificia offerunt, qui Dæmones conſulunt, eorumq; reſponſa ſuſcipiunt, obedientia eis offerunt, & per Dæmones iurant, genua flectunt, & proſternationes faciunt, vel peccata faciunt ſpe ſæpius vtendi rebus ſacris ad Idolorum, ſiuè Dæmonum culturam, ſunt hæretici, Apoſtatæ, & appellantur Arioli: Vndè hæc omnia, & ſimilia ſapiunt hæreſim manifeſtam, & proptèrea de his veluti de hæreticis poſſunt cognoſcere Inquiſitores Sancti Officij, pro vt docet Caiet. 2. 2. qu. 96. A. 4. & habetur text. in Can. Igitur 26. q. 3. Legite Graff. d. lib. 3. c. 1. nu. 26.

Grauiſſimũ peccatum eſt, & ſapit hæreſim. Idolatri dicuntur Arioli. Caiet. Can. Igitur. Graff.

18 Superſtitio propriè dicta, quid ſit, & vnde dicatur. Superſtitio dupliciter fieri poteſt, perniciosè, & ſuperfluè. Superſtitio qui ſecundũ D. Thom.

Superſtitio, eſt indebitus veri Dei cultus, qui dupliciter fieri poteſt, videlicet, aut perniciosè, aut ſuperfluè: Superſtitio pernicioſa eſt, quandò contra Fidei veritatem aliquid fiat, vt ſi quis Deum coleret, ſicut Iudæi, aut infideles alij, qui ſecundùm falſam ipſorum ſectam adorant pernicioſa aliqua ſuperſtitione cõtra fidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: Superflue, quandò quis ex aliqua vana ſuperſtitione facit res Diuinas contra ritum Eccleſiæ, vt ſi quis celebrare faciat cum tribus Candelis, ſiuè ante Solis ortum, & ſimilia, credens in illa ſuperſtitione, & ſuperſtitioſa cæremonia ſacrificium habere effectum, aliàs non; Ideò ait D. Thom. 2. 2. q. 92. A. 1. quod ſuperſtitio eſt quædã proteſtatio infidelitatis, qua circa Diuinum cultum erratur Religioni oppoſita: Ideò quotieſcumque quis in his mortaliter peccat incidit in caſum reſeruatum, ſecus autem, ſi hoc ſimpliciter faciat abſque ſuperſtitione.

19 Augurium, quid.

Augurium, dicitur Vana obſeruatio rerum contingentium cum ſuperſtitione: Vt quandò quis ex ſomniorum obſeruantia, ſiuè auium volatu, ſiuè latratu canum, &c. vult futura incognita, quæ non procedũt a cauſa naturali præcognoſcere, & prædicere; & ex tali augurio vano omittat aliquod facere, quod ſit de præcepto, vt in die feſto non audire Miſſam, vel quid ſimile, vel aliquod faciat, inclinans ad malum: & tales ſuperſtitiosè augurantes, quandò mortaliter peccant incidunt in caſum, quia iſta ſiuè expreſſa, ſiuè tacita Dæmonum inuocatione fieri nequeunt, pro vt dicunt D. Tho. in epiſt. ad Rom. lect. 3. c. 11. & Caiet. in ſum. in ver. Somniorum obſeruatio.

Augurium quando eſt peccatum mortale facit caſum. D. Thom. Caiet.

20 Species augurij.

Similiter dicimus de ijs, qui per augurium, & ſuperſtitionem proiiciunt plumbum, ſiuè ceram liquefactã in aquam, vt per conſiderationem figurarum, ex his prouenientium occulti cognitio colligatur, cùm hæc, aut ſimilia ſine tacita ſaltem Dæmonum inuocatione fieri non valeant: Ipſi enim Dæmones huic Inquiſitioni, eò quod vana ſit ſuperſtitio, & illicita (vt in pluribus) ſe immiſcunt: quàpropter taliter obſeruantes mortaliter peccant ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 95. A. 6. & Graff. de caſib. reſeru. lib. 3. c. 1. nu. 27.

Augurium quando eſt peccatum. D. Thom. Graffius.

21 Quando huiuſmodi ſunt caſus reſeruati. Quaranta. Quando excuſatur à peccato. Si admonitus non deſiſtat; non excuſatur. Nauarr. Graff.

Notandum autem, quod vt iſta inducant caſum reſeruatum in Religioſis oportet, vt ſint peccata mortalia, à quibus non excuſantur Religioſi talia peragẽtes ex certa ſcientia: pro vt notauit Stephan. Quaranta in ſum. Bullar. ver. Caſus nu. 4. Vndè quando quis ex ſimplicitate, ſiuè curioſitate aliquid huiuſmodi fecerit, nulla motus ſuperſtitione, vel augurio, ſed ſimpliciter propter meram curioſitatem, excuſabitur à culpa mortali: At ſi admonitus non deſiſtat excuſari non poterit: pro vt dicit Nauarr. in Manu. Prælud. 2. in fin. & cap. 11. num. 28. & 77. concordat Graff. ſupr. nu. 49 & alij.

22 Actio debet eſſe conſummata, ad hoc vt ſit caſus.

Neque etiam inciderit in caſum, ille, qui pergeret pro factura facienda ad Magos, & dum iret pœnitẽtia ductus, ſiuè aliter impeditus, non perficit opus: Nam actio non ſufficit eſſe incœpta, niſi ſit conſummata: Neque etiam comprehenduntur in caſu, qui pergerent ad Maleficos, non cauſa malignandi, ſed tantùm cauſa conuerſandi, ſiuè alia cauſa licita: pro vt dicit Graff. ſupra num. 45. Neque etiam comprehenduntur in caſu mandantes, & conſulentes talia fieri, Nam ipſi tales non agunt prohibita, ſed tantùm conſulunt, & in caſu non ſunt incluſi mandantes, & conſulentes: Pœnæ autem non ſunt ampliandæ: Nam lex quandò huiuſmodi vult comprehendere explicat: Ità Graff. d. lib. 3. de Caſibus reſer. c. 1. n. 46.

Graff. Mandantes, & conſulentes non comprehenduntur. Graff.

DE APOSTASIA à Religione.

CAP. II.

1 Etymologia nominis Apoſtaſiæ.

SEcundus in ordine caſus per Decretum reſeruatus eſt: *Apoſtaſia à Religione, habitu dimiſſo, ſiuè retento, quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, fiat egreſſio, ſiuè Conuentus:* Apoſtaſia ſecundùm Etymologiam nominis dicitur, ab, Ab quod eſt retro, & (Stolon) quod eſt miſſus, quaſi retromiſſus, ſiuè retrohabiens, vel à fide, vel à Religione: Vndè Apoſtata à Religione dicitur ille, qui recedit à ſua Religione inconſulto Prelato, & non habet animum amplius redeundi: Tunc enim recedit à Religione, & Regula ſui ſuperioris, & viuit contra factam profeſſionem, & votum ſolemne obedientiæ: pro vt dicitur in Extra. c. Cum ad Monaſterium de Statu Monach.

Apoſtata à Religione, quis dicatur. c. Cũ ad Monaſterium.

2 Apoſtaſia eſt nomen multiplex. Apoſtaſia triplex. 1. à Fide.

Quoniam autem Apoſtaſia eſt nomen multiplex, & plura in ſe continet ſignificata, ideò, ne in æquiuocis laboremus diſtinctione vtendum eſt: ideòque, eſt ſciendum: Apoſtaſiam tripliciter eſſe poſſe, videlicet à Fide, ab Obedientia, & à Religione: Apoſtaſia à fide eſt quandò, quis accepit fidem mediante Baptiſmi Sacramento, & eam dimittit, recedens à fide, & fit hæreticus, & iſte talis eſt ipſo facto excommunicatus per Bullam Cœnæ Domini.

3 2. Apoſtaſia datur ab Obedientia.

Secunda Apoſtaſia eſt ab obedientia (loquendo de Religioſis) & eſt, quandò quis licèt non vult dimittere Religionem ſimpliciter, quam per votum profeſſus eſt, fit tamen rebellis ſuperiori ſuo, nolens ei contumaciter obedire, & iſte licèt peccet mortaliter, non eſt tamen excommunicatus, neque incidit in caſum.

4 3. Apoſtaſia à Religione.

Tertia Apoſtaſia dicitur à Religione, & eſt quandò aliquis profeſſus dimittit Religionem, ſiuè habitu detento, ſiuè dimiſſo cum animo nõ amplius ingrediendi Religionem obſeruantiæ Regularis. Et de illa

Apoſtaſia loquitur Decretum, quo ad caſum reſeruatum, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 12. A. 1. ad 3.

D. Thom.

5 Hinc ad tollendam æquiuocationem, vt ſciatur de qua Apoſtaſia loquitur caſus, exprimitur per ly verbum ſubſequens appoſitum, dicendo (*A Religione*) & quamuis Religio multis modis ſumi poſſit: hic tantùm accipitur pro ſtatu illo, in quo quis ſolemne emiſit votum per profeſſionem expreſſam, ſiuè tacitam, factam in aliqua Religione per Sedem Apoſtolicam approbatam: Vndè Apoſtata à Religione dicitur ille, qui inconſulto ſuperiore deſerit Religionem, in qua ſolemnem profeſſionem emiſit cum intentione non redeundi amplius ad Religionem.

Religio multis modis ſumi poteſt.

Apoſtata à Religione, quis dicatur?

6 Hæc autem Apoſtaſia à Religione poteſt eſſe triplex: Interna tantùm, Externa tantùm, Et interna ſimul, & externa. Prima eſt quandò Religioſus, licèt in Conuentu, ſiuè Monaſterio viuat corpore, mente tamen, & animo egredi determinat, habens voluntatem redeundi ad ſæculum, & iſte talis, quamuis apud Deum ſit verus Apoſtata, non tamen incurrit in caſum reſeruatum, & pœnam iuris: Nam caſus reſeruatus intelligitur de actu conſummato per opus externum, quandò de facto egreditur.

Apoſtaſia à Religione triplex.
1. Interna tantùm.

7 Secunda dicitur Apoſtaſia externa tantùm, & eſt quandò Religioſus ex mala voluntate egreditur è Monaſterio, ſiuè Conuentu, & vagatur per mundum, ſiuè libidinis cauſa, ſiuè alio malo animo peccandi, intentione tamen non deſerendi Religionem, ſed iterum redeundi, & iſte licèt incidat in caſum, non eſt tamen excommunicatus, niſi dimittat habitum Religionis.

2. Externa tantum.

8 Tertia dicitur: Externa ſimul, & interna, & eſt quãdò Religioſus profeſſus corpore, & animo ſimul deſerit Monaſterium, ſiuè Conuentum, animo non amplius redditurus: & iſte talis non modò incidit in caſum reſeruatum, verùm etiam eſt ipſo facto excommunicatus, tanquam verus Apoſtata à Religione. Ità Coriol. de caſibus reſer. p. 1. c. 2. n. 9. Graff. lib. 3. c. 2. nu. 6. & ità habetur ex cap. Si quid inueniſti 14. q. 5. & in Gloſſ. c. Cum voluntate, de ſent. excommunic.

3. Externa ſimul, & interna.
Coriolan.
Graff.
Can. Si quid inueniſti.
c. Cum voluntate.

9 Additur ergò in caſu: Illa ſpecificatio alternatiua, dicendo (*Habitu dimiſſo, ſiuè detento*;) & ideò ſufficit ad incidendum in caſum, alterã partem eſſe veram, quapropter ad conſtituendam Apoſtaſiam ſatis eſt, vt Religioſus egrediatur à Religione, ſiuè cum habitu dimiſſo, ſiuè detento: Hæc tamen eſt differentia, quia ſi Religioſus dimittit habitum eſt ipſo facto excommunicatus per c. Ne Clerici, vel Monachi, de ſent. excommu. in 6. At ſi habitum retineat eſt Apoſtata, & incidit quidem in caſum, non eſt tamen excommunicatus, pro vt notauit Graff. d. c. 2. num. 8.

Quare dicatur habitu detento, ſiuè dimiſſo.

Quæ differentia eſt inter vtrumque.
c. Ne Clerici, vel Monachi.
Graff.

10 Notandum autem, quod per habitum Religionis intelligitur illa veſtis, in qua conſiſtit forma habitus ſuæ Religionis, qua vtuntur profeſſi illius Religionis, quæ non poteſt temerè dimitti per multum tempus: Vndè ſi quis modico temporis ſpatio, ſiuè ad dormiendum, ſiuè ad ſe lauandum, ſiuè aliqua rationabili cauſa intercedente exuatur habitu ſuę Religionis animo illud denuò reaſſumendi non incidit in caſum; Secundum Sylu. in verb. Habitus: Nam talis dimiſſio non eſt mortifera, & ideò non eſt caſus reſeruatus, nam de minimis non eſt curandum, vt nos plenius probauimus ſupra in tractatu 2. de Pœnit. & tra. 8. de Sacramentis cap. 4. n. 30. de Circumſt. peccat. Ex quo ſequitur tunc incidere in caſum, quandò dimittitur habitus animo apoſtatandi.

Habitus Religionis, quis intelligatur.

Dimittens habitũ per modicum tempus?
An ſit excõmunicatus.
Syluest.

11 Additur etiã particula illa, (*ſiuè retento*) quia quotieſcumque quis egreditur è Monaſterio, ſiuè Conuentu animo apoſtatandi, quamuis habitum non dimittat, incidit tamen in caſum, vt patet ex littera Decreti: Si verò deferat habitum occulto modo, ità vt videri non poſſit ab hominibus tunc non ſolùm incidit in caſum, ſed etiam excommunicationem Canonis ſupra dicti cap. Ne clerici, &c. de ſentent. excommunic. in 6.

Quare additur particula illa, ſiuè retento.

Deferens habitum occultè eſt excommunicatus.
c. Ne Clerici.

12 Additurque tandem (*Quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij facta ſit egreſſio*) Septa ſeptorum appellantur clauſtra Monaſterij, ſeu Conuentus, & deriuatur ſepta, à ſepio ſepis, quod ſignificat locum aliquem ſepibus circundare: Vndè ſepta Conuentus, intelliguntur clauſuræ illius Conuentus, & ideò quandò egreſſio facta à Religioſo ad tantam temeritatem peruenerit animo apoſtatandi facta, eſt caſus reſeruatus, ſi autem ſecus non eſſet: Adduntur etiam illa duo verba diſiunctiua: *Monaſterij, ſiuè Conuentus*, ad tollendam difficultatem An appellatione fratrum veniant Monachi, & è contra, quia caſus loquitur de omnibus Regularibus.

Septa Monaſterij, quæ ſint, & quare ità dicantur.

Quare dicatur Monaſterij, ſiuè Conuentus.

13 Quapropter egreſſio facta à Regulari extra Monaſterium, ſiuè Conuentum, ſemper eſt caſus reſeruatus: eſt ergò ſenſus verborum, quod quotieſcumq; Religioſus furtiuè, egreditur à ſepta Monaſterij, ſiuè Conuentus animo apoſtatandi, incidit in caſum, cum hac tamen diſtinctione, quod ſi dimiſerit habitum Religionis temerariè incidit etiam in excommunicationem Canonis, ſi verò non dimittat habitum, licèt ſit Apoſtata non tamen eſt excommunicatus, pro vt dicit Graff. lib. 3. de caſib. reſeruat. c. 2. nu. 18.

Senſus verborum decreti, quis ſit.

Graff.

14 Aduertendum tamen eſt, quod Religioſi fratrum Minorum Capuccinorum à R. P. G. & vniuerſo Capitulo Generali, declarati ſunt ipſo facto eſſe excommunicati omnes quicumque apoſtatæ noſtrę Religionis, ſiuè habitu dimiſſo, ſiuè detento, vt habetur per noſtras Conſtitutiones: Vndè prædicta limitatio de habitu celato, ſiuè apparente apud Capuccinos non habet locum.

Limitatio Capuccinorum.
Omnes Apoſtatæ noſtræ Religionis ſunt excommunicati.

15 Peccatum ergò Apoſtaſiæ grauiſſimum crimen eſt, quia per apoſtaſiam ſit contra votum ſolemne Religionis. & tales Apoſtatæ dicũtur Infames, & ideò merito abſolutio iſtius criminis eſt reſeruata Prælatis, & incidunt in excommunicatione ipſo facto, & ſi per annum animo indurato in excommunicatione perſiſtant ad Religionem redire nolentes, ſunt ſuſpecti de hæreſi, tanquam in contemptum habentes claues Eccleſiæ, & ideò ab Inquiſitoribus S. Officij citari poſſunt, tanquam ſuſpecti de Fide Catholica; vt habetur in Opuſc. Inquiſitorum, ver. Apoſtaſia.

Apoſtaſia grauiſſimum peccatum eſt.
Perſeuerans per annũ in excommunicatione eſt ſuſpectus de hæreſi.

DE NOCTVRNA EGRESſione Conuentus.

CAP. III.

1 TErtius in ordine caſus reſeruatus per Decretum eſt: *Nocturna, & furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentus egreſſio, etiam animo non apoſtatandi facta*: Vndè tria concurrere debent, vt Monachus, ſiuè Religioſus in hũc caſum incidat: Primò, vt egreſſio ſit nocturna: Secundò vt ſit furtiua, & Tertiò, vt fiat talis egreſſio extra ſepta Monaſterij, ſiuè Conuentus, ideſt, clauſuram.

Tres cõditiones requiruntur, vt iſte ſit caſũ reſeruatus.

2 Quò ad primum egreſſio debet eſſe nocturna, ideſt tempore noctis: Nox, enim propriè dicitur abſentia Solis, & dicitur Nox à nocendo oculis, quandò tenebræ ſunt ſuper terram: Quæ quidem nox in ſeptem diuiditur partes, videlicet Veſperum, Crepuſculum, Cõticinium, Intempeſtiuum, Gallicinium, Matutinum, & Diluculum.

Primò debet eſſe egreſſio nocturna.
Nox, quid ſit & vndè dicatur.
7. Partes noctis.

3 Veſperum dicitur: Stella illa occidentalis, & Veſpertina, ità dicta, quæ Solem Occiduum inſequitur, & tene-

P. eſt veſperũ, & quid ſit.

Digitized by Google

tenebras præcedit ſequentes, & prima omnium ſtellarum Veſpere Lucere conſpicitur; Vndè per Veſperum propriè intelligitur illa pars diei, qua Sol Occidit, & incipit fieri Nox.

4 Crepuſculum, dicitur: Prima Lux dubia ante Solis ortum, vel ante diſparitionem totalis Lucis Solaris, quando videlicet incipit Polus albeſcere in Oriente, vel Albedo totaliter diſparet in parte Occidentali, quæ mediat, inter auroram, & tenebras.

2. Eſt Crepuſculum.

5 Conticinium dicitur: Primum illud tempus, quo omnia conticeſcunt, gratia quieſcendi, & propriè dicitur illa pars noctis, quæ mediat inter gallicinium, & Occaſum, ideò dictum conticinium, quod Galli conticeſcunt.

3. Eſt Conticiniũ, & quid ſit.

6 Intempeſtiuum dicitur illa pars noctis, quæ eſt hominibus importuna: Hoc eſt præter tempus loquendi, & propriè eſt tempus dormiendi, quando omnia ferè quieſcunt.

4. Intempeſtiuum.

7 Gallicinium, dicitur illa pars noctis, qua Galli ſolent cantare, quæ etiam dici ſolet quarta vigilia noctis, ſecundum caſtrenſium diuiſionem.

5. Eſt Gallicinium.

8 Matutinum tempus, dicitur Pars illa noctis, quando Matuta ſtella, ità dicta incipit apparere in noſtro Orizonte ante Auroram.

6. Eſt Matutinum.

9 Diluculum dicitur, Pars illa vicinior diei hoc eſt parua lux iam incipiens, quæ communiter, Aurora appellari ſolet ante ortum Solis, in qua omnia clarè patent.

7. Eſt diluculum.

10 His itaque prænotatis: Dicimus quod, vt Religioſus incidat in caſum, neceſsè eſt, vt egrediatur è Monaſterio, ſiuè è Conuentu tempore noctis: Vndè quando aliqua circumſtantia ex illis, quæ explicantur in caſu deſit, non eſt caſus reſeruatus: Ideò, vt ſit caſus reſeruatus oportet primò, vt egreſſio ſit nocturna, nam ſi eſſet diurna, etiam quod ſit furtiua, non incidit in caſum: Quapropter ſi quis egrediatur in crepuſculo diei, vel noctis, vel in illa parte, quæ dicitur Veſperum, vel in Aurora, quæ dicitur Diluculum, quæ non computantur in nocte non incidit in caſum: Nam huiuſmodi partes temporis computantur ad Diem, & non ad noctem: Non enim poteſt dici Nox, niſi ſint tenebræ ſuper terram: Et quando dubium vertitur in foro exteriori: An egreſſio facta fuerit in nocte, vel in Veſpere, aut Diluculo impetranda eſt in bonam partem, prout dicunt Graff. de caſib. reſer. lib. 3. c. 3. nu. 18. & Coriol. p. 2. c. 3. caſu 3.

Concluſio, quando eſt caſus reſeruatus.

In dubijs faciendæ eſt interpretatio in bonã partem.

Graff. Coriolanus.

11 Secundò egreſſio debet eſſe furtiua: Nam qui de nocte egreditur, ſed non occultè, non incidit in caſum: Quapropter dicimus, quod quæcumque furtiua, hoc eſt occulta, & nocturna egreſſio è Monaſterio, ſiuè Conuentu, ſiuè fiat habitu dimiſſo, ſiuè detento, ſiuè fiat, vt ſe celet ſuperiori, quia tunc dicitur fugitiuus, ſiuè cauſa laſciuiæ, etiam cum intentione iterum eadem nocte reuerſurus, ſiuè ex leui cauſa aſſociandi aliquem amicum ad malum finem exeuntem, ſemper eſt caſus reſeruatus, pro vt ſonant verba Decreti.

2. Conditio, vt egreſſio ſit furtiua.

12 Tertiò egreſſio talis nocturna debet eſſe facta extra Monaſterium, ſeù extra ſepta Cœnobij, ſiuè Conuentus, quomodòcumque illa ſint accepta (Hoc dico) quia ab aliquibus receptum eſt, vt per ſepta Monaſterij intelligantur muri domus, ſiuè Conuentus, non ſepes hortorum: In aliquibus autem Conuentibus, vt ſunt illi Capuccinorum receptum eſt, vt Clauſura ſe extendat etiam in horto: Vndè ſepes hortorum faciunt, apud nos Capuccinos clauſuram: Vbi ergò muri Conuentus recepti ſunt pro clauſura extra tales muros non licet cuicumque Religioſo de nocte furtiuè egredi, quia ſic inciderit in caſum.

3. Conditio, quod ſit extra Monaſterium.

Per ſepta Monaſterij, quid intelligatur.

13 Vbi autem ſepes hortorum receptæ ſunt pro clauſura: opus eſt, vt egreſſio nocturna, de qua loquitur caſus fiat extra ſepes ad hoc, vt ſit caſus reſeruatus, alioquin ſi quis egrederetur muros Conuentus de nocte, & quando eſſet in horto, nolet amplius egredi foras; & reuertitur in domum non incidit in caſum reſeruatum: pro vt notauit noſter Pater Coriolanus p. 2. de reſer. caſu 3.

Quando ſepes faciant clauſuram.

Coriolanus.

Sed quæritur hic: An ſi aliquis Religioſus, qui nimia impatientia, ſiuè tentatione agitatus egreditur ſepta Conuentus, ſiuè Monaſterij de nocte, & per duas, ſiuè tres horas noctis, durante illa tentatione, ſiuè impatientia proſequitur iter: Deindè in ſe reuerſus, pœnitentia ductus clam eadem nocte Monaſterium reuertitur: Incidat in hunc caſum reſeruatum? 14

Quæſitum.

Reſp. Affirmatiuè: Ità enim ſonant expreſsè verba Decreti per illam particulam (*etiam animo non apoſtatandi facta*) & Ratio huius eſt, quia talis egreſſio exiſtimatur mortifera: Non enim videtur quomodò huiuſmodi egreſſio poſſit excuſari à culpa mortali, cùm fuerit furtiua, & tempore noctis, & inſcio Prælato, Vndè iſte talis exiſtimatur tanquam fugitiuus: Ità Graff. d. c. 3. num. 23. 15

Solutio.

Graff.

Exiſtimo tandem, quod ſi egreſſio fuerit facta in illo tempore, in quo incipit apparere crepuſculum lucis ante Solis ortum, non eſſet caſus reſeruatus: ſumus enim in odioſis, & lex dicit: (*Egreſſio nocturna.*) Nam nox dicitur quando nihil Solis videtur, & non in Crepuſculo, quando Polus incipit albeſcere: Ità Graff. d. c. 3. num. 17. 16

In crepuſculo non inciditur in caſum.

Graff.

DE PROPRIETATE CONTRA PAVpertatis votum.

CAP. IV.

QVartus caſus in ordine Decreti eſt: *Proprietas contra votum paupertatis in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale*: Pro cuius intelligentia, eſt primò ſciendum, Tria requiri ſecundum Decretum ad hoc, quod ſit caſus reſeruatus: Primò, quod ſit vera Proprietas: Secundò quod ſit contra votum paupertatis, & tertiò quod Quantitas proprietatis ſit ſufficiens ad peccatum mortale: Vndè quando circumſtantia aliqua ex his deficeret, non eſſet caſus reſeruatus. 1

Tria requiruntur ad caſum proprietatis.

Prima ergò conditio eſt, quod ſit vera proprietas, quæ deriuatur à proprio: Nam, *Proprium eſt, quod de meo ſit tuum*: Vndè apud Regulares accipitur pro dominio vſurpato alicuius rei contra voluntatem Superioris: Et pro vt dicunt Archidiaconus in c. Non dicatis 12. q. 1. & Io. Andr. in c. Cum ad Monaſterium de Stat. Monach. *Quicquid celatur Abbati, ſeu Prælato ſuo, vel contra voluntatem eius tenetur eſt proprietas*: Et ſecundum Turrecrem. in d. c. Non dicatis num. 8. ad 5. *Proprium eſt omne illud, quod non eſt reſignatum in manu Prælati, & non adminiſtratur in communi vtilitate Monaſterij, neque eſt reſeruatum in communi Cuſtodia*: Quapropter dicit Nauarr. lib. 3. conſ. de Regul. c. 75. nu. 49. *Proprietarius dicitur Religioſus ille, qui tenet aliquid occultè, & contra voluntatem ſui ſuperioris.* 2

Proprium quid ſit.

Proprietas quid ſecundum Archidiaconum, & Io. Andr.

Quid ſecundum Turrecrematam.

Nauarr.

Ex quo patet duo ſimul concurrere debere adhoc, quod Religioſus ſit proprietarius: Primò, quod retineat aliquod occultè, & ſecũdò: quod ſit contra ſuperioris voluntatem; ſi enim alterum deficiat non diceretur ſimpliciter proprietarius (vt puta) ſi ſine licentia ſuperioris, non occultè, ſed palam rem illam teneat, vt non ſolùm ſuperior, verùm etiam alij fratres illam videre poſſent, dum tolerat ſuperior, non eſt cenſendus proprietarius: Si verò ſuperior contradicat, & non dimittat, tunc talis Religioſus puniendus 3

Duo requiruntur vt Monachus dicatur proprietarius. Retinens aliquod contra voluntatem ſuperioris publicè, non eſt proprietarius, ſed inobediẽs. Coriolanus.

eſt

Digitized by Google

eſt, non quidem tanquam proprietarius, ſed tanquam inobediens: Ità Coriolanus libr. de Caſib. reſeru. p. 2. caſu 4.

Propoſitum reſignandi in manu Prælati excuſat.

4 Hinc ſequitur primò, quod ſi aliquis Religioſus rem aliquam teneret, vel actu reſignatam in manu Prælati, vel ſaltem cum propoſito, & præparatione animi reſignandi quotieſcumque Prælatus voluerit, non eſſet cenſendus proprietarius, & per conſequens non incideret in caſum, eò quod deficiant conditiones illæ, quæ ad proprietatem inducendam requiruntur.

2. Caſus.

5 Secundò Infero, quod, ſi Superior conceſſerit ſubdito ſuo vſum, ſeù dominium alicuius rei, poterit dictus Superior hanc licentiam ſemper ad libitum reuocare: Quàpropter, ſi talis Religioſus negaret reddere Superiori ſemel conceſſum, vel non eſſet animo præparatus ad reſignandum ipſi Superiori quotieſcumq; voluerit, tunc talis eſſet proprietarius, & per conſequens tale peccatum eſſet reſeruatum.

3. Caſus. Accipiens res communitatis ſine licentia: an incidat in caſum?

6 Tertiò Infero, quod ſi Religioſus dono rem aliquã acciperet, vel à conſeruatorio bonorum caperet habitus, veſtes, calceos, & ſimilia ſine Superioris licentia, quamuis demus, quod talis faciat contra Regulam promiſſam, ſiuè obedientiam Prælati; Non tamen eſſet proprietarius, ſi ea detineret, tanquam dependentia à voluntate Superioris, & in loco patente: Ità Diu. Thom. 2. 2. q. 186. A. 6. Sylu. Verbo Religio 6. nu. 7. Nauar. in c. Non dicatis 12. q. 1. nu. 17. & lib. Conſ. 3. de ſtatu Monach. & colligitur ex doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 1. & 2. & ex c. Exijt de Verb. ſignif. in 6. & ex Clement. Exiui.

D. Thom. Sylu. Nauarr. Concil Trid. C. Exijt. Clem. Exiui.

2. Cõditio eſt quòd ſit contra votũ paupertatis.

7 Secunda conditio eſt, quod talis proprietas ſit contra votum paupertatis, & ideò Videndum eſt: An quælibet proprietas ſit peccatum mortale, & per conſequens ſit caſus reſeruatus?

Quæ quantitas faciat peccatũ mortal. ? ſent. aliquorum. Nihil ſibi approprient.

8 Reſpondetur, quod licèt in Religione Franciſcana aliqui Patres exiſtimaſſent in principio, Quamlibet proprietatem, etiam minimam in quacumque quantitate eſſe prohibitam ex vi Regulæ promiſſæ, in qua adeſt præceptum illud in cap. 6. dicens: *Fratres nihil ſibi approprient*: Nam, qui dicit Nihil, omnia excludit, quàpropter exiſtimabant fratres, vt ſi quis appropiaret ſibi quamcumque rem occultè, etiam minimam eſſet proprietarius, ſi rem illam teneret occultè, & cõtra Superioris voluntatem, & hoc ratione præcepti Regulæ, vbi eſt additio (*Nihil*) & exemplificant de illo, qui promittit dicere Roſarium cum expreſſa illa conditione, non relinquendi, neque vnum Aue ex illis, quæ in qualibet decade Roſarij continentur, tunc iſte talis ſic vouens non poſſet illud relinquere abſque fractione voti: ſic dicebant ipſi, cùm Fratres Minores promittant per votum obſeruare Regulam D. Franciſci, vbi ſunt verba illa: (*Nihil ſibi approprient*) tunc ſequitur apud Fratres Minores omnem proprietatem cuiuſcumque rei eſſe peccatum mortale contra præceptum Regulæ promiſſæ, pro vt referunt Politius, & Coriolanus, locis infra citandis &c.

Fundamentũ huius ſententiæ.

Reijcitur iſta ſententia.

9 His tamen non obſtantibus; abſolutè dicimus; Negando appropriationem rei minimæ facere Minoritam proprietarium, & reum peccati mortiferi; & Ratio huius eſt, quia licèt omnis tranſgreſſio præcepti, obligantis ſub pœna peccati mortiferi, ſit regulariter mortifera, fallit tamen quoties vna de tribus illis conditionibus à Nauarro in Man. c. 11. nu. 4. occurrit, Videlicet Rei paruitas, ſubreptio mentis, vel defectus iudicij ad id ſufficiens: At in propoſito in trãſgreſſione præcepti Regulæ (*de Nihil ſibi appropriando*) per huiuſmodi appropriationem occurrit paruitas rei, vt ſupponitur, ergo illa non eſt mortifera.

Nauarr. Paruitas rei excuſat à mortali.

10 Deindè Præcepta Regulæ non ſunt fortiora, quam Diuinum præceptum de non furando, quod ſecundùm omnes excuſat à culpa mortali, quando furtum eſt in parua quantitate; pro vt dicunt D. Thom. 1. 2. q. 88. A. 5. & Nauar. lib. 5. Conſ. de Regul. Con. 75. nu. 10. & Coriolanus p. 2. de caſib. reſer. caſ. 4. cum alijs communiter, ergò idem dicendum eſt de Minoritis, non enim poteſt eſſe peccatum mortale, niſi res appropriata ſit in debita quantitate.

Præcepta Regulæ nõ ſunt fortiora præceptis diuinis. D. Thom. Nauarr. Coriolanus.

11 Nec valet dicere: Ratione voti ad id teneri: Non enim præcepta Regulæ ſunt vota, ſed præcepta, pro vt dicit Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 26. A. 4. Quàpropter concludendo dicimus, quod licèt omnis appropriatio ſit proprietas apud Regulares. Negamus tamen ſemper eſſe peccatum mortale, niſi ſit in debita quantitate ſufficiente ad peccatum mortale conſtituendum: quàpropter Decretum addidit verba illa: *In ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.*

Reſp. tacitæ obiecti oni. Præcepta Regulæ nõ ſunt vota. Rodriq.

12 Ex quo ſequitur 3. conditio, quod huiuſmodi proprietas debet eſſe in ea quantitate, quæ ſit ſufficiens ad conſtituendum mortale peccatum ad hoc, quod Regularis incidat in caſum reſeruatum: quàpropter oportet explicare qualis ſit debita quantitas, quæ ſit ſufficiens ad peccatum mortale: non enim circa hoc omnes conueniunt, & multæ ſunt Doctorum opiniones, cùm hoc non ſit in iure determinatum, & ideò vniſquiſque loquitur probabiliter.

3. Cõditio In ea quãtitate, quæ ſit p. m. Diuerſitas opinionũ circa quantitatẽ proprietatis.

13 Nauarrus in man. c. 17. num. 3. exiſtimauit medietatem Iulij, ſiuè Carleni eſſe ſufficientem ad peccatum mortale, tam in furto, quam in proprietate Regularium: Verùm tamen poſtea in 1. tom. Conſ. de Regul. Conſ. 75. num. 18. dixit: Appropriationem, vſque ad vnum Iulium, ſiuè Regale non eſſe peccatum mortale, ſed ſi excedat ſic; Ità etiam tenet Graſſius lib. 3. de Reſer. c. 7. num. 7. Rodriq. verò in ſum. tom. 1. cap. 150. num. 6. ait, quod licèt inter homines communes proprietatem poſſet extendi vſque ad quantitatem quatuor, aut quinque Iuliorum, quod idem exiſtimat Pater Sorbus in compend. priuil. in Bulla de largit. mun. Inter pauperes autem, vt ſunt Fratres Minores ſufficere quantitatem vnius Iulij, aut ad ſummum duorum Iuliorum, quod etiam idem exiſtimat Steph. Quaranta in ſum. Bullarij de caſib. reſer. nu. 9. quibus non videtur contradicere Coriolan. loc. cit.

Opinio Nauarri. 2. Opinio de vno Iulio. Graff. Rodriquez. 3. Opinio de duob. Iulijs. Sorbo. Quaranta. Coriolanus.

14 Et licèt proprietas videatur ſonare in pecuniam, tamen cùm pecuniæ nomen, non ſolùm numerata pecunia veniat, ſed omnes etiam res tam mobiles, quam immobiles: ideò dico, quod hic includitur proprietas, non ſolùm pecuniæ numeratæ, ſed etiam cuiuſcumque rei mobilis, ſiuè immobilis de illo pretio ſupra dicto: Ità Graff. & Coriolan. loc. ſupra citatis.

Proprietas etiam intelligitur de pecunia rerum. Graff. Coriolanus.

15 Vndè ſequitur, quod, Si Religioſus ſine premiſſu ſuperioris aliquod haberet proprium in illa quantitate, quæ conſtituat peccatum mortale, vel ſi de qualitate aliquid celauerit ſuperiori, aut ſi cum licentia aliquod detineat, tamen ad iuſſum ſuperioris reddere, & dimittere, non eſſet paratus, diceretur proprietarius: Vndè proprietarij noſtri temporis multi ſunt: Qui enim vſum rerum ſibi appropriant, ſicut ſi eſſent res propriæ, verè proprietarij dicuntur, pro vt dicit Graff. d. c. 4. nu. 21.

Nota diligenter. Proprietarij noſtri tẽporis multi ſunt. Graff.

16 Incidit etiam in caſum proprietatis Religioſus ille, quando ſuperior conceſſerit ei facultatem retinendi ad ſuum vſum rem aliquam, quam ille occultat tempore viſitationis, vt ne ſucceſſor ſuperioris illam auferat, pro vt docent D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 11. §. 2. & Azor. lib. 12. c. 12. q. 3. & Graff. d. c. 4. nu. 26.

Occultans rẽ aliquam tempore viſitat. incidit in caſũ. D. Anton. Azor. Graff.

17 Incidit etiam, ſecundùm Graſſium in caſum Religioſus, qui dat alicui, etiam per Eleemoſynam de rebus Monaſterij, ſiuè Conuentus contra Superioris volun-

Dare, prẽmutare, aut recipere ſine licẽtia facit actũ proprietatis.

luntatem, modò ſit talis quantitas, quæ conſtituat peccatum mortale, ſic etiam ſi permutet, vendat, & huiuſmodi; nam mutuum de meo fit tuum, & quæcumque proprietas facta à Regulari in illa quantitate, quæ peccatum mortale conſtituat, facit caſum hunc reſeruatum proprietatis, vt patet ex littera Decreti.

18 *Res conceſſæ à ſuperiore quomodo cõceduntur.* Sic etiam ſi Religioſus habens aliquod de Superioris licentia pro aliqua re facienda, ſi de eo aliquid ſupereſt, non poteſt talem rem ad libitum diſpenſare, ſed tenetur reſtituere Monaſterio, aliàs eſſet proprietarius: Nam res illæ intelliguntur conceſſæ, non pro libitu ſuæ voluntatis, ſed pro ſuis veris neceſſitatibus, quàpropter neceſſitate ceſſante, intelligitur res illa denegata, pro vt habetur tx c. Quod pro remedio 1. q. 7. Graff. c. 4. nu. 40. *C. quod pro remedio. Graff.*

19 *Concluſio.* Concluditur ergò, quod: Quicumque emit, dat, recipit, aut permutat, ſiuè facit Eleemoſynam ſine ſui ſuperioris licentia in illa quantitate, quæ peccatum mortale conſtituat, incidit in caſum; Similiter etiam, *Nota Graſſij opinionem de Veſtiario.* Secundum Graſſium d. c. 4. nu. 35. Religioſus dici poteſt proprietarius, qui petit indumenta à ſuo Superiore, non indigens illis, ſed pro auiditate; Nam iſte talis aufert illud, quod alijs Religioſis eſſet profuturum contra votum promiſſæ paupertatis, quod ſemper intelligitur in ea quantitate notabili, aliàs ſecus, & niſi adſit tacitus conſenſus Superioris.

DE IVRAMENTO FALSO IN IVDIcio Regulari,

CAP. V.

1 IVramentum falſum in Iudicio regulari, ſiuè legitimo eſt quintus caſus reſeruatus in ordine Decreti pro Regularibus: Quapropter pro intelligentia huius caſus

Iuramentum deriuatur à Iure. Eſt primò Notandum, quod: Iuramentum deriuatur à Iure, Nam illud quod iuratur, pro lege, ſiuè iure eſt habendum: Vndè idem ſignificat iuramentum, quod iuſiurandum, ſiuè Sacramentum.

2 *Iuramentum dup. Iudiciale, & extra Iudiciale.* Iuramentum autem in genere ſumptum, Duplex eſt: Videlicet Iudiciale, & Voluntarium, quod eſt extra iudiciale, quod voluntate, & conuentione partium ſuſcipitur, de quo non loquitur Decretum in caſu, Sed de Iuramento Iudiciali, quod eſt illud, quod datur à Iudice competente, ſiuè à Superiore teſtibus legitimè interrogatis, ac etiam ipſi reo, quando proceditur iuris ordine ſeruato, vt veritatem deponat, ſiuè confiteatur, & de hoc loquitur caſus.

3 *Teſtis interrogatus, & reus iuridicè quando tenetur dicere veritatem.* Quàpropter Regularis, vocatus à Prælato ſuo in iudicio, tanquam teſtis, & dato iuramento, de veritate dicenda, ſiuè tacto pectore, quando eſt Sacerdos, ſiuè tactis corporaliter ſcripturis, ſi non ſit Sacerdos, iurat, & dicit falſum teſtimonium, tam aſſerendo ea, quæ vera non ſunt, tam tacendo ea, quæ vera noſcuntur malitioſè, & tunc iſte talis non ſolùm peccat mortaliter peccato periurij, verum etiam incidit in caſum reſeruatum.

4 *Quæ cõditiones requiruntur ad faciendum caſum reſeruatum. Teſtis ſpontaneus non dicitur iuridicè interrogatus.* Vndè, vt caſus iſte ſit reſeruatus oportet, vt iuramentum falſum factum ſit à Religioſo in iudicio corã Superiore, vel coram alio iudice competente, & ab ipſo interrogatus ſit cum iuramento, quia ſi ex ſe ipſo voluntariè deponat abſque ipſius iudicis interrogatione, non incidit in caſum, quamuis mentiendo mortaliter peccet: & Ratio huius eſt, quia teſtis ſpontaneus non dicitur iuridicè interrogatus à Iudice.

5 *Teſtis, & reus includuntur in caſu,* Verùm eſt tamen, quod comprehenditur ſub littera, tum is, qui examinatur, vt principalis, tum is, qui tanquam teſtis, ſi falſum dixerit de ijs, quæ dicere tenebatur, cùm Decretum ſimpliciter loquatur de Iuramento falſo in iudicio; Ità Coriol. de Caſib. reſer. p. 2. caſu 5. (Dixi de ijs, quæ dicere tenebatur) Nam quando non eſſet facta ſaltem ſemiplena probatio, reus nõ tenetur proprium confiteri delictum, eò quod non ſit interrogatus iuris ordine ſeruato. *Coriol. Quando reus non tenetur dicere veritatem.*

Iuramentum falſum dicitur, quando depoſitio facta, ſecundum leges caret primordio veritatis, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem: propriè enim falſitas, dicitur: Mutatio veritatis doloſa contra iudicis intentionem interrogantis, quæ tripliciter fieri poteſt; Primò re tantum; Secundò animo tantùm, & tertiò re, & animo ſimul. 6 *Iuramentum falſum, quid ſit. Trip. fieri poteſt.*

Primò itaque, Re tantum, & non animo mẽtiendi, eſt quando adhibita diligentia iurat verum eſſe, quod in ſe non erat tale, credens eſſe verum, quod iurat abſque malitia, ſed ſolum ex inaduertentia inculpabili, & iſte talis excuſabitur à peccato, ſaltem mortali, cùm non ſit peccatum, niſi voluntarium; cognita tamen veritate, tenebitur ſe rectractare, ſi poteſt propter damnum tertiæ perſonæ, ſi adſit. 7 *P. re tantum ſine animo.*

Secundò, Animo tantum, vt quando quis credit aliquod eſſe falſum, quod in ſe erat verum, & tamen contra conſcientiam pro certo iurauit, quàpropter in tali iuramento peccauit mortaliter, & per conſequens incidit in caſum reſeruatum, quia coram Deo teſtis eſt falſus, qui potius inſpicit animum, quam opus; pro vt habetur ex can. Si cui de Pœnit. D. 1. 8 *2. Animo tantum. C. Si cui de Pœnit.*

Tertiò Re, & animo ſimul fallendi, vt cùm quis ſcit aliquod eſſe falſum, & de certa ſcientia iurat contra veritatem, & tunc iſte talis grauius peccat, quam ſecundus, & non ſolùm incidit in Caſum, ſed etiam tenebitur omnem diligentiam adhibere, vt infamatus ab infamia liberetur, retractando ſe ab illo, quod falsè depoſuerat, aliter enim non eſſet abſolutionis capax, pro vt dicunt D. Ant. in ſum. Defecerunt in 8. præcepto, Soto de Iuſt. & Iure lib. 4. q. 6. A. 3. Verſ. Sed tamen, Nauar. in Man. c. 15. num. 17. Graſſius de Caſib. reſer. lib. 3, c. 5. num. 29. Additur tandem: (*In iudicio regulari, ſiuè legitimo*) ad denotandum, quod ad hoc, vt ſit caſus reſeruatus tale falſum iuramentum debet eſſe factum coram ſuperiore, iuridicè interrogante ipſum deponentem, vel tanquam teſtem, vel tanquam reum, ſiuè talis iudex ſit Superior, ſiuè alius delegatus, ſiue Inquiſitor, ſiuè Nuntius, &c. dum tamen habeat in eum iuriſdictionem. 9 *3. Re, & animo ſimul. Teſtis falſus, ad quid tenetur. D. Ant. Soto. Nauarr. Graſſius. In iudicio regulari, ſiuè legitimo.*

Itàque ex dictis inſero primò quod, vt caſus iſte ſit reſeruatus oportet, Iuramentum falſum eſſe factum à Religioſo iuridicè coram ſuperiore ſuo in iudicio interrogato: Vel ſi iurauit dicere puram, & integram veritatem, & nihilominus multa abſcondit ex his, quæ nouerat: ſecundum D. Tho. 2. 2. q. 70. A. 4. 10 *P. Concluſio. D. Thom.*

Secundò comprehenditur in littera, tam ille, qui fuit examinatus, tanquam principalis, vel tanquam teſtis, ſi falſum dixit, vel veritatem negauit de ijs, quæ dicere tenebatur; & Ratio huius eſt, quia Decretum ſimpliciter dicit: *Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſiuè legitimo*; Ità Graff. d. c. 5. nu. 20. 11 *2. Concluſio. Graff.*

Tertiò etiam incidit in caſum Religioſus ille, qui à Iudice competente, iuris ordine ſeruato; hoc eſt ſemiplena probatione, aut fama, iuxta indicijs competentibus, interrogatur de aliquo facto, & ipſe reſpondit præter intentionem interrogantis, hoc eſt falſum in ore, quamuis aliud intendat in mente, & Ratio huius eſt, quia iſte talis peccat mortaliter, & dicit falſum; Nam verba iuramenti in iudicio accipienda ſunt ſecũdum intentionem dantis, non autem ſecundum intentionem iurantis, pro vt dicit Nauarr. in man. c. 12. nu. 18. & c. 18. num. 57. & Didacus de Pactis lib. 6. § 5. 12 *3. Concluſio. Reſpondere Iudici interroganti præter intentionem non licèt. Nauarr. Didacus de Pactis.*

Quod

Quod ſecus eſſet, ſi interrogatus fuiſſet à iudice non competente, ſiue de aliquibus, quorum teſtimonium ferre non teneretur, & iurare compellitur, quia tunc non inciderit in caſum ſecundum prædictos Doctores citatos.

13 Quartò etiam infero: In caſum incidere Religioſum illum, qui à Iudice competente, ſiuè Superiore, interrogatum præſtito iuramento, de pura veritate dicenda aliquid occultat ex eo, quod præceſſerat iuramentum ante factum de tacendo ſecretum: Nam tale iuramentum non eſt ſeruandum, quando immineret rationabile nocumentum contra bonum commune, ſiuè particularem perſonam, pro vt dicit Innocentius in c. Qualiter de Accuſat. Interpretatur enim iuramenta, niſi fuerit productus in teſtem: Quàpropter iuramentum tale cum propriæ ſalutis interitu non eſt obſeruandum: Nam taciturnitas veritatis in caſu inducit peccatum mortale: c. Quiſquis 1. quæſt. 1.

4. Concluſio. — Iuramentum ante factum quando non obligat. — Innocentius III. — C. Quiſquis.

14 Quintò tandem: Infero comprehendi etiam ſub littera Reum iuridicè interrogatum, ſi negat delictum, quod in iudicio confiteri tenetur: Vndè negando veritatem peccat mortaliter contra iuramentum iuridicè datum: & ideò incidit in caſum reſeruatum, pro vt dicit Graff. d. cap. 5. de caſib. reſeru. num. 34. & in p. 1. Deciſ. libr. 3. cap. 7. numer. 16. diffuſius probat.

5. Concluſio. Reus quando tenetur dicere veritatem contra ſeipſum. — Graff.

15 Notandum autem, quod mandans, aut conſulens, quod aliquis falſum iuramentum in Iudicio Regulari faciat, ſiuè tacendo veritatem contra iuramentum, iuridicè datum, ſiuè falſum dicat, non incidit in caſum reſeruatum, quamuis mortaliter peccet: & Ratio huius eſt, quia falſum teſtimonium requirit actum perſonalem ipſius teſtificantis contra iuramentum: Vndè non poteſt propriè committi per alium: Quare mandans, ſiuè conſulens non comprehenditur in caſu, qui non dicitur verè facere, ſed tantummodò interpretatiuè: At Decretum nullam mentionem facit in hoc caſu de mandantibus, & conſulentibus, ſed tantùm dicit: *Iuramentum falſum in iudicio*: hoc eſt per ſe ipſum, & non per alium: Fallit autem in hoc caſu Regula illa: *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*, quia in hoc caſu ipſe conſulens, ſiuè mandans verè non facit falſum iuramentum: Ità Graff. d. c. 5. nu. 25. Pœnæ autem non ſunt ampliandæ, ſed potius reſtringendæ ſecundùm Canoniſtas.

Mandantes, & conſulẽtes non incidunt in caſum reſeruatum. — Mandantes, conſulentes dicuntur facere interpretatiuè. — Graff.

16 Notandum etiam ſecundò; quod quando aliquis interrogetur à Iudice: An talem rem ſciat, quam ipſe non nouit de cauſa ſcientiæ, ſed tantùm ex dicto alterius, Tunc ſi teſtis interrogatus reſpondeat: Se neſcire, non incidit in caſum, quia illud, quod tantùm audiuit, propriè neſcire dicitur: Quod notandum eſt: pro excommunicationibus, Fulminatis contra ſcientes talem, vel talem rem, nam in caſu, ſcientes tantùm ex dicto reuelare non tenentur, quia propriè non dicuntur ſcire, pro vt aduertit Graffius d. capit. 5. numer. 26.

Sciens ex dicto: An teneatur teſtificari. — Graff.

DE ABORTV MVLIERIS Grauidæ.

CAP. VI.

SExtus caſus in ordine eſt: *Procuratio, Auxilium, ſeu Conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.*

1 Caſus iſte clarus eſt, & ideò longa expoſitione non indiget, cum verba Decreti ſint clariſſima: Hoc tamen eſt, primò Notandum, quod vt caſus iſte dicatur reſeruatus, omnia quæ in caſu ſunt poſita copulatiuè concurrere debent, quod Videlicet: Mulier verè ſit grauida, & quod fœtus ſit animatus Anima rationali, & quod detur potio, ſiuè auxilium, ſiuè conſilium ad abortum faciendum cum tali intentione, alioquin non eſſet caſus reſeruatus.

Quæ conditiones requiruntur ad ſciendum caſum.

Quàpropter, ſi Religioſus caſu diceret per modum loquendi aliquod remedium ad abortum faciendum, neſciens, ſeù non aduertens mulierem eſſe grauidam: At illa audiens vteretur remedio illo ad faciendum abortum, talis Religioſus non incideret in caſum: & Ratio huius eſt, quia non doloſè dixit, ſed ſimpliciter, & inaduertenter, & talis abortus, ſiuè remedij applicatio fuit præter intentionem illius Regularis: Ità Coriol. p. 3. de caſib. reſer. caſu 6. Nam prouocatio, auxilium, ſiuè conſilium, requirunt ſcientiam, quod Videlicet ſciens, & malitioſè huiuſmodi fiant à Regulari ad abortum ſequendum poſt animatum fœtum: Ità Graff. c. 6. nu. 1. lib. 3. 2

Declarans ſecretum ſimpliciter non incidit in caſum. — Coriol. — Graff.

Secundò Infero, quod ſi etiam daretur conſilium, aut applicetur remedium aliquod ad faciendum abortum, dum tamen fœtus non adhuc ſit animatus Anima rationali in ventre prægnantis non incideret in caſum huiuſmodi Religioſus, cuius ratio eſt, quia Decretum dicit: (*Poſt animatum fœtum.*) 3

Ante animationem fœtus non incidit in caſum.

Dicitur autem infantulus in ventre matris animatus poſtquam eſt totaliter perfectionata perſona cum omnibus membris, & lineamentis neceſſarijs ad vitã: Vndè dicunt Medici, quod fœtus Maſculi animatur in ventre mulieris prægnantis poſt quadraginta dies ſuæ conceptionis: tunc enim Anima rationalis tanquam forma corporis phyſici organici Creatur à Deo, & infunditur corpori, iam organizato in neceſſarijs ad vitam: Ità Graffius lib. 3. de caſib. reſer. c. 6. In fœminis autem ad animationem requiritur ſpatium octoginta dierum, pro vt communiter dicunt Medici, & Philoſophi de hoc agentes. 4

Quando dicitur fœtus animatus. Maſcul' poſt 40. dies. — Graff. Fœmina poſt 80. dies.

Non agimus hic de qualibet animatione pro caſu reſeruato, ſed animatione Animæ rationalis. Nam licèt, quod eſt animatum anima ſenſitiua, vel vegetatiua in Embryone, dicatur animatum, non tamen eſt animatum anima rationali, quàpropter ſi quis procuraret abortum peccaret mortaliter, non tamen inciderit in caſum reſeruatum, ſed requiritur, quod fœtus non ſolùm ſit animatus, vt incidat in caſum reſeruatum, verùm etiam, quod ſit animatus anima rationali, & ſecuto effectu, irregularitatem incurret: Nam cùm talis proles, iam ſit animata, Anima rationali, prouocans ad abortum efficitur homicida, effectu ſequuto, pro vt dicit Diu. Thom. in 4. D. 31. ſup. litt. magiſt. & omnes communiter, qui de Irregularitate tractant. 5

D. Thom.

Tertiò Infero, quod ſi aliquis Religioſus daret aliquod medicamentum, ſiuè remedium, ſiuè poculum alicui mulieri, vt faciliter illa poſſet ingrauidari, At illa, eo ſumpto, cum occultè eſſet grauida faciat abortum; Exiſtimo talem Religioſum non incidere in caſum: Nam talis non applicauit remedium ad abortum faciendum, & non venit contra legem occidendi in vtero matris, ſed potius ad generationem futuræ prolis, propter bonum mulieris, & talis abortus ſequutus fuit præter intentionem dantis, aut conſulentis: Non poteſt autem eſſe peccatum ſine voluntate committentis, pro vt docet Graff. libro 3. de caſib. reſeru. cap. 6. 6

Sequuto abortu præter intentionem dantis remedium non incidit in caſum. — Non eſt peccatum, niſi voluntarium. Graff.

Quartò Infero, quod talis procuratio ad abortum faciendum pluribus modis fieri poteſt: Potione Videlicet, baculo, onere, actionibus timoroſis, alijſque modis ad talem finem conſequendum: Quàpropter quotieſcumq; Religioſus applicauerit aliquod huiuſ- 7

Quibus modis poteſt fieri prouocatio abortus.

modi

Digitized by Google

modi mulieri grauidæ ad abortum faciendum, etiam quod poſtea effectus aborti conſequutus non fuerit, dicitur tamen caſus reſeruatus, quia iam mulier accepit poculum datum, ſiuè conſultum ad faciendum abortum cum tali intentione, & ideò incidit in caſum: pro vt dicit Graff. p. 1. D. lib. 2. c. 36.

Etiam non ſecuto effectu incidit in caſum.
Graff.

8 Similiter etiam dico, quod: Si aliqua mulier prægnans eſſet in periculo mortis, & aliquis Religioſus applicaret illi aliquod remedium, ſiuè conſilium daret ad faciendum abortum, quamuis moueatur ad bonum finem, Vid. ad præſeruandam mulierem à morte: Incidit tamen in caſum, quia non ſunt facienda mala, vt indè veniant bona: Hoc intellige, ſi proles in maternis eſſet iam animata, & viuens, & animata rationali Anima, non autem ſi iam eſſet mortua in vtero, Ità docent Sylu. V. Medicus §. 4. & Coriol. de caſ. reſer. p. 2. caſ. 6. §. 3.

Non excuſat bona voluntas dandi remedium.
Non ſunt facienda mala, vt veniant bona.
Sylu.
Coriol.

9 Vltimo tandem concludendo dico, quod: ad hoc, vt Regularis incidat in hunc caſum reſeruatum, ſufficit quodcumque auxilium, ſiuè conſilium quomodocumque præbat, ſiuè circa potionem conficiendam, ſiuè circa portationē ipſius potionis, ſiuè perſuadeat mulierem, vel quomodocumque adiuuet ipſam ad tale facinus faciendum, ſiuè ad hoc præſtet conſiliū, &c. Nam ſemper in his omnibus peccat mortaliter, & ſi proles eſt animata, incidit in caſum reſeruatum: & ſequuto aborto, fit irregularis: pro vt dicunt Graff. & Coriol. locis ſupra citatis.

Cōcluſio breuis, quando incidit in caſum.
Graffius, & Coriol.

10 Notandum tamen, quod Sixtus Papa V. Romæ anno Domini 1588. edidit quamdam Conſtitutionem, in qua definiuit aduerſus quaſcumque perſonas, ſiuè Eccleſiaſticas, ſiuè Sæculares, ſiuè Regulares quorumcumque Ordinum, qui venenoſis medicamentis, potionibus, ſiuè alijs modis, quibuſcumque abortus maturi, ſiuè immaturi animati, ſiuè inanimati fœtus eiectionem prouocauerint, ſiuè conſilium dederint, aut potiones, ne mulieres concipiant propinauerint, ſiuè conſilium dederint, deponendi, & degradandi eſſent à Iudicibus Eccleſiaſticis, ac curiæ ſæculari poſtea tradendi, vt capitalem pœnam patiantur, & ipſo facto excommunicauit, reſeruãdo abſolutionem Sedi Apoſtolicæ.

Decretum Sixti V. contra procurantes abortum.
Pœna impoſita contra tales perſonas.

11 Verùm tamen eſt, quod poſtea Gregorius XIV. anno 1591. Conſtitutionem prædictam in hunc modum moderauit, vt dicta excommunicatio ſibi, & ſucceſſoribus reſeruata quilibet confeſſarius approbatus ab Ordinario, & ad confeſſiones audiendas deputatus poſſet à dicta excommunicatione in foro conſcientiæ tantùm abſoluere: Prælati verò Regularium per eorum priuilegia etiam in foro exteriori poſſunt ſuos ſubditos de hoc crimine conuinctos abſoluere, iuxta eorum ſtatuta, pro vt fusè tractat de hoc Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 33. A. 4. ſub titulo: Qua pœna ſint puniendi venefici.

Moderatio pœnæ facta à Gregorio XIV.
Priuilegium Regularium circa hanc abſolutionem.
Rodriq.

12 Ex quibus patet, quam graue, & execrandum ſit hoc ſcelus, & præcipuè in Regularibus perſonis, ſeruitio Dei dicatis, vndè meritò abſolutio talis criminis reſeruata eſt tantummodò Prælatis per Decretum.

Grauitas huius Criminis.

DE FALSIFICATIONE MANVS, ſiuè ſigilli Officialium Monaſterij, ſiuè Conuentus.

CAP. VII.

1 SEptimus in ordine caſus eſt: *Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij, ſiuè Conuentus,* quod eſt peccatum graue, & ideò meritò in Religonibus abſolutio ipſius reſeruata eſt Prælato cum ſit in præiudicium Monaſterij, ſiuè Conuentus tale delictum.

Ratio reſeruationis huius caſus.

Falſificatio ergò ſecundum Hoſtienſem, eſt immutatio veritatis ex certa ſciētia: Non enim committitur falſitas ſine dolo: Litteræ autem dicuntur falſæ, ſiuè falſificatæ multipliciter, vt habetur in Gloſſa: in c. In memoriam, D. 19. & in c. Licèt de Crimine falſi. Manus multipliciter in iure accipitur, vt videre eſt apud Graffium de caſib. reſer. lib. 3. cap. 7. num. 1. Hic verò accipitur pro falſificatione ſcripturæ, quæ fit manu alterius loco alicuius officialis Conuentus, ſiuè Monaſterij, vel falſificando manum cum dolo, vel radendo partem, & applicando aliam, vel falſam chartam de nouo fabricando, & deindè apponendo falſam ſubſcriptionem.

Falſificatio quid ſit ſecundum Hoſtienſem.
Gloſſa in c. In memoriam.
2 Graffius.
Falſificatio manus, quid ſignificet.

Additur (*ſiuè ſigilli*) Ly, aut ſiuè, vel eſt particula diſiunctiua, & ſignificat: Vel; ideò, vt aliquis Religioſus incidat in hunc caſum ſufficit, & vnum, aut alterum falſificetur, manus videl. aut ſigillum. 3

Siuè ſigilli.

Sigillum dicitur ſignum illud, quo ſigillantur, & clauduntur litteræ miſſiuæ, ne ab alienis legantur, quapropter ſigillum litterarum violans grauiter peccat. Nam iniuriam facit mittenti litteras, & ei, cui diriguntur: Ideò enim litteræ ſigillo clauſæ mittuntur, ne ab alienis legantur, prout dicit Ananias in c. cum olim De Offic. Delegat. nu. 1. 4

Sigilli, quid ſit.
Aperiens litteras ſigillatas grauiter peccat.

Quàpropter Religioſus ille, qui cum dolo falſificat ſigillum Prælati Monaſterij, ſiuè Conuentus, ſiuè eius vices gerentis, in quo ſigillo, vt plurimum impreſſum eſt nomen, ſiuè ſignum Monaſterij, quo vtuntur officiales dicti Monaſterij, quando ſubſcribunt aliquas apodixas, ſiuè ſchedulas authenticas: Vndè ſi quis tale ſignum dolosè violauerit incidit in caſum reſeruatum: Nam ſigillum Monaſterij dicitur eſſe Prælati, & Monaſterij, & Monaſterium dicitur eſſe in Prælato c. ſcire debes. 7. q. 1. 5

Falſificatio ſigilli Monaſterij, quid ſit.
C. ſcire debes.

Officiales autem Monaſterij, ſiuè Conuentus diuerſimodè intelliguntur, iuxta varietatem Religionum: Nam in Monaſterijs Monachorum ſunt Abbas, Prior, Cellararius, Procurator, & huiuſmodi. In Monaſterijs monialium ſunt Abbatiſſa, Priorìſſa, Vicaria. In Conuentibus ſunt Generales, Prouinciales, Procurator Generalis: Prior, Guardianus, Propoſitus: Rector, & ſimiles quomodocumque nuncupentur, ac eorum Vicarij deficiente Prælato ipſius Conuentus; & huiuſmodi: Quando ergò aliquis Religioſus falſificat manum, ſiuè ſigillum aliquorum prædictorum ad malum finem peccat mortaliter, cuius abſolutio reſeruata eſt Prælato. 6

Officiales Monaſterij, ſiuè Conuentus, qui ſint.

Et quamuis Sylu. in Vet. falſitas tria requirat ad falſitatem, primò vt ſit veritatis mutatio, ſecundò vt fiat cum dolo, ideſt ſcienter, & cum animo inferendi damnum: & tertiò, vt realiter damnum illud ſequatur: Nihilominus ad incurrendum in hunc caſum, ſufficit veritatis mutatio, & dolum, licèt non ſequatur damnum, & Ratio huius eſt, quia per falſificationem manus, ſiuè ſigilli iam eſt opus conſummatum: Ità Graff. d. c. 6. num. 16. 7

Opinio Sylu. reijcitur.
Vera reſol.
Ad faciendū caſum ſufficiunt duo.
Graffius.

Exiſtimo tamen probabiliorem eſſe opinionem Coriolani in d. caſu 7. quod ſi Religioſus ille non vſus ſit cartha illa falſificara, vel quia noluit vti illa falſa ſcriptura, ſiuè ſigillo, vel quia pœnitentia motus, antequam illa vteretur combuſſit, ſiuè lacerauit: Videtur nō eſſe caſus reſeruatus, quia ſola falſificatio litterarum, ſine vſu non obligat, quò ad pœnam falſi, prout dicit D. Anton. de Burt. in c. penultimo de crimine falſi nu. 3. neque inducit pœnam falſi, & per conſequens non incidit in caſum reſeruatum, quamuis à peccato mortali non poſſit excuſari, eò quod voluntariè fecit peccatum cum voluntate illa vtendi: Ita Coriolanus vbi ſupra. 8

Qui non vſus fuerit falſificatione facta nō incidit.
Coriolanus.
Ant. de Burt.
Coriolanus.

Notan-

Digitized by Google

9 Vſēs, & non falſificans, nō incidit.

Notandum autem: Non incidere in caſum, Religioſum illum, qui vtitur illa ſcriptura, ſed non ipſe falſificauit; ſunt enim iſta diuerſa, & ideo de vno ad aliud non infertur conſequentia, quia ille, qui confecit inſtrumentum falſum opus ſuum perfecit, ſed non, qui illo vtitur, quia in illo opus nondum eſt conſummatum, prout dicit Graff. d.c.7. nu.20.

Graff.

10 Mandantes, & conſulentes non comprehenduntur in caſu.

Neque etiam incidit mandans, aut conſulens, quia in caſibus reſeruatis verba in propria ſignificatione accipienda ſunt, & mandans, aut conſulens non dicitur verè facere: vt ſupra iam declaratum eſt.

11 Falſificans aliorum ſigilla non incidit.

Neque etiam comprehenduntur in caſu illi, qui falſificauerint aliud ſigillum, quam Officialium Monaſterij, aut Prælati, quia incluſio vnius eſt excluſio alterius, ergò, dum dicitur: (*ſigilli Officialium*) excluduntur alia ſigilla particularia: Et ratio huius eſt, quia Decretum ſolùm loquitur, quandò ſigillum, ſiuè manus falſificatio eſſet in præiudicium Conuentus, ſiuè Superioris Monaſterij.

12 Vtens ſigillo ſuperioris ad bonum ſinē non peccat.

Graff. Coriol.

Vndè ſi quis vteretur ſigillo ſuperioris, non malo animo, ſed vt ſuæ litteræ ſecurius perueniant ad manus illius, ad quem mittantur, tunc non eſſet caſus reſeruatus, quia deeſt malus animus, & dolum, vt frequenter in Religionibus fieri ſolitum eſt, prout dicunt Doctores, qui de hac materia tractant, & Graſſius, & Coriolanus, cum alijs locis ſupra citatis.

DE FVRTO RERVM MONASTERII, ſiuè Conuentus.

CAP. VIII.

1 Intelligentia iſtius caſus.

OCtauus caſus reſeruatus in ordine Decreti, eſt: *Furtum de rebus Monaſterij, ſiuè Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale*: Vndè pro Intelligentia iſtius caſus Dicimus: Furtum propriè ſignificare omnem illicitam vſurpationem factam à Religioſo rei ipſius Monaſterij, ſiuè Conuentus, quæ cùm non ſit ad ipſius vſum conceſſa, ſed communitatis, ſiuè alterius, ſequitur, quod ſit illicita, & contra ſuperioris voluntatem: Furtum enim ſecundùm ſuam propriam ſignificationem eſt: *Contrectatio rei alienæ inuito Domino*, vt dicitur in lege: eo ff. iuxta Gloſſam in c. Non dicatis 12. q.1.

Furtum, quid ſit.
Lex Eo ff.

2 Contrectatio rei alienæ neceſſaria eſt ad caſum.

Vndè dicitur primò (*contrectatio*) quia ſine ea non diceretur furtum, etiam ſi voluntas interueniat furādi, quia ſi realiter non fiat contrectatio rei alienæ (licet enim per voluntatem furandi, quis mortaliter peccet contra Diuinum præceptum (*Non concupiſces res proximi tui*) Non dicitur tamen furtum conſummatum, niſi fiat contrectatio conſummata realiter: Dicitur etiam *Rei alienæ*, quia in re propria, ſiuè conceſſa ad proprium vſum, non poteſt eſſe furtum.

3 Ly de rebus Monaſterij, quid importat.

Nomine rei alienæ, ſeu de rebus Monaſterij, ſiuè Conuentus: intelligitur non ſolùm, de rebus pertinētibus ad Communitatem Conuentus; Verùm etiam de rebus particularibus ad particularem vſum Religioſi conceſſis: Ità enim declaratum fuit ab ipſo Clemente VIII. prout adnotauit Capuccinus ad Sorbum in Verbo Abſolutio ordinaria quo ad fratres pag. 21. prout refert Graff. d.c.8. nu.4. Et ratio huius eſt, quia licèt apud Regulares omnia ſint communia: Nihilominus vſus aliquarum rerum non eſt omnibus communis, & poteſt, & debet à ſuperiori limitari, qui auctoritatem habet diſpenſandi res Monaſterij fratribus, & Religioſis ſibi ſubditis, pro vt meliùs ſecundū Deum ipſi videbitur expediri, attendendo ad gradus, & ad officia vniuſcuiuſque Religioſi, prout dicit Azor. lib.12. cap.11. q.6.

Sorbo in cōpendio.
Graff.

Vſus omniū rerum non eſt omnibus communis.

Azor.

4 Inuito Domino.

Dicitur autem (*Inuito Domino,*) quia ſi ex vera, & reali confidentia credatur dominum, ſiuè ſuperiorem permiſſurum, & ſubeſt cauſa credendi, non eſſe talem contrectationem contra poſſeſſoris, ſiuè ſuperioris voluntatem, tunc non eſſet peccatum mortale, & per conſequens non eſſet caſus reſeruatus.

5 Quando dicitur inuitus, & non conſentiens.

Secus autem eſſet, ſi non eſſet vera præſumptio: Vndè poteſt eſſe dominus illius rei inuitus etiam, ſi videat rem auferre, quamuis non contradicat propter timorem, ſiuè verecundiam: Si verò poſſet liberè contradicere, & non contradicat, tunc videtur conſentire tacitè, & non diceretur inuitus, ſed conſentiens, vt colligitur ex C. Error. D 82.

Can. Error.

6 Quantitas furti ad peccatum mortale quanta debet eſſe.
Graff.

(*In ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale*) Quantitas modica aliter conſideratur in foro exteriori, & aliter in foro conſcientiæ: Quapropter Nauar. libr. 3. de Reg. conſ.75. nu.10. dicit, quod: In foro conſcientiæ ſufficit illa quantitas, quæ requiritur ad furtum laici, vt ſit peccatum mortiferum: Vtrumque enim furtum, tam commiſſum à Religioſo, quàm à Laico, eſt contrectatio rei alienę inuito domino, quæ eſt definitio furti; ergò, quod in laico erat mortale, ſic etiam erit in Religioſo, imò grauius, cùm ſit de rebus Monaſterij, prout dicit Graff. d. libr.3. de caſibus reſeru. cap.8. num.8.

Graff.
Nauarr.

7 Diuerſitas opinionum circa quantitatem furti.
Opinio Nauar. & Graff.

Quæ autem quantitas in furto ſit peccatum mortale non eſt adhuc per ſacros Canones determinata, & ideò relinquitur iudicio boni viri, & variæ ſunt inter Doctores opiniones. Nā Nau. loc. cit. de Regul. tenet furtum vſque ad quantitatem vnius Iulij, ſiuè Regalis excluſiuè non eſſe peccatum mortale, cuius etiam opinionis eſt Graff. d.l.3. c.8. nu.10.

8 Opinio aliorum.

Alij verò extendunt vſque ad quantitatem duorum Iuliorum, ſiuè Regalium, ſiuè Carolenorum: Alij verò dicunt. Hoc eſſe determinandum ad arbitrium boni viri: Vid. Prælati, Nam cùm quantitas furti notabilis, quæ ſit ſufficiens ad culpam mortalem non ſit per Canones determinata, remittitur ad rationabilem Doctorum opinionem: Aliter enim fit iudiciū de re furata diuiti, quam pauperi, prout dicit Nauar. in Manu. cap.17. nu.2. & Graff. d.c.8. num.10. qui dicunt ſtandum eſſe ſecundùm rei exiſtimationem, & qualitatem perſonæ non in ſe, ſed reſpectu nocumēti præcogniti, quod ſequi poterat de re furata, ſecundum qualitatem perſonæ, cui factum eſt furtum.

Conſiderāda eſt qualitas perſonæ, cui factum eſt furtum.
Nauarr.
Graff.

9 Furtum quò ad caſus, conſiderandum eſt ſecundùm ſe, & non reſpectu perſonæ.
Graffij ſententia, & Nauar.

Caſus verò noſter de quantitate furti ſecundùm ſe conſideranda eſt, & non reſpectu perſonæ: Quapropter vt ſciant Confeſſarii, quandò peccatum furti in Religionibus ſit caſus reſeruatus, dicimus breuiter ſequendo communiorem opinionem, quam ſequitur Graff. cum Nauar. & alii, quod ſit illa quantitas, quæ aſcendit vſque ad exiſtimationem valoris vnius Iulii, ſiuè Regalis incluſiuè.

10 Sententia Sorbi vt Quaranta.

Quamuis Stephanus Quaranta in ſum. Bullar. in Verb. caſus num.9. & Pater Sorbus in addit. ad compend. exiſtimet, quod pertingere debeat ad valorem duorum Iuliorum, quorum ratio eſt, quia quantitas furti exiſtimanda eſt ſecundùm exiſtimationem mercedis cuiuſcumque operarii mercenarii circa victum ordinarium vnius diei, Vndè dicunt iſti, quod ſi furtum ſit minus duorum Iuliorum, non erit peccatum mortale: quod non eſt improbabile, quamuis opinio prima ſit ſecurior, maximè apud Regulares, qui faciunt profeſſionem paupertatis.

11 Concluſio.

Itàque concludendo dicimus, quod Religioſus, qui aliquod de rebus Monaſterii, ſiuè Conuentus aliquid ſurripuit, & ſine licentia ſui ſuperioris ſibi appropriauit in illa quantitate, quæ ſit peccatum mortale, vel ex communitate, vel ex eo, quod alteri ad vſum conceſſum fuerat, tunc non ſolum incidit in caſum furti,

ſed

Digitized by Google

Graff. Azorius.

ſed etiam crimen proprietatis incurrit, cum talem rem retineat contra Superioris voluntatem: Ità Graff. d. c. 7. nu. 21. Azorius lib. 12. c. 11. q. 6.

Furans minima animo ſurripiendi plura, quando incidit.

12 Dicimus etiam: Religioſum incidere in caſum reſeruatum furti quando pluribus vicibus res paruas caperet, animo tamen ſurripiendi maiora, ſi poſſet: Tunc enim cum furata illa ad talem peruenerint quãtitatem, quæ ſit ſufficiens ad peccatum mortale: Religioſus furans huiuſmodi incidit in caſum: cuius Ratio eſt, quia iam eſt materia conſummata de peccato mortali in ſufficienti materia, & ideò incidit in caſum.

Surripiens conciones, ſiuè ſcripta aliorum incidit in caſum.

13 Sic etiam dicimus: Religioſum incidere in caſum, quando ab aliquo ſcripta, ſiuè conciones, in quibus ſcribendis, ſiuè componendis talis Religioſus multũ laborauit, ſcribendo, ſtudendo, & vigilando. Nam tunc huiuſmodi ſcripta habent exiſtimationem magni valoris: quod intelligitur, non ſolùm quandò talia ſcripta ſurriperet, vt illis vteretur contra voluntatem domini. Verùm etiam quando malo animo, vel ſine id faceret. Vid. vt combureret, vel proijceret in foueam, ſiuè in ſterquilinium, & eò magis hoc, quia in tali caſu, non ſolum interuenit furtum, verùm etiam contemptus rerum ſacrarum: Ità Coriol. de caſibus reſer. p. 2. caſu 8. §. 2. & Graff. d. lib. 3. c. 7. nu. 26.

Coriolan. & Graff.

De furante ſanctorum reliquias.

14 Similiter etiam dicendum eſt de illo, qui ſacras reliquias Conuentus, quæ pretio nummulario non exiſtimantur abſque ſuperioris licentia ſurriperet, vel alicui donaret. Nam iſte non modo committeret peccatum furti, & caſum reſeruatum, verùm etiam peccatũ ſacrilegij auferendo ſacrum de ſacto, vel ſacrum de non ſacro c. Quæſiuit 17. q. 4. Sylu. Verb. Reliquiæ q. 2.

C. Quæſiuit. Syluester.

Mandantes, aut conſulentes quando incidunt in caſum.

15 Notandum autem, quod mandantes, & conſulentes, vt aliqui furentur, licèt non incidant in caſum, cũ tales in littera non explicentur: Tamen ſi furata veniant in dominium mandantis, tunc ille talis etiam incideret in caſum: Nam tunc ille talis fit particeps furti, & reputatur, tamquam ipſe furatus eſſet, prout dicitur in c. Multoties, de ſent. excom. in fine.

C. Multoties.

Animus non facit caſum, ſed requiritur opus.

16 Quod ſi animo furandi magnum ſurripuerit paruũ, quod non conſtituat illam quantitatem, eo quod fuit impeditus, non incidit in caſum, quia realiter quantitatem ſufficientem non eſt furatus, quamuis propter animum malum à peccato mortali non eſſet excuſatus: Ità Graff. d. c. 7. nu. 40.

Graffius.

17 Quæritur tandem: An incidat in caſum reſeruatum Religioſus ille, qui intuitu pietatis furatur aliquid de rebus Monaſterij, ſiuè Conuentus, quod conſtituat materiam peccati mortiferi, vt de tali re furata Eleemoſynam faciat?

Surripiẽs, vt det parentibus pauperibus incidit in caſum.

Reſpondetur affirmatiuè: Non enim ſunt facienda mala, etiam intuitu pietatis: vt elicitur ex c. Non eſt putandum 14. q. 5. &c. Si fortè ibidem, Vbi habetur, quod etiam ſi totum, quod quis abſtulerit tribuat parentibus, non minuitur peccatum: Nam ſpecies furti eſt, ex alieno largiri: Leg. ſi pignore ff. de furtis.

C. Non eſt putandum. C. Si forte. L. Si pignore ff.

Quæ neceſſitas excuſet.

18 Niſi neceſſitas pauperis fuerit extrema, quæ æſtimanda eſt iudicio boni viri, vt quæ moraliter præ ſe ferat periculum magnum damni ſaluris vitæ: Vndè excepto hoc caſu, non excuſantur Religioſi, qui intuitu pietatis furantur res communitaris, ſiuè ſint in adminiſtratione, ſiuè non: Ità Graff. d. c. 7. nu. 29. & Coriol. Caſ. 8. §. Vltimo.

Graff. Coriol.

DE LAPSV VOLVNTARIO IN PECcatum carnale.

CAP. IX.

1 L*Apſus carnis voluntarius opere conſummatus*, eſt nonus in ordine caſuum reſeruatorum, iuxta Decretum Clementis VIII. Nam peccatum hoc apud Regulares reputatur grauiſſimum, eò quod non modo ſit contra Diuinum præceptum: verum etiam contra Votum ſolemne Caſtitatis in profeſſione emiſſum: & cùm Religioſus ſit Deo conſecratus, tale ſcelus committens peccat peccato ſacrilegij, Chriſti Domini gratiam transferendo in luxuriam, voluntariè polluẽs, & contaminans corpus, & animam ſuam, quod erat templum Dei, ſecundum Apoſtolum: quapropter tale peccatum ſcandaloſum eſt apud omnes, & grauiſſimis ſupplicijs apud Religioſos puniri ſolet, & ideò meritò abſolutio talis ſceleris tantummodò Prælatis eſt reſeruata: At quoniam iſta materia eſt valdè delicata, atque periculoſa, idcòque magna cum prudentia, & circumſpectione eſt tractanda.

P. Geſualdus de Bononiys Capucc.

Grauitas iſtius ſceleris magna eſt apud Regulares.

Grauiſſimis pœnis punitur apud Regulares.

Quapropter breuiter concludendo dicimus, quod, vt aliquis Religioſus in hunc caſum incidat oportet, quod faciat peccatum carnale completum contra votum caſtitatis, ſiuè in prima, ſiuè in ſecunda perſona quomodocumque, & ſecundum quamlibet ſpeciem peccati carnalis, de quibus loquitur Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 154. Inſuper omnis carnalis corruptio voluntaria opere completa, per voluntariam ſeminis effuſionem, vt idem D. Thom. declarat, Opuſc. 4. Vndè pro maiori intelligentia ſingula verba huius caſus oportet explicare. 2

Quando Regularis incidit in hunc caſum.

D. Thom.

Explicantur verba Decreti.

Dicitur ergò primò (*Lapſus carnis*) lapſus enim dicitur à labendo, ſiuè cadendo: Vndè qui de ſtatu bono redigitur in malum, dicitur cadere, iuxta Dauidicum illud, Pſal. 117. *Impulſus euerſus ſum, vt caderem: Infixus ſum in limo profundi &c.* Dicitur ergò (*lapſus carnis*) vt intelligatur, quod caſus iſte reſeruatus eſt de peccatis carnalibus, quæ committuntur à Regularibus contra votum ſolemne caſtitatis. 3

Lapſus carnis quid ſit, & vndè dicatur.

Pſalm. 117.

Additur (*Voluntarius*) quod intelligitur de voluntate libera, & ratione completus: Vndè ſequitur, quod peccatum carnis, reluctante ratione expletum ideſt, quod non fuit conſummatum cum libera voluntate, in conſenſu perfectæ rationis, non ſit reſeruatum: quod contingere poteſt, quando non conſentiente ratione pollutio contingeret: vel quando ſemidormientes, vel ſemiebrij incidunt in lapſum carnis: Nam cum huiuſmodi paruitate iudicij apertè laborent à mortali culpa redduntur immunes: Nam ad conſtituendum mortale peccatum requiritur iudicium integrum patientis, ſiuè committentis, vt colligitur ex c. 1. de delictis puerorum: cùm ergò huiuſmodi opera non ſint mortifera, ſequitur in talibus reſeruatio caſus non habere locum. 4

Voluntarius liberè, & rationaliter cõpletus.

Semidormiẽtes, & ſemiebrij non incidunt in caſũ.

C. 1. de delictis puerorũ.

Attamen, ſi aliquis commotione libidinoſa in ſomnis excitatus, & in totum expergiſcens, acquiſito vſu rationis voluntariè pollutionem incœptam opere cõſumaret voluntariè propter veneream delectationem: iſte talis à caſu reſeruato non eſſet immunis: & Ratio huius eſt, quia in caſu talis pollutio eſſet peccatum mortale opere conſummatum contra votum caſtitatis, & ideò incidit in caſum reſeruatum: pro vt dicit Graffius lib. 3. de caſib. reſer. c. 8. nu. 8. 5

Limitatio, quando incidit in caſum.

Graff.

Secus autem eſſet: ſi in actu pollutionis adhuc integrum iudicium non habuiſſet propter ſubreptionem mentis: Quapropter dormiens nunquam euigilaſſe reputatur quouſque rationem totalem, verbo aut viſu recuperauerit, pro vt dicit Soto in 4. D. 12. q. 1. A. 7. & Graff. ſupra. 6

Dormiens, quando exiſtimatur totaliter expergefactus.

Soto. Graff.

Sic etiam dico, quod ſi quis coactè, tactibus alienis in pollutionem inciderit cum nullatenus, nec recedere, nec reclamare poſſet, non incidit in caſum, quia talis pollutio non fuit voluntaria, licèt ſenſus in actu effuſionis Seminis eſſet delectatus, pro vt dicit Graffius d. c. 8. nu. 29. 7

Coactè pollutus non incidit.

Graff.

8 Coactè conſentiens ex metu non incidit.

8 Similiter etiam exiſtimo, quod ſi aliqua mulier Religioſum prouocauerit ad actum cum minis, vt niſi operi luxuriæ conſentiat, ſe cum impudica domina Ioſeph; velle clamare: At ille, timens probabiliter mortem, aut infamiam incurſuram explet opus pernicioſum, non incidit in caſum reſeruatum: quamuis à peccato mortali excuſari non poſſet: (potius enim debebat mortem eligere paſſiuam, quam Deum offendere, faciendo contra Diuinum præceptum, & votum caſtitatis) Ratio autem noſtra, quod iſte talis non incidat in caſum reſeruatum eſt, quia talis actus conſentiendi non fuit ex praua, & libera voluntate, ſed voluntate conditionata, quæ non nominatur Voluntas ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vt dicit Archid. in c. 13. 15. q. 1. Et verba legis ſecundum propriam ſignificationem intelligenda ſunt, cùm dicant Voluntarius, & ideò voluntas debet eſſe libera; & non coacta: Ità Graff. d. c. 8. num. 35.

Non excuſatur tamen à peccato.

Voluntas coacta non eſt libera, & dicitur voluntas ſecundum quid. Archid.

Graff.

9 Pollutio excitata in vigilia, & ſecuta in ſomnis nō eſt caſus reſeruatus.

9 Sic etiam dico de Religioſo illo, qui cum aliqua perſona deuenerit ad oſcula, amplexus, ſiuè ad tactus impudicos, ſiuè in propria, ſiuè in aliena perſona, ſiuè in lectulo, ſiuè alibi, qui poſtea dormiens incidat in pollutionem conſummatam, ſiuè ierit ad cubandum cum hoc propoſito, ſiuè abſque eo, non incidit in caſum reſeruatum, quamuis in præcedentibus pernicioſis actionibus mortaliter peccauerit per tactus impudicos cum mala voluntate: Ratio autem noſtra, quare non incidit in caſum reſeruatum eſt, quia lapſus carnis non fuit tunc conſummatus, dum vigilaret, pro vt dicit Coriolanus de caſib. reſeru. p. 2. caſu 9. §. 4.

Aſſignatur ratio aſſertionis.

Coriolan.

10 Opere conſummatus intelligitur per Seminis effuſionem voluntarium.

10 Quàpropter adduntur illa verba: (*Opere conſummatus*) quia ad hoc, quod ſit caſus reſeruatus lapſus carnis debet eſſe perfectus, & conſummatus per opus externum: Seminis effuſione voluntariè conſummata: Quàpropter, ſi quis Religioſus tangens aliquam perſonam quamtumcumque libidinosè, faciendo varios actus impudicos, tangendo, oſculando, ac proferendo verba impudica cum delectatione venerea, etiam voluntaria, & deuenerit ad quamdam humectationem abſque tamen ſeminis effuſione non incidit in caſum reſeruatum, licèt mortaliter peccet, quia opus non adhuc conſummatum eſt per effuſionem ſeminis: Nam verba legis in materia odioſa, & pœnali ſecundum propriam ſignificationem ſunt intelligenda: Pro vt dicit Graff. d. c. 8. num. 9. Dicitur enim in caſu (*Opere conſummatus*) ideſt, per ſeminis effuſionem.

Graff.

11 Opinio Coriolani de opere externo.

11 Imò addit Coriolanus d. caſu 8. §. 5. quod etiam requiritur opus externum, quàpropter: Secundum ipſum ſi Religioſus, tangens turpia aduertenter, vt ſe delectet voluntariè, & caſu incidat in pollutionem, abſque tamen manus, ſiuè alterius inſtrumenti cōtactus, non incidit in caſum reſeruatum, quia ad hoc, vt ſit caſus reſeruatus requiritur actio externa, non ſolum in vltimo effectu, ſed etiam reſpectu mediorum, nempè, vt cum aliquo opere externo id procuret.

12 Fundamentum Coriolani.

12 Quàpropter ſecundum ipſum, quamuis in caſu propoſito huiuſmodi Religioſus, tangendo, & oſculando mulierem, ſine motu corporis incidat in pollutionem voluntariam, non incidit in caſum reſeruatum: Nam talis pollutio habuit originem, & cauſata fuit à cogitatione interna, de qua non loquitur caſus, quia, vt ſupponitur talis pollutio non fuit procurata cum actione externa, tendente ad pollutionem propriè, ſed per accidens, quamuis à peccato mortali non eſſet immunis.

13 Limitatio ipſius Coriolani.

13 Hoc tamen intellige, dummodò non motu corporis, ſiuè manuum propriæ, ſiuè alterius perſonæ pollutionem non excitaſſet, quod dico, quia non eſt neceſsè, vt tertia perſona cum manu ſua propria prouocaret pollutionem, tangendo, & contrectando virilia, cùm ſufficiat, quod quis in lecto, ſiuè alibi tangant alterius corpus libidinosè, vel extra lectum tangat pudenda, vel vicinia loca aliquo modo, vt ex tali contactu ſequatur pollutio, quia in caſu concurrerent omnia requiſita ad caſum reſeruatum, nempè lapſus carnis voluntarius, & per opus externum conſummatus motu videlicet corporis: Ità Coriol. vbi ſupra.

14 Opinio Graffii, & aliorū contra Coriolani ſententiā.

Hęc autem opinio omnibus non placet: Vndè nonnulli exiſtimant, vt Graff. loc. cit. cum alijs, abſolutè dicentibus quamcumque pollutionem voluntariè cōſummatam, etiam ſine aliquo opere externo procuratam eſſe caſum reſeruatum, ſufficit enim ſecundum ipſos, quod pollutio ſit conſummata, & perfecta per effuſionem ſeminis voluntariè factam, tunc enim dicitur opus conſummatum cum voluntariè fiat effuſio ſeminis, mediantibus oſculis, ſiuè amplexibus. 14

15 Polluens aliā perſonam nō incidit.

Hinc ſequitur ex doctrina Graff. d. c. 8. nu. 39. & 41. ex vi verborum textus, quod ſi aliquis Religioſus aliquem pollueret manibus proprijs, dum tamen ipſe non ſe pollueret, non incidit in caſum reſeruatum, quia Religioſus non facit lapſum carnis contra votum caſtitatis, emiſſum, quamuis mortaliter peccet, alium polluendo contra Diuinum præceptum. 15

16 Regularis polluens ſæcularem, non committit ſacrilegium.

Ex quo ſequitur, quod quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi, ſiuè alicuius in ſacris Ordinibus conſtituti, ſi patiens eſſet ſæcularis, non tenetur amplius dicere in confeſſione, niſi paſſum ſum voluntariè pollui tactibus alienis, neque Religioſus amplius tenetur dicere, niſi cauſaui tangens impudicè alium pollui, & ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare: Ego ſum in ſacris, ſiuè Religioſus, niſi etiam ipſi accidat voluntaria pollutio conſummata, & Ratio huius eſt, quia perſona ſacra non eſt in tali caſu violata contra votum caſtitatis: Ità Llamas 3. p. Metheo. de ſacrilegio, c. 8. §. ibi, & Graff. d. c. 8. nu. 39. 16

Llamas. Graff

17 An patiens incidat in caſum reſeruatum.

Similiter etiam exiſtimat Graff. de patiente in caſu Nefandi, quod ſi aliquis profeſſus, ſiuè conſtitutus in ſacris tantummodò eſſet patiens in tali enormiſſimo vitio, dum tamen ipſe Religioſus patiens, pollutionem non emitteret, non incidit in caſum reſeruatum: Nam patiens, vt patiens eſt, non facit ſeminis effuſionem, quamuis permittat aliquem pollui in illo actu ſodomitico: Minus enim eſt malum pati, quam agere, pro vt dicit Gloſſa in c. Adulterij 32. quæſtione tertia. 17

Gloſſa in C. Adulterij.

18 Limitatio.

Secus autem eſſet, ſi eſſet ſimpliciter reſeruatus actus nefandus, ſiuè ſodomiticus, ſeu contra naturam tunc enim vterque incideret in caſum, tam agens, quā patiens, cum vtriuſque peccatum eſſet contra naturam: At in Decreto ſolùm ſit mentio de lapſu carnis per effuſionem ſeminis, & ideò non comprehenditur patiens ſimpliciter, cùm pœnæ ſint reſtringendæ, & non ampliandæ: Summus enim in odioſis. 18

Obſeruantur verba Decreti.

19 Opinio Coriolani eſt oppoſita. Ratio Coriolani.

Aliqui tamen contrariam tenent opinionem, dicendo, quod etiam patiens incidat in caſum reſeruatum, cùm peccatum vtriuſque ſit eiuſdem rationis, & ſpeciei, Ità dicit Coriol. de caſib. reſeru. p. 2. cap. 9. num. 30. Cuius Ratio eſt, quia talis videtur eſſe intentio legislatoris: Et licèt ſimus in materia odioſa, tamen in his, quæ pertinent ad Animam poteſt etiam fieri extenſio, ſecundum Baldum: Nam Deus in veteri lege eadem pœna puniebat vtrumque dicens in lib. Leuit. cap. 18. & 20. *Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo vterque operatus eſt nefas, & morte moriatur*: Similiter etiam lex Imperialis vtrumque eodem modo comburi iubet, l. Qui puero C. De extraordinario crimine: His tamen non obſtantibus opinio Graf 19

Baldus.

Leuit. c. 18 & 20.

L. Qui puero c. de extraor. crimine.

Digitized by Google

Opinio Graff. eſt valdè probabilis.

ſij non eſt improbabilis rationibus ſuperius aſſignatis.

10 Quando eſſet facta reſeruatio tantùm in ſecunda perſona.

Notandum autem, quod quandoque apud nonnullos Regulares tantummodo eſt reſeruatus lapſus carnis conſummatus cum ſecunda perſona: Et tunc ſi quis oſculando mulierem, ſiue iuuenem maſculum, faciendo cum eis varios actus impudicos ſe pollueret, dum tamen ad coitum non perueniat, talis regularis non inciderit in caſum reſeruatum, ſed tantummodò peccatum mortale ſacrilegij committeret, violando votum ſolemne caſtitatis, tale tamen peccatum non eſſet reſeruatum, eò quod per coitum cum ſecunda perſona non eſt conſummatum ſecundum talem reſeruationem factam: Ità Graff. d. c. 8. num. 36.

Graff.

21 Dubitatio circa præſentem difficultatē.

Sed quæritur modò: An ſi talis Religioſus in eodem caſu propoſito inciperet aliquem actum carnalem, concubendo cum aliqua ſecunda perſona, & faciendo actum venereum, & cùm deuenerit ad actum propinquum operis explendi, ſentiens ſe de proximo ſemen emiſſurum, diſiungit ſe à perſona, & extra vas ſeminat, An incidat in caſum reſeruatum, quando tantummodò caſus eſt reſeruatus conſummatus in ſecunda perſona?

22 Reſolutio. 1. Sententia.

Reſpondetur, quod licèt aliqui exiſtiment huiuſmodi non incidere in caſum reſeruatum de ſecunda perſona, quia tunc dicitur actus in ſecunda perſona conſummatus, quando fuerit cum illa ſecuta pollutio intra vas. Nihilominus tamen contrarium credimus eſſe

2. Sententia.

verius: Et Ratio noſtra eſt, quia talis agens verè actum conſummauit per effuſionem ſeminis voluntariam, faciendo opus externum concubendo cum ſecunda perſona: non enim in fraudem legislatoris faciendum eſt opus, Pro vt dicit Iulius Clarus in praxi Crim. § . Sodomia, vbi à ſimili hoc declarat, & colligitur ex c. Conſtitutus: de Conceſſ. præbend. Nam non in folijs, ſed in radice rationis conſiſtit lex: c. Marcion. 1. q. 1. lib. 4. ff. ad mercedem, §. Is autem: Ità etiam Graff. d. c. 8. nu. 38.

Iul. Clar.

C. Conſtitutus.

C. Marcion.

Graff

23 Limitatio.

Secus autem eſſet, ſi talis non ſeminaſſet, neque intra, neque extra vas, ſiuè hoc acciderit per impotentiam, ſiuè per defectum temporis, ſiuè propter aliud quodcumque impedimentum: Quia tunc, licèt opus fuerit incœptum cum ſecunda perſona, non eſt tamen conſummatum per effuſionem ſeminis, & ideò non incidit in caſum reſeruatum; pro vt dicit idem Graff. loc. citat. Concordat Coriolanus p. 2. de caſib. reſeru. caſ. 9.

Graff.

Coriol.

DE HOMICIDIO VOLVNTARIO, ſiuè graui percuſſione.

CAP. X.

1 Occiſio, vulneratio, & grauis percuſſio.

Decimus in ordine caſus, iuxta decretum: *Eſt occiſio, aut vulneratio, ſiuè grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ.* Vndè pro intelligentia huius caſus tria veniunt explicanda, videlicet, quid ſignificent iſti tres termini: Occiſio, vulneratio, & grauis percuſſio cuiuſuis perſonæ.

Etymologia homicidij.

Quò ad primum nihil eſſet dicendum, cum vox ipſa de ſe ſit clara, & ab omnibus intelligatur: Nam occiſio ſecundum eius etymologiam deriuatur ab homine & cædo, quaſi hominis cædium pro vt dicit Archid. in c. Cum habetur 23. q. 5.

Archidiaconus.

2 Homicidium quid.

c. Homicid.

Eſt autem homicidium corporis animati rationalis peremptio, vt dicitur in c. Homicidium de Pœnitent. D. 1. Quàpropter ſecundùm commune dictum: Ille dicitur homicida, qui hominem quocumque modo occidit, ſiuè talis occiſio fiat gladio, ſiuè fuſte, ſiuè alio quocumque inſtrumento, ſiuè proprijs manibus, ſiuè alienis, ſiuè veneno, ſiuè per ſuffocationem, ſiuè alio quocumque modo ſit cauſa mortis alterius perſonæ contra Diuini Domini præceptum: de non occidendo.

Homicidij peccatū multipliciter fieri poteſt.

Quàpropter hic accipienda ſunt verba ſecundùm propriam ſignificationem: Hoc enim in loco accipitur occiſio pro homicidio voluntario, quod conſiſtit in facto eſſe cum peccato mortali; Vnde ad hoc, vt homicidium ſit caſus reſeruatus, oportet, vt ſit voluntarium factum cum dolo, & animo occidendi, nam ſi homicidium eſſet caſuale præter intentionem, vel à Religioſo dormiente, vel furioſo, non facit, vt Religioſus incidat in caſum reſeruatum, cùm nec etiam in tali caſu fiat irregularis, cùm talis actus verè voluntarius dici non poſſit: Pro vt dicitur in c. Furioſus de Homicidio: Ità Coriol. p. 2. caſu 10. nu. 1.

3 Quid requiritur, vt ſit caſus reſeru.

Dormiens, vel furioſus occidens non incidit in caſum.

C. Furioſus.

Coriol.

Similiter etiam dicimus de caſu accidentario præter voluntatem occidentis: e. g. Si quis caſu occiderit aliquem ſine dolo, vel quia cauſa itineris equitaret equū non ſuum ore pertinaci, vt dici ſolet (Sboccato) ſiuè indomito, ignorans tamen vitium equi eſſe tale, & non valens equum frænare, & dirigere dictum equum, caſu occideret hominem contra ſuam voluntatem: Ille talis non incidit in caſum, neque in irregularitatem propter homicidium caſuale: Nam talis occiſio non computatur ſeſſori, cùm non ſit mortifera, vt colligitur ex c. Dilectus de Homicid. ità Graff. d. cap. 9. num. 25.

4 Homicidium caſuale præter intentionem occidēdi non facit caſum.

C. Dilectus.

Graff.

Similiter etiam eſt dicendum de Prælato, ſiuè Magiſtro Nouitiorum, qui corrigendo ſubditum propter exceſſum correctionis inaduertenter factum, eſſet dicto ſubdito cauſa mortis corporalis, Non inciderit in caſum reſeruatum, eò quod talis actio ab ipſo doloſè non ſit facta, quàpropter, vt homicida doloſus puniri non poteſt; Vt habetur ex c. Si quis iratus 15. quæſt. 1. quamuis huiuſmodi ab irregularitate excuſari non poſſet: Pro vt aduertit Graff. d. c. 9. nu. 27.

5 Exemplificatur de Prælato inordinatè corrigente ſubditum.

C. ſi quis iratus.

Graff.

Neque etiam arbitramur comprehēdi Religioſum, qui libidinis cauſa, ludens cum muliere prægnante, eſſet cauſa, vt inde ſequeretur abortus etiam poſt animationem fœtus: & Ratio huius eſt, quia tale homicidium non fuit voluntarium, ſed præter intentionem: Verum eſt tamen, quod inciderit irregularitatem, quia dedit operam rei illicitæ, ex qua ſecuta fuit mors pueri in vtero matris, pro vt dicit Abbas in c. Sicut 2. de Homicidio.

6 Alius caſus de coitu cum prægnante.

Abbas in c. Sicut.

Quàpropter concludendo dicimus: quod vt occiſio ſit caſus reſeruatus ſemper debet eſſe voluntaria, aut doloſa: Numquam enim homicidium dici poteſt voluntarium, niſi dolo malo committatur animo occidendi, vt dicitur in lege 4. ff. de Sicarijs.

7 Concluſio.

L. 4. ff de Sicarijs.

Notandum autem in hoc caſu: Includi mandantes, aut conſulentes, ſiuè adiuuantes, & aſſociantes, vt aliquis homicidium faciat; nam ſecuto caſu, Religioſus ille, aſſocians, adiuuans, ſiuè mandans, & conſulens incidit in caſum: Quia verba huius caſus reſpiciunt factum: reſeruatur enim ſimpliciter occiſio, & ideò etiam ad mandantem, & conſulentem extenditur pro vt dicit Abbas in c. Mulieres ext. de ſent. excom. & notauit Graff. lib. 3. de caſib. reſer. c. 9. nu. 17. & Coriol. p. 2. caſu 10. § 2.

8 Mandantes, & conſulentes comprehenduntur in hoc caſu.

Verba legis reſpiciunt factum.

Abbas in c. Mulieres.

Graff.

Coriol.

Sed hic mouetur quæſtio: An quando Religioſus mortem propriam ab aliquo inferente, aliter euitare non poſſet, niſi occidendo inuaſorem, ſi ipſum occidat incurrat in caſum reſeruatum?

9 Difficultas. An occidēs inuaſorem incidat in caſum.

Reſpondetur Negatiuè, quia: Vim vi repellere licèt, cùm hoc ſit de iure naturæ, maximè cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ità Sylu. in ver. Bellum. 2. q. 5. Coriol. p. 2. de caſib. reſer. caſu 10. nu. 5.

Reſolutio eſt negatiua.

Vim, vi repellere licet.

Syluest.

Coriol.

10 Diſtinctio.

Graff. autem lib. 3. de caſib. reſer. c. 9. n. 20. diſtinguit caſum, dicendo: Aut in tali caſu inuaſor inuadit Religioſum, vt interficiat: Et tunc ſi talis Religioſus, neque fuga, neque clamore, neque vllo alio modo poteſt ingreſſorem euadere, niſi occidendo, aut percutiendo, aut vulnerando, tunc non ſolum ipſe, verum etiam alij Religioſi poſſunt percutere volentem Religioſum occidere, ne occidatur, ità docet Barth. in l. Deuotum, c. de Metatis lib. 12. Hoc tamen intellige, ſi talis defenſio fuerit incontinenti idest, dum actum impugnatur, non autem poſtquam violentia illa pertranſijt.

Bartholus in leg. Deuotū. Limitatio.

11 Differentia inter inuaſum, & adiuuantes.

Verùm tamen eſt, magnum diſcrimen eſſe inter Religioſum inuaſum, & alios percutientes, & occidentes inuaſorem: Nam ille, qui fuit inuaſus, non ſolum incidit in caſum, ſed neque irregularitatem incurrit: Alij verò ſi occidant, incurrunt irregularitatem, quamuis non incidant in caſum reſeruatum, quia talis occiſio non fuit doloſa, pro vt dicit Gloſſa in Clement. 1. Et ità in tali caſu poterit Religioſus inuaſus alios Religioſos conuocare, exclamādo (*Succurrite, Succurrite*) Imò etiam ſine tali conuocatione poſſunt ipſi conuenire, pro vt dicit Graff. d. c. 9. nu. 21. & Coriol. d. c. 10. p. 2. de caſib. reſer. §. 5.

Gloſſa in Clement. Graff. Coriol.

12 Vulneratio eſt caſus reſeruatus.

Secundus terminus declarandus eſt (*Vulneratio*) Apponitur verbum hoc in caſu ad denotandum non ſolum incidere in caſum Religioſum, qui aliquem occiderit doloſè, & voluntariè, verùm etiam ſi perſonam aliquam vulnerauerit, hoc eſt, qui ſuadente Diabolo aliquod vulnus cuicumque perſonæ inferret, hæc autem vulneratio non intelligitur de vulnuſculis, ſed de vulneribus grauibus, & notabilibus: Nam ſtatutum puniens vulnerantes, non habet locum in vulnuſculis, pro vt notauerunt Graff. d. c. 9. nu. 30. & Coriol. p. 2. c. 10. §. 10. & Ratio huius eſt, quia caſus reſeruatus non debet fieri de quibuſcumque mortalibus, ſed de grauioribus, & atrocioribus: Hinc non quodlibet vulnuſculum pertinet ad hunc caſum, ſed vulneratio grauis notoria, & iniurioſa.

Debet eſſe vulneratio grauis. Graff. Coriol. Dubitatio.

13 De vulnerante, aut caſtrante ſeipſum. Reſolutio eſt affirmatiua.

Sed quæritur hic: An liceat alicui ſeipſum mutilare, ſiuè vulnerare, maximè propter aliquem bonum finem: vt puta pro obſeruantia caſtitatis ſe ipſum caſtrare?

Reſpondetur negatiuè, cuius ratio eſt, quia ſicut nec vitæ, ſic nec membrorum quis dominus eſt, vndè, qui membrum ſibi abſcindet, aut mutilat ex impatientia, ira, verecundia, ſiuè alia inordinata paſſione mortaliter peccat, & incidit in caſum reſeruatum: Nam facit contra præceptum naturale, & Diuinum de propria dilectione: Similiter etiam dicimus, quod ſi quis ſe caſtraret, abſcindendo virilia, licèt hoc faciat, vt caſtè viuat à peccato mortali non erit immunis, & ideò in caſum reſeruatum incideret: Ità D. Tho. 2. 2. q. 65. A. 1. Soto lib. de iuſt. & iure lib. 5. quæſt. 2. A. 1. concl. 3. Nauarr. in Man. c. 15. nu. 11. Tolet. in ſum. c. 6. Sylu. ver. Homicidium, 1. q. 1. & Coriolanus p. 2. de Reſ. caſu 10. num. 11.

Etiam ſi caſtraret ſeipſum propter caſtitatem. D. Thom. Soto. Nauarr. Tolet. Syluest. Coriolanus.

14 Grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ. Percuſſio debet eſſe grauis, & atrox, & iniurioſa.

Tertius terminus declarandus eſt (*Grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ*) Additur hoc verbum ad denotandum non ſolum occidentem, aut vulnerantem; Verùm etiam grauiter aliquem percutientem incidere in hunc caſum reſeruatum: Aduertendum tamen eſt, quod ad hoc, vt caſus iſte ſit reſeruatus percuſſio facta debet eſſe grauis, atrox, ſiuè enormis, & iniurioſa, non autem leuis: Vndè ſequitur, quod ſi Religioſus leuiter aliquem percuſſerit non incideret in caſum reſeruatum.

15 Quando percuſſio dici poteſt leuis, aut grauis. Nauarr. Graff. Coriol.

Ad cognoſcendum autem, quando percuſſio dicenda eſt grauis, ſiuè enormis, & quando leuis, ſiuè mediocris, aut leuiſſima declarant Nauarr. in Man. c. 27. nu 91. & Graff. p. 1. Deciſ. lib. 2. cap. 44. & Coriol. p. 2. caſu 10. nu. 15. & colligitur ex Extra. Io. 22. quæ incipit Perfectis: At quoniam de hoc certa regula tradi non poteſt, relinquunt arbitrio Superioris, ſiuè confeſſarij iuxta Hoſtienſ. in c. Peruenit. de Iudicijs, vt dijudicent, habita ratione circumſtantiarum, perſonarum, locorum, & temporum, cauendo, ne iudicent leuem eam, quæ enormis, & ſcandalizoſa eſt, pro vt dicit Panor. ibidem.

Extra. c. Perfectis. Hoſtienſ. Panormit.

16 Percutiens Clericum, & leuiter eſt excommunicatus ipſo facto. Ad quem pertinet huiuſmodi abſolutio. C. ſi quis ſuadente Diab. C. Religioſi. Dubium.

Notandum autem: hoc eſſe intelligendum de percuſſione facta perſonæ ſæculari: Nam ſi Religioſus, ſiuè alius percuſſerit, ſuadente Diabolo, Clericum, ſiuè Regularem etiam nouitium vnius diei, ipſo facto incidit in Canonis excommunicationem: & ſi percuſſio eſſet grauis, & publica abſolutio pertineret ad Papam, ſi autem leuis pertinet ad Epiſcopum, ſi percuſſor erit ſæcularis, ſi verò percuſſor erit Religioſus abſolutio pertinet ad Superiorem illius Religioſi percuſſi: vt colligitur ex c. ſi quis ſuadente Diabolo 17. q. 4. & ex cap. Religioſi de ſent. excom. in 6. §. 1.

17 De Regularibus inter ſe percutientibus.

Quæritur autem hic: Quidnam faciendum ſit, quando fratres, ſiuè Religioſi ad inuicem ſe percutiūt ſuadente Diabolo, nam tunc non ſolum incidunt in caſum reſeruatum, verum etiam in excommunicationem Papæ reſeruatam per Canonem: *Si quis ſuadente Diabolo, &c.*

18 Reſolutio Cōceſſio Clementis IV. pro Regularibus. Rodriq. Prælati loci hanc facultatem alijs committere poſſunt.

Reſpondetur Abſolui poſſe à ſuis Prælatis ex conceſſione Clement. IV. prout refert Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 20. A. 12. Concedit enim ſummus Pontifex Generali, & Prouincialibus, & cuſtodibus, vt poſſint abſoluere fratres ſui Ordinis ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, nec non diſpenſare in irregularitatibus occultis in foro conſcientiæ, quæ conceſſio ipſis facta cum ſint ordinarij, poſſunt illam alijs confeſſarijs deputatis, ſi voluerint delegare: vt ſupra in præcedenti tractatu notauimus: Legite Coriolanum de caſib. reſeru. p. 2. caſu 10. numer. 20.

Coriolanus.

19 Concluſio.

Vndè ex dictis breuiter concludēdo dicimus, quod: Si Religioſus voluntariè, & doloſè non ſolum occiderit, ſed etiam vulnerauerit, ſiuè grauiter percuſſerit quamcumque perſonam etiam Paganum, aut excommunicatum incidit in hunc caſum reſeruatum: ſi verò percuſſerit Religioſum, ſiuè Clericum, vltra caſum reſeruatum incidit in excommunicationem, vt ſupra iam declaratum eſt.

DE APERITIONE LITTERARVM *ſuperiorum*.

CAP. XI.

1 Declaratio huius caſus.

VNdecimus, & Vltimus caſus in ordine Decreti eſt: *Malitioſum impedimentum, ſiuè Retardatio, aut Aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores:* Quæ verba per ſe ſunt clara, & expoſitione non indigent, & ideò breuiter dicimus, quod malitioſum impedimentum dicitur: quando quis Regularium, data opera, & malitioſè, ſiuè appenſatè impedit, aut retardat, ne litteræ Superiorum perueniant ad Inferiores, & è contra Inferiorum ad ſuperiores, ad quos diriguntur, vel qui non impedit, ſed malitioſè retardat, & qui neutrum faciunt, ſed aperiunt litteras, diſſigillando, & poſtea iterum ſigillant, & mittunt, ad quos erant directæ.

2 Quando Religioſus dicatur in hūc caſum incidiſſe. Quaranta.

Ideò, vt Religioſus in hunc caſum incidat reſeruatum, oportet, vt aliquod prædictorum in Decreto expreſſorum faciat doloſè, adeò vt tale ſit peccatum mortale, prout dicit Stephanus Quaranta in ſumm.

Bullar.

Digitized by Google

Bullar. Verb. caſus num. 12. & ideò talis aperitio, ſiuè retardatio debet eſſe doloſa, & malo animo facta, ideſt malitioſè.

3 *Quando excuſatur à caſu.*

Quàpropter, ſi tale impedimentum prouenerit ex ignorantia, ſimplicitate, obliuione, ſiuè inaduertentia, aut bona fide, & ex confidentia certa litteræ huiuſmodi aperiantur, ſiuè retardentur, non eſſet caſus reſeruatus, eò quod tale impedimentum, ſiuè aperitio, cùm non ſit peccatum mortale, non poteſt eſſe caſus reſeruatus: prout docent D. Thom. cum Caiet. in 1.2. q.6. A.8. & Graff. lib.3 de Reſer. c. 10. nu. 2. *D. Thom. Caiet. Graff.*

4 *Retardatio, & aperitio litterarum.*

Additur particula illa diſiunctiua (*Aut retardatio, aut aperitio litterarum*) Quæ dictio diſiunctiua idem valet, quod vel, Quare non ſolum incurrit caſum, qui data opera doloſè impedit, ne litteræ prædictæ perueniant ad illos, quibus mittuntur, ſed etiam, qui malitioſè dare retardat, Vel neutrum facit, ſed illas aperit diſſigillando, & legendo, & poſtea iterum claudit, & ſigillat, & dat, cui diriguntur: Et quamuis ipſe ſolus legat, & alijs non oſtendat, nihilominus etiam incidit in caſum: Si autem aduerſario mittentis oſtendit, tunc etiam de falſo poſſet puniri: pro vt probat, & dicit Graff. d. c. 10. nu. 15. *Graff.*

5 *Quando non eſt malitia, non facit caſum.*

Hic tamen eſt aduertendum, quod ſi Religioſus aliquis inaduertenter prædictas litteras retardaret, aut per errorem legeret, exiſtimans illas ad ſe eſſe miſſas, & cum tali credulitate legeret nō incidit in caſum, cùm in huiuſmodi non ſit dolus, neque malitia.

6 *Ex confidentia certa eſſet excuſatio.*

Similiter etiam dicimus de eo, qui ex certa ſcientia, & confidentia, ſiuè ex tacito mittentis conſenſu eas aperit, & legit, & hoc quia, vel eſt ſuus familiariſſimus, vel quia timet, ne ſi non aperientur litteræ poſſet negotium amici aliquod pati detrimentum, vel bona fide ſperat in ratihabitione eius, cui mittuntur, & Ratio huius eſt, quia hic deſit animus malus, imò eſt omninò bona intentio, & animus extinguit maleficia, vt colligitur ex C. cum voluntate de ſent. excom. Ità Coriolan. d. p. 2. caſu 11. §. 3. & Graff. d. c. 10. nu. 14. *C. Cum voluntate. Coriol. Graff.*

7 *Si timeat deferans ibi eſſe malum irreparabilem excuſatur, ſi aperiat.*

Sic etiam dicimus, ſi prædictæ litteræ peruenerint ad manus manifeſti inimici, ſcribentis, vel ſi aperiantur à deferente iuſtè, & probabiliter timente per illas aliquod malum ſibi iniuſtè parari, vel dubitante, ne aliquod contra ipſum tractetur: Non comprehenderetur ſub caſu, ſi dictas litteras aperiret, & legeret, vt colligitur ex Gloſſa in d. c. cùm olim de offic. deleg. in ver. Vriæ, vbi dicitur: Vriam ſtultum fuiſſe, qui recepit litteras iniuſtè contra eum miſſas: Debebat enim illas prius legere, eò quod habebat illas ſuſpectas, & tales litteras conſignare non erat obligatus, ex quibus graue nocumentum illi parabatur: Ità Graff. d. c. 10. n. 22. *Gloſſa in c. cùm olim. Exemplum de Vria. Graff.*

8 *Aduertentia neceſſaria. Non ſufficit quæcumque imaginatio.*

Sed nota: Hoc intelligendum eſſe de manifeſto inimico, & quando certa ſcientia, ſiuè manifeſta coniectura de tali damno contra ipſum parato, non autem per quamlibet imaginationem, & ſuſpicionem abſque vllo reali fundamento: Vndè ſi Religioſus, abſque certo fundamento litteras ſuperiorum ad inferiores deſtinatas, ſiuè inferiorum ad ſuperiores miſſas aperiret, ſiuè legeret non eſſet immunis à caſu reſeruato: Non enim licet pro qualibet ſuſpicione litteras ſuperiorum aperire, cùm hoc ſit expreſsè contra verba Decreti, vt patet, & confitetur idem Graff. d. c. 10. nu. 14. *Graff.*

9 *Dubitatio de illo, qui tantū aperit, & non legit. Sententia Graff.*

Quæritur tamen hic: An, qui ſolùm aperit, & non legit incidat in caſum?

Reſpondetur, quod licèt Graff. d. c. 10. nu. 24. exiſtimet non incurrere, Cuius ratio eſt, quia ſola aperitio ſigilli, non dicitur propriè, & vera aperitio niſi litteræ clauſæ legantur: Vndè exiſtimat ipſe, quod ſi etiam malo animo, quis aperiat chartulam illam, quæ claudit litteras ſigillatas, & poſtea pœnitentia motus litteras non legeret, ſed iterum clauderet, vt prius, tunc talis Religioſus non incideret in caſum. Cuius ratio eſt, quia litteræ verè nōn dicuntur apertè, ſi ſola ligatura ſit diſſoluta, niſi litteræ ipſæ legantur, quod etiam exiſtimat Stephan. Quaranta, ver. caſus, num. 13. *Quaranta.*

10 *2. Sententia Coriol.*

Pater verò noſter Coriolan. p. 2. de Caſib. reſer. caſu 11. contrariam ſententiam tenet, cuius Ratio eſt, quia in Decreto nulla ſit ſpecificatio de lectura litterarum, ſed ſimpliciter dicitur: Aperitio, & nihil additur de lectura, & à proprietate verborum non eſt recedendum, nam per huiuſmodi fracturam fit iniuria Superiori mittenti, & ad quem litteræ clauſæ directæ erant, & è cōtra: & ideò cùm talis aperitio ſigilli facta fuerit doloſè, (vt ſupponitur) de ſe fuit mortifera, omnis enim iniuſtitia de ſe peccatum mortale eſt, ſecundùm Diu. Thom. 2.2. q. 59. A. 4. & Nauarr. in c. Sacerdos de Pœnit. D. 6. ſequentes Menochium de Arb. iud. caſu 311. num. 12. Cent. 4. At qui aperit alienas litteras, & maximè ſuperiorum peccatum iniuſtitiæ committit: Tollit enim ius alterius aperiendi litteras, ad ſe miſſas, qui tollit ſigillum cuſtodiæ, & ideò, non excuſatur à culpa mortali, & à caſu. *D. Thom. Nauarr. Menoch.*

11 *Ex aperitione litterarum multa inconuenientia oriuntur.*

Vndè ex tali aperitione litterarum multa inconuenientia oriuntur, vt perturbationes animi, odia, & rancores, & innumerabilia mala in Religionibus: Quàpropter rationabiliter talis litterarum apertura, ſit & eſt caſus reſeruatus, & cùm talis prohibitio facta ſit à Papa, ſequitur eſſe peccatum mortale huiuſmodi trāſgreſſio, quamuis litteræ poſtea non fuiſſent lectæ.

12 *Legens litteras, & non aperiens non incidit.*

Quod adeò exiſtimatur verum, quod ſi quis, legat litteras tales, abſque eo, quod aperiat, vt ſæpè euenire ſolet, legendo ad lumen Solis, ſiuè candelæ, quando characteres tranſparent, eò quod charta bibit, vel etiā ſi quis per chartulam Nizzæ, (vt Italicè dicitur) introſpexerit, non incurrit in caſum, cum in littera textus legis nihil dicatur de lectura: Ità Coriol. d. c. 11. §. vltim. *Coriol.*

13 *Quomodo intelligenda ſit ſententia Graff.*

Quàpropter dicimus, quod rationes Graffij, & Quarātæ ſolum poſſunt habere locum in litteris æqualium ſubditorum inter ſe, qui non habent auctoritatem præcipiendi contrarium: Non poſſunt autem locum habere in litteris ſuperiorum ad inferiores, & è contra, cùm ſit id expreſsè prohibitum à Summo Pontifice, qui ad id quemadmodum, & in alia pleniſſimam habet auctoritatem.

14 *A ſuperioribus ad inferiores, & è contra.*

Dicitur tandem (*à Superioribus ad inferiores, & è contra*) Superiores ſunt omnes ij, qui præſunt in Religionibus, vt ſunt Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Guardiani, & huiuſmodi, quibus Animarum cura ex officio data eſt, & incumbit officium ſuperioritatis, & prælaturæ in Religionibus: Quàpropter, vt ſit caſus reſeruatus requiritur, quod retardatio, ſiuè litterarum aperitio ſit doloſa, & ſit de litteris, directis à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores, vt ſupra iam explicatum eſt.

15 *Superiores poſſunt licitè aperire litteras ſuorum ſubditorum.*

Vltimò tandem dicimus: Poſſe ſuperiores Regularium litteras ſuorum ſubditorum aperire, & legere, quandò ità illis videbitur expediri in Domino: Nam ſuperiores per publicam legem ex vi ſui muneris poſſunt litteras ſuorum ſubditorum aperire, & legere pro bono regimine, quia tunc huiuſmodi ſuperiores vtuntur iure ſuo, pro vt notauit Quaranta in d. ſum. Bullar. Verb. caſus: num. 13. allegans Nauar. in cap. Sacerdos de Pœnit. D. 6. num. 16. & in c. Non dicatis, 12. qu. 1. Et hæc breuiter adnotaſſe ſufficiant pro expoſitione vndecim caſuum in Decreto aſſignatorum: ſupereſt modò, vt nonnulla dubia explicemus, circa verba ſubſequentia ipſius Decreti, quæ in ſequenti tractatu elucidemus. *Quaranta. Nauarr. Can. Non dicatis.*

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

TRACTATVS XXVIII.

De Sacramentis.

Et de dubijs Reſoluendis, quò ad Caſus Reſeruatos.

Tract. XI.

PROOEMIVM.

EXplicatis iam vndecim caſibus, qui à Regularibus pro Regularium diſciplina cuſtodienda reſeruari poſſunt, iuxta Decretum Clementis VIII. ſupereſt, vt ſubſequentia ipſius Pontificis verba, in calce Decreti contenta explicemus, nonnullaque dubia, ac difficultates emergentia pro conſcientia puritate ſeruanda elucidemus, quorum cognitio, non ſolum confeſſarijs, verùm etiam pœnitentibus omnibus neceſſaria eſt, quæ omnia in ſequenti tractatu per aliqua capitula, iuxta Decreti §. explicabimus.

DE DVBIIS EMERGENTIBVS CIRCA verba ſubſequentia Decreti.

CAP. I.

1 Non omnes vndecim caſus pro omnibus Regularibus ſunt reſeruati.

QVæritur Primò: An omnes prædicti vndecim caſus apud omnes Regulares virtute Decreti remaneant reſeruati eodem modo?

Reſpondetur Negatiuè: Non enim ſtatuit per Decretum Summus Pontifex omnes prędictos caſus enumeratos in omnibus Religionibus neceſſariò eſſe reſeruandos; ſed tantummodò permittit, aut omnes illos, aut eorum aliquos pro ſubditorum vtilitate, & Religionis conſeruatione reſeruari poſſent, & prohibuit, ne prædicti Regularium Prælati præter hæc peccata alia ſibi reſeruent propria Videlicet auctoritate, quia niſi prudenter, & moderatè in Religionibus caſus reſeruentur, ſæpè ſæpius multi infirmiores pœnitentes, quia ſuperiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidauerint adducerentur (quod adſit) ad æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem, & ideò poſtquam dictus Pontifex Clemens VIII. prædictos vndecim caſus enumerando propoſuit, ſtatim ſubdidit illa verba, quæ in Primo §. continentur dicens.

Prohibetur ne alij reſeruentur propria auctoritate.

2 Verba Decreti.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientia puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

3 Quomodo aliquando poſſint addi alij caſus. Limitatio Pōtificis.

Ex quibus verbis apertè patet: Non reliquiſſe Pontificem liberam poteſtatem ſuperioribus Religionum, vt pro aliqua particulari domo, aut Conuentu caſus aliquos reſeruent, ſed tantum pro tota Religione, ſeu pro tota aliqua Prouincia; Et tunc talis poteſtas non conceditur Prouincialibus, aut Generali ſimpliciter per ſe, ſed cum conſenſu Capituli Generalis pro toto Ordine, aut prouincialis pro tota Prouincia, facta prius matura diſcuſſione, & cum conſenſu dicti capituli congregati: prout verba Decreti clarè ſonat.

4 Nihilominus tamen exiſtimat Pater Suarez in to. 4. de Pœnit. d. 29. ſect. 3. nu. 12. Quod ſi ad bonum regimen alicuius domus, ſeu Conuentus aliquando expediri videbitur ſpecialiter pro illa domo peccatum aliquod eſſe reſeruandum: poſſe in caſu Superiorem cum conſenſu Capituli Prouincialis caſus illos reſeruare pro illo tantum Conuentu, ſiuè domo.

Suar. opinio. An poſſit de conſenſu capituli fieri reſeruatio pro aliqua tantū domo?

Nec refert, quod id non fiat pro tota Prouincia, nam ſatis eſt, vt fiat in aliqua parte eius: Quicquid enim Prouincialis agit in aliquo Conuentu Prouinciæ ſuæ, verè dicitur agere in ſua Prouincia, neque aliud Summus Pontifex requirit, niſi vt fiat cum conſenſu capituli vt ex verbis ipſius Decreti benè conſideratis, & intellectis colligitur. 5

Reſp. tacitæ obiectioni.

Secundò Quæritur: An ſi Superior Conuentus, ſiuè alicuius domus, ſiuè Monaſterij, vt Guardianus, ſiuè Prior, ſiuè Abbas, &c. præcipiat aliquod ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda, abſque aliqua declaratione, illius abſolutionem ſibi, aut Prouinciali reſeruando: An talis reſeruatio cenſuræ poſt dictum Decretum teneat? 6

An poſſit fieri reſeruatio ex communicationis.

Reſpondetur, quod licèt aliquibus videatur talis reſeruatio non eſſe valida ſine capituli conſenſu: ſunt tamen multi, qui probabiliter contrarium exiſtimant, dicentes: Prædictam reſeruationem cenſuræ valere, & licitè fieri poſſe: & Ratio iſtorum eſt, quia in hoc caſu non reſeruatur peccati abſolutio, ſed cenſuræ, quæ longè diuerſior eſt, & ad diuerſum forum, & iuriſdictionem ſpectat, A diuerſis enim non fit illatio, præſertim, cum talis reſeruatio reſpectu ſuperiorum ſit oneroſa, & vſum iuriſdictionis reſtrictiua: clarum enim eſt: Poſſe Prælatos etiam minores huiuſmodi excommunicationes ferre, ſicut poterant ante Decretum: Talis autem excommunicatio eſt ab homine, cuius abſolutio veluti ex ſua natura eſt reſeruata Iudici ferenti, ſicut enim per Decretum iſtud, non eſt ſublata poteſtas ferendi excommunicationem ab homine: Ità nec prohibita eſt huiuſmodi cenſuræ reſeruatio; Ità Suar. tom. 4. de Pœnitent. D. 29. ſect. 3. num. 13. 7

Aliquorum reſponſio. Suar. affirmat.

Nec valet dicere: Non poſſe abſolui pœnitentem à peccato commiſſo, niſi prius abſoluetur à cenſura, quare reſeruando cenſuram, reſeruatur peccatum, & ideò talis reſeruatio cenſuræ eſt contra Pontificis intentionem, qui prohibet fieri poſſe alios caſus reſeruatos abſque conſenſu capituli. 8

Reſp. tacitæ obiectioni.

Reſpondetur: Hoc eſſe accidentarium, & non per ſe, ſufficit enim, quod non ſit idem, & vnum ad aliud non ſit ſecundum ſe extendendum: Ità exiſtimat Suarez, quamuis alijs hoc non placeat: Videtur enim hoc eſſe præter Pontificis intētionem, & in fraudem Decreti, & ideò exiſtimo: Hoc paſſim fieri non debere, ſed potius cum conſenſu capituli ad omnem dubitationem tollendam, quod etiam ipſemet Suarez fatetur. 9

Reſolutio. Limitatur ſententia Suar.

Quæritur 3. quomodò in Religionibus facienda ſit caſuum reſeruatio? 10

Quomodo facienda eſt caſuum reſeruatio in Religionibus.

Reſpondetur quod, vt talis reſeruatio abſolutionis peccatorum legitimè fiat: Tria eſſe neceſſaria, vt ex verbis Decreti colligitur: Primò vt peccatum reſeruā-dum ſit graue, quia caſuum reſeruatio de peccatis venialibus leuioribus, & ordinarijs fieri non debet, ſed de atrocioribus, & ſcandaloſis, præſertim contra vota eſſentialia Religionis, & quò ad illa, quibus excommunicationis cenſura eſt annexa, pro vt dicit Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. quia caſuum reſeruatio ad ædificationem, & ſalutem Animarum facienda eſt, & non ad deſtructionem.

Tria ſunt neceſſaria, vt legitimè fiat reſeruatio. 1. Debet eſſe peccatum graue, & ſcandaloſum. Concil. Trid.

Secundò oportet, quod talis reſeruatio fiat pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate ſeruanda: Si enim in aliqua Religione, aut Prouincia ali- 11

2. Pro Religionis conſeruatione, & animarū ſalute.

Poteſt Prælatus in aliquibus caſibus obligare ad p. m. Can. In nomine. Suar. Graff.

aliquod eſſet inconueniens introductum, quod in magnam Religionis perniciem, vel ſolemnium votorum trãſgreſſionem vergere poſſet (licèt actiones illę in ſe non eſſent mortiferæ) prælatus tamen, qui legitimè promotus eſt, poteſt obligare ad æternam pęnam virtute obedientiæ, etiam tranſgreſſiones illæ, quæ in ſe peccata mortalia non erant: Et ratio huius eſt, quia Prælatus futuris caſibus obuiare tenetur ne veniant maiora damna, vt colligitur ex c. In nomine Domini C. 23. pro vt dicit Ioã. Medina C. de Ieiunio qu. 7. tract. 4. & Suarez loc. cit. Concordat Graff. lib. 3. de caſib. reſeru. c. 10. nu. 26.

12 3. Matura diſcuſſione, & conſenſu capituli.

Tertiò requiritur, vt talis reſeruatio fiat matura diſcuſſione, An id deueniat in Religionis detrimentum, & ad conſcientiam ſubditorum iacturam, ſi huiuſmodi crimina non reſeruentur; Et præſtito conſenſu Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in tota Prouincia cum conſenſu maioris partis Patrum vocalium, ibi pro electione facienda conueniẽtium, (vt notatur à Sorbo in Verbo Abſolutio, quò ad Fratres Capuccini adnot. §. 17.) Em. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. qu. 21. A. 2. iuxta tex. in l. Quod maior ff. de Municip. c. cum in cunctis de iis, quæ fiunt à maiori p. capit. & tunc dicitur reſeruatio facta eſſe legitima, iuxta formam prædicti Decreti.

Sorbo. Rodriq. Leg. Quod maior. C. cum in cunctis.

13 Reſeruatio caſus non eſt facienda ſine magna neceſſitate.

Sed inſuper Notandum eſt, Talem reſeruationem non eſſe faciendam ad libitum, & ſine vrgente cauſa, ſed matura diſcuſſione, occurrente magna, & graui neceſſitate pro Religionis conſeruatione, & diſciplina Regularium ſeruanda, pro puritate conſcientiæ, ad ædificationem, & non ad deſtructionem iuxta Pontificis intentionem, ne laqueum Diaboli ſubditis inducatur.

14 Dubitatio 4. An poſſit fieri reſeruatio aliorum caſuum eiuſdẽ materiæ.

Quæritur 4. An poſſint reſeruari alii caſus à ſupradictis etiam eiuſdem materiæ ſupradictorum caſuũ, vt puta in materia carnis: Solicitatio ad turpia: Oſculum luxurioſum, Tactus impudici, & huiuſmodi: Nam per verba Decreti, videtur quod non, dicit enim: *Si quod aliud præterea peccatum occurrerit*, Per quæ verba videtur, & ſi licere in aliis materiis, vt ſupra dictũ eſt, non autem in materiis in Decreto expreſſis.

15 Reſolutio. Reſponſio Cardinalis Toleti de mente Pontificis.

Reſpondetur Nihilominus Affirmatiuè: Ità enim reſponſum fuit à Cardinali Toleto, R. P. Anſelmo Monopolitano Capuccino coram Patri Generali Capuccinorum, & dictus Toletus affirmauit, ſe hoc dixiſſe de mente Summi Pontificis Clementis VIII. dixit enim: Hoc licere, de conſenſu tamen capituli poſſe Videlicet reſeruari alios caſus, etiam eiuſdem materiæ in Decreto contentos: E. gr. in materia lapſus carnis: Tactus impudicos, Oſcula, &c. Idcircò, quandò in capitulis apponerentur hæc verba, *Et quicquid eſt contra votum, quod in actum externum prodeat, quod ſit peccatum mortale*: Et tunc ſi ſolùm interceſſerit: Prouocatio, ſiuè ſolicitatio ad turpia, Oſcula, tactus, ſiuè amplexus impudici, ſiuè in propria, ſiuè in aliena perſona eſſent etiam caſus reſeruati, pro vt dicit Quaranta in ſum. Bullar. Verb. caſ. 9. & Graſſius d. c. 10. num. 27.

Quaranta. Graff.

16 Caſus reſeruati in c. Generali anno 1599.

Vndè in Religione Capuccinorum in quodam capitulo Generali celebrato Romę anno Domini 1599. ex conſenſu Patrum vocalium reſeruati fuerunt vltra ſupradictos vndecim, etiam infra ſcripti.

1 Tactus Impudici, & Enormes.
2 Oſculum, quod ſit peccatum mortale.
3 Solicitatio ad turpia.
4 Libellum famoſum, ſecuto effectu.
5 In obedientia contumax.
6 Iniectio manuum contra ſuperiores, etiam quod ſit leuius percuſſin: Et ità obſeruabatur in dicta Religione noſtra Capuccinorum.

Verum tamen poſteà in alio capitulo Generali etiam Romæ celebrato anno Domini 1608. ex mandato Summi Pontificis Pauli Quinti abrogati, reuocatique fuerunt ſupradicti numerati caſus. Ità quod ad præſens in Religione noſtra Capuccinorum tantummodò Vndecim illi caſus in Decreto contenti, propoſiti reſeruati remanent. 17

Reuocati fuerunt anno 1608. ex mãdato Pontificis.

Quæritur iterum 5. An ex taxatione illorum caſuũ facta in Decreto, neceſſe ſit, omnes illos eſſe reſeruatos in omnibus Religionibus? 18

Dubitatio 5.

Reſpondetur: Non eſſe neceſſarium, ſed tantummodò prohibitum eſſe per Decretum, ne alii caſus à ſupradictis ad libitum reſeruentur: Quàpropter poſſet Prælatus, ſi ità expediri videbitur aliquos caſus ex illis excludere, & facere non reſeruatos, vt puta in materia lapſus carnis poſſet reſeruare ſolùm actum conſummatum cum coitu ſecundæ perſonæ, & tunc peccatum Mollitiei, ſiuè voluntariæ pollutionis non eſſet caſus reſeruatus: ſic enim declaratum fuit Romæ ab ipſomet Pontifice Clemente VIII. R. P. Procuratori generali congregationis Caſſinenſium pro tempore tunc exiſtente, vt refert Graff. d. lib. 3. de caſib. Reſer. c. 8. n. 4. & hæc de primo §. dicti Decreti poſt enumerationem ſupradictorum caſuum.

Poteſt Prælatus declarare aliquos caſus ex illis, non eſſe reſeruatos.

Declaratio Clementis VIII.

Graff.

In ſecundo §. habentur hæc verba: *Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quandò peccatum aliquod reſeruatum commiſerint; aut ipſimet ſubditi ſpontè, ac proprio motu id ab iis petierint*, ex quibus verbis nonnulla dubia inquirenda, & explicanda inſurgunt. 19

§. 2. Decreti.

Primum ergò Dubium eſt: An Superiores Regularium poſſint licitè Confeſſiones ſubditorum audire poſt Decretum? 20

Prima Dubitatio.

Reſpondetur: Hoc illis non licere, niſi in duobus caſibus, quorum primus eſt, quandò peccatum aliquod reſeruatum aliquis illorum commiſerit, cuius abſolutio, ipſi Superiori reſeruata ſit: quia tunc debet ſubditus ipſi Prælato, cui facta eſt reſeruatio, peccatum illud reſeruatum confiteri, cum alii Sacerdotes inferiores ſuper huiuſmodi reſeruata iuriſdictionem non habeant: pro vt dicit Hierony. à Politio ſupr. Reg. cap. 7. num. 17. ſed hoc intelligendum eſt de illis Prælatis, quibus peccata reſeruata fuerunt, & non de aliis.

Quando liceat ſuperioribus audire confeſſiones ſubditorum.

Politius.

Vndè ſciendum eſt, ab ipſomet Summo Pontifice Clemente VIII. declaratum fuiſſe: Abſoluendi facultatẽ à caſibus reſeruatis ad illos pertinere Prælatos, ad quos ante huius Decreti publicationem ſpectabat: Vndè in Religione Capuccinorum: reſeruatorum abſolutio pertinet ad Miniſtros Prouinciales, eorumque Vicarios, aut ad alios maiores Prælatos, ſicut antea pertinebat, ſecundùm Regulam in cap. 7. pro vt dicit Sorbus in compendio Verbo: Abſolutio ordinaria, quò ad Fratres, Capuccini adnotatio, & ex vſu patet. 21

Ad quos Prælatos ſpectet abſolutio reſeruatorum.

Quàpropter non licèt Guardianis, aut eorum Vicariis Confeſſiones ſubditorum audire, niſi ipſimet ſpontè, ac proprio motu id à Superioribus petierint: Et iſte eſt ſecundus caſus, in quo Superioribus, permiſſum eſt ſubditorum Confeſſiones audire, vt ex litera Decreti patet. 22

Secundum Dubium eſt: An licitè poſſint prædicti Guardiani adſtringere Iuuenes, ſeù nouellos profeſſos, ante quartum annum Religionis completum, vt mos eſt in noſtra Capuccinorum Religione, vt ipſis tantùm peccata ſua confiteantur. 23

2. Dubitatio. An poſſint Guardiani audire confeſſiones Iuuenum Religioſis?

Reſpondetur ex vi prædicti Decreti clarum eſſe: Hoc illis non licere, niſi per conceſſionem expreſſam Summi Pontificis, concedentis talem facultatem, non obſtante Decreto: Vndè dicitur Clemens VIII. 24

Conceſſio Clementis VIII. facta viua voce.

vitię

Digitized by Google

viuę vocis oraculo rogatus à Reuerendo Patre Anſelmo Monopolitano, tunc Procuratori generali Capuccinorum, hoc permiſiſſe, & conceſſiſſe ad bonum regimen, & pro Religionis conſeruatione.

25 *Difficultas huius beneplaciti, an perſiſteret.*

At quoniam de tali conceſſione magna erat dubitatio inter Fratres: An verè fuiſſet emanata, & dato quod, fuiſſet conceſſa dubitabatur: An per mortem concedentis expiraſſet, quia mortuo iam Pontifice, ex cuius beneplacito hoc permittebatur, & Decreto perſiſtente, atque à ſucceſſoribus confirmato, in quo adeſt prohibitio illa generalis: vbi dicitur (*Non liceat ſuperioribus, &c.*) reputabatur communiter talem conceſſionem, ſiuè permiſſionem expiraſſe.

26 *Declaratio facta ab Vrbano VIII. Iuuenes ante 4 annum cōpletum religionis tenentur confiteri ſuo Guardiano. Debet cōcedi facultas quinquies in anno.*

Quàpropter nunc denuò Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus Papa VIII. iterum declarauit, & conceſſit, vt licitè prædicti Guardiani poſſint adſtringere dictos iuuenes ante quartum annum Religionis completum, vt non confiteantur cum aliis Sacerdotibus deputatis, ſed tantummodò ab ipſis Guardianis, ſeu Superioribus abſolui poſſint: cùm hac tamen limitatione, vt ipſi Superiores concedant ipſis iuuenibus, in quolibet anno quinquies, aut ſex facultatem faciendi Confeſſionem aliis Sacerdotibus deputatis ad Confeſſiones audiendas cæterorum fratrum, ne fortè verecundia, aut timore permoti in periculum tacendi peccata (quod abſit) aliquandò inducantur, vt patet ex conſtitutionibus nouis Minoritanis, vbi fit mentio de tali conceſſione anno Domini 1645. per Decretum emanatum in menſe Auguſti anno ſui Pontificatus primo: Quæ conceſſio iterum confirmata eſt ab Innocentio Papa X. *Innocentius X.*

27 *Quando Superiores non concesserunt facultatem: An poſſint illa vti.*

Sed hic inſurgit vna difficultas: An ſi dicti Guardiani, ſiuè Superiores ex inaduertentia, ſiuè incuria talē facultatem illis iuuenibus, ſaltem quinquies in anno dediſſent pro maiore parte anni: An in caſu licitum ſit aliis confeſſariis deputatis à Capitulo Confeſſionē facere ſaltem quinquies in anno, iuxta beneplacitum Summi Pontificis?

28 *Reſolutio eſt affirmatiua.*

Reſpondetur (ſaluo meliori iudicio) quod talis videtur eſſe pia mens, & intentio Pontificis, ne in laqueum Diaboli (quod abſit) dicti Regulares iuuenes inducantur: Quàpropter noſtræ conſtitutiones nouiter impreſſæ hoc expreſsè ordinant, quod Videl. prædicti Guardiani omninò debeant talem facultatem, ſaltem quinquies in anno quolibet illis facere: Ità .n. multi Patres Docti noſtri Ordinis ſentiunt.

29 *An ſi petierit aliam licentiam vltra numerum præfixum, tenentur concedere.*

Inſuper mouetur tertium dubium, & eſt tale: Dato, quod dicti Guardiani poſſint dictos iuuenes adſtringere ex vi illius conceſſionis, vt tantùm ipſis ſuperioribus peccatorum ſuorum confeſſionem faciāt: An ſi aliquandò ipſi pœnitentes, vltra numerum conceſſionis facultatem petierint à ſuo Superiori, vt poſſint pro illa vice alteri Sacerdoti deputato ad Confeſſionem in eodem Conuentu Confeſſionem ſuam facere, debeat ſuperior in caſu hoc concedere, vel licitè poſſit denegare?

30 *Reſolutio eſt affirmatiua.*

Reſpondetur non ſolùm licere, verùm etiam malè facere ſuperiorem denegando talem facultatem, & expreſsè facerent contra charitatis præceptum, & cōtra ipſiuſmet Pontificis intentionem; Immò, & ipſius Chriſti Domini, qui dixit Petro: *Non dico tibi ſepties, ſed vſque ad ſeptuagies ſepties*. Vndè in caſu poterit interpretari intentio ſuperiorum maiorum, & ipſiuſmet Summi Pontificis, & ità Confeſſarius deputatus à capitulo poterit huiuſmodi pęnitentem pro illa vice abſoluere, licèt licentia non eſſet obtenta.

31 *Confirmatur ratio ex declaratione Pontificis de caſibus reſeruatis.*

Confirmatur hoc ex illa additione, quam Clemēs VIII. aliique Summi Pontifices ſucceſſores addiderunt verba illa in calce dicti Decreti de caſibus reſeruatis: Vbi dicitur: *Inſuper Sanctitas ſua declarat, & declarat, quod ſi huiuſmodi confeſſarijs deputatis facultatem petentibus Superior denegauerit, hoc tamen non obſtante, pro illa vice abſoluant, quamuis licentia non fuerit obtenta*. Et ità à ſimili; credimus dicendum eſſe in hoc caſu: Talis enim videtur eſſe pia mens ſuperiorum, ac etiam Summi Pontificis pro Animarum ſalute, & ideò, ſi abſque rationabili cauſa prædicti ſuperiores in tali facultate eſſent difficiles ad concedendam, à graui culpa non eſſent excuſati, ideò, &c.

In 3. §. adduntur hæc verba: *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, ijque ſint docti prudentes, & charitate præditi: Qui non à reſeruatis eos abſoluant: Et quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, in quo eam debere committi, ipſe in primis confeſſarius indicauerit*. Ex quibus verbis nonnulla colliguntur notanda, & inſurgunt dubia explicanda. 32 *De §. tertio. Verba Decreti.*

Quàpropter eſt Primò Notandum, quod ſuperiores in ſingulis domibus, ideſt quilibet ſuperior in ſuo Conuentu, vt ſunt Abbates, Priores, Rectores, Guardiani, ad quos ſpectat ex officio Confeſſarios pro ſuis ſubditis deputare: pro vt dicit Politius ſup. Reg. ca. 7. nu. 39. tenetur quilibet in ſuo Conuentu deputare ad minus duos, aut tres Sacerdotes illius domus, ſeù Cōuentus, quod intelligendum eſt de illis Sacerdotibus, qui prius à Prouincialibus ad audiendas Confeſſiones fratrum ſemel fuerunt approbati, & ſufficientes ad Confeſſiones audiendas declarati, Ità enim noſtra Minoritana Religio de more habet, & obſeruat, vt primò Sacerdotes à Prouinciali approbentur, deindè à Guardianis in Confeſſarios deputentur, & eligantur, pro vt dicit idem Politius, loco ſupra cit. 33 *Superiores locorum debent confeſſarios deputare.* *Confeſſarij deputandi à Guardianis debēt eſſe ex approbatis à Prouinciali.*

Notandum 2. quod in dicto §. à Pontifice tres conditiones aſſignatur, quas prædicti Confeſſarij deputādi habere debent, vt Vid. ſint idonei ad exercendum munus ſuum, iuxta Decretum, quarum prima conditio eſt, quod debeant eſſe Docti, vt ſine errore ſciant diſcernere inter lepram, & non lepram: & vt ſciant, & valcant rectum iudicium facere, & vt Prælati confidando in eorum ſufficientia aliquandò etiam facultatem à reſeruatis abſoluendis illi concedere poſſent quandò Confeſſarius petierit, indicando ſibi debere committi, iuxta formam Decreti in hoc §. poſitam. 34 *Tres conditiones requiruntur in confeſſarijs, vt poſſint licitè deputari. 1. Debent eſſe docti, & quare.*

Secunda conditio eſt, vt ſint Prudentes, in interrogationibus faciendis, & reprehenſionibus, & pęnitentiis iniungendis, ad præſtandumque remedium, ne reincidant in poſterum, & pro ſigillo Confeſſionis inuiolabiliter ſeruando, & ad rectum, & validum faciēdum iudicium, præſertim in materia caſuum reſeruatorum. 35 *2. Prudentes quomodò, & quare.*

Tertia conditio eſt, vt ſint charitate præditi, vt Vid. poſſint pœnitentes iuuare, & pro ipſis orando, & ad peccata detegenda, & deteſtanda, exortando ipſos ad ſpem ipſorum criminum, & miſericordiam conſequendam animandos: Nam confeſſarius debet eſſe Medicus, Iudex, & Paſtor, vt colligitur ex c. 1. de Pęnit. §. Quibus cognitis: Debet etiam eſſe beneuolus, paratus, & aptus erigere, & ſecum onus pęnitentium ſuorū portare cum omni pietate, & prudentia. & tandem habere debet illas 8. conditiones, quę in verſiculo illo continentur: pro vt ſupra, agendo de qualitatibus requiſitis in Confeſſarius dictum eſt. 36 *3. Charitate præditi, & quare.* *Confeſſarius debet eſſe Medicus, Iudex & Paſtor.* *Conditiones boni Confeſſarij, quæ.*

Confeſſor, dulcis, Affabilis, atque Suauis,
Prudens, Diſcretus, Mitis, Pius, atque Benignus.

Tales itàque Sacerdotes huiuſmodi habentes qualitates, deputandi ſunt à Superioribus in cōfeſſarios illius domus, ſiuè Conuentus, vbi deputantur ad audiēdas Confeſſiones Regularium illius domus: Et hæc de præſenti capitulo dicta ſufficiant: Plura occurrūt dubia explicanda, quæ in ſequenti Capitulo elucidentur.

D E

DE ALIIS DIFFICVLTATIBVS Circa tertium §. in verbo Superiores.

CAP. II.

1 Sex dubia explicanda circa 3. §. Decreti.

EXplicatis iam difficultatibus prædictis, ſupereſt, vt alia dubia emergentia circa 3. §. Decreti ſpecialiter elucidentur: Ideòque ſciendum eſt, quod in dicto verbo ſuperiores: Sex dubia occurrunt explicáda, tam circa electionem Confeſſariorum faciendam, quam etiam circa facultatem, quam Confeſſarij deputati habeant, iuxta formam Decreti, quæ ſunt infra ſcripta Videl.

1 An ſit ad libitum ſuperiorum Conuentus deputare quotquot voluerint Confeſſarios iuxta Decretum Clementis VIII.

2 Aſſignatis Confeſſarijs in domo: An poſſit ſuperior aſſignare ſuos pœnitentes determinatos cuilibet Confeſſario? An erit ad libitum pœnitentium eligere quemcumque ex Confeſſariis deputatis?

3 Dato, quod ſit ad libitum pœnitentium, ſi eligat ſibi vnum: An erit etiam ad ſuum libitum, illum relinquere, & alium eligere?

4 Quam facultatem tales deputati habeant circa abſolutionem reſeruatorum?

5 An tales deputati Confeſſarii debeant innoteſcere ſuperiori peccatum reſeruatum, quod occurrit?

6 An habentes delegationes à ſuo Superiori abſoluendi à reſeruatis, poſſint talem iuriſdictionem aliis committere?

3 Ad 1. dubiũ. Quot Confeſſarij ſint deputandi pro qualibet domo.

Ad Primum ergò dubium, Reſpond. quod deputandi ſunt Confeſſarii ſecundùm numerum proportionatum pœnitentium, itá quod, vbi ſunt pauci Regulares commorantes de familia, pauci Confeſſarii ſufficiunt; At vbi ſunt plures, deputandi ſunt plures, duos, Vid. tres, aut plures Confeſſarii pro ſubditorum numero, proportione ſeruata. At quoniam communiter in ſingulis domibus ad minus debent commorari circa duodecim Religioſi plus minuſue, iuxta mentem ipſius Pontificis Clementis VIII. ideò exiſtimo, quod in ordinariis Conuentibus duodecim Religioſorum, ſufficiant duo, aut tres Confeſſarii deputati: Sed ſi Religioſi eſſent plures, eligi poterunt etiam quatuor, aut plures ſecundùm numerum Religioſorum in eodem Conuentu commorantium: ſic enim hodie in noſtra Religione Capuccinorum communiter obſeruatur, & hoc vt dicti Religioſi liberam habeant facultatem eligendi vnum ex illis, pro vt videbitur ad bonum conſcientiæ vniuſcuiuſque expedire.

4 Deputantur hodiè confeſſarij in Capitulo à Patribus.

Hodiè verò per nouas conſtitutiones nouiter emanatas ſtatutum eſt, quod Confeſſarii vniuſcuiuſque domus deputentur à Patribus definitoribus cum Prouinciali in capitulo: quápropter ad numerum, & Cõfeſſarios aſſignatos in dicto capitulo ſtandum eſt: Si verò infra annum fiat mutatio loci alicuius Sacerdotis, ex Confeſſariis deputatis; Tunc in caſu poterit Superior loci deputare, & ſubrogare alium Sacerdotem illius familiæ, quouſque aliter ordinatum veniat à Prouinciali: Ità in dictis conſtitutionibus declaratum eſt.

5 An Superior loci poſſit conſtituere confeſſarium particularẽ. Quam facultatem habeat dictus Confeſſarius.

Si verò aliquis Guardianus daret licentiam alicui fratri, vt alii Sacerdoti non ex deputatis poſſit confiteri, exiſtimo validam eſſe Confeſſionem: nam Ordinarius Prælatus poteſt iuriſdictionem: ſuam aliis delegare: Verum tamen eſt, quod exiſtimo talem pœnitentem non poſſe eſſe abſolutum à caſibus reſeruatis, cùm talis Confeſſarius particularis deputatus non ſit iuxta formam Decreti Clementis VIII. ſed tantummodò abſoluere poteſt à peccatis non reſeruatis iuxta facultatem, quam habet Guardianus: Nemo .n. dare poteſt, quod non habet, cùm ergo Guardianus nullam habeat iuriſdictionem ordinariam, quò ad reſeruata, ergo non poteſt illam alijs concedere.

6 Ad 2. Dubiũ.

Ad 2. Dubium Reſpond. quod ſicut ex vi iuris communis: Aſſignatis Confeſſariis publicis in aliqua Diœceſi. ſeu Parochia ad libitum eſt pœnitentium eligere quemcumque ex illis, vt experientia conſtat. Ità etiã in Regularibus eſt obſeruandum: Nam aſſignatis Confeſſariis à ſuperiore pro illa domo, vnuſquiſque ſubditorum poterit ad ſuum libitum eligere ſibi in Confeſſarium, quemcumque ex illis, Nam omnes illi Confeſſarii deputati ſunt verè proprij Sacerdotes illorum Regularium in eadem domo commorantium, habentque iuriſdictionem delegatam à Prælato: ergò quilibet Religioſus illius Conuentus liberè, cui voluerit ex illis Confeſſariis poterit ſibi in Confeſſarium eligere. Ità enim colligitur ex verbis Decreti, dicẽtis: *Superiores deputent duos, aut tres confeſſarios pro ſubditorum numero*, & non dicit quod aſſignent ſuos pœnitentes determinatos cuilibet Confeſſario, ergò deputatis Confeſſariis, quilibet Regularis illius domus poterit ſibi eligere quemcumque ex illis. Ità enim hodie in tota noſtra Religione obſeruatur.

Ad libitũ eſt pœnitentium eligere, quẽcumque ex illis deputatis.

7 Conſtitutiones Capuccinorum in ca. 7.

Quápropter in cap. 7. noſtrarum Conſtitutionum generalium declaratur, quod vnuſquiſque ex fratribus ad ſuum libitum eligat illum Confeſſarium ex deputatis, qui ſibi magis videbitur expedire: Hoc etiam habetur ex quadam declaratione, ſeù reſponſione facta Reu. P. Anſelmo Monop. tunc Procuratori generali Capuccinorum à Cardinali Toleto, qui de hoc interrogatus: Reſpondit, dicens: Eſſe ad libitum pœnitentium eligere vnum ex illis: Ideò non debet Superior aſſignare pœnitentes determinatos cuilibet Confeſſario, quia ſic, Confeſſio non diceretur libera. ſed coarctata ad illum tantummodò Confeſſarium: præter Pontificis intentionem. qui voluit, & vult ad minus. quod duos vel tres Confeſſarij deputentur pro ſubditorum numero cuiuſque domus.

Declaratio Cardinalis Toleti.

8 Ad 3. Dubiũ. An regulares poſſint mutare confeſſarium electũ ſine licentia Superioris?

Ad tertium quæſitum, Reſpondetur quod licèt ex communi conſuetudine conſtet, quod aſſignatis Cõfeſſariis publicis in qualibet Diœceſi, ſeu Parochia ad libitum ſit pœnitentium eligere quemcumque ex illis, & quotieſcumque voluerit illum relinquere, aliumque eligere, tamen in Regularibus, hoc non valet, quia ipſis videtur non licere Confeſſarium, ſemel electum ſine ſui ſuperioris licentia permutare: Quod intelligendum eſt de illis Religioſis, quibus aliquo ſtatuto, vel mandato ſuperioris hoc eſſet prohibitum, ſicut à paritate rationis videtur inſinuaſſe Nauarr. in Manu. cap. 4. num. 6. & colligitur ex cap. Nullus cap. Quorumdam de Elect. in 6. & docuit Palud. in 4. D. 17. quæſt. 3.

Nauarr. C. Nullus. C. Quorundã Palud.

9 Reſtrictio Cõſtitutionũ Religionis Capuccinorum.

Ex quorum doctrina, determinatum fuit in Conſtitutionibus generalibus fratrum Minorum Capuccinorum in cap. 7. vbi prohibetur fratribus eiuſdem Religionis Confeſſarii electi commutatio ſine Superioris illius Conuentus licentia, aut ſi proprius Confeſſarius non eſſet in domo, quia tunc liberè poterunt aliis ex deputatis confiteri. & ità ſemper obſeruatum fuit in noſtra Minoritana Capuccinorum congregatione.

10 Talis conſtitutio nõ erat obligatoria ad peccatum.

Verum tamen communiter exiſtimatur, quod ſi aliquandò facta fuiſſet permutatio Confeſſarij ſine licentia, non ideò talis Confeſſio facta reputatur nulla, ſed valida, eò quod dictæ conſtitutiones non ſunt obligatoriæ ad peccatum, ſed ſolùm ad pœnitentiam externam, vt in fine dictarum conſtitutionum declaratur: Et ratio eſt clariſſima: Nam omnes Confeſſa-

rij

rii deputati virtute Decreti habent facultatem abſoluendi omnes fratres illius Cõuentus iuxta Decretum ipſius Clementis VIII. uam Cõfeſſarii deputandi ſunt pro ſubditorum numero ergò, &c.

11 Confeſſio facta eſt valida, licèt ſiat mutatio confeſſarij ſine licentia Superioris.

Neque credo per talem Conſtitutionem in Capitulo generali factam iuriſdictionem in Confeſſarijs fuiſſe limitatam: Non enim dicunt Conſtitutiones Confeſſarios abſoluere non poſſe niſi ſuos pœnitentes determinatos, qui illos ſemel elegerunt; ſed conſtitutiones dicunt Pœnitentes mutare non poſſe, ſeù non debere ſuum Confeſſarium electum abſque ſuperioris licentia: ergò Confeſſio illa, & abſolutio inualida eſſe non poteſt, cùm Confeſſarii deputati habeant liberam facultatem abſoluendi à non reſeruatis omnes fratres illius domus, ſeù in eadem domo commorantes, iuxta Decretum ipſius Clementis VIII. ideò, & cæter.

12 Ad 4. Quæſitum. Quam facultatem habent deputati confeſſarij.

Ad 4. verò quæſitum de Facultate, quam habent Confeſſarii Regularium quò ad fratres, dicimus ſequentia quod (vt ex verbis ipſius Decreti manifeſtum eſt) facultas Confeſſariorum extenditur ad abſoluendos omnes, & ſingulos fratres illius domus, ſiuè in eadem domo commorantes ab omnibus peccatis, dummodò ſuperiori reſeruata non ſint: Ita enim apertè dicit Decretum: *Qui à non reſeruatis eos abſoluant.*

13 Quid faciendum, quando eſt aliquod peccatum reſeruatum.

Sed ſi pœnitens (quod abſit) aliquandò peccato aliquo reſeruato eſſet adſtrictus, tunc debet, quàm primum potuerit Prælato, cui peccatum illud eſt reſeruatum ſe præſentare, & illi integrè omnia peccata commiſſa, & non adhuc abſoluta, tam reſeruata, quàm non reſeruata confiteri, vt ab omnibus Sacramentaliter abſoluetur, quia Confeſſio dimidiata eſſe non poteſt, vt eſt communis ſententia omniũ Theologorum, qui de integritate Confeſſionis loquuntur.

Confeſſio dimidiari non poteſt.

14 Abſolutio quando in aliquo caſu dimidiari poteſt.

Si autem Prælatus legitimè fuerit impeditus, & propter varias occupationes non poſſet, ſiuè nollet omnia peccata illius pœnitentis audire, poterit in caſu audire tantùm reſeruata, & ab illis tantùm Sacramentaliter directè abſoluere: de reliquis autem remittat pœnitentem à proprio Confeſſario abſoluendum: pro vt dicit Politius in cap. 7. num. 15. & 28. ſup. Reg. Nec obſtat, quod Sacramentalis Confeſſio, & abſolutio integra vni Sacerdoti facienda ſit, aliter enim nulla eſſet abſolutio, eò quod gratia dimidiata dari non poteſt, non enim quis poteſt eſſe ſimul Dei amicus, & inimicus; vt ſupra iam explicatum eſt.

Obiectio.

15 Solutio.

Reſpon. Hoc verum eſſe, quandò ipſe Prælatus audire voluerit omnia peccata, & ab omnibus pœnitentem Sacramentaliter abſoluere: nam in tali caſu permittitur ſuperioribus audire Confeſſiones ſuorum ſubditorum, vt expreſsè in 2. §. Decreti dicitur: Et tunc pœnitens tenebitur omnia peccata, quæ in ipſius conſcientia ſunt confiteri, ne dimidiatam faceret Confeſſionem.

16 In quibus caſibus licebit dimidiare abſolutionem Sacramentalem.

At ſi ſuperior propter legitimas cauſas, occupationeſque vrgentes noluerit omnia peccata audire, niſi tantùm reſeruata, & ab illis tantùm Sacramentaliter abſoluere: Tunc in caſu Sacramentalis eſt illa Cõfeſſio, licèt partialis ſit, & abſolutio tenet, eſtque verum, & legitimum Sacramentum, conferens gratiam directè à reſeruatis Confeſſis, & abſolutis, & indirectè ab alijs peccatis non Confeſſis, & quamuis in caſu non ſit niſi ſufficienter attritus, recipit tamen gratiam ab omnibus virtute operis operati, quia per pœnitentem non ſtetit, quin integrè Confeſſus eſſet, ſed per ſuperiorem, qui eum integrè audire noluit, eò quod legitimè fuerat occupatus. Ita Politius in capitulo 7. Regul. loc. cit.

Politius.

17 Cõfirmatur Aſſertio.

Nec hoc debet eſſe mirum: Nam ſicut ex parte pœnitentis (vt ſuo loco diximus) poterit aliquandò eſſe occaſio faciendi Confeſſionem materialiter non integram, eò quod non tenebatur pœnitens aliqua peccata illi Confeſſario manifeſtare, Ità ex parte Superioris poterit aliquandò eſſe legitima cauſa, ne omnia peccata poſſet audire, vel propter repentinum morbum, ſiuè negotium vrgens, referens ad bonum commune, quia tunc liceret Prælato, auditis tantùm peccatis reſeruatis, dare de illis validam abſolutionem, pro vt nos diffuſius explicauimus in tractatu de integritate Confeſſ. ſequendo doctrinam Dom. Soti in 4. D. 18. A. 5. circa medium: & Ioann. Medin. C. de confeſſ. q. 11. & Nauart. in cap. Conſideret §. Cautus de Pœnit. D. 5. & Caietanus in ſumm. Verb. Confeſſio cond. 10. §. Nota Vide etiam Politium ſup. Regulam D. Franciſci in c. 7. n. 15. vſque ad 21. & alios.

Soto. Io. Medina. Nauarr. Caiet. Polit.

18 Oppoſita ſententia. Rodriq.

Hæc tamen opinio non admittitur à Rodriqu. tomo 1. qq. Regul. quæſt. 21. A. 6. & contrariam opinionem veriorem, & ſecuriorem exiſtimat: dicit .n. ſuperiorem huiuſmodi Confeſſionis diuiſionem permittere non debere, cùm vel poſſet audire peccata omnia, tam reſeruata, quàm non reſeruata, & ab omnibus pœnitentem abſoluere: Cuius ratio eſt, quia Integritas Confeſſionis eſt de iure Diuino, in quo dictus ſuperior diſpenſare non poteſt, præſertim nulla exiſtente neceſſitate, cùm ipſe ſuperior ſine maximo incommodo, vel poſſet omnia peccata audire, vel auditis tantummodò reſeruatis poteſt remittere ſuum ſubditum ad Confeſſarium inferiorem concedendo facultatẽ, vt ab omnibus integrè abſolui poſſit, quod etiam docuit Ledeſ. 2. p. q. 8. A. 1. d. 3. conc. 1. Durand. in 4. D. 17. q. 15. Sylu. in Verbo Confeſſio 1. quæſt. 19. Adrian. q. 4. de Confeſſione nu. 162. Victoria de confeſſ. 162. & alij.

Ledeſm. Durandus. Syluest. Adrian. Victoria.

19 Concluſio.

Quapropter melius, & ſecurius, ſecundùm prædictam ſententiam exiſtimo: Superiorem in tali caſu debere tantummodò reſeruata audire in Confeſſione, quibus cognitis, poterit ſuperior remedium opportunum applicare, & pœnitentiam ſalutarem (ſi ita expediri videbitur) taxare, & à cenſuris, ſi quæ ſint abſoluere, cæterum à peccatis non abſoluere Sacramentaliter, ſed remittere, vt à ſuo Confeſſario ſacramentaliter abſoluetur, facultate conceſſa pro reſeruatis: Et talis eſt celebratiſſimus, & communis Eccleſiæ vſus: Quod etiam alij Doctores in prima opinione citati, & ſpecialiter Soto ſupra §. In hac propoſitione: Et Politius d. c. 7. num. 15. id fatentur, & melius exiſtimant.

Vſus celebratiſſimus Eccleſiæ.

Soto. Polit.

20 Modus accõmodatus pro reſeruatis peccatis.

Si verò pœnitens propter verecundiam, vel timorem nolit ſui Superioris adire præſentiam, & illi peccata ſua aperire, vt ſuo pudori ſalubrius conſulat, Confeſſarium inferiorem adeat, cui dicat in Confeſſione, aliqua ſe premi culpa reſeruata, vt ille facultatem à Superiore poſtulet: Hæc enim eſt obſeruantiſſima in Religionibus conſuetudo: Neque in facultate concedenda difficiles Prælati eſſe debent, ne grauiſſimam reddant Confeſſionem Religionis, ſed ſic debent bono communi proſpicere, vt perſonis doctis, & circumſpectis caſus ſuos committant, pro vt dicit Soto in 4. D. 18. q. 2. A. 5. §. Igitur.

Conſuetudo communis Religionum.

In concedenda facultate Superior debet eſſe facilis.

Soto.

21 Quare cõfeſſarij debent eſſe docti, & prudentes, & charitate præditi.

Quapropter dicit Pontifex in Decreto, quod Confeſſarii deputati ad audiẽdas Confeſſiones Regulariũ debent eſſe *Docti, Prudentes, & charitate præditi*, vt ſciant opportunum remedium pœnitentibus præſtare, & ſuperior illis fidem habeat, vt occurrente caſu, facultatẽ abſoluendi à reſeruatis concedat, iuxta formã Decreti, vbi dicitur: *Quibus confeſſarijs reſeruatorũ abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis confeſſarius iudicauerit.*

Et

Digitized by Google

22 *Sigillum in præſentationibus, quomodo ſeruandum.*

Et tunc in caſu, tam Prælatus, quàm Confeſſarius tenentur ſeruare ſigillum ſacrum Confeſſionis, ne per alterius imprudentiam, aut incuriam perſona pœnitentis cognoſcatur: Hæc enim omnia ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, nec poteſt Superior aliquo modo ex illa notitia habita ad externam gubernationem adiuuari, ne iugum Sacramentalis Confeſſionis odioſum reddatur, vt nos fuſius explicauimus in tractatu de ſigillo Confeſſionis capit. 5. dub. 1. & alibi.

23 *Non ſufficit facultatem eſſe petitam, & non obtẽtam.* *D. Thom.* *Alenſ. Marſ. Suar. Rodriq.*

Quod ſi ſuperior facultatem abſoluendi à reſeruatis Confeſſario petenti dare noluerit ſecundùm iura communia, non poſſet prædictus Confeſſarius inferior pœnitentem huiuſmodi abſoluere: Non enim ſufficit prædictam facultatem eſſe petitam, & non obtentam, vt eſt doctrina D. Thom. in 4. D. 17. qu. 3. A. 3. quæſt. 4. ad 5. & 6. Vbi ait: In huiuſmodi caſibus, ità ſe debere gerere pœnitentem, tanquam eum, qui non habet copiam Confeſſarii, quod etiam dicunt Alenſ. 4. p. quæſt. 77. membr. 3. A. 1. & Marſ. in 4. quæſt. 12. A. 1. & alii, quos citat Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 28. ſect. 6. nu. 10. & Rodriq. to. 1. qq. Reg. q. 21. A. 4. & alii communiter.

24 *Non licèt Superioribus facultatem petentibus confeſſariis denegare.* *Decretum Clem. VIII.* *Graſſ.*

Verum eſt tamen hodie poſt Decretum Clementis VIII. non licere Superioribus Regularium, Confeſſariis petentibus facultatem denegare, ſi ipſi Confeſſarij iudicauerint ſibi committi debere, vt colligitur ex verbis Decreti, vbi dicit Pontifex, quod: Si Confeſſarius in primis iudicauerit ſibi abſolutionem reſeruatorum committi debere committatur: Ità Graſ. in cap. Vltimo de caſibus reſeru. in §. Non liceat, & §. Superiores.

25 *Negando iniuſtè ſuperior facultatem concedit Papa, & quomodò.* *Additio ad Decretum.*

Et ne in facultate concedenda Prælati in poſterum eſſent difficiles, & pœnitentes Regulares, non habentes remedium in confuſionem, ſiuè deſperationem inducerentur. Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus V. in fine ipſius Decreti Clementis VIII. addidit verba illa, quæ in fine ipſius Decretis imprimuntur. Videlic. *Sanctitas ſua, deinceps declarauit, & declarat, vt ſi huiuſmodi Confeſſarijs Regularium alicuius reſeruati facultatem petentibus, ſuperior dare noluerit, tunc dictus Confeſſarius pœnitentem pro illa vice abſoluat, quamuis licentia non fuiſſet obtenta.*

26 *Duo colliguntur ex prædicta declaratione.* *Nota diligẽter.* *Extra. Sixti IV.*

Ex quibus verbis, duo colliguntur, quorum primum eſt: Non poſſe Confeſſarium inferiorem de caſibus reſeruatis abſoluere pœnitentem niſi prius adeat Superiorem, & ab illo facultatem poſtulet, aliàs enim caſus in vanum dicerentur reſeruati; Et licèt Pontifex, iniuſtè illo negante, det facultatem pro illa vice abſoluendi, non tamen hoc generaliter concedit, ſed pro illa vice concedit, vt valeant illos abſoluere, quamuis licentia, pro tunc non fuerit conceſſa, vt ex Verbis Pontificis clarè patet; Vndè occurrente alio caſu, debet Confeſſarius iterum adire Prælatum, & iterum negante facultatem, poterit etiam pro illa vice abſoluere: ſic enim hodie à multis doctis Patribus Religionis interpretantur prædicta verba, aliàs enim ſi Confeſſarius abſolueret quemcumque pœnitentem indifferenter à reſeruatis, abſque petita prius facultate: In vanum (vt dixi) caſus dicerentur reſeruati. pro vt colligitur ex extra. Sixti IV. Et ſi dominici, legite Politium d. cap. 7. num. 32. Nullus enim inferior Confeſſarius à caſibus reſeruatis abſoluere poteſt niſi prius facultatem obtineat.

27 *Cauſæ, quæ mouere poſſunt confeſſarium ad faciendum iudicium.* *Graſſius.*

Si verò Confeſſarius, occurrente caſu facultatem à ſuperiore petere non poſſet, vel quia ſuperior abſens fuerit, vel quia Prælatus eſt impeditus: Et dictus Confeſſarius in Domino iudicauerit pœnitentem nõ poſſe, aut non debere Superiori ſuo ſe præſentare rationibus à Doctoribus præſcriptis, vel ſecundum Graſſium loc. cit. pœnitens habeat nimiam verecundiam, & timorem ſe præſentandi Prælato, quia probabiliter ſuſpicatur deinceps non recto, ſed toruo oculo à Superiore eſſe inſpecturus, vel dubitat de mutatione Conuentus, ex qua mutatione aliquod detrimentum ipſi pœnitenti apportabit, & dicit ſe non habere talem confidentiam cum Prælato. vndè ſi acceptaret obligationem ſe præſentandi, exponeret ſe periculo non adimplendi talem obligationem propter timorem, & verecundiam faciendi tali præſentationem. *Nimia verecundia, an ſit cauſa ſufficiens?*

28 *Quandò Cõfeſſarius iudicauerit ſibi committendam eſſe facultatẽ, quid faciendum?*

Si Confeſſarius viderit pœnitentem eſſe ſufficienter contritum cum firmo, & vero propoſito non amplius peccandi, ſublata omni occaſione proxima ad peccatum: exiſtimo in tali caſu poſſe Confeſſarium ex deputatis iuxta formam Decreti Clementis VIII. abſoluere talem pœnitentem, etiam à reſeruatis: Et ratio huius eſt, quia ſi Confeſſarius iudicauerit ſibi cõmitti debere in illo caſu facultatem abſoluendi, tacitè videtur eſſe conceſſa, vel à ſuperiore, cui illam negare non licet, vt ſupra dictum eſt, vel à Summo Põtifice, quia iniuſtè ſuperiore negante Summus Pontifex concedit facultatem, & declarat eſſe conceſſam: vt per illa verba ſubſequentia ad Decretum patet.

29 *Praxis Capuccinorum, circa abſolutionem reſeruatorum;* *Præſentatio confeſſarij quomodò facienda.*

Vel, vt hodie de mente omnium ſuperiorum noſtri Ordinis habetur, & in Conſtitutionibus noſtris declaratur, quod ſi Confeſſarius iudicauerit in Domino, facultatem eſſe committendam poteſt pęnitentẽ liberè etiã directè abſoluere, cum hoc tamen onere, vt poſtea ipſe Confeſſarius, quandò comodè potuerit ſine nota perſonæ pœnitentis, & ſaluo ſigillo, petere benedictionem à Prælato, dicendo, ſe abſoluiſſe tot pęnitentes in eius abſentia, iudicando tales pęnitentes, ſe non debere præſentare; Et talis præſentatio Confeſſarii eſt omninò facienda, pro vt dictæ Conſtitutiones Generales declarant.

30 *Obiectio.* *Solutio.* *Præſentatio reſeruatorũ, obligat ex natura rei.* *Filliuc.*

Nec valet dicere, Conſtitutiones noſtræ non eſſe obligatoriæ ad aliquod peccatum, ergò ſi Confeſſarius, non ſe pręſentat, non peccat: Reſpond. Hoc verum eſſe: noſtras Conſtitutiones, vt conſtitutiones, ſecundùm ſe, non obligare ad peccatum mortale, niſi in quantum obligant iura: At talis obligatio de natura ſua eſt de re graui, & ideò ex natura rei talis trãſgreſſio erit peccatum mortale, ad quam obligationem ſe obligauit Confeſſarius implicitè, vtendo facultate abſoluendi à reſeruatis, quæ data eſt à capitulo cum tali onere: legite Filliuc. to. 1. tract. 7. de confeſſ. c. 10. q. 8. nu. 298.

31 *Difficultas. An præſente Prælato poſſet Confeſſarius à reſeruatis abſoluere?*

Sed hic inſurgit vna dubitatio: An inferior Confeſſarius deputatus in Conuentu à capitulo ad audiendas Confeſſiones fratrum, iuxta Decretum Clementis VIII. poſſit abſoluere pœnitentem à caſibus reſeruatis præſente Miniſtro Prouinciali, ſiuè etiam tempore capituli Prouincialis, ſiuè Generalis, quandò iudicauerit ſibi debere committi facultatem à Prælato, eò quod pœnitens non poteſt ſe præſentare?

32 *Diuerſitas declarationũ Prouincialium.* *Declaratio facta in capitulo generali 1637.* *Ratio huius declarat onis.*

Reſpon. quod licèt ex vi Decreti hoc ei non eſſet conceſſum, cùm dicat: committatur, ideſt à Prælato quandò caſus occurrerit: tamen multi Patres Prouinciales noſtræ Religionis ſæpè ſæpius declarauerunt poſſe: Alii verò oppoſitum tenuerunt; Quapropter hoc dubium quæſitum fuit Romæ in capitulo noſtro Generali celebrato anno 1637. & in congregatione deputata à capitulo fuit determinatum: quod Confeſſarii deputati poſſunt eo modo, quo poterant aliis temporibus, & in abſentia Prouincialis, ſiuè alterius ſuperioris maioris hoc modò Videl. vel obligando pęnitentes ad ſe præſentandum, vel onus aſſumendo, ſe pro illis præſentandi: Nam licèt ratio, qua moti ſunt ſuperiores ad concedendam hanc facultatem Confeſſariis fuerit abſentia miniſtri ad euitanda incommoda,

moda,

moda, quæ indè oriri poſſint, conceſſio tamen facta eſt abſolutè, & non cum hac conditione: (ſi miniſter fuerit abſens,) Hoc patet ex reſponſionibus factis à capitulo Generali tempore Electionis Io. à Montecalerio Generalis Capuccinorum.

33 Facultas, quā habent confeſſarij Capuccinorum à Capitulo generali circa reſeruata.

Si autem Confeſſarius non poterit iudicare facultatem ſibi debere committi, eò quod pœnitens non habeat cauſam, excuſantem à præſentatione facienda; Tunc pœnitens teneretur adire Prælatum pro abſolutione obtinenda: In noſtra autem Religione ad euitandam notam pœnitentium, & ne pœnitentia dilatetur: cuilibet Confeſſario deputato, iuxta Decretum in qualibet domo data eſt facultas à Capitulo Generali, vt pœnitentem ſuum ab omni culpa, & cenſuris miniſtris reſeruatis abſoluere valeat, ità tamen, quod teneatur pœnitens, habita ſuperioris præſentia, ſe de illis reſeruatis præſentare, eaque illi confiteri, vt vel illa iterum abſoluat, vel vt Sacramentaliter tantùm audiat ad præſtandum ſi opus fuerit remedium: Ità enim dicit Politius in d. cap. 7. reg. nu. 28. Et Conſtitutiones noſtræ Generales nouiter reformatæ apertè declarant.

Conſtitutiones generales.

Politius.

34 Obligatio pœnitentium ad præſentationem faciendam pro reſeruatis abſolutis.

Debet ergò Confeſſarius antequam à reſeruatis pœnitentem abſoluat hoc debitum ei patefacere: Si autem tale debitum acceptare noluerit, non abſoluat, quoniam aliter abſoluere non poteſt: Si autem pœnitens tale debitum ſe præſentandi acceptauerit, vel expreſsè, vel tacitè, Confeſſarius illum integrè, & directè ab omnibus abſoluat, cum onere tamen de reſeruatis miniſtro ſe præſentandi: Et tunc pęnitens directè, & legitimè remanet abſolutus ab omnibus, remanet tamen ſemper obligatus tali debito donec ſuperiori ſe præſentet.

35 Non faciens præſentationem p. m. totiesquoties.

Toties enim mortaliter peccabit, quoties tale debitum nollet adimplere proponat poſt abſolutionem cum tali onere acceptam, vel habita opportunitate non adimplet, & ſuperiori ſuo pro reſeruatis non cōpareat, quæ cum tali onere fuerunt abſoluta: pro vt dicit Politius d. c. 7. Reg. à nu. 30. vſque ad 38. & colligitur ex Palud. in 4. D. 17. qu. 5. & Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 30. ſect. 5. num. 27. & Filliuc. tom. 1. tract. 7. de Confeſſ. cap. 10. quæſt. 8. numer. 298. concordat Nauar. in Man. c. 26. num. 12. in illis verbis, vbi aſſerit, quod: Si ſuperior abſens inferiori Confeſſario facultatem dederit, vt à caſibus ſibi reſeruatis, quandò caſus occurrerit valeat abſoluere, cum hac conditione, vt pœnitens abſolutus remaneat obligatus ad ſe præſentandum ipſi Prælato pro reſeruatis abſolutis: Tunc Confeſſarius debet talem modum pœnitenti priuſquam abſoluat declarare, quem ſi acceptare noluerit, non debet eum amplius audire, neque à reſeruatis abſoluere, ſi tamen conſenſerit abſolutioni, adeò valet abſolutio, quod quamuis pœnitens poſteà ſuperiori non ſe præſentauerit, valere non deſinat, quia iam valida fuit abſolutio (vt ſupponitur) peccatum tamen mortale nouum committet quoties opportunitate habita, debitum præſentationis non adimplet: pro vt dicit Politius, vbi ſupra.

Polit. Palud. Suar. Filliuc. Nauarr.

Quid debet facere confeſſarius, quandò pœnitens nollet ſe præſentare.

Politius.

36 Nota doctrinam Suar. & Filliuc.

Imò addit Suarez d. D. 30. ſect. 5. num. 27. cum Filliuc. d. tract. 7. c. 10. q. 8. nu. 298. dicens, quod ſi contingat pœnitentem abſolui abſque eo, quod explicetur conditio comparendi, tenebitur tamen pœnitens, poſtquam illam reſciuerit comparere, quia talis obligatio non oritur propriè ex pacto, ſeù ex præcepto Confeſſarii, ſed ex ipſa rei natura, poſita tali iuriſdictione, ſeù materiæ applicatione, ideòque non pendet ex actuali conſenſu ſubditi, neque per eius ignorantiam impeditur.

Talis obligatio oritur ex natura rei.

37 Licèt ſtatuta non ſint obligatoria remanet obligatio ex natura rei.

Vndè quandò in aliqua Religione per ſtatuta conceditur talis facultas abſoluendi à reſeruatis cum prędicto onere ex vi illius reſultat obligatio ſub mortali culpa comparendi coram Superiore, etiam ſi, nec cōſtitutiones talis Religionis ſoleant obligare in conſcientia tranſgreſſores, neque in tali ſtatuto ſint ſpecialia verba præceptiua præter illa, quæ declarant modum reſeruationis, & facultatis conceſſæ: Hæc Suarez d. n. 28. Et hæc de 4. dubio circa facultatem, quam habent Confeſſarii deputati quò ad abſolutionem reſeruatorum.

Suar. Filliuc.

36 Reſpon. ad 5. Quæſitum.

Tenentur confeſſarij ſe præſentare pro pœnitētibus abſolutis à reſeruatis.

Ad 5. Quæſitum, Reſp. Affirmatiuè, Ità enim declarant noſtræ conſtitutiones Generales in capitulo nouiter impreſſæ vbi declaratur, quod: Tenentur Cōfeſſarii quandò pœnitentes ſuos liberè abſoluunt à reſeruatis, poſtea ipſi Confeſſarii innoteſcere Prælato peccatum reſeruatum abſolutum, non ſolùm, quò ad ſpecies, verùm etiam quò ad numerum (ſaluo tamen ſemper ſigillo Confeſſionis,) quod ſuperior non veniat aliquo modo in cognitionem perſonæ pęnitentis Confeſſi, cùm hoc ſit de iure Diuino.

39 Reſp. tacitæ obiectioni.

Nec valet dicere, quod Conſtitutiones noſtræ non obligant in conſcientia: Hoc tamen nihil impedit, quia in hoc cadit obligatio, non ex vi conſtitutionū, ſed ex ipſa rei natura, quia quotieſcumque Confeſſarius vtitur illa facultate, cum tali onere conceſſa obligat ſe ad conditionem, quæ in ſe eſt de re graui, obligans ad peccatum: pro vt colligitur ex doctrina Suarez, & Filliuc. & Politii, locis ſupra citatis. Et ratio eſt clariſſima: Nam ſi Prælatus fuerit præſens, & non concedat hanc facultatem generalem, & pœnitens ſe præſentare nollet, ſi Confeſſarius iudicauerit, ſibi à ſuperiore committi debere facultatem abſoluendi, tūc ipſe Confeſſarius debet pro facultate impetranda ad Superiorem accedere, & tunc clarum eſt, quod debeat innoteſcere Prælato, ſe habere aliquem pœnitentem, qui de tali reſeruato ſit adſtrictus.

Ratio huius obligationis.

Suar. Filliuc. Politius.

Alia ratio talis obligationis.

40 Reſponſio facta à Toleto de mente Pontificis.

Inſuper dicimus, ſecundùm reſponſionem quamdam factam à Cardinale de Toleto, Procuratori noſtro Generale, qui de hoc caſu ipſum interrogauit: Reſpondit de mente Clementis Papæ VIII. (ſaluo tamen ſigillo) ſi poteſt dicere debet cauſam ob quam iudicat ſic faciendum, quia ſic inducet Superiorem ad ſentiendum, vel ſuperior, cognita cauſa, fortè leui, inducet Confeſſarium ad oppoſitum iudicandum: Quod ſi exprimere non poſſit ſine fractione ſigilli, tūc Superior ſtare debet conſcientiæ ipſius Confeſſarij: Hæc dixit Toletus, ſe dixiſſe de mente ipſius Clemētis VIII.

41 Quid faciendum, quandò Prælatus nō eſſet Domi?

Si verò Prælatus non eſſet in domo, tunc iam declaratum eſt, quod virtute declarationis in Capitulo Generali factæ poſſunt Confeſſarii noſtri deputati, etiam ab omnibus reſeruatis abſoluere cum illo onere, vt pœnitentes abſoluti ſe poſteà Prælato repræſentent, aut ipſemet Confeſſarius, quandò iudicauerit pœnitentes habere cauſam rationabilem non ſe præſentandi de tali caſu: Tunc directè, & liberè poſſet eos abſoluere, cum onere tamen, vt ipſe Confeſſarius pro pœnitentibus abſolutis ſe præſentet Prælato pro benedictione, eo modo, vt ſupra declaratum eſt: Si verò data eſſet facultas Confeſſariis abſoluendi à reſeruatis ſine tali onere, tunc clarum eſt, ad hoc non eſſe obligatos.

42 Reſpōdetur ad ſextam petitionem.

Delegatus non poteſt ſubdelegare.

Ad ſextum tandem dubium Reſpondetur: quod ſi aliquis Sacerdos Regularis haberet aliquandò generalem facultatem per conceſſionem delegatam à ſuo Prouinciali, ſiuè Generali abſoluendi pœnitentes ſuos, etiam à caſibus reſeruatis: Non poteſt talis Cōfeſſarius delegatus facultatem ſibi commiſſam alijs ſubdelegare, niſi quandò talis Sacerdos eſſet commiſſarius Prouincialis cum plenitudine poteſtatis: Et ratio huius eſt, quia Delegatus à Principe non poteſt poteſtatem ſuam aliis ſubdelegare, niſi ſit delegatus

ad

Digitized by Google

Ioan. Andr. Rodriq.

ad vniuerſitatem cauſarum, vel niſi hoc illi ſpecialiter eſſet conceſſum; pro vt docent Io. Andr. in c. Is cui de Offic. deleg. in 6. & Rodriq. to. 1. quęſt. Reg. q. 21. A. 9. & alii communitec.

43 Opinio Nau. & Graffij oppoſita.

Et licèt Nauarr. in Manu. cap. 27. numer. 45. videatur contrarium tenere, dicens: quod ſimplex miniſterium abſoluendi poteſt delegari etiam à delegato Ordinarij, & à ſubdelegato Delegati Papæ, quamuis delegare non poſſet ſuas iuriſdictiones, ratione quarum id ei competit, neque etiam aliquem articulum iuriſdictionalem; per cap. Super quæſtionum §. Quem verò de Offic. deleg. ſicut etiam ibi videtur dicere Felin. nu. 8. & 9. quam etiam opinionem videtur amplecti Graff. de caſib. reſeru. c. 10. nu. 32. (Felin. Graff.)

44 Reducitur ad bonū ſenſum.

His tamen nō obſtantibus, confirmantes noſtram opinionem, ſecundùm doctrinam ſupra dicimus: Doctores prædictos intelligēdos eſſe in hoc ſenſu: Quod ſi miniſter Prouincialis committeret caſus ſuos reſeruatos Guardianis, ſiuè Abbas committeret ſuo Priori, poſſent prædicti Guardiani, aut Priores, quibus data eſt facultas abſoluendi à reſeruatis committere in caſibus particularibus ſuam auctoritatem, (Limitatio aſſertionis.) quandò ab ipſis particulariter fuerit petita: Non tamen illam generaliter alicui committere poſſunt, vt quotieſcumque occurreret tali facultate vtentur, vt benè notauit Rodriq. loc. cit. allegans Cordubam ſuper regulam capite ſeptimo, quæſt. 29. pag. mihi 218. Ità etiam videntur concludere prædicti Doctores: Vt Nauarr. Felin. & Graff. in contraria opinione poſiti, pro vt clarè ab antecedentibus, & ſubſequentibus verbis Decreti benè conſideratis, colligitur: Et hęc de iſtis difficultatibus præpoſitis circa tertium §. Decreti: Reliquum eſt, vt aliqua Dubia circa duo vltima §. explicentur. (Rodriq. Cordub. Nauarr. Felin. Graff.)

DE QVIBVSDAM ALIIS difficultatibus circa quartum, & quintum §. Decreti.

CAP. III.

1

EXplicatis difficultatibus, quæ in tribus pręcedentibus Paragraphis Decreti inſurgebant. Supereſt, vt pro complemento duo vltima Paragrapha explicemus, in quorum vnum continentur ſequentia verba, vbi dicitur: §. *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter ne illa notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt ad externam gubernationem vtantur.* (§. 4. Decreti. Caueant diligenter.)

2 Difficultas de ſigillo cōfeſſionis.

Hæc verba Pontificis clariſſima ſunt, & ideò expoſitione non indigent: Clarum enim eſt, non poſſe, neque debere ſuperiores vti aliquo modo notitia Confeſſionis ad aliquem actum externæ gubernationis contra inuiolabile Confeſſionis ſacrum ſigillum, verùm eſt tamen, quod ſolùm ſupereſt vna difficultas explicanda. An ſuperior poſſet mutare officium amouibile, ſiuè domicilium ſubdito ſuo ad tollendam occaſionem proximam peccandi propter ſolam confeſſionis notitiam?

3 Nullo modo licitum eſt facere cōtra ſigillum.

Reſpondetur, quod Quotieſcumque ex tali mutatione aliqua ſuſpicio oriri poſſit contra pœnitentem numquam licere, nec fieri poſſe, quia non ſolùm hoc eſſet expreſsè contra talem Pontificis expreſſam prohibitionem, vt ex verbis prædictis clarè paret, verùm etiam eſſet indirecta reuelatio ſigilli, quæ ſemper eſt mala, atque illicita, etiam reſpectu vnius perſonæ, cui eſſent notæ res talis pœnitentis: Nam illi ſaltem nota fuerit confeſſio, quod ſemper eſt prohibitum, cū ſit contra ius Diuinum, pro vt docent communiter Theologi cum D. Thom. communiter recepto libro 4. ſentent. D. 21. q. 3. A. 1. & nos fuſius tractauimus in præcedenti tractatu loquentes de ſigillo Confeſſionis tract. 25. c. 5. nu. 14. (D. Thom.)

Sed difficultas eſt, quandò ſuperior id facere poſſet abſque vlla ſuſpicione alterius, nempè quandò huiuſmodi mutatio abſque vlla cauſa totaliter ex arbitrio ſuperioris penderet: Tunc enim videtur poſſe Prælatus huiuſmodi officium prudenter mutare ad tollendam occaſionem peccandi, quia (vt ait D. Tho. quolib. 5. A. 13.) poteſt Prælatus priuare ſubditum aliquo munere hac de cauſa, quandò talis mutatio fieri poteſt ſolo ſuperioris arbitrio: Tunc enim illa non eſſet reuelatio ſacri ſigilli, cùm ſit indifferens, neque eſſet pœna, ſed medicina rationabilis, quam ſubditus acceptare tenetur. 4 (Punctus difficultatis, de officio amouibili ad placitum ſuperioris. D. Thom.)

Sed Notandum eſt ſecundùm mentem Richard. in 4. D. 21. A. 4. quæſt. 2. Oportere in caſu, Nullam oriri poſſe ſuſpicionem quamtumcumque minimam, quod talis ſuperior moueatur ad hoc faciēdum propter ſimplicem notitiam peccati Confeſſi, etiam reſpectu ipſius pœnitentis, ne odioſa fieret aliquo modo Sacramentalis Confeſſio, & Regulares pœnitentes promiores fierent ad celanda peccata commiſſa, quod maximum erit inconueniens, quam ſententiam ſequutus eſt Scotus in 4. D. 21. q. 2. circa finem, & Suar. d. tom. 4. D. 33. ſect. 3. nu. 4. & rationem aſſignat, dicens: quia ſicut non licet aliquo modo Confeſſario loqui cum ipſo pœnitente de rebus in Confeſſione auditis, ità nec facto hoc facere aliquo modo licebit, vt nos plenius in præcedenti tractatu de ſigillo Confeſſionis hanc materiam probauimus: Et hoc, vt pœnitentes, maximè Regulares, omni cum fiducia, & ſecuritate peccata commiſſa confiteantur. 5 (Notandum pro ſolutione Richard. Nullo modo Prælatus vti debet ſcientia confeſſionis. Scotus. Suar. Ratio aſſertionis noſtrę. Ne confeſſio fieret odioſa.)

Quàpropter Summus Pontifex Clemens VIII. in fine illius Decreti caſuum reſeruatorum addidit illa verba, dicens: *Caueant diligentiſſimè confeſſarij, ne illa notitia, &c.* vt d. 4. § legitur: Atque ità per quoſcumque Regulares Superiores quicumque ſint illi inuiolabiliter obſeruare mandauit. 6 (Verba Decreti ſunt clara.)

Ex quibus verbis clarè videtur: Non poſſe licitè Superiorem, nec debere, inuito pœnitente, propter ſolam Confeſſionis notitiam aliter cum pœnitente ſe gerere poſt ſacramentalem Confeſſionem, quam antea, neque officium mutare, quamuis tale officium fuiſſet cauſa talis criminis commiſſi, etiam quod officium eſſet amouibile; Sed in caſu ſuperior antequam pœnitentem abſoluat, debet talem pœnitentem monere in Confeſſione, vt ipſe ſpontè tale officium renūtiet, ſi autem dictus pœnitens nollet tollere occaſionem peccandi, tunc debet, & poteſt talem non abſoluere, non autem officium tollere, eò quod Sacramentalis Confeſſio ad externam gubernationem nullo modo eſt inſtituta, ideò, &c. vt plenius dictum eſt ſupra in tractatu de ſigillo Confeſſionis, ideòque de hoc §. nihil amplius venit dicendum. 7 (Deciſio difficultatis. Quid in caſu debet facere Superior. Sacramentalis confeſſio non eſt inſtituta pro externa gubernatione.)

Vltimò tandem circa 5. §. Decreti hæc ſola ſupereſt difficultas explicanda: An ipſis ſuperioribus liceat determinare quaſdam pœnitentias graues à Confeſſarijs pœnitentibus iniungendas, pro quibuſdam grauioribus peccatis, tam reſeruatis, quàm etiam non reſeruatis? 8 (§. 5. An ſuperior poſſet pœnitentias taxare?)

Reſpond. Affirmatiuè: Ità enim expreſsè dicit Pontifex in vltimo §. ipſius Decreti: & hoc, vt pœnitentes Regulares ab huiuſmodi peccatis perpetrandis facilius ſe abſtineant: pro vt etiam habetur ex Extra. 2. de ſimonia in cōm. in princip. quod etiam experientia conſtat: Quàpropter in dicto §. Decreti dicitur: *Licere Superioribus determinare, & taxare pœnitentias aliquas* 9 (Reſolutio eſt affirmatiua. Extra. 2. de Simonia. Verba Decreti Clemētis VIII.)

graues, quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis à confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis delictis cohibere poſſint.

10 Ratio aſſertionis.

Ex quibus verbis manifeſtè videtur: Poſſe ſuperiores Regularium, ſecundùm grauitatem, & ſpecies peccatorum, tam reſeruatorum, quam etiam non reſeruatorum taxare modum imponendæ pœnæ ab iis, quibus facultas conceditur abſoluendi, nam ad hoc habet ſuperior poteſtatē ex vi ſui muneris, cùm enim ſit Ordinarius iudex in illa cauſa, ideòque poteſt facultatem abſoluendi non ſimpliciter concedere, ſed præſcribendo modum, ſeù taxando pœnam ferēdam, ſicut melius expedire videbitur ad bonum conſcientiæ ſubditorum, pro vt dicit Suar. d. tom. 4. de Pœnit. D. 30. ſect. 5. nu. 3. (Suar.)

11 Quæ prudentia in caſu eſt habenda. Pœnitentia non debet eſſe infamatoria, neque publica.

Verum eſt tamen, quod in vſu huius poteſtatis neceſſaria eſt magna prudentia, & moderatio, ne pœnitentia illa ſit nimis rigida, & indiſcreta, & quod pœnitentes Regulares illam abſque notabili damno, & nota exequi poſſent: Neque pœnitentia ſit talis, quod vel ipſe Superior, vel alii Regulares eiuſdem domus, ſiuè Conuentus, videntes aliquem fratrem talem pœnitentiam exequentem deuenire poſſent in aliquam cognitionem, ſeù ſuſpicionem directam, ſiuè indirectam de occulto peccato commiſſo à tali pœnitente: Si enim pœnitentia eſſet talis, nec Confeſſarius illam imponere debet, neque ipſe pœnitens tenebitur acceptare. Non enim pro peccato ſecreto pœnitentia publica iniungi poteſt, mediante qua, nota ſiuè infamia pœnitentis aliquo modo oriri poſſet: Ità D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 20. §. 1. & Graſſ. libro 3. de caſ. reſeru. c. 10. num. 31. & in 1. p. deciſ. libro 1. cap. 21. num. 6. (D. Anton. Graſſ.)

12 Concluſio.

Concludimus tandem regulariter non videri neceſſaria talis pœnitentiæ taxatio, niſi quandò ſuperior non multum confiderit de prudentia Confeſſarij, cui tale onus committitur, pro vt aduertit Suarez ſupra num. 3.

AN REGVLARES VIRTVTE BVLLAE Cruciatæ poſſint abſolui à reſeruatis ſine licentia ſuorum Superiorum.

CAP. IV.

1 Quæſtionis ratio.

HAnc difficultatem diſcutiendam pro complemento huius tractatus operæ pretium eſſe duxi, quia ſunt nonnulli Regulares, qui circa hanc difficultatem ſatis, ſuperque, vſque adhuc dubitauerunt, ac dubitant, & multi multa dicunt (Vndè pro deciſione veritatis) ne res tanti momenti indeciſa remaneat, ex qua multa inconuenientia ſequi poterunt neceſſariò eſt reſoluenda.

2 Notandum a. Communis ſententia negatiua.

Notandum eſt primò fuiſſe, quaſi communem opinionem multorum Doctorum, abſolutè dicentium: Non poſſe Regulares vti Bulla Cruciatæ, quò ad facultatem eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, qui poſſet virtute Bullæ Cruciatæ eos abſoluere à reſeruatis, maximè poſt declarationem ſactam à Clemente VIII. ſub die 23. Nouembris anno 1599. Pontificatus ſui anno 8. vbi declarauit non poſſe Regulares abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, & confiteri extra ordinem proprium: Ità Suarez de Religione tom. 4. tra. 9. lib. 2. cap. 16. num. 3. qui alios citat; vt Ledeſmam, Cordubam, Paſſarel. & Garſiam ſequuntur Reginald. in Prax. tom. 1. lib. 8. c. 3. ſect. 3. num. 37. & Miranda in man. Prælat. p. 2. qu. 34. A. 15. concl. 2. Portella in dub. Reg. Verb. Bulla Cruciatæ nu. 1. Sebaſtianus à Coſta in Bulla Cruciatæ q. 107. Llamas in ſum. 1. p. c. 5. §. 8. Barth. de Vecchis in Prax. nouit. D. 9. d. 3. num. 7. Coriolan. de caſib. Reſeru. 1. p. ſect. 3. A. 14. cum aliis. (Decretū Clementis VIII. Suar. Ledeſma. Corduba. Paſſarel. Garſia. Reginald. Miranda. Portella. à Coſta. Llamaſ. Vecchis. Coriolan.)

3 Tres aliæ opiniones. 1. Opinio. Rodriq.

His tamen non obſtantibus inſurgunt tres aliæ opiniones circa præſentem quæſtionem, non obſtante Decreto Clementis VIII. quarum prima fuit Emanu. Rodriquez in ſumm. Hiſpana p. 3. cap. 7. num. 2. in fine, vbi dicit: Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſe abſolui à peccatis mortalibus non reſeruatis, à quocumque Sacerdote ſemel approbato ad confeſſiones audiendas à ſuis Prælatis, licèt non ſit Confeſſarius deputatus illius domus, ſeu Conuentus, & hoc toties, quoties voluerint. Et ratio huius eſt, quia Clemens VIII. tantùm dicit; *Ne poſſint Regulares cõfiteri, de caſibus reſeruatis, neque extra Ordinem*, ergò nullam mentionem fecit de caſibus non reſeruatis intra Ordinem; & teſtatur huius ſententię fuiſſe multos viros doctos Salmaticenſes, cuius etiam opinionis eſt Lud. à Cruce in Bulla Cruc. D. 1. capit. 1. d. 12. num. 2. (De caſib. nō reſeruatis intra Ordinem. Ratio Rodriquez. Alii Doctores Salmāticenſes. Ludouic. à Cruce.)

4 Secunda opinio. De caſibus etiam reſeruatis intra Ordinem.

Secunda ſententia tenet; Non obſtante Decreto Clementis VIII. poſſe Regulares virtute Cruciatæ abſolui etiam à peccatis reſeruatis, dummodò Confeſſarii, quos per Bullam eligunt ſint ex approbatis, & deputatis ab eorum Prælatis ad eorum Confeſſiones audiendas, Et ratio iſtorum eſt, quia Bulla Clementis VIII. tantummodò prohibet eligere Confeſſarios extra Ordinem, à quibus poſſint obtinere abſolutionem à reſeruatis, & propoſitio eſt copulatiua ergò intra Ordinem legitimè à quocumque Confeſſario deputato poſſunt, non ſolùm à mortalibus, verùm etiam à reſeruatis abſolui, quod patet ex petitione ſacta à Prælatis Religionum in Proemio, vbi dicitur: *Et illorum prætextu eligunt Confeſſarium aliquandò præter eos, quia ſuis Prælatis ad eorum Confeſſiones audiendas fuerunt deputati, quod in ſpeciali detrimentum Religionis redundat.* Ità Villalob. in ſumm. tom. 1. tract. 13. caſu 9. §. 1. num. 12. qui affirmat ità ſenſiſſe omnes primarios Doctores, & Theologos in Academia Salamantina, cum Patribus Ieſuitis eiuſdem Ciuitatis, & Auguſtinianis, Franciſcanis, & Carmelitanis primariis illius Academię communiter, quā ſententiam valdè probabilem exiſtimat Lud. à Cruce in Bull. Cruc. D. 1. c. 1. d. 12. num. 2. (Ratio iſtius ſententiæ. Villalobos. Alii Doctores Academiæ Salmātinæ. Ludouicus à Cruce.)

5 Tertia opinio exiſtimat etiam à reſeruatis intra, vel extra Ordinem. Limitatio de caſibus in Cœna Domini. Et 1. de Hæreſi.

Tertia ſententia aſſerit eſſe valdè probabilem opinionem multorum modernorum, dicentium: Poſſe modo Regulares non obſtante declaratione Clementis VIII. eligere quemcumque Confeſſarium, etiam extra Ordinem, à quo poterunt abſolui virtute Cruciatæ ab omnibus, & quibuſcumque peccatis etiam reſeruatis toties, quoties: à Reſeruatis verò in Bulla Cœnæ ſemel per vnam Bullam, & iterum ſemel per alteram tantùm, & dumtaxat pro illo anno, præterquam de peccato hæreſi formali: Et ratio iſtorum eſt, quia Clemens VIII. in illa Bulla ſolùm declarauit ſuā intentionem, & pro Bullis particularibus à ſe conceſſis, & concedendis, non tamen eſt abſoluta, & generalis declaratio, pro concedendis à ſuis ſucceſſoribus: cùm ergò alij Pontifices quolibet anno concedant de nouo Bullam Cruciatæ, in qua conceditur illa facultas generalis, vt quilibet poſſet eligere quemcumque Confeſſarium ſimpliciter approbatum, à quo poſſint abſolui ab omnibus etiam reſeruatis, ideò, &c. Ità Io. à Cruce de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 6. d. 12. & Io. Sancius in ſelectis Diſp. de Sacr. D. 44. nu. 10. circa finem & nu. 13. & Pontius de Matr. lib. 5. c. 20. nu. 7. & libr. 8. cap. 19. §. 2. num. 13. & 14. & Ioan. Valerius in differ. vtriuſque fori diff. 1. concl. 5. & diff. 5. nu. 2. in fine. Et Aegidius Trullench in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 1. d. 9. cum aliis quibuſdam recentioribus. (Ratio iſtius ſententiæ. Non potuit Clem. VIII. limitare facultatē aliorum Pontificum ſucceſſorum. Io. à Cruce. Io. Sancius. Pontius. Io. Valerius. Trullench.)

His

6 *Oppoſita ſententia omninò eſt tenenda poſt Bullam Vrbani VIII.*

His tamen non obſtantibus, ad præſens contrarium omninò eſt dicendum, eò quod Vrbanus Papa VIII. anno Domini 1630. die 19. Iunij motu proprio fecit nonam Bullam, ſiue Decretum, innouans dictã Bullam, Clementis VIII. & addit alia verba declarantia ſuam intentionem expreſſam eſſe, vt nullo modo quilibet Regularis cuiuſcumque Ordinis ſit, vtriuſque ſexus, & quocumque priuilegio roboratus poſſit aliquo modo vti Bulla Cruciatæ, quò ad Sacramentum Confeſſionis. Vbi Summus Pontifex Vrbanus VIII. ponit illa verba ſpecialia: *Sed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe, quod ijdem Regulares, & Moniales cuiuſcumque Ordinis quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quo ad ſibi reſeruata ſubiecti ſint earumdem tenore præſentium perpetuò declaramus.*

Verba Vrbani in Decreto expreſſa.

7 *Concluſio. Non poſſunt Regulares vti Bul. Cruciatæ, quò ad Sacramentũ Pœnitentiæ.*

Ex quo ſequitur, quod poſt dictum Decretum ipſius Vrbani VIII. ſaltem durante eius vita, non eſt amplius vlla difficultas, quod Regulares non poſſunt vti Bulla Cruciatæ, quò ad Confeſſionem faciendam reſeruatorum, tam extra, quam intra Ordinem, neque ab aliis mortalibus non reſeruatis poſſunt abſolui ab aliis Confeſſariis extra Ordinem ſine licentia ſuorum Prælatorum: Vndè prædictæ tres opiniones ſupradictæ non habeant amplius probationem, neque poſſunt in praxi admitti, ſtante illa declaratione Vrbani VIII. quæ Bulla in fine huius Capituli ponetur per extenſum, vt omnibus pateat intentio ipſius Pontificis.

8 *An etiam intra Ordinẽ?*

Sed iterum inſurgit alia difficultas, ſtatim ſoluenda: An de peccatis mortalibus, & etiam de reſeruatis poſſent nunc poſt dictam Bullam Vrbani, Regulares confiteri cum Confeſſariis deſignatis, ſicut poterant antea ſecundùm aliquos Doctores, poſitos ſupra in prima, & ſecunda opinione num. 3. & 4. huius præſentis capituli, & Ratio dubitandi eſt, quia videtur Vrbanus habuiſſe intentum principaliter, ne Regulares virtute Cruciatæ confiterentur extra Ordinem de caſibus reſeruatis cum detrimento, & nota ſuæ Religionis.

Ratio difficultatis.

9 *Concluſio eſt negatiua.*

Reſpondetur tamen, abſolutè dicendo, quod ſtante illa declaratione facta Vrbani VIII. Nullo modo poſſe Regulares vti Bulla Cruciatæ, quò ad Confeſſiones faciendas, ſiue intra Ordinem, ſiuè extra Ordinem, tam de caſibus reſeruatis, quàm de non reſeruatis: Nam dictus Pontifex expreſsè declarauit, & declarat ſuam intẽtionem fuiſſe, & ſemper eſſe vt quò ad Sacramentum Pœnitentiæ in omnibus ſtent diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & quò ad reſeruata: Vndè corruit quæcumque alia opinio aliorum Doctorum: Ità Diana p.4.tract.4. miſcellan. reſol.43. & Gauantus in Enchir. Epiſc. V. Regularium iura ab Epiſcopis nu. 84. & ità intelligunt ferè omnes Theologi primarii huius Ciuitatis Panormi, quos ego de hoc ſpecialiter conſului, & præcipuè Ieſuitæ omnes, & nouiſſi nè ex illis P Franciſcus Bardi in Bul. Cruc. p.1. tra. 2. c. 5. ſect. 2. & ſequente, qui variis rationibus, & iuribus hanc ſententiam conſtantiſſimè defendit, ſimiliter etiam alii Patres noſtri Ordinis ità ſentiunt, vt per ſequens Decretum ipſius Vrbani VIII. videbitur.

Diana. Gauantus. Aliiq; Theologi eiuſdẽ.

Bard.

DECRETVM VRBANI PP. VIII.
Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

IN ſpecula militantis Eccleſiæ, nullo licèt meritorũ ſuffragio, diuina diſpoſitione conſtituti, & attentè conſiderantes, Sacros Regularium Ordines tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attuliſſe; vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontif. prædeceſſores noſtri magnam iure optimo diligẽtiam ſemper adhibuerint: dignum, quin potius debitum reputamus, vt eorundem Pontificum veſtigiis inhærentes, ad eas paſtoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in eiſdem Ordinibus diſciplinæ regularis obſeruantia ſarta tecta conſeruetur, & ſi quæ illi obeſſe dignoſcuntur, opportunæ conſtitutionis miniſterio ſalubriter remoueantur. Aliàs ſiquidem fel. rec. Clementi Papæ VIII. prædeceſſori noſtro per Procuratorem generalem Ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo nuncupato, expoſito quod cum in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & aliis priuilegiis ab Apoſtolica Sede concedi ſolitis detur facultas eligendi Confeſſarium idoneum ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſoluere à caſibus Ordinario, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, Religioſi prædicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli etiam prædictis facultatibus vti præſumebant in detrimentum eorum regularis diſciplinæ. Quare idem Clemens prædeceſſor ſua perpetuò valitura conſtitutione declarauit facultatem, & conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorũ prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, non habere locum cum fratribus, & ſororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiuſuis inſtituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam in Prouincia Hiſpaniæ; quam extra eam vbilibet conſtitutis, neque eis ſuffragari, ſed eiuſdem Clementis prædeceſſoris intentionis fuiſſe, quod ijdem fratres, & Moniales quantum ad Sacramentũ Pœnitentiæ, ſeù Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti eſſent, prout dicti Clementis prædeceſſoris in ſimili forma Breuis deſuper, ſub die 23. Nouembris 1599. Pontificatus ſui anno octano expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nihilominus, ſicut nobis, non ſine animi noſtri moleſtia, innotuit, nonnulli Ordinis fratrum Prædicatorum profeſſores prætextu Bullę eiuſdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum Confeſſarium huiuſmodi, qui eos vt præfertur abſoluat, eligere poſſe prætendant, & forſan eligant, etiam ad præſens, poſtquam litteræ noſtræ ſub die 14. Iunij 1624. Pontificatus noſtri anno primo, ſuper facultate eiuſdem Regularibus Confeſſarium ad effectum huiuſmodi eligendi, ad quinquennium, tunc proximũ conceſſa, emanatæ, pridem ab anno, & vltra expirauerunt, in maximum ſtatus, & obſeruantiæ regularis præiudicium. Nos præmiſſis quantum nobis ex alto conceditur, obuiare, ac fælici tam eorumdem Fratrum Prædicatorum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Religioſorum, quàm omnium, & quorumcumque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, etiam ſpeciali mentione, & nota digni vtriuſque ſexus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium ſtatui, atque directioni, & aliorum Chriſti fidelium ſaluti conſulere volentes, præfatæque Clementis prædeceſſoris declarationi inhærentes, illamque tenore præſentium innouantes, ac quatenus opus ſit, ampliantes. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, quæ reſpectu facultatis huiuſmodi, etiam laicis, & Clericis ſæcularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam ſpeciali nota dignæ, quòad caſus reſeruatos, etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæreſi excepta) contentos, non niſi in foro conſcientiæ, non autem in foro externo ſuf-

fragatur, aliorumque indultorum huiuſmodi, quantū ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à prædictis caſibus reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & Monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatiſque & inſtituti prædictorum Mēdicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet conſtitutorum, locum minimè habuiſſe, neque habere, nec illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo litteræ noſtræ huiuſmodi, vt præfertur, durauerunt; ſi quidem die 14. menſis Iunii 1629. proximè præteriti iam expirauerunt; * Sed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe, quod iidem fratres, & Moniales quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ, ſeù Confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quò ad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint, earumdem tenore præſentium perpetuò declaramus.) Decernentes præſentes noſtras litteras de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis intentionis vitio, ſeu noſtræ, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non poſſe. Sicque, & non aliter, in omnibus, & ſingulis præmiſſis per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedi Apoſtolicæ Nuncios, ac Cruciatæ Commiſſarios, & quoſuis alios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate interpretari, ac iudicari debere: irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus, & ſingulis illis, quæ in prædictis Clementis prædeceſſoris litteris conceſſa ſunt, non obſtante, cæteriſque contrariis; quibuſcumque Quibus, & ſingulis illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Vt autem præſentium tenor omnibus innoteſcat, volumus eas in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris eſt publicari, ipſaſque ſic publicatas, omnes, & ſingulos vbique exiſtentes ità afficere, ac ſi omnibus perſonaliter intimatæ eſſent, quodque præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 19. Iunij 1630. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Et hæc de caſibus reſeruatis breuiter dicta ſufficiant, omnia ſubmittendo cenſuræ Catholicorum Doctorum, & correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, &c.

TRACTATVS XXIX.

De Sacramentis.

Et de Clauibus Eccleſiæ.

Tract. XII. de Pęnitentia.

PROOEMIVM.

Abſolutis iam, Diuina protegente gratia, ea, quæ ad Sacramenti Pœnitentiæ cognitionem erant neceſſaria, tam pro confeſſarijs, quam etiam pro ipſis pęnitentibus faciebant, vt validè dictum Sacramentum adminiſtretur, & recipiatur: Opere pretium eſſe duxi: nonnulla de clauibus Eccleſiæ breuiter declarare pro complemento huius Sacramenti; fundatur .n. Pœnitentia Sacramentum in poteſtate clauium, ſine quibus nullo modo in Eccleſia Dei militante poſſet validè miniſtrari: nemo enim poteſt peccata abſoluere, Regnumque Dei aperire, niſi ipſemet Deus, qui habet poteſtatem excellentiæ gratiam conferendo, remittendo peccata; Quapropter prouidentiſſimus Dominus Seruator noſter Chriſtus Ieſus, priuſquam tranſiſſet de hoc mundo ad Patrem, reliquit hanc poteſtatem remittendi peccata virtute clauium in ſacramentali confeſſione Petro ſuo Vicario, vt poſſet illam alijs Sacerdotibus committere: Promiſerat enim ipſe Dominus Ieſus hanc poteſtatem, ſe daturum ipſi Petro quando dixit ei: Matt. c. 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, *&c. quam etiam poteſtatem promiſit ſe daturum alijs Apoſtolis quandò dixit:* Quæcumque alligaueritis ſuper terram erunt ligata, & in Cęlo, & quæcumque ſolueritis, &c. *Matt. c. 18. & tandem conſummato humani generis redemptionis myſterio, poſtquam reſurrexit à mortuis dedit hanc actualem, & plenam poteſtatem ipſis, ſuiſque ſucceſſoribus, & delegatis Sacerdotibus remittendi peccata in terris virtute clauium, quandò inſufflato Spiritu Sancto in diſcipulos ſuos, dixit:* Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. *Io. c. 20. Quibus verbis plenariam ipſis alijſque Sacerdotibus contulit remittendi peccata in terris virtute clauium, ideòque pro complemento huius ſacramenti Pœnitentiæ aliqua breuiter de ipſis clauibus dicere opus eſt. In hoc ergò præſenti tractatu vltimo in ordine Sacramenti huius: Primò videbimus, quid ſint iſtæ claues, & quales, & quanta, & quare ita ſint appellata: Poſtmodum de Vſu, & effectu dictarum clauium, quæ neceſſaria ſunt dicemus.*

Matt. c. 16.

Matt. c. 18.

Ioan. c. 20.

Diuiſio tractatus.

DE QVIDITATE, QVANTITATE, & Qualitate Clauium.

CAP. I.

QVoniam de hac præſenti materia clauium in præcedentibus multa explicata ſunt, agendo de forma, & effectu ſacramentalis abſolutionis, ac de poteſtate ipſius miniſtri, circa Ordinis, & iuriſdictionis poteſtatem virtute clauium, ipſi collatam, ideòque breuiter ſuperſunt nonnulla explicanda, pro maiori intelligentia dictarum clauium, quatenus ſunt fundamentum Sacramenti Pœnitentiæ. 1

Vtilitas huius materiæ.

Quæritur ergò primò: Quid ſignificent iſtæ claues, & quare ità ſint appellatæ à Chriſto Domino in Euangelio? 2

Reſpon-

Digitized by Google

Clauis vndè dicatur.

Reſpondetur, quod clauis nomen materialis, ſecundùm Etymologiam nominis deriuatur à claudendo, ſiuè celando, nam ea, quæ celare volumus tali inſtrumento claudere ſolemus, ne ab alienis capiantur, mediante enim claue oſtia domus, ſiuè arculæ clandūtur, & deindè à dominis illarum rerum aperiuntur, quæ ſub claue cuſtodiebantur: Eſt ergò clauis materialis, inſtrumentum quoddam, mediante quo quiſquis poteſt oſtium domus claudere, & iterum reſeratum aperire: & hāc clauem, qui tradit videtur omnia, quæ in locis cuſtodita erant tradidiſſe: Quàpropter poſſeſſio illorum, per collationem clauium ſignificari ſolet, prout notauit Gloſſa in c. Ex litteris, de Conſuetudine: & in L. clauibus ff. de Contrahend. empt. habetur: Ità Sylu. in verbo claues nu. 1. Chamerota de Sacr. tract. 9. c. vn. nu. 1.

Clauis deſcriptio poſſeſſio traditur per collationem clauium.
Gloſ. in cap. Litteris.
L. Clauibus ff. de Contr. emp.
Syluest.
Chamer.

3 Metaphora clauiū, quare ſit deſcripta.
Chriſtus dicitur habere clauem Dauid.
Apoc. c. 7.
Iſaia c. 22.
Iſaia c. 9.

Quàpropter rectiſſimè tranſlata eſt deindè hæc ſignificatio per metaphoram ad inſinuandam Eccleſiaſticam poteſtatem, ordinatam ad regendas, & diſponendas animas, vt Regnum Cœlorum conſequantur: & hoc modo dicitur ipſe Chriſtus Dominus habere clauem Dauid Apoc. c. 3. de quo ante prædictum fuerant per Iſaiam c. 22. Dicente Domino: *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius*. Illa enim clauis erat poteſtas excellentiæ, ſeù principatus, qui factus eſt ſuper humerum eius, teſtante eodem Iſaia c. 9. cuius participatio eſt poteſtas, ſeù clauis Eccleſiæ, pro vt expoſuit D. Hieronymus dictum locum Iſai. & Io. Chryſoſ. Hom. 55. in Matt. qui dicit: *Claues Petro promiſſas ſignificare magnam poteſtatem, & donum ineffabile*, ideòq; claues Regni Cęlorum ei conceſſit, totamque poteſtatem Eccleſiaſticam ei commiſit: Quàpropter Beda in Io. c. 21. circa finem ait: *Eccleſia, quæ fundatur in Chriſto claues ab eo, Regni Cœlorum accipit in Petro ideſt, poteſtatem ligandi, ſoluendique peccata:* Ità Suarez to. 4. de Pœnit. D. 16. ſect. 4. Aſſert. 1. nu. 2.

D. Hierony.
Io. Chryſoſt.
Beda.
Suar.

4 Obſtaculum Regni Dei eſt peccatum.
Vndè deducta eſt hæc metaphora.

Vndè ſicut ille, qui habet poteſtatem claudendi, & aperiendi domum clauis illius rectè habere dicitur. Ità qui habet poteſtatem remouendi obſtaculum, per quod impeditur ingreſſus ad Regnum Dei, clauem illius rectiſſimè per ſimilitudinem habere dici poteſt, ſumendo metaphoram à rebus materialibus ad ſpiritualia ſignificanda, prout communiter dicunt Theologi in 4. ſent. D. 20. & Filliuc. to. 1. de Confeſſ. tract. 6. c. 7. q. 2. num. 173. ex Suarez to. d. D. 16. ſect. 2. & 4. concordant Sylu. in verbo Clauis; Tabiena, & Armilla eodem verbo, aliique communiter.

Filliuc.
Suar.
Syluest.
Tabiena.
Armilla.

5 At quoniam in ſpiritualibus inuenitur obſtaculum ad ingrediendum Regnum Dei, & tale eſt peccatum. Nō enim in illo Beatitudinis Regno aliquod coinquinatum alicuius peccati macula ingredi poteſt, pro vt dicitur in lib. Apoc. c. 21. n. 27. & notauit Gloſſa in extra. Io. 22. de verb. ſignif. in 6. & c. Quorumdam eodem titulo, ideòque neceſsè eſt ad animarum ſalutē, vt tale obſtaculum, auferatur, quod fit poteſtate tradita à Chriſto Domino Apoſtolis, aliiſque Sacerdotibus virtute clauium remittendi peccata: quàpropter nomen clauis materialis in ſpiritualibus transfertur ad ſignificandam poteſtatem remittendi peccata, vocādo clauem virtutem illam, ſiuè poteſtatem, per quā animæ fidelium includuntur in Regnum Dei, vel excluduntur ab illo: Ità D. Tho. in 4. D. 18. & D. Bona. q. 1. A. 1. Soto D. 20. q. 1. A. 1. Suarez, & Filliuc. cum aliis locis citatis.

Apoc. c. 21.
Extra. Ioan. 22. c. quorūdam.
D. Thom.
D. Bonau.
Suarez.
Filliuc.

6 Regnum Cęlorum trip. ſignificatur.
Primò pro ſacra ſcriptura.
Origenes.
D. Hieron.
Matt. c. 21.

Notandum autem, quod Regnum Cęlorum in Sacris litteris multifariam, multiſque modis accipi ſolet: primò enim nomine Regni Cęlorum quandoque intelligi ſolet ſcriptura ſacra, pro vt dicunt Origen. & D. Hieron. exponendo illud Matt. c. 21. quādò dixit Dominus Phariſeis: *Auferetur à vobis Regnū Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius*, ideſt Sacra Scriptura: Ità Chamer. lib. de Sacr. tr. 9 c. vn. d. 1.

Chamer.

7 Secundò pro Eccleſia Dei militante.

Secūdo modo Regnum Cęlorum ſæpè ſæpius ſignificare ſolet Eccleſiam Dei militātem, vt paſſim eſt in Euangelio, ideòque hæc ſpiritualis poteſtas data eſt a Chriſto ſuo Vicario ad regendam Eccleſiam, & recipiendum intra illam, & ſeparandum ab illa, quos oportuerit, clauium nomine ſignificatur, & talis acceptio valdè vſitata eſt à Sanctis Patribus, vt videre eſt apud D. Auguſt. lib. 20. de Ciuit. c. 9. & ſerm. 124. de temp. & apud D. Greg. Hom. in Matt. cap. 25. *Simile eſt Regnum Cœlorum decem Virginibus, &c.*

D. Auguſt.
D. Greg.

8 Tertiò pro Eccleſia triūphante.
Matt. c. 5.

Tertio modo potiſſimum, & principaliter accipitur Regnum Cęlorum pro Eccleſia triumphāte, & Gloria Cœleſtis patrię Paradiſi, iuxta illud Matt. cap. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum:* quare rectiſſimè, iuxta etiam metaphoram clauium triplicem ſignificationem habet: Ità colligitur ex doctrina Suarez to. 4. de Pœnit. D. 16. ſect. 4. num. 3.

Suarez.

9 Clauis ſcientiæ ad determinandum de fide.

Ex quo patet, quod primo modo accipitur Regnū Cęlorum pro ſacra ſcriptura, ideòque qui habet poteſtatem illam interpretandi talemque interpretationē de fide determinandi clauem Regni Cęlorum habere dicitur, vel quia fides eſt fundamentum noſtræ ſalutis, & via rendendi ad Regnum Dei glorioſum, vel quia pro Cęlorum Regno ipſa ſacra ſcriptura appellari ſolet: ideòque talis poteſtas Eccleſiæ rectè nomine clauis intelligitur, & talis dicitur clauis ſcientiæ, & poteſtatis interpretandi ſcripturam, iuxta gennanicum, & verum ſenſum intentum à Spiritu Sancto.

10 Claues ligādi, & ſoluendi Cenſuras.

Secundò quia per Cęlorum Regnum interpretatur Eccleſia militans, quæ clauditur indignis per excommunicationes, cęteraſque cenſuras, & aperitur poſteà per abſolutionem ab illis vinculis; rationabiliter etiā illi, qui habet poteſtatem excommunicandi, aliaſque cenſuras infligendi contra fidelium contumaciam, & abſoluendi à dictis cenſuris poſt illorum emendationem, clauem illius rectè habere dicitur, quam auctoritatem, & poteſtatem habent Prælati omnes in ſuos ſubditos, habentes iuriſdictionem in foro contētioſo; ipſi enim tantummodò poſſunt excommunicare ſuos ſubditos, & abſoluere à dictis vinculis cenſurarum ab ipſis inflictis, vt dicetur in ſecundo tom. noſtræ Theologiæ mor. agendo de excommunicatione.

11 Claues ſoluendi, & ligandi peccatorum vincula.

Similiter etiam, quandò tertio modo proprijſſimè accipitur pro ipſa Eccleſia Triūphante, & ęterna Beatitudine, quæ hominibus clauditur mediante peccato mortali ab eis cōmiſſo, & deindè à Sacerdotibus mediante ſacramentali Confeſſione ab illo abſoluitur, Ianuæ eiuſdem Regni Cęlorum rectiſſimè aperire dicuntur, tollendo obſtaculum peccati ad eam gloriam ingrediendam, rectè per metaphoram clauis Regni Cœlorum ſignificatur, quia quemadmodum clauis materialis dicitur poteſtas, ſiuè facultas, cuius actus ſunt claudere, & aperire: Ità facultas illa, qua Sacerdos peccatorum vincula abſoluit, vel retinendo non abſoluit indignos, rectè claues illius habere dicitur: Ità Suarez to. de Pœnit. D. 16. ſect. 4. nu. 3.

Suar.

12 Notandū 2. Quare clauis eſt appellata ſub nomine plurali clauium.
Scotus.

Notandum ſecundò, quod hæc facultas, ſiuè poteſtas, licèt nomine clauium communiter ſit appellata; realiter tamen eſt ſimpliciter vna poteſtas, quæ eſt in anima Sacerdotis, dum eſt viatrix mediāte charactere ſacerdotali, virtute diuina ſupernaturaliter impreſſa, diſtinguitur tamen formaliter, ſecundùm Scotum in 4. D. 18. per diuerſos actus, & diuerſas formalitates, ſiuè conceptibilitates ligandi, atque ſoluendi.

13 Sunt idē realiter, & diſtinguuntur formaliter.

Ex quo patet, quod illæ claues dicuntur in numero plurali ad ſignificandos diuerſos actus formales, & diuerſas cōceptibilitates formaliter diſtinctas, quamuis in ſe vna ſit poteſtas, quæ ſub nomine clauium ſigniſica-

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

gnificatur, quæ licèt ſecundùm ſe ſit vna clauis quantum ad poteſtatis ſubſtantiam, duo tamen ſunt actus præcipui, vnus ſoluendi, alter verò ligandi negatiuè, hoc eſt, non abſoluendo à peccatis, & tūc dicitur claudere Regnum Cœlorum priuatiuè, non aperiendo, idque quaſi præter intentionem ad hoc cogente malitia peccatoris: Ita Suarez loco ſupra cit.

Ligat nō ſoluendo à peccatis negatiuè.

14 Claues duæ: Ordinis, & Iuriſdictionis.

Alii dicunt, Duas eſſe claues: Vnam Ordinis, alteram Iuriſdictionis; prior eſt poteſtas, quæ conſertur, & datur in conſecratione miniſtri, quando initiantur Sacerdotes, cum peracto Sacrificio Miſſæ, Epiſcopus dicit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Poſterior eſt illa poteſtas, quæ datur per auctoritatem iuriſdictionis in ſubditos: Et quia etiam iſta iuriſdictio duplex eſt, vna in foro interiori, altera exteriori, ideòque dicunt claues eſſe duas, iuxta duplex forum internum, Videlicet, & externum, vnam ad ſoluenda peccata, alteram ad fulminandas cenſuras, & indulgentias concedendas, quod forum tantummodò habent Prælati maiores, quibus talis facultas competit ex officio.

Iuriſdictio dup. In foro interno, & externo.

Clauis pro foro interno, & externo.

15 Claues duæ: ſcientiæ, & poteſtatis.

Alii dicunt, Claues eſſe duas: Vnam ſcientiæ, alteram Poteſtatis: Per ſcientiam autem non intelligunt doctrinam, ſed auctoritatem ad cognoſcendum, & ad ſe informandum de conſcientia pœnitentis in Sacramentali confeſſione: Eſt ergò hæc poteſtas auctoritas ad examinandam conſcientiam pęnitentis, & iuridicè interrogandum in illo foro, ità vt ille teneatur fateri veritatem de iis, quæ pertinent ad integritatem confeſſionis: Quàpropter D. ait Auguſt. ſer. 124. de tēpore: *Clauis dicenda eſt, qua peccatorum corda reſerantur, mentis ſecreta panduntur, & quidquid intrinſecus clauſum tenetur in palam rationabili manifeſtatione proditur, clauis inquam eſt, qua & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatis myſterij ſalutē includit.*

Clauis ad interrogandū pœnitentem de peccatis commiſſis.

D. Auguſt.

16 Claues poteſtatis, quæ?

Clauis autem poteſtatis dicitur, & eſt facultas abſoluendi, & remittendi peccata conferendo gratiam remiſſiuam per Sacramentalem abſolutionem, vel illam denegando per indiſpoſitionem pœnitentis, quæ dicitur poteſtas ligandi negatiuè, eo modo, vt explicatum eſt ſupra.

17 Clauis ſcientiæ in Sūmo Pontifice, quæ.

Inſuper poteſt etiam accommodari iſta diſtinctio Clauium ſcientiæ, & poteſtatis ad vniuerſalem poteſtatem Spiritualem, quæ eſt in Eccleſia: Et ità Clauis ſcientię dicitur eſſe in Summo Pontifice: illa poteſtas, quam habet ad definiendas veritates fidei, & interpretandam ſacram ſcripturam, iuxta ſenſum intentum à Spiritu Sancto: Nam illa etiam dici poteſt, Clauis Regni Cœlorum; Clauis autem poteſtatis eſt illa, quam habent Prælati in totam Eccleſiam, quę etiam Regnū Cœlorum appellatur: & ideò dicuntur claues in plurali numero, eo modo, vt explicatum eſt ſupra, ſumpta metaphora à Claui materiali.

Clauis Poteſtatis, quæ.

18 Definitio clauium.

His ergò poſitis, & declaratis, taliter poterit Clauis iſta ſpiritualis definiri, ſecundùm mentem Theologorum, & Canoniſtarum dicendo: *Clauis Eccleſiæ eſt poteſtas ſupernaturalis à Christo Domino Sacerdotibus tradita ligandi, atque ſoluendi, qua Eccleſiaſticus iudex à Regno Cælorum dignos recipere, indignoſque excludere debet:* Ità Magiſter in 4. D. 18. quem communiter ſequuntur omnes Theologi vt D. Tho. D. Bona. & Scotus cum D. Hierony. in Hom. Matt. c. 16. quam etiam definitionem ſecutus eſt Io. Papa XXII. in ſua Extra. Quia quorumdam dę verb. ſignificat: Ità Filliuc. tom. 1. de Confeſſione tract. 7. cap. 7. num. 174. & Chamer. de Sacramentis tract. 9. cap. Vnico d. 2. & Syluest. in Verbo Clauis nu. 1. aliique communiter.

Magiſter. D. Thom. D. Bona. Scotus. D. Hierony. Ioannes Papa XXII. Filliuc. Chamer. Sylu.

19 Explicatur definitio. 1. Clauis Eccleſiæ.

Dicitur primò *(Clauis Eccleſiæ)* de iſta .n. loquimur quæ eſt clauis Spiritualis ſumpta metaphora à claui materiali, tale enim eſt illud, quod definitur, & declaratur per hanc definitionem, quæ quidem clauis, ſiuè claues traditæ fuerunt à Chriſto Domino virtute Diuina ſupernaturali, quandò dixit diſcipulis ſuis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.*

Dicitur 2. *(Poteſtas)* pro genere rei definitæ: omnis enim definitio debet conſtare ex genere, & differentia: quæ quidem poteſtas ſupernaturalis dimittendi peccata eſſentialiter eſt in ipſo Deo vno, & Trino, quę eſt poteſtas excellentiæ, cui proprium eſt miſcere ſemper, & parcere peccatoribus pœnitentibus: Quæ etiā poteſtas eſt in Chriſti Domini humanitate, quæ eſt inſtrumentum coniunctum Diuinitati, & per communicationem idiomatum verè dicitur in Chriſto eſſe poteſtatem excellentiæ dimittendi peccata, cui data eſt poteſtas in Cęlo, & in terra per merita ſuæ Sacratiſſimę paſſionis, ex cuius latere in cruce pendentis emanauerunt ſeptem Sacramenta nouæ legis, quādò vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit Sanguis, & aqua, pro vt communiter fatentur omnes Theologi, & Patres. 20

2. Poteſtas. Poteſtas dimittēdi peccata competit ſoli Deo. In Chriſto eſt poteſtas excellentiæ tāquam inſtrumento coniuncta per communicationem idiomatum.

In Sacerdotibus autem eſt poteſtas miniſterialis à Chriſto Domino collata virtute clauium, quæ nihil aliud eſt, quam character Sacerdotalis, qui dicitur poteſtas conficiendi Sacramenta, & abſoluendi peccata, quorum confeſſio Sacerdoti iuriſdictionem habenti legitima facta eſt à pœnitente, ideòque adduntur illa verba *(à Chriſto Domino tradita)* ad denotandam cauſam efficientem principalem dimittendi peccata eſſe Dominum Ieſum mediante ſacerdote, cui tradita eſt talis poteſtas dimittendi peccata virtute clauium, 21

Sacerdos habet poteſtatē miniſterialem.

A Chriſto Domino tradita.

Additur tertiò *(Qua Eccleſiaſticus iudex)* ad denotandum ſubiectum, in quo reſidet talis poteſtas: eſt enim ſubiectiuè talis poteſtas in Eccleſiaſtico iudice, habente characterem ſacerdotalem indelebiliter impreſſum in anima ipſius, quò ad habitum, quamuis in actu non habeat Sacerdos, niſi mediante iuriſdictione ordinaria, ſiuè delegata in ſubditum pœnitentem abſoluendum in ſacramentali Confeſſione: Quàpropter exprimitur actus huius poteſtatis illis verbis, quādo dicitur *ligandi, atque ſoluendi*, ſecundùm duos actus materialis clauis, quæ claudit, & aperit. 22

3. Qua eccleſiaſticus iudex.

Clauis in habitu, & in actu.

Additurque quartò *(dignos recipere, & indignos excludere debet)* ad denotandum ſubiectum circa quod talis poteſtas exercetur; Nam executio huius poteſtatis indiget materia debita, quæ eſt plebs ſubdita per iuriſdictionem, ideòque quamuis ante iuriſdictionem Sacerdos legitimè ordinatus habeat poteſtatem, ſiuè clauem in habitu, non tamen habet actu, niſi quandò conceditur iuriſdictio, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata, vt loco ſuo ſatis, ſuperque declaratum eſt, agendo de poteſtate miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ: debet ergò Sacerdos dignos abſolutione abſoluere, indignoſque ligatos relinquere, & ità excludere durante tale obſtaculo à Regno Dei. 23

4. Dignos recipere, & indignos excludere debet.

Sacerdos quando dicitur habere poteſtatem in habitu, & in actu.

Quàpropter additur tandem *(à Regno Dei)* ad ſignificandam finalem cauſam, ob quam talis poteſtas Sacerdotibus à Chriſto Domino tradita eſt, vt videlicèt excludant à Regno Dei indignos propter eorum impœnitentiam, introducantque dignos verè pœnitentes, abſoluendo illos à peccatis commiſſis, conferendo gratiam remiſſiuam, vt poſſet pęnitentes peccatores mediante Chriſti gratiam Regnum Cęlorum introire: Hæc omnia collecta ſunt ex doctrina D. Th. in 4. Diſt. 18. q. 2. A. 1. & Syluest. Verb. Clauis num. 1. & Chamerota loc. ſupra cit. cum aliis. 24

5. A Regno Dei.

D. Thom. Sylu. Chamer.

Ex quo patet, quod definitio iſta magis propriè conuenit clauibus ſtricto modo ſumptis pro poteſtate remittendi, retinendique peccata, talis enim eſt præ- 25

Definitio iſta primò cōuenit clauibus propriſſimè acceptis.

cipua

cipua poteſtas in Eccleſia Dei, quæ immediatè verſatur in aperiendo Cœlum, quod peccato mediante clauditur: Imò omnes aliæ poteſtates ad hanc reducuntur: Quapropter ipſemet Dominus Ieſus, quando dedit ſummum Pontificatum ſuo Vicario Petro, dixit ei: *Paſce oues meas: Ioann.* 21. tamen illam poteſtatem explicauit per actus ligandi, atque ſoluendi, quando in promiſſione dixit ei: *Tibi dabo claues Regni Cælorum. vt quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum, & in Cœlo, & quodcumque ligaueris ſuper terram erit quoque ligatum, & in Cælis*, pro vt dicunt omnes Theologi, & Canoniſtæ ſupra citati.

Paſce oues meas. Ioa. 21.

16 De clauibus autem ligandi, & ſoluendi in foro exteriori, mediantibus excommunicationibus, aliiſque cenſuris, reliquiſque pœnis Eccleſiaſticis, & ſoluendi pœnas peccatis debitas, mediantibus indulgentijs, dicetur loco ſuo in ſecundo tomo noſtræ Theolog. moral. vbi ſpecialiter, tam de Indulgentijs, quam etiam de cenſuris accuratè eſt dicendum.

De clauibus cōcedendi in dulgentias.

DE VSV, ET EFFECTIBVS CLAVIVM.

CAP. II.

1 VSus, ſiuè effectus clauium, prout docet D. Thom. cum omnibus Theol. in 4. D. 18. & 20. Scotus D. 19. q. 1. A. 3. eſt aperire, & claudere Regnum Cœlorũ, patet hoc ex dictis ipſius Domini Ieſu, dicentis Petro: *Tibi dabo claues Regni Cælorum, Matt.* 16. *&* 18. Nam ſicut clauis materialis claudit, & aperit, ità etiam, & ſpiritualis modo ſuo, ſed oppoſito modo: nam clauis materialis primò claudit oſtium, deindè aperit oſtium ante clauſum.

Effectus primarius clauium. D. Thom. Soto. Matt. c. 16. & 18.

2 Spiritualis verò primò, data eſt ad aperiendum Cœlorum Regnum, hoc eſt ad remouendum obſtaculum, quod erat peccatum mortale, & hoc per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ fit virtute ſupernaturali, data ab ipſo Domino ex pacto facto cum Eccleſia promiſſione infallibili, quando dixit: *Hæc quotieſcumque feceritis, &c.* vt poſito tali ſigno ſenſibili ſecundum ipſius Chriſti inſtituentis iuſſionem virtute clauiũ Deus ipſe immediatè confert gratiam remittendo peccata.

Quomodo ſacerdos aperit Regnum Cœlorum.

3 Vel ſi pœnitens per actum contritionis eſſet in gratia ante abſolutionem, quando abſolutionem Sacramentalem recipit à Sacerdote dicendo: (*Ego te abſoluo*) confert illi gratiam remiſſiuam virtute diuina, & tunc augetur gratia virtute Sacramenti eo modo, vt loco ſuo ſatis, ſuperque declaratum eſt, loquendo de ſenſu, & effectibus formæ abſolutionis Sacramentalis tract. 23. c. 3. & 4.

Virtute clauium confertur gratia remiſſiua.

4 Aperit igitur Sacerdos ipſum Regnum Dei, & hoc duobus modis primò virtute Sacramentalis abſolutionis, & hoc tripliciter primò abſoluendo à culpa. Secundò commutando pœnam æternam in temporalem eo modo, quo in proprio loco declaratum eſt: Tertiò aliquam partem pœnæ temporalis remittendo, in qua æterna commutata fuit, quæ etiam virtute clauium aliqualiter remittitur virtute pœnitentiæ iniunctæ, quæ habet effectum ex opere operato virtute clauium, ſicut plenius nos explicauimus loquendo de effectibus Sacramentalis abſolutionis: in tr. 6. de Sacramento Pœnitentiæ c. 4.

Aperit duobus modis, primò virtute abſolutionis, & hoc tripliciter.

5 Secundò modo aperitur Cœlorum Regnum duobus modis: primò remittendo pœnam temporalem applicando indulgentias, quæ conceduntur à Prælatis ex theſauro Eccleſiæ, & tunc quando indulgentia eſt plenaria, remittitur tota pœna luenda, vel ſecundum quantitatem, & qualitatem indulgentiæ, ſiuè indulgentiarum à Prælato conceſſarum, quando talem habet facultatem, & tunc aufertur temporale obſtaculum ad ipſum Regnum Dei ingrediendum, in quo nihil coinquinatum ingredi poteſt: ſecundo modo aperit auferendo vincula cenſurarum, ſiuè excommunicationum, ſiuè ſuſpenſionis, ſiuè Interdicti, quando Sacerdos abſoluens talem habet facultatem, & tales ſunt effectus clauium aperiendi Regnum Cœlorum, ſoluendo à vinculis eo modo, vt explicatum eſt.

Secundus modus, quo Regnum Cœlorum aperitur. 1. concedendo indulgentias ex theſauro Eccleſiæ.

2. Soluendo à cenſuris.

6 Ex quibus colligitur, quod ſemper Sacramentalis abſolutio confert gratiam remiſſiuam ex vi clauium, virtute operis operati, non ponentibus obicem: Et ſi quando contingat pœnitentem accedere ad Sacramentalem confeſſionem ſufficienter tantum attritũ, virtute tamen clauium confertur illi gratia ex opere operato, faciendo ex attrito contritum eo modo, vt in præcedentibus plenius à nobis fuit explicatum. Ità Soto in 4. Diſt. 20. q. 2. Art. 2. §. De tertio verò ſenſu.

Abſolutio facit ex attrito contritum & quomodò?

Soto.

7 Sed hic mouetur dubium: Quanta pœna temporalis remittitur pœnitenti virtute clauium in Sacramentali abſolutione? Reſpondet Diuus Thomas in 4. Diſt. 18. q. 1. Art. 3. q. 2. ad tertium, & in addit. 3. p. q. 17. Ar. 2. ad tertium dicens: nõ æqualiter omnibus tolli æqualem portionem pœnæ, ſed per partes proportionales, & aliquotas, ità vt ſemper remaneat aliquid pœnæ ſoluendæ, vel hic, vel in Purgatorio.

Quanta pęna temporalis remittitur virtute Sacramẽti. Sententia D. Thomæ.

8 Hæc tamen ſententia non admittitur à Soto in 4. D. 20. q. 2. Art. 1. §. Vltimo in fine, qui abſolute concludit, quod pœnitentibus omnibus virtute Sacramenti abſolutionis remittitur aliqua pœna temporalis ſecundum illum gradum taxatum, & determinatum à Domino Ieſu, qui quidem gradus remiſſionis pœnæ temporalis eſt æqualis pro omnibus pœnitentibus ex vi operis operati, ſiuè pœnitens ſit reus paruæ, ſiuè magnæ pœnæ luendæ: quapropter quandoque tollit totam pœnam: Imò verò ante abſolutionem per contritionem perfectam, & confeſſionem contigit aliquãdo totam pœnam eſſe ſublatam.

Non placet Soto iſta expoſitio. Sententia Soti, quæ.

9 Verùm eſt tamen, quod credo D. Thomam voluiſſe dicere, quod accedenti ad Sacramentalem confeſſionem melius diſpoſito, etiam vi clauium maior pœna remittitur, quod colligitur ex ſolutione eiuſdem Diui Thomæ in reſponſione ad quartum argumentum, quod etiam benè notauit Chamerota de Sacramentis tract. 9. c. Vn. D. 10.

Quomodo intelligendus eſt D. Thomas.

Chamer.

10 Secundus effectus eſt claudere Regnum Dei, quod tripliciter fieri poteſt. primò quò ad culpam, non abſoluendo ab ea propter indiſpoſitionem pœnitentis, eò quod non ſit abſolutione dignus: Secundò quò ad pœnam ſenſus, obligando pœnitentem ad adimplendam pœnitentiam iniunctam, quæ ſoluenda eſt in hoc ſæculo, vel in futuro, vſque ad minutiſſimum quadrantem, niſi mediantibus indulgentijs, & ſuffragijs piorum fidelium citius à pœnis Purgatorij talis anima liberetur: & tertiò quò ad pœnam damni per ſententiã excommunicationis: Nam virtute clauium excluditur peccator à Regno Dei, dum eſt vinculo illo excommunicationis ligatus: & hæc omnia colliguntur ex doctrina omnium Theologorum in 4. Diſt. 18. 19. & 20. & ex Syluestro Verbo clauis 5. nu. 4.

2 Effectus eſt claudere. Claudit triſ pliciter.

Syluester.

His ſuppoſitis, Quæritur primò: An Sacerdos poſſit vti vſu clauium ad ſuum libitum, ligando, vel ſoluendo quoſcumque voluerit?

11 Reſpondetur Negatiuè, non enim claues datæ ſunt à Chriſto Domino Sacerdotibus in deſtructionem, ſed in ædificationem: tenetur namque confeſſarius poſteaquam pœnitens legitimè confeſſus eſt peccata ſua, eſtque benè diſpoſitus illum abſoluere, ſimiliter etiam excommunicatum, quando conuerſus eſt à ſua contumacia, & non adeſt aliud legitimum impedimẽtum abſoluere à cenſuris, quibus ligatus fuerat propter ſuam contumaciam, neque poteſt ad ſuum libitum

Dubium 1. An Sacerdos poſſet ligare, & ſoluere ſecundum ſuũ beneplacitũ?

tum ſine cauſa, quemquam ligare vinculis cenſuris, niſi poſtquam peccator fuiſſet ſufficienter monitus, vt à contumacia reſipiſcat, vt videbitur in ſecundo tomo noſtræ Theologiç moralis in tractatu de excommunicationibus; Ratio autem huius eſt, quia ſicut miniſter, & inſtrumentum non habet efficaciam in agendo, niſi ſecundum quod mouetur à principali agente, ſic Sacerdos cùm operetur per iſtas claues; vt Chriſti Domini inſtrumentum debet ſecundum voluntatem ipſius Chriſti Domini operari, cuius voluntas eſt, vt peccator conuerſus abſoluatur in terris à peccatorum vinculis, quibus erat ligatus, quare ſi clauibus abutatur arbitrio proprio, dimiſſa rectitudine diuinæ motionis peccat, & effectum non conſequitur: Ità D. Dionyſ. lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. in fine, D. Thom. in 4. D. 18. q. 1. A. vltimo q. Vltima. & Sylu. Ver. Claues nu. 6. Chamerota l. de Sacram. tr. 9. c. Vnico.

Ratio aſſertionis. Inſtrumentū agit ſecundū cauſam efficientem.

D. Dionyſ. D. Thom. Sylu. Chamerot.

12

2. Dubium. De pœnitentia imponenda à confeſſario.

Quæritur ſecundò: An confeſſarius poſſet licitè adſtringere pœnitentes virtute clauium, ad acceptandā pœnitentiam grauem, illamque minuete ad ſuum libitum, ſine cauſa rationabili?

Pœnitentiæ debent eſſe rationabiles, & medicinales.

Reſpondetur, quod Pœnitentia, quæ imponitur in confeſſione Sacramentali pœnitentibus debet eſſe rationabilis, & medicinalis, attenta qualitate peccati, & pœnitentis, non enim pœnitentia applicanda eſt omnibus, & ſingulis eodem modo, & menſura, ſed cōſideranda eſt humana infirmitas, & applicanda eſt prudenter; nam ſicut in arte Medicinæ, ſingula medicamenta non competunt omnibus, ſed varianda ſunt ad arbitrium medicantis, ſequendo ſcientiam Medicinæ, non propriam voluntatem; Ità pœnitentiæ ſatisfactoriæ, & medicinales determinatæ in Sacris Canonibus non competunt omnibus, ſed variantur arbitrio Sacerdotis, diuino inſtinctu regulato. Vndè non ſemper tota pœna vni peccato debita iniungitur, ne deſperatus infirmus, à pœnitentia recedat, ſicut nec ſemper medicus prudens dat ita efficacem medicinam, quæ ad morbi Curationem ſufficiat, ne propter debilitatem naturæ maius periculum oriatur: Ità, & confeſſarius in pœnitentijs iniungendis debet eſſe mitis, prudens, & diſcretus, atque charitate præditus, qui magis attendat ad ſalutem pœnitentis, quam ad vindictam, ſicut nos diximus plenius in tractatu quinto de Sacramento Pœnitentiæ, agendo de qualitate, & quantitate ſatisfactionis iniungendæ: Ità D. Thom. & Syluest. loc. ſupra citato.

Exemplū de Medicina.

Applicatur ad pœnitētias iniungendas.

Confeſſarius debet eſſe mitis, prudens, diſcretus, & charitate præditus.

D. Thom. Sylu.

13

3. Dubium.

Quæritur tertiò: An Eccleſia virtute clauium habeat facultatem condendi leges, obligantes fideles ad culpam mortalem?

An Eccleſia habeat facultatem præcipiendi ſub mortali? Conc. Trid. Matt. c. 18.

Reſpondetur affirmatiuè, patet hoc ex ſacris canonibus, & ex Trident. Concil. ſeſſ. 4. & Can. 20. & alibi, & eſt communis ſententia omnium Theologorum: Vndè dixit Dominus in Euangel. Matt. c. 18. *Si quis Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, patet etiam ex praxi Eccleſiæ perpetua condendi leges: Vndè præceptum Eccleſiæ confeſſionis tali tempore, & ieiunij tali tempore, & die, & audire ſactum in diebus feſtiuis eſt præceptum merè Eccleſiaſticum, & obligat ſub mortali, vt omnes fatentur, ergò Eccleſia virtute clauium habet talem facultatem à Chriſto Domino: Nam ſi poteſtas ciuilis poteſt obligare ſub pęna peccati mortiferi, dicente Paulo Apoſt. ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*: Nam poteſtas etiam ciuilis eſt à Deo; prout dicitur in lib. Prou. c. 8 & in Epiſt. Rom. cap. 13. Quanto magis poteſtas Eccleſiaſtica habebit talem facultatem virtute clauium traditarum à Chriſto Domino: Ità Chamerota lib. de Sacramentis tract. 9. d. 10. Et nos plenius, & clarius probabimus in tertio tomo noſtræ Theologiæ Moralis in tract. de legibus.

Leges ciuiles quomodo obligēt ad peccatum. Rom. c. 13.

Prouerb c. 8.

Chamer.

Quæritur quartò: An Eccleſia virtute clauium habeat facultatem, & poteſtatem per ſe, & directè in actus purè, & merè internos? 14

4. Dubium.

Reſpondetur Negatiuè: non enim Eccleſia iudicat de interioribus, ſed de exterioribus per ſe, & directè: nam interiora non poſſunt venire ad tribunal Eccleſię, ergò non videtur Eccleſia habere poteſtatem coactiuam directè in actus merè internos, prout expreſſe dicitur in Can. Erubeſcant D. 32. ait enim ibi Vrbanus Secundus: *Eccleſiam non iudicare de occultis, quoniam ſecretorum Deus, & cognitor eſt, & iudex*: & Can. conſuluiſti 2. q. 4. dicitur. *Non ſe intromittit Eccleſia in occultis, ſed ea remittit Deo, qui ſolus nouit corda filiorum hominum*: & Ratio huius eſt, quia Eccleſia tantùm illud poteſt præcipere, quod poteſt punire, ſed non poteſt punire actus merè internos, ergò illos, vt tales pręcipere non poteſt: ità Coninch. p. 1. de ſacram. q. 83. A. 6. nu. 291. Leſſius de Iuſt. lib. 2. c. 37. d. 2. nu. 63. Henriq. in ſum. lib. 9. c. 25. nu. 5. Chamerota d. 9. d. 11. & alij.

An Eccleſia poſſit præcipere actus internos?

Can. Erubeſcant. Eccleſia non iudicat de internis. Can. Conſuluiſti. Ratio aſſertionis.

Coninch. Leſſius. Henriq. Chamerot.

15

Verùm eſt tamen, Eccleſiam habere aliquando hāç poteſtatem mediatè, & indirectè, quando Vid. actus externi ſunt coniuncti cum actibus internis, adeò vt vnus ſine altero conſiſtere non poteſt; quapropter Eccleſia obligat ad recitationem diuini officij, quod requirit attentionem internam: Vndè Eccleſia obligat conſtitutos in ſacris ad recitandas horas canonicas, quæ eſt actio externa, obligat etiam indirectè ad recitandas illas cum attentione interna, quia non eſſet vera oratio ſine attentione, ſimiliter etiam obligat ad annuam peccatorum confeſſionem, quæ non poteſt fieri ſine interno dolore, & pœnitudine, ſimiliter etiam obligat ad confitendos articulos fidei, quæ non fit ſine actu interiori fidei: ſimiliter etiam Eccleſia excommunicat hæreticum occultum, & excommunicatio fertur in ipſam hæreſim aliquo externo ſignomanifeſtatam, ergò indirectè, & mediatè, eo modo, vt explicatum eſt, Ità Suar. de Relig. to. 2. lib. 4 c. 26. n. 3. & to. 5. de Cenſ. D. 4. ſect. 2. nu. 25. Bonac. de Horis Canonicis, cum alijs communiter. (Quicquid dicat Coninch. cum alijs de diuino officio) Legite Chamerotam d. 9. d. 11. cum alijs.

Poteſt Eccleſia præcipere actus internos indirectè, & mediatè.

Exemplificatur effectus.

Suar. Bonac. Chamerot.

Quæritur quintò: An Eccleſia virtute clauium poſſet determinare de rebus fidei, & morum, Sanctorumque Canonizatione, & Religionum confirmatione? Et in his non poſſit errare? 16

Dubium 5. Eccleſia in rebus fidei, an poſſet errare?

Reſpondetur Affirmatiuè: Ideò enim dixit Dominus Petro: *Paſce oues meas Io. c. 21.* Et in Euang. Luc. 21. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: in Matt. 16. & c. 18. dicitur: *Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*; Et Cyrillus in lib. Theſauri dicit: *Vt membra maneamus in capite noſtro Romanorum Pontifice, a quo noſtrum eſt petere, quid credere, & tenere debeamus*: Quod idem ait Innocentius Papa 24. q. 1. Can. Quoties: Et eſt communis Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, quod idem intelligendum eſt de moribus, quia tam neceſſaria eſt in Eccleſia diſciplina morum, quam fidei. Ita Chamerota d. tr. 9. d. 13. Similiter etiam dicimus de Canonizatione Sanctorum: non enim credibile eſt Eccleſiam poſſe errare in re tanti momenti, cùm Eccleſia Sancta Dei regatur in hoc à Spiritu Sancto, qui non permittit eam errare in rebus fidei. Vndè contrarium dicere eſſet omninò temerarium, & ſaperet hæreſim, quia hic honor, qui debetur Sanctis; maximè ſpectat ad fidem, ideòque non eſt credendum in hoc poſſe errare, quod etiam idem dicendum eſt de confirmatione Religionum, eò quod confirmare Religiones pertinet ad ſummum Pontificem, quia hoc faciens ponit in Eccleſia Dei quamdam viam morum, & perfectionem, qua fideles

Io. c. 21. paſce oues meas. Matt. c. 16 & 18. Cyrillus.

Innocentius Papa. Can. Quoties. Poteſt definire de morib.

Chamer. De Canonizatione Sanctorum.

De confirmatione Religionum.

les poſſent ingredi ſecuti Regnum cœlorum, ideò, &c. Ità Chamerota d. tr. 9. d. 13. (Chamer.)

17 (Dubium 6. Eccleſia in iure diuino diſpenſare non poteſt.) Quæritur ſextò: An Eccleſia virtute clauium poſſet aliquando diſpenſare in ijs, quæ ſunt de diuino iure?

Reſpondetur Negatiuè: Non enim Summus Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi in Diuino iure: nam diſpenſare eſt liberare aliquem ab aliqua obligatione: Hoc autem fieri non poteſt ſine Superioritate, ergò in illo diſpenſare non poteſt, vt eſt communis ſententia omnium Theologorum, & Canoniſtarum, & nulla eſt controuerſia inter Catholicos.

18 (Poteſt Eccleſia aliquando interpretare ius diuinum. Exemplificatur de voto.) Concedimus tamen aliquandò poſſe Eccleſiam interpretare Ius diuinum, & declarare in caſu fideles nō eſſe amplius obligatos ad tale Ius ſeruandum interueniente aliqua cauſa rationabili, cuius interpretatio commiſſa eſt Eccleſiæ, vt patet in Votis, quæ ſunt de Iure diuino ſeruanda, poteſt tamen Eccleſia talia vota commutare, vel omninò abrogare, declarando in caſu non eſſe amplius obligationem ſeruandi tale votum, (Quomodo Eccleſia diſpenſet in votis.) quia hoc pertinet ad Prælatum Eccleſiæ, tanquā interpretem diuinæ voluntatis, & in hoc caſu Eccleſia non diſpenſat in iure diuino propriè, ſed ſubtrahit fideles à iuſta obligatione, quam promiſerant, propter talem cauſam, ex quo ſequitur, ſine aliqua cauſa non poſſe Eccleſiam in votis diſpenſare, ſed poſſe commutare, vt dicetur in materia de Votis in tertio tomo noſtræ Theologiæ Moralis.

19 (Dubium 7. An Eccleſia habeat dominium totius mundi, quò ad tēporalia?) Quæritur ſeptimò: An Eccleſiaſtica poteſtas ſe extendat per ſe primò, & directè ad dominium temporale totius mundi?

Reſpondetur negatiuè: Nam Chriſtus, vt Meſſias noluit eſſe Rex rerum temporalium huius mundi, ideòq; non ſuſtulit dominis mundanis Regna, & poſſeſſiones ſuas, cum ipſi tales poſſeſſiones habeant à Deo, nec Papa illis dedit: Imò in Can. Quoniam D. 10. (Can. Quoniā.) Nicolaus Papa dixit: *Reges Pontificibus pro Aeternis, & Pontifices Regibus pro temporalibus indigent: nam temporalis, & ſpiritualis poteſtas diſtinctis ſubiectus ſunt poſita:* Imò Melchiades Papa in Can. Futuram. 12. q. 1. (Can. Futurā.) fatetur: *Eccleſiam ſe dono recepiſſe multum ſtatum à pijs Imperatoribus:* & in Can. cum ad verum D. 96. dicitur: (Can. cum ad verum.) *Nec Imperator Iura Pontificatus arripiat, Nec Pontifex iura Imperatoris vſurpet:* Imò ipſemet Chriſtus Dominus expreſsè ſuis verbis declarauit, ſe noluiſſe eſſe Regem rerum temporalium huius mundi, ideòque expreſsè dixit Pilato: *Regnum meum non eſt de hoc mundo Io. c. 18.* & in Euang. Luc. c. 12. (Ioa. c. 18. Luc. c. 12.) *Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* Ergò ex modo loquendi docebat ſe non eſſe iudicem temporalem; ideòque Eccleſia non habet dominium rerum temporalium totius mundi, cum vnuſquiſque debeat ſua bona poſſidere in pace; pro vt benè declarauit D. Bernardus lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium, (D. Bernar.)

20 (Habet aliquādo poteſtatē indirectam, & quomodo.) Concedimus tamen Eccleſiam aliquando habere poteſtatem indirectam ampliſſimam ſuper omnes Reges, & Principes in ordine ad finē ſpiritualem: Si enim tales Principes impedirent prædicationem Euangelij, & fidem Chriſti poteſt iuſtiſſimè vi, & potentia priuare huiuſmodi Regnis, & Principatibus, & transferre ad Principes Chriſtianos, quod ſæpè ſæpius hoc feciſſe multos Pontifices, legitur, prout in Sacris Canonibus habetur C. Alius 15. q. 6. & c. Venerabilem de electione: & C. Grandi de ſupplenda prælat. negligentia in ſexto, & alibi, (Can. Alius. C. venerabilem. C. Grandi.) ideòque Chriſtus Dominus dedit ſupremam poteſtatem ſpiritualem Petro ſuo Vicario, eiuſq; ſucceſſoribus, quando dixit: *Paſce oues meas: Io. 21.* (Paſce oues meas Io. c. 21. D. Bernar.) prout benè explicat D. Bernardus lib. 4. de Conſiderat, ad Eugenium in illud Euangelij. *Conuerte gladium tuum in vaginam*: ponderat enim Ly verbum tuum: ideo, &c. Ità Chamerota de Sacramentis tract. 9. d. c. Vnic. d. 15. (Chamerota.)

21 (Dubium 8. Apoſtoli à quo fuerunt ordinati Epiſcopi.) Quæritur octauò: An Apoſtoli facti ſint Epiſcopi à Chriſto immediatè: An à D. Petro poſt aduentum Spiritus Sancti?

Reſpondetur, ſequendo probabiliorem ſententiam: omnes Apoſtolos immediatè recepiſſe iuriſdictionem ordinariam ſuper Chriſti fideles, quo ad ſalutem animarum, quamuis Petro dediſſet ſupremam poteſtatē in totam Eccleſiam, & pariter in ipſos Apoſtolos, vnus enim debet eſſe Paſtor ſupremus totius Ouilis: (Vnus debet eſſe Paſtor totius Ouilis.) ex quo infero, quod licèt Dominus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem omnibus Apoſtolis dediſſet, quando dixit eis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Vndè tota Eccleſia ex æquo ſuper omnes Apoſtolos tanquam duodecim fundamenta eſt ædificata: tamen circa Petrum eſt diſparitas, quia Petrus erat ſupra omnes illos, alij verò Apoſtoli habebant poteſtatem dependentem à Petro, ipſi verò inter ſe non erāt Superiores.

22 (Succeſſores Petri habent eandem poteſtatem, non verò Apoſtolorum.) Hinc eſt, quod ſucceſſor Petri habet eandem plenitudinem poteſtatis, quam habebat Petrus; Succeſſores autem Apoſtolorum, non ità, ſed dependenter à Papa: Vndè Summus Pontifex poteſt limitare iuriſdictionem Epiſcoporum, & aliquando eos excommunicare, ac priuare Epiſcopatu, quando erit expediens, vt experientia patet: (Apoſtoli à quo fuerunt conſecrati Epiſcopi.) Quapropter probabiliter exiſtimo: omnes Apoſtolos fuiſſe conſecratos Epiſcopos à Diuo Petro poſt aduentum Spiritus Sancti, quamuis poteſtatem Epiſcopalem recepiſſe immediatè à Domino Ieſu, vti ſupra dictum eſt.

23 (Dubium 9. An ſucceſſor Petri ſit Pontifex Romanus.) Quæritur Nonò: An ſucceſſor Petri ſit Pontifex Romanus?

Reſpondetur affirmatiuè, ideòque Chriſtus Dominus dedit ſupremam poteſtatem regendi totam Eccleſiam ſuo Vicario Petro, & ſucceſſoribus eius, quando dixit ei: *Paſce oues meas, & tibi dabo claues Regni Cœlorum:* Vltima autem ſedes Petri fuit Vrbs Romæ, ergò Epiſcopus Romanus debet illi ſuccedere in Summo Pontificatu, quod in Concilio Niceno expreſsè (Concil. Nicenum.) declaratum fuit: *Eccleſiam Romanam eſſe matricem omnium Eccleſiarum, & ſine auctoritate Romani Pontificis Concilium generale, legitimè congregari non poteſt*, prout in ſacris Canonibus definitum eſt.

Et hæc de clauibus Eccleſiæ traditæ à Chriſto Domino dicta ſufficiant, nam reliqua, quæ de hac materia eſſent dicenda, ſatis, ſuperque declarata ſunt in præcedentibus, & plura diſcutientur in ſecundo, & tertio Tomo noſtræ Theologiæ Moralis, Vbi de Indulgentijs, & Cenſuris, & de Legibus per ſe dicendum eſt; Similiter etiam hæc ſufficiant pro complemento Sacramenti Pœnitentiæ, quæ ſecunda Tabula poſt naufragium eſt appellata, omnia ſemper ſubijciendo cenſuris Doctorum Catholicorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. 24

TRACTATVS XXX. DE SACRAMENTIS. ET DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

TRACTATVS VNICVS.

PROOEMIVM.

Extrema Vnctionis Sacramentum habet affinitatẽ cum Pœnitẽtia.
Dicitur Pœnitentia Sacramentum totius vitæ consummatiuum.
Concil. Trid.
Diuiſio Tractatus.

Extrema vnctionis Sacramentum, quamuis à Pœnitentia Sacramento realiter ſit diſtinctum, non modo ratione materia, & forma, verum etiam a fine, & effectibus vtriuſque diuerſis, habent tamen hac duo Sacramenta quamdam affinitatem, & connnectionem; Licet enim Pœnitentia ad tollenda peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa ſit inſtituta; Vndè a Theologis Secunda tabula poſt naufragium eſt appellata: Vnctio tamen extrema ad peccatorum reliquias tollendas, qua illis ſublatis remanere ſolent; a Domino Ieſu Chriſto fuit inſtituta, & ordinata; Quapropter rectiſſimè à Sanctis Patribus: Pœnitentia conſummatiuum totius vita Sacramentum eſt appellata, prout Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. c. 1. de Sacramento Extr. Vnct. notauit, Vndè nos veſtigia eiuſdem Tridentini Concilij ſequentes, poſteaquam de ipſa Pœnitentia, & de pertinentibus ad ipſam in ſuperioribus locuti ſumus, conſequens eſt, vt de ipſo Sacramento Extrema Vnctionis, quinto loco in ordine Sacramentorum tractemus, & ideò breuiter quantum fas erit, Primo loco de eius nomine, Vnitate, neceſſitate, & quiditate: Deindè de eius materia, & forma, tam remota, quam propinqua, qua ad eſſentiam rei pertinent: Poſtmodum tandem de miniſtro, & effectibus, qua neceſſaria ſunt dicemus.

DE NOMINE INSTITVTIONE, Vnitate, Neceſſitate, & Quiditate huius Sacramenti.

CAP. I.

1 Polynomum eſt hoc Sacramentum.

PLuribus nominibus à Sanctis Patribus Sacramentum hoc appellari ſolet, ab aliquibus enim dicitur: Infirmorum Vnctio, à quibuſdam autem: Exeuntium Sacramentum, Communiter verò: Extrema Vnctio eſt appellatum, eò quod vltimo loco in extremo vitæ periclitantibus fidelibus miniſtratur, prout notauit Chamerota lib. de Sacramentis tract. 10. c. 1. de Extrema Vnctione: Vndè Nomine Vnctionis Extremæ Eccleſia Catholica intelligit quoddam ſpeciale Sacramentum, ità dictum, quia eſt quædam vnctio Sacra, & velut extremum omnium Sacramentorũ, quod in extremo vitæ periclitantibus confertur; Ità Suarez to. 4. de Pœnit. D. 39. ſect. 1. nu. 1.

Chamerota. Quare appellatur Extrema Vnctio.
Suar.

2 Sep tẽ vnctionibus ſacris vnguntur fideles. Prima Catechumeni in pectore, & ſcapulis Oleo Catechumenorum.

Notandum autem: Septem eſſe vnctiones ſacras, quibus fideles Oleo Sancto à Sancta Matre Dei Eccleſia vnguntur; Quarum prima eſt illa, qua inunguntur Catechumeni baptizandi à presbytero in pectore, & in ſcapulis Oleo Sancto Catechumenorum per inuocationem trium perſonarum Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, vt nullæ reliquiæ latentis inimici in ipſis reſideant, & vt in fide Sanctæ Trinitatis mens eorum confortetur: Inungitur etiam Catechumenus baptizandus inter ſcapulas eodem Sancto Oleo, vt vndique muniatur ad bona opera facienda, & per Dei gratiam roboretur, prout dicit Rabanus de Inſt. Cler. lib. 1. c. 27. & refertur in c. Deindè de Conſ. D. 4. & diffuſiùs Innocentius III. in c. Cum veniſſet de ſacra vnctione.

Rabanus. Can. Deindè. Innocentius III. C. Cum veniſſet.

3 Secunda in Baptiſmate Oleo chriſmatis in vertice.

Secunda Vnctio eſt, quando baptizatus vngitur ſacro Chriſmate in vertice, per quam vnctionem denotatur apertio mentis ad contemplanda æterna, vt Regni Chriſti fiat particeps, & Chriſto Domino, & Chriſtianus poſſit appellari, prout dixit idem Rabanus loc. cit. cap. 28. & habetur ex Can. poſtquam de Conſ. D. 4.

Rabanus.

Vnctio tertia debet fieri ab Epiſcopo quando confirmatur baptizatus Oleo Sancto Chriſmatis; Tunc enim inungitur frons baptizati ſigno Crucis in fronte, per quam denotatur Spiritus Sancti gratia ad robur fidei ad confitendum audacter Chriſti nomen, & confertur augmentum gratiæ Sanctificantis, prout habetur ex Pontificali Rom. & nos diximus plenius, agendo de Sacramento Confirmationis.

4 Tertia in Cõfirmatione Oleo Chriſmatis in fronte.
Pontif. Rom.

Vnctio quarta fit in manibus quando initiantur Sacerdotes, tunc enim Epiſcopus conſecrat manus preſbyterorum Oleo Sancto Catechumenorum, vt quodcumque benedixerint, & conſecrentur in Domino ſit ab ipſo Domino benedictum, ſanctificatum, & conſecratum, pro vt ex Pontificali Rom. colligitur, & dicitur in Can. Præterea D. 23.

5 4. In manibus Sacerdotum, quando initiantur.
Pontif. Rom. C. Præterea.

Vnctio quinta fit in conſecratione Epiſcopi, tunc enim inungitur eius caput in vertice circa coronam, ac etiam manus Oleo Sancto Chriſmatis, vt opera illius ſint ſanctificata, & doctrina illius reſplendeat in omni populo Sancto Dei, prout dicitur in C. Epiſcopus. & c. Præterea D. 23.

6 5. Vnctio in conſecratione Epiſcopi in capite.
C. Epiſcopus. C. Præterea.

Sexta Vnctio fit in coronatione Regis, & Reginæ, qui ab Epiſcopo inunguntur Oleo Sancto Catechumenorum in brachio dextro, ad denotandam gratiam inuiſibilem Dei, quæ illis eſt neceſſaria ad gubernandum Regnum, vt ſint fortes, iuſti, fideles, prouidi, & indefeſſi Regni gubernatores, atque infidelium expugnatores, iuſtitiæ cultores, atque Eccleſiæ defenſores, prout colligitur ex Pontificali Romano.

7 6. Vnctio, quãdo coronantur Reges in brachio dextro.
Pont. Rom.

Septima tandem, & Vltima vnctio fit ab Eccleſia per manus presbyteri in omnibus ſenſibus fidelium periclitantium in vltima infirmitate Oleo Sancto infirmorum ad confortandos fideles agonizantes contra inſidias Diaboli, qui præcipuè illa hora magis iraſci

8 7. In extremo vitæ in omnibus ſenſibus: Oleo Infirmorum.

ſolet

ſolet ad tentandum ipſos morientes; & ad abſtergendas peccatorum reliquias, vt ſine impedimento, conſummato certamine poſſint introire Regnum Cœlorum, & iſta vltima vnctio eſt Sacramentum Extremæ vnctionis, de quo in præſenti loquimur.

Hæc vltima Vnctio eſt Sacramentum.

9 Notandum eſt etiam ſecundò, quod Eccleſia Sancta Dei vtitur etiam alijs quatuor vnctionibus ad conſecrandas res Sacras, vt Templa, Altaria, Calices, & Patynæ, quæ conſecrantur ab Epiſcopo, vel Abbate talem iuriſdictionem habente Oleo Sancto Chriſmatis: ſed illa non ſunt Sacramenta, ſed Sacramentalia, de quibus non eſt modò dicendum: legite c. Cùm veniſſet de Sacra Vnctione.

4. Vnctiones Sacræ ad conſecrandas res.

C. Cùm veniſſet.

10 Quod autem Extrema vnctio ſit verum Sacramentum nouæ legis à Chriſto Domino inſtitutum nulla eſt controuerſia inter Catholicos fideles; eſt enim expreſſa ſententia de fide, determinata per Sacrum Trident. Conc. ſeſſ. 7. Can. 1. de Sacramentis in genere, vbi generaliter dicitur: *Si quis dixerit omnia Sacramenta nouæ legis, non eſſe immediatè à Chriſto Domino inſtituta: Anathema ſit.* Inter quæ Sacramenta enumeratur Extremæ Vnctionis Sacramentum, & ſeſſ. 14. c. 1. de Extrema vnctione, iterum expreſsè, & diſtinctiùs declarauit.

Extrema Vnctio eſt Sacramentum nouæ legis.
Concil. Trid.

11 Sed difficultas eſt de eius inſtitutione quando Vid. hoc Sacramentum à Chriſto Domino fuerit inſtitutum; non enim Euangeliſtæ de inſtitutione huius Sacramenti aliquam mentionem fecerunt: quàpropter quidam putauerunt fuiſſe inſtitutam tempore prædicationis Ieſu Chriſti, quando miſit Apoſtolos ſuos ad prædicandum, & dedit illis poteſtatem curandi infirmos per vnctionem Olei, prout in Euang. Marc. c. 6. dicitur.

Quando hoc Sacramentũ fuit inſtitutum.
P. Opinio.

12 Sed falluntur (inquam) non enim hoc Sacramentum tunc hoc fuit inſtitutum, ſed tantùm adumbratũ, & figuratum fuit: quia tunc Apoſtoli nondum erant inſtituti Sacerdotes, vt poſſent hoc Sacramentum miniſtrare; Deindè tunc Apoſtoli non ſolùm vngebant baptizatos, ſed etiam quoſlibet non baptizatos, cùm tamen hoc Sacramentum Solis baptizatis validè conferri poſſit: Neque etiam vngebant ſolùm infirmos decumbentes, & in periculo mortis cõſtitutos, ſed quoſcumque infirmos, quacumque detinerentur infirmitate; Ità Suar. to. 4. D. 39 ſect. 1. nu. 6.

Reijcitur pluribus rationibus.

Suar.

13 Dicimus ergò breuiter, quod licèt certè non conſtet ex Euangelio de tempore huius inſtitutionis, nullam enim mentionem Euangeliſtæ de iſto Sacramento fecerunt: Veriſimilius tamen eſt, non fuiſſe inſtitutum ante noctem cœnæ, credibile autem eſt, & ex traditione Apoſtolica habetur ex communi conſenſu totius Eccleſiæ Dominum Ieſum in nocte illa ſancta, quando condidit nouum teſtamentum, & Apoſtolos ſuos Sacerdotes conſecrauit, tunc omnia Sacramenta nouæ legis inſtituiſſe, & docuiſſe materiam, & formam, & ritum obſeruandum in Sacramentis adminiſtrandis, quando dixit eis: *Hæc quotieſcumque feceritis &c.*

Concluſio.
Vera reſolutio.
In nocte cœnæ omnia Sacramenta inſtituta ſunt.

14 At quoniam tunc non habuerunt Apoſtoli plenam poteſtatem in actu dimittendi peccata ſuper Corpus Chriſti miſticum, quæ eſt Eccleſia, quam poteſtatem plenam dedit poſt ſuam reſurrectionem: Quando inſufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, Ioann. cap.* 20. Ideò exiſtimo, quod tunc habuerunt Apoſtoli plenam poteſtatem hoc Sacramentum adminiſtrandi, prout benè probauit Suarez tom. 4. D. 39. ſect. 2. numer. 5. & Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 6. num. 67. Quamuis inſtitutio Sacramenti facta eſſet in nocte cœnæ: Vndè poſtea à D. Iacobo promulgatum fuit hoc Sacramentum in ſua Epiſt. Cath. cap. 5. quando dixit: *Infirmetur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, vngentes eum Oleo.*

Plena poteſtas adminiſtrandi, quando fuit tradita.
Ioan. c. 20.
Suar.
D. Iacob. c. 5.

15 Non enim Apoſtolus fuit inſtitutor Sacramenti huius (vt quidam putauerunt) ſed tantùm promulgator: Niſi enim Dominus Sacramentum inſtituiſſet, & mandaſſet non tam certè, & abſolutè Apoſtolus peccatorum remiſſionem mediante hoc Sacramento promiſiſſet; Ità Filliuc. D. tom. 1. tract. 3. cap. 6. num. 65.

D. Iacob. non fuit inſtitutor, ſed promulgator.
Filliuc.

16 Quæritur modò: An hoc Sacramentum ſit vnum, an plura? & Ratio dubitandi eſt, quia in eius adminiſtratione applicantur plures formæ, & fiunt plures vnctiones diſtinctæ pro ſingulis ſenſibus corporis: ergò ex ſingulis vnctionibus cum diuerſis formis, quæ illis applicantur conficiuntur plura numero Sacramenta, integra, & diſtincta.

Quæſtio I. An hoc Sacramentum ſit vnum numero?

17 His tamen nihil obſtantibus, abſolutè dicimus: Sacramentum Extremæ vnctionis eſſe ſimpliciter vnum, non ſolùm ſpecie, ſed numero: nam ex omnibus illis formis, & vnctionibus partialibus conſurgit vnum numero Sacramentum: cùm omnes huiuſmodi vnctiones, & formæ ad integram vnius hominis curationem ordinentur, omneſque illæ formæ deprecatiuæ tendũt ad completum effectum obtinendum.

Reſolutio. Eſt vnum Sacramentum non ſolum ſpecie, ſed numero.

18 Quàpropter Extrema vnctio dicitur vnum Sacramentum, non vnitate indiuiſibilitatis, ſicut punctus, nec vnitate continuationis ſicut linea, ſed vnitate perfectionis, nam omnes vnctiones, & formæ, quæ dantur in ſingulis vnctionibus addũtur ad vnum aliquod perficiendum, vt patet de Sacramento Ordinis, nam licèt in ſingulis Ordinibus proprij effectus Characteris, & gratiæ conferantur, attamen vnum ex omnibus coaleſcit Sacramentum integrum, ſecundum probabiliorem doctrinam, vt ſuo loco videbitur. Ità Suarez d. tom. 4. D. 40. ſect. 4. num. 3. Graff. lib. 2. deciſ. p. 2. libr. 1. c. 8. num. 5. & ferè omnes Theologi in 4. D. 23. vt Diu. Thom. q. 1. A. 1. q. 2. Soto, & Palud. concordant Filliuc. tom. 1. tr. 3. c. 6. num. 70. & Chamerota de Sacrament. tract. 10. c. 1.

Eſt vnum vnitate perfectionis.
Exemplum de Sacramento Ordinis.
Suar.
Graff.
D. Thom.
Soto.
Palud.
Filliuc.
Chamerota.

19 His ergò poſitis, & declaratis, tali pacto Sacramentum hoc poteſt definiri, ſiuè deſcribi: *Extrema vnctio eſt Sacramentum, quo Sacerdos in nomine Domini vngit Oleo conſecrato certas corporis partes infirmi probabiliter periclitantis, vbi præcipuè quinque ſenſus vigent, certa verba cum debita intentione proferendo:* Ità Nauar. in Man. c. 22. nu. 12. cuius verba ab ipſomet declarantur.

Definitio Sacramenti Extremæ vnctionis.
Nauarr.

20 Artificioſius autem, & accommodatius deſcribitur à Suarez tom. 4. de Pœnit. D. 40. ſect. 4. num. 1. dicente: *Extrema vnctio eſt Sacramentum ex ſacra vnctione Olei, & prece Sacerdotis confectum ad ſalutem mentis, & corporis ægrotantis hominis baptiZati diuina inſtitutione ordinatum:* Concordant cum hac definitione alij Theologi, vt Soto in 4. D. 23. q. 1. Art. 1. Bonac. to. 1. D. 7. q. 1. p. 1. nu. 4. Filliuc. to. 1. tr. 3. c. 6. nu. 68. Henriq. in ſum. lib. 3. c. 2. & alij: Quam definitionem legitimam eſſe exiſtimo, eſt enim artificioſa, & comprehendit genus, & differentiam; materiam, & formam efficientem, & finalem cauſam, vt patet.

Definitio aſſignata à Suar.
Concordant So. Bon. Fil. Henriq.
Declarantur verba definitionis.

21 Dicitur ergò: (*eſt Sacramentum*) pro genere: eſt enim ſignum rei ſacræ ſub forma ſenſibili, ſignificans gratiam Dei inuiſibilem, ſecundum Chriſti Domini inſtitutionem, quæ ad eſſentiam ſacramenti pertinent: Reliqua verba ponuntur pro differentia: Dum enim dicitur (*Ex Sacra vnctione Olei*) deſignatur eius materia, tam remota, quàm propinqua, vt dicetur, Dum dicitur: (*Et prece Sacerdotis confectum*) aſſignatur cauſa efficiens miniſterialis proferens verborum formam ſub forma deprecatiua: Dum additur: ly (*Ad ſalutem mentis, & corporis*) deſignatur eius cauſa finalis, &

Materia proxima, & remota.
Forma, & cauſa efficiens.
Cauſa finalis
Effectus.

effectus

Digitized by Google

effectus ipſius: Dum dicitur (*hominis ægrotantis*) aſſignatur ſubiectum capax Sacramenti huius: Et tandem cùm additur, (*Diuina inſtitutione*) denotatur cauſa efficiens principalis inſtituens, qui eſt Chriſtus Dominus Sacramentorum inſtitutor, nam cauſa efficiens miniſterialis eſt Sacerdos, propterea diximus; *Et prece Sacerdotis*.

Subiectum. Cauſa efficiens principalis 8. Quæſtio.

22 An ſi hoc Sacramentum neceſſarium.

Quæritur tandem pro complemento huius præſentis capituli: An hoc Sacramentum ſit neceſſarium, adeò vt ſi quis habens commoditatem, & opportunitatem illud recipiendi in articulo mortis, & nolit illud recipere peccet?

23 Reſolutio. Eſt neceſſarium ad benè eſſe.

Reſpondetur ex communi cõſenſu omnium Theologorum: Sacramentum hoc non eſſe neceſſarium, nec neceſſitate medij, neque præcepti, ſed tantummodò dicitur neceſſarium, ſecundum quid, ad benè eſſe, vt Vid. infirmus moriens facilius, & ſecurius victoriam, contra humani generis hoſtes conſequatur: Quàpropter ſi quis etiam voluntariè ſacramentum hoc nollet recipere (per ſe loquendo) non peccaret mortaliter, eò quod nullum extat præceptum, obligans ſub mortali ad hoc ſuſcipiendum Sacramentum: Ità D. Thom. in 4. D. 23. A. 1. quæſt. 3. Soto quæſt. 1. A. 1. Caiet. Ver. Vnctio extrema: Suarez tom. 4. D. 44. ſect. 1. Coninch. tom. 2. D. 19. d. 10. num. 30. Bonac. tom. 1. D. 7. quæſt. 1. p. 5. num. 10. Henriq. in ſumm. lib. 3. cap. 10. numer. 3. & alij.

D. Thom. Soto. Caiet. Suar. Coninch. D. Bona. Henriq.

24 Si per negligentiam non recipiatur erit peccatũ veniale.

Verùm eſt tamen, quod quando infirmus in articulo mortis conſtitutus habens commoditatem hoc Sacramentum recipiendi, & propter negligentiam recipere contempſerit, non excuſabitur à peccato, ſaltem veniali; eſſet enim quædam prodigalitas rerum ſpiritualium in tali periculoſo conflictu remedia ſalutis relinquere.

25 Si contempſeriterit pro ratione ſcandali, vel contẽptus.

Si verò cum contemptu, vel ſcãdalo omittatur poſſet aliquando eſſe mortalis culpa ſecundum grauitatem ſcandali, vel contemptus: Quare qui oblatam hanc vnctionem ſine vlla cauſa abſolutè recuſaret ſuſcipere, videretur grauiter peccaturus, quia daret alijs ſuſpicionem contemptus, & hæreſis: ſecus autem ſi recuſaret tam citò recipere, eò quod putaret, ſe nec dum grauiter laborare: prout notauit Henriq. in ſum. d. lib. 3. c. 10. nu. 3. & Suarez tom. 4. D. 44. ſect. 1. & Coninch. loc. citat.

Henriq. Suar. Coninch.

26 Veritates de fide huius Sacramenti ſecundum Trident.

Vltimò tandem dicimus circa hoc Sacramentum: Peccare mortaliter primò illum, qui credit non eſſe vera ea, quæ definita ſunt à Sacro Concilio Trident. aut dubitat de eorum veritate, credens, aut credere debens ea eſſe ab Eccleſia, & Concilio definita: Definitum eſt enim per Sacrum Tridentinum Concilium dicere: *Extremam vnctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum ab ipſomet Domino Ieſu Chriſto inſtitutum, & tantum a D. Iacobo promulgatum anatema ſit.*

1. Veritas.

27 2. Veritas. 3. Veritas. 4. Veritas. 5. Veritas. Nauarr.

Secundò ſi quis dixerit ſacram extremam vnctionem, non conferre gratiam ex opere operato non ponentibus obicem, aut non remittere peccata, ſiuè peccatorum reliquias, nec alleuiare infirmum, aut Ritum eius, quem obſeruat Eccleſia Romana repugnare ſententiæ B. Iacobi, & ideò eam poſſe ritè mutare, & contemnit: Ità Nauar. in Man. c. 22. nu. 15. ex Trident. Conc. ſeſſ. 14. Can. 1. 2. & 3.

DE MATERIA SACRAMENTI EXtrema Vnctionis.

CAP. II.

1 Materia duplex remota, & propinqua.

MAteria Sacramenti huius, ſicut, & aliorum duplex eſt, quorum vna dicitur remota, altera propinqua: Loquimur autem de materia partis, ideſt illius ſigni ſenſibilis, ſignificantis gratiam Dei inuiſibilem ſecundum inſtitutionem diuinam, quæ ſignificatio eſt forma totius Sacramenti, fundata in illo ſigno ſenſibili, quod conſtat ex rebus, & verbis à miniſtro prolatis, quarum vna pars dicitur materia partis, altera verò forma partis: ſicut plenius explicatum eſt in tractatu de Sacramentis in genere.

Materia, & forma partis.

2 Materia remota, quæ. D. Iacob. c. 5. Concil. Trid. & Florentinum. Suarez. Coninch. Bonacin.

Dicimus ergo primò: quod materia remota Sacramenti huius, eſt Oleum Oliuarum benedictum, & conſecratum ordinario iure ab Epiſcopo: Ità enim colligitur ex Epiſt. Cath. D. Iacobi c. 5. dicentis: *Infirmetur quis in vobis inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum Oleo in nomine Domini*: Ità enim Eccleſia ſemper intellexit ex communi Doctorum conſenſu, & determinatione Conciliorum Florentini in Inſtruct. Armen. & Trid. ſeſſ. 14. c. 1. de Extr. vnct. Vide Suarez tom. 4. D. 40. ſect. 1. Coninch. tom. 2. de Sacramentis D. 19. d. 2. num. 5. & Bonac. tom. 1. D. 7. q. 1. p. 2. nu. 2.

3 Conc. Flor. Oleum ſimpliciter dictũ intelligitur Oliuarum. Analogũ ſimpliciter dictũ ſtat pro principali analogato. Olea aliarum rerum non ſunt ſufficientia.

Quod autem debeat eſſe Oleum Oliuarum expreſſè declaratum eſt per Concilium Florentinum in Inſtruct. Armen. dicens: *Materiam huius Sacramenti eſſe Oleum Oliuæ*: Nam Oleum ſimpliciter dictum, liquorem illum ſignificat, qui ex Oliuarum baccis exprimitur: dixit enim D. Iacobus *Vngentes eum Oleo*: ideſt Oliuarum: nomen enim analogum ſimpliciter dictum ſtat ſemper pro principali, & communiore ſignificato: quando ergò dicitur Oleum ſimpliciter abſque alio addito, intelligendum eſt de Oleo Oliuarum, quàpropter Oleum amygdalarum, lini, nucum, & ſimilium, non poſſunt eſſe materia huius Sacramenti, neque in hoc poteſt fieri aliqua diſpenſatio, eò quod talis materia inſtituta ſit ex iure Diuino, vt habetur per traditionem Eccleſiæ explicata per Concilia, ex illo loco D. Iacobi. Ità Filliuc. tom. 1. tr. 3. c. 6. q. 6. nu. 71. Riccat. in 4. D. 23. q. 3. Soto q. 1. A. 3. Chamer. de Sac. tract. 10. c. 2.

Filliuc. Riccard. Soto. Chamer.

4 Congruentia materiæ. Oleum Oliuarum quinque ſignificat.

Congruentia autem huius materiæ inſtitutionis præcipuè deſumitur ex ordine ad ſignificandos effectus huius Sacramenti: Oleum enim Oliuarum quinque præcipuè habet proprietates, quarum prima eſt: Lenire dolorem; Secunda ad intima penetrare, Tertia Hilaritatem afferre: Quarta ſignificat pinguedinem gratiæ, & Quinta curare languores, & plagas, nam ſæpè ſæpius ſanitatem corporis reſtituit: Ob has ergò, & ſimiles cauſas Oleum Oliuarum aptiſſimum fuit ad declarandum, quid virtute huius Sacramenti Deus operetur, tam in anima, quam in corpore ægrotantis illud ſuſcipientis: Nam Extrema vnctio hæc omnia efficit, vt videbitur infrà loquendo de effectibus huius Sacramenti: Ità Suarez D. 40. ſect. 1. & Filliuc. d. to. 1. tr. 3. c. 6. nu. 71.

Extrema vnctio hæc omnia efficit. Suar. Filliuc.

5 Notandum. Oleum infirmorum debet eſſe benedictum. Eſt de Iure diuino. In nomine Domini, ideſt benedictum. Suar.

Notandum eſt autem: Oleum hoc debere eſſe benedictum, & conſecratum, aliter enim non eſſet materia ſufficiens ad efficiendum Sacramentum, neque in hoc poteſt dari diſpenſatio ab Eccleſia, cum ſit de Iure Diuino. Ità enim Chriſtus inſtituit, vt per traditionem apoſtolicam habetur ex communi conſenſu omnium Doctorum, & Conciliorum declaratione, quod colligitur ex verbis Apoſtoli Iacobi dicentis: *Vngentes eum Oleo in nomine Domini*: Non enim vngitur infirmus ſub hac forma In nomine Domini, ergò referuntur verba illa ad benedictionem Olei: Ità Suar. tom. 4. Diſt. 40. ſect. 1. nu. 4.

6 Aſſignatur ratio.

Ratio autem huius eſt, quia materia Sacramenti huius non fuit vſu Chriſti Sãctificata: Oportebat enim vt Sacramentorum materiæ, quæ ad ſupernaturales effectus debebantur aſſumi, prius ad hoc eleuari per contactum, aut per vſum Chriſti, vt fuit Aqua in Iordane;

Digitized by Google

Materia debet eſſe ſanctificata.

dane: Panis, & vinum in Vltima Cœna, aut per conſecrationem factam ab Eccleſia: & ideò Oleum debet eſſe benedictum, & conſecratum, ſecundùm Chriſti Domini inſtitutionem: Ità Coninch. tom. 2. D. 19. d. 2. num. 6.

Coninch.

7 Quàpropter à Græcis Oleum infirmorum appellatur εὐχέλαιον, ideſt Oleum benedictum per orationem ſacerdotum, vndè communiter appellant ἅγιον ἔλαιον, ideſt Oleum Sanctum, eò quod benedictionibus ſanctificatum eſt, tum etiam, quia alios vnctione in nomine Domini ſanctificat: prout dicit Petrus Arcudius de Sacramentis lib. 5. c. 1.

A Græcis quomodo appellatur.

Petr. Arcud.

8 Sed difficultas modo eſt: An ſit de eſſentia Sacramenti, quod Oleum ſit conſecratum ab Epiſcopo: & Ratio dubitandi eſt, quia Concilium Florentinum in inſtruct. Armen. & Trid. ſeſſ. 14. c. 1. de Extr. Vnct. expreſsè dicunt: *Materiam Sacramenti eſſe Oleum benedictum ab Epiſcopo*, quàpropter in Eccleſia Latina nullus Sacerdos benedicit Oleum Sanctum infirmorum, niſi ſit Epiſcopus conſecratus, & multi Theologi exiſtimant adeò eſſe de eſſentia Sacramenti Oleum eſſe benedictum ab Epiſcopo, vt ſi ab alio, qui non ſit Epiſcopus benedicatur non ſit materia ſufficiens Sacramenti: Ità videntur dicere D. Thom. in 4. D. 23. q. 1. A. 2. q. 2. D. Bonauent. A. 1. q. 3. Suarez to. 4. D. 40. ſect. 1. nu. 3. & Coninch. to. 2. D. 19. d. 2. & Filliuc. to. 9. tr. 3. c. 6. num. 72.

An Oleum debet eſſe conſecratum ab Epiſcopo de eſſentia. Concil. Trid. & Flor.

Affirmant D. Thom. D. Bona. Suar. Coninch. Filliuc.

9 Sunt tamen nonnulli Doctores exiſtimantes, poſſe Summum Pontificem concedere ſimplici Sacerdoti facultatem benedicendi, & conſecrandi Oleum Sanctum infirmorum: Ità Caiet. in 3. p. q. 72. A. 3. Scotus in 4. D. 7. q. 1. Palud. D. 23. q. 1. concl. 3. Valent. 4. p. D. 8. q. 1. de Extr. vnct. Soto D. 23. q. 1. A. 3. Gab. q. 1. Chamerota tract. 10. c. 2 Henriq. in ſum. lib. 3. c. 8. nu. 2. Bart. ab Angel. dialog. 3. §. 98. & inclinat Bonac. to. 1. Diſp. 7. q. p. 2. num. 3.

Poſſe Summũ Pontificem concedere hoc ſimplici Sacerdoti. Caiet. Scotu. Palud. Valentia. Soto Gabriel. Henriq. Bonac. Chamerota. Bart. ab Ang.

Confirmatur hoc ex vſu antiquo Eccleſiæ Græcæ, quæ ſemper conſueuit, vt Sacerdotes Græci ante adminiſtrationem huius Sacramenti benedicant Oleum infirmorum, & deindè tali Oleo Sacramentum adminiſtrant. Quàpropter antequam vngatur infirmus recitantur, & leguntur Epiſtolæ, & Euangelia, & Sacræ preces ad hoc ſpecialiter ordinatę, vt in eorum ritibus, & Eulogijs ſcriptum eſt, & ità benedicitur Oleum Sanctum infirmorum à presbyteris cum inuocatione Spiritus Sancti: Orant præterea ſacerdotes, vt æger ille, per vnctionem illam ſacram recipiat gratiam Spiritus Sancti, & ità adminiſtratur à Græcis Extremæ vnctionis Sacramentum, prout refert Pet. Arcud. lib. de Sacr. tract. de Extr. Vnct. lib. 5. c. 2.

10 Sacerdotes Græci benedicunt Oleum infirmorum.

Petr. Arcud.

11 Cum itaque Eccleſia Orientalis ab initio talem cõſuetudinem habuerit, & vſque nunc retineat, & hoc eſſe verum Sacramentum firmiter teneat, & vt tale per tot ſæcula Chriſti fidelibus adminiſtrauerit: Non eſt putandum in re tam graui, & neceſſaria erraſſe: Neque Summus Pontifex Chriſti Vicarius hoc permiſiſſet: Quàpropter Clemens Papa VIII. in Decreto ſuper Græcorum Ritibus: de Oleo infirmorum, & Catechuminorum hæc ad verbum tradit: *Non ſunt cogendi presbyteri Græci Olea Sancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum huiuſmodi Olea ab eis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum adminiſtratione ex veteri eorum ritu conficiantur, ſeu benedicantur: Chriſma autem, quod niſi ab Epiſcopo etiam, iuxta eorum ritum benedici poteſt, cogantur ſuſcipere:* Videte Steph. Quaranta in Bulla de Ritu Græcorum.

Argumentũ validum pro ſecunda opinione.

Decretum Clementis VIII.

Quaranta.

12 Ex quo patet, quod Oleum Sanctum Chriſmatis apud Græcos ſolus Epiſcopus conficit, & diu aſſeruatur: Oleum autem infirmorum, tunc temporis benedicitur à Sacerdotibus quando æger vngendus eſt; vti etiam benedicitur aqua, & Oleum Catechuminorum, quando quis apud Græcos baptizandus eſt: & Ratio huius eſt, quia hoc permiſſum eſt presbyteris Græcis, vt poſſint quouis tempore Oleum Sanctum benedicere, & conſecrare, & ſimul adminiſtrare Sacramentum Extremæ Vnctionis: Quòd ſecus eſt de Chriſma, quod diutius aſſeruatur, eò quod Sacerdotes careant facultate illud conficiendi.

Ratio aſſertionis.

Dicimus ergò pro deciſione: Benedictionem Olei eſſe de eſſentia materiæ huius Sacramenti, & hoc eſſe de iure Diuino, non ſcripto, ſed per manus tradito, & ideò conſecrationem Olei ordinaria poteſtate ſpectare ad Epiſcopum, extraordinaria, & delegata, ſiuè per permiſſionem Summi Pontificis poſſe etiam fieri à presbyteris; & Ratio huius eſt, quia Chriſtus Dominus non expreſsè determinauit à quo eſſet benedicendum Oleum Sanctum infirmorum: quàpropter talis determinatio facta eſt ab Eccleſia, declarante, & determinante ſolummodò Epiſcopum poſſe Oleum Sanctum benedicere, & conſecrare. Vndè ſtante hac determinatione, ſi ſacerdos Latinus Oleum Sanctum conſecrare præſumpſerit, non eſſet materia ſufficiens Sacramenti: Presbyteris autem Græcis permiſſum eſt ab Eccleſia, vt patet ex eorum Ritibus: Videte Petrum Arcudium lib. de Sacr. tract. de Extr. Vnct. lib. 5. c. 2. 13

Deciſio quæſtionis.

Latinis hoc non eſt conceſſum.

Pet. Arcud.

Quæritur modò: An Oleum Sanctum, elapſo anno benedictionis, poſſit eſſe materia ſufficiens huius Sacramenti? 14

2 Quæſtio. An renouatio Olei quolibet anno ſit de eſſentia.

Reſpondetur Affirmatiuè: Nullo enim iure conſtat hoc requiri ad validitatem Sacramenti; Verùm eſt tamen, quod tam ex conſuetudine, quam etiam ex præcepto Eccleſiæ: Olea ſancta debent quolibet anno renouari, veteribus combuſtis, vt in Can. Litteris de conſecr. D. 3. dicitur, nec Parochus excuſabitur à peccato mortali aliter faciendo, niſi neceſſitas aliquando excuſaret: Ità Poſſeuin. de Offic. Curati c. 9. nu. 31. & Bonac. to. 1. D. 7. p. 2. nu. 6.

Can. Litteris.

Poſſeuinus. Bonac.

Secundò Quæritur: An ſi Oleum ſanctum benedictum ſit alia benedictione ab Epiſcopo, quam conſueta ſit valida? 15

Secunda quæſtio.

Reſpondetur Affirmatiuè: Non enim Chriſtus Dominus præſcripſit formam huius benedictionis, iuxta quam omninò facienda eſſet talis benedictio, ſed hoc remiſit Eccleſiæ: quàpropter ipſa Eccleſia ritum, & formam benedictionis inſtituit, & ideò potuit, & poteſt talem benedictionem, & ritum mutare: Quàpropter vnctus oleo quocumque modo ab Epiſcopo conſecrato, dicitur verè vnctus ſancto oleo, iuxta doctrinam Conc. Florent. prout refert Filliuc. & Bonac. locis ſupra citatis.

Quæ benedictio requiratur à ſanctificatione Olei.

Benedictionis forma inſtituta eſt ab Eccleſia.

Bonac. Filliuc.

Tertiò Quæritur. An ſi Parochus admiſceat oleum oliuarum non benedictum cum oleo conſecrato, vtrũque remaneat conſecratum, vel amittat benedictionem? 16

Quæſtio 3. An poſſit fieri admixtio alij olei non conſecrati.

Reſpondetur, quod ſi talis admixtio ſit minoris partis, ità vt maior pars ſit olei conſecrati, vtrumque remanet conſecratum: Oleum enim non exuit naturam propriam, per modicam admixtionem alterius olei: Quapropter licitè poterit Parochus parum olei non conſecrati admiſcere conſecrato, quandò dubitat, ne oleum Sanctum ſufficiat ad vſum fidelium: quia tunc vtrumque cenſetur conſecratum per admixtionem, & contactum olei conſecrati, cuius maior pars ſuperat non conſecratum: Extrema enim olei conſecrati ità iunguntur, & permiſcentur cum extremis olei non conſecrati, vt ſimul vtrumque cenſeatur conſecratum.

Debet fieri admixtio in partem minorem.

Verùm eſt tamen, quod melius, & decentius eſt addere oleum conſecratũ, ſi olei conſecrati copia haberi 17

poſſit, quod idem dicendum eſt de aqua benedicta, cui admiſcetur alia pars aquæ non benedictæ in minori quantitate: Itá D. Thom. in 4. D. 23. quæſt. 1. A. 3. & Soto ibi. Nauar. c. 12. nu. 15. Henriq. in Sum. cap. 8. p. 2. Bart. ab Angel. Dialog. 3. §. 92. & 101. Bonac. to. 1. D. 7. nu. 7. & alij. Et hæc de materia remota.

D. Thom. Soto. Nauar. Henriq. Bart. ab Ang. Bonac.

18 Materia autem proxima huius Sacramenti eſt Vnctio olei conſecrati, facta per manus Sacerdotis in quinque ſenſibus corporis hominis infirmi: Itá enim colligitur ex illo loco D. Iacobi dicentis; *Vngentes eum oleo*. Ex quibus verbis ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia ſemper intellexit: materiam remotam Sacramenti huius eſſe oleum conſecratum: Nam materia proxima, in qua conſiſtit ratio Sacramenti eſt vnctio dicti olei, quæ aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, qua ſpiritualiter Anima ægrotantis vngitur repræſentat: Itá Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1.

Materia proxima eſt vnctio. D. Iacob. Conc. Trid.

19 Quod verò dicta vnctio ſit ipſum Sacramentum, probat Concilium ex ſignificatione: Illud enim eſt Sacramentum, quod eſt efficax ſignum gratiæ: huiuſmodi autem eſt vnctio illa, quæ ſignificat vnctionem inuiſibilis gratiæ, ergò illa eſt proxima materia Sacramenti, quæ per verborum formam determinatur: Nam Sacramentum hoc non conſiſtit in ipſa materia permanente, ſed in vſu: Solùm enim Euchariſtia id habet, cuius conſecratione ipſe fons gratiæ ſub ſpeciebus conſecratis efficitur, & ſignificatur: At per benedictionem olei nulla gratia datur, nec ſignificatur, & ideò eſt quodam ſacramentale, & non Sacramentum: Si ergo Sacramentum non conſiſtit in illa materia permanente, vſus ergò illius remotæ materiæ erit proxima, atque adeò ipſa vnctio: Itá communiter omnes Theologi in 4. D. 23. Coninch. to. 2. D. 19. d. 2. num. 7. Suarez tom. 4. D. 40. ſect. 2. num. 2. Bonacina tom. 1. D. 7. p. 2. num. 9. Filliuc. tom. 1. tract. 3. c. 6. quæſt. 7. num. 74. & alij.

Ratio aſſertionis. Sacramentū non eſt Oleū benedictum, ſed ipſa vnctio. Coninch. Suarez. Bonac. Filliuc.

20 Sed Quæritur modo: Quanta, & qualis debeat eſſe talis vnctio ad efficiendum Sacramentum?

Quanta debeat eſſe vnctio.

Reſpondetur quò ad primum de quantitate: Quãlibet vnctionem debere eſſe tantam, quanta ſatis eſſet, iuxta communem loquendi modum, quod attingat veram rationem vnctionis, & ideò ſufficiens eſt quælibet parua quantitas, dummodò non ſtillet talis gutta ex ſe, ſed vngatur pars ſenſus per digitum Sacerdotis adminiſtrantis ad modum vnctionis: Ita Suarez ſupra nu. 4. Filliuc. nu. 78.

Sufficit quælibet parua quantitas vnctionis. Suar. Filliuc.

21 Secundò Quæritur: Quot vnctiones fieri debent ad validitatem Sacramenti?

Quot vnctiones ſint faciendæ.

Reſp. Concilium Florentinum enumerare ſeptem vnctiones: Primò in oculis propter viſum: Secundò in auribus propter auditum: Tertiò in naribus propter odoratum; Quartò in ore propter guſtum: Quintò in manibus propter tactum: Sextò in pedibus propter greſſum: & ſeptimò in renibus propter ardorem libidinis, ibi vigentem: Hæc autem ſeptima vnctio ſæpè omittitur, quia vix honeſtè fieri poteſt, præſertim in fœminis, & ob hanc cauſam multæ Eccleſiæ etiam amittunt hanc ſeptimam, vt benè notauit Suarez d. D. 40. ſect. 2. nu. 6. Gabr. in 4. D. 23. q. 1. A. 2 Soto q. 2. A. 3. Victoria in ſumm. num. 223. & Bonac. d. D. 7. p. 5. nu. 16. & alij.

Quinque ſūt de eſſentia, licèt enumerentur 7. Suar. Gabriel. Soto. Victoria. Bonacina.

22 Ex quo ſequitur, quod tantùm quinque ſenſus corporis de neceſſitate ſunt vngendi, vid. oculi, aures, nares, os, & manus, in quibus totus ſenſus tactus ſignificatur, repetita ad ſingula forma propria: & Ratio huius eſt, quia Sacramentum Extremæ Vnctionis inſtitutum eſt ad abſtergendas peccatorum reliquias, quæ trahunt originem non ſolùm ab vno ſenſu, ſed etiam ab alijs ſenſibus corporis: cùm autem peccata, quæ originantur ab vno ſenſu non remittantur, niſi etiam remittantur alia omnia, quãdo eſſent mortalia, ſequitur vngendos eſſe omnes quinque ſenſus, & Sacramentum non ſortiri effectum, nec conſerre gratiã, non vnctis quinque ſenſibus. Itá Bel. de Extr. vnct. c. 10. Soto in 4. D. 23. q. 1. A. 3. concl. 2. Bonac. to. 1. D. 7. p. 5. n. 16. Suar. to. 4. D. 40. ſect. 2. n. 8. Valent. 4. p. D. 8. q. 2.

Ratio iſtarū vnctionum, quæ. Sacramentū nō perficitur niſi in vltima vnctione. Bellarm. Soto. Bonacina. Suarez. Valentia.

23 Dixi (de neceſſitate ſaltem præcepti) quia ſunt nonnulli Doctores aſſerentes: Sacramentum perfici quauis vnctione, quæ ex dictis prima adhibeatur, applicata forma neceſſaria: reliquas verò eſſe tantummodò partes integrales integri Sacramenti, & vnius perfectæ vnctionis, quia ſingulæ quæque vnctiones ſunt per ſe integra materia, per quam veraciter homo vngitur, ſicut lota vna parte, totus homo dicitur baptizatus, ergò ſingulæ vnctiones habent veram rationem ſufficientis materiæ Sacramenti.

Aliquorum ſententia putat eſſe partes integrantes.

24 Nec refert, quod per formam, quæ applicatur illi primæ vnctioni illius ſenſus videatur tantùm peti partialis effectus vid. remiſſionis peccatorum per illum ſenſum commiſſorum, quia tantùm hic ſequeretur: Per vnicam vnctionem, perfectum, & integrum effectum omnium formarum, & vnctionum, ſed quaſi partialem: Nec item valet dicere, illicitum eſſe petere à Deo, vt remittat vnum peccatum mortale commiſſum per talem ſenſum ſine altero cum gratia Dei dimidiata dari non poſſit.

Reſpondetur tacitæ obiectioni.

25 Reſpondetur: in huius Sacramenti forma, non peti primò, & per ſe remiſſionem peccati mortalis: hic enim non eſt directus effectus huius Sacramenti, cùm non ſit ad hoc inſtitutum, ſed primariò petitur, & confert ur gratia iuſtificans propria huic Sacramento, quæ ſcilicet gratiarum præuenientium ſibi annexarum habet vim corroborandi hominem infirmum in illa periculoſa lucta cum Dæmone, & abſtergendi peccatorum reliquias: Remiſſio autem peccatorum mortalium petitur tantùm ſub conditione, ſi fortè adhuc aliqua remittenda remaneant, quod colligitur ex illo D. Iacobi dicentis: *Et ſi in peccatis ſit remittuntur ei.* Nec alio modo petitur, vt ſi plura fortè reſtant vnum ſine altero remittatur: quamuis autem per talem formam deprecatiuam petatur remiſſio peccatorum per talem ſenſum commiſſorum, non tamen fit excluſio aliorũ, & talis eſt intentio Eccleſiæ, & miniſtri conferentis. Itá Scotus in 4. D. 23. ad 2. Palud. q. 1. A. 3. concl. 2. Io. Medina C. de confeſſ. q. 11. §. 2. quam ſententiam valdè probabilem exiſtimat Coninch. to. 2. de Sacramentis D. 19. d. 3. cum alijs.

Quid petitur per illam formam partialem de peccatorum. Scotus. Palud. Io Medina. Coninch.

26 Verùm eſt tamen, quod prima opinio eſt communior, dicens. Quinque illas vnctiones eſſe de neceſſitate, & eſſentia Sacramenti, quapropter, ſi miniſter non vngeret omnes quinque partes ſenſus hominis infirmi, applicando propriam formam cuilibet vnctioni, non ſolùm mortaliter peccaret, ſed neque efficeret validum Sacramentum: Non enim confertur gratia, niſi in vltima forma cum ſua vnctione in vltimo ſenſu tactus, alioquin ſequeretur, quod vnum peccatum mortale poſſet remitti, remanente altero, quod implicat: Itá tenent Doctores in prima opinione poſiti, quæ eſt communior, quamuis alia opinio non ſit improbabilis propter validiſſimas rationes.

Prima ſententia eſt cōmunior, & probabilior.

27 Quæritur tertiò: An neceſsè ſit vngere vtrumque organum ſenſus, videlicet ambas manus, oculos, aures &c.

An debeat vngi vtrumque organū ſenſ. Sufficit vnctio alterius ſenſorij.

Reſpondetur Negatiuè: Non enim eſt abſolutè neceſſarium, vt in vnctionibus ſingulorum ſenſuum duplicem facere vnctionem, vnam pro qualibet manu, aure, &c. quia in vna parte ſenſorij ſufficienter ſignificatur vnctio talis ſenſorij, licèt virtus illius ſenſus in pluribus partibus corporis vigeat: & ideò ſi propter

neceſſi-

neceſſitatem, in vuoquoque ſenſu vnica tantùm fiat vnctio, Sacerdos non peccaret, quia validum efficeret Sacramentum, nec faceret contra præceptum.

28 Non eſt tamẽ prætermittẽda vnctio alterius ſine neceſſitate.

Verum eſt tamen, quod quandò non interuenit neceſſitas, non eſt prætermittenda vnctio vtriuſque ſenſorij illius ſenſus; Talis enim eſt communis conſuetudo Eccleſiæ, vt vngantur vtrique oculi, aures, manus, &c. ſub vna forma verborum, dicendo: *Indulgeat tibi Deus, quicquid oculorum vitio commiſiſti*: & talis ritus Eccleſiæ non eſt mutandus ſine neceſſitate, & rationabili cauſa; Ità Suarez to.4. D.40. ſect.2.nu.5. Bonac.to.1.D.7.p.5.nu.22. Nald. verbo Extr. Vnct.num. 2.& alij.

Suarez. Bonac. Nald.

29 Manus Sacerdotis quomodo vngendæ ſunt.

Aduertendum eſt etiam, quod Sacerdotes morientes non debent vngi oleo Sancto in palmis, ſed in ſuperiori verſa parte, eò quod in eorum ordinatione ſemel in palmis fuerunt inuncti, & ideò pars ſuperior illorum manuum eſt inungenda, vt patet ex Rituali; Ità Bonacina D.7.p.3.nu.19. & Poſſeuin.de Offic.Cur. c.9.nu.75.& alij.

Bonac. Poſſeuin.

30 Quomodo vngendi ſunt illi, qui carent aliquo ſenſorio.

Quæritur quartò. An quando ille qui vngendus eſt careat manibus, vel oculis &c. poſſit prætermitti talis vnctio cum ſua forma?

Reſpondetur Negatiuè, & ratio huius eſt, quia amputatus aliquo membro, etiam capax eſt Sacramenti huius; eoque indiget, quapropter tali ſingulari remedio non eſt priuandus, & ideò in caſu facienda eſt vnctio in partibus propinquis illi membro, quo infirmus caret, licèt enim exterius in ea parte non peccauerit, fieri tamen poteſt, vt peccauerit per potentias tali membro reſpondentes cum fortè aliquando voluerit videre, loqui, aut audire &c. contra rectam regulam rationis, quapropter indiget Sacramento, etiam in ea parte. Ità Suar. D.43. ſect.3.nu.5. Filliuc. to.1.tr. 3.c.5.nu.111. Bonac.D.7.p.5. nu.16. Em.Sà ver.Extr. Vnctio.nu.3. & alij.

Suar. Filliuc. Bonac. Em. Sà.

31 Quare tantũ vngãtur quinque ſenſua corporis.

Quæritur 5. Cur iſtæ partes inungantur, & non totum corpus?

Reſpondetur, quia Sacramentum applicatur per modum medicinæ corporalis, ſicut autem corporalis medicina non applicatur toti corpori, ſed ijs tantum partibus, ex quibus morbus ſuam trahit originem: Ità hoc Sacramentum, quæ eſt medicina quædam ſpiritualis applicari debet partibus illis, ex quibus originãtur omnia peccata: cum autem peccata, quæ committuntur originem trahant ex quinque ſenſibus corporis, & ideò hæc quinque membra vngenda ſunt: prout docent D. Thom. in 4. D.23. quæſt.2. A.3. quæſt. 2. & Palud.quæſt.2.A.3.Riccardus quæſt.1.A.3. Suarez to. 4.D.42.ſect.3.num.3. Filliuc. tom.1. tract.3. c.5. num. 110. & alij.

D. Thom. Paludan. Riccardus. Suarez. Filliuc.

32 An ordo ſenſuum ſit ſeruandus.

Quæritur ſextò: An neceſsè ſit aliquem ordinem ſeruare in vngendis quinque ſenſibus?

Reſp. Negatiuè, non enim ordo talium vnctionum eſt de eſſentia Sacramenti, vt vid. prius vngantur oculi, deindè aures, quia adhuc mutato ordine, completa manet ſignificatio, neque vnum peccatum mortale remittitur ſine altero: Quamuis communiter talis ordo de congruentia ſit ſeruandus, cum talis ſit vſus, & ritus Eccleſiæ, & magis rationi conſentaneus, quapropter paſſim ſine cauſa variari non debet: Ità Suar.d.D. 40.ſect.2.nu.9. Bonac.D.7.p.5.nu.20.

33 An vnctio facienda ſit cũ ſigno crucis?

Quæritur tandem: An vnctiones, quæ fiunt in ſingulis membris cum oleo Sancto ſint faciendæ cum ſigno Crucis?

Reſp. quod licèt talis ſit communis conſuetudo Eccleſiæ non eſt tamen de neceſſitate, neque Sacramenti, neque præcepti, neque talis conſuetudo eſt introducta, cum intentione obligandi ad peccatum mortale, cum talis cæremonia non ſit materia grauis, ſed leuis, & ideò non obligat; Ità Suarez to.4. D.40.ſect.2. numer.3. & Filliuccius d. tom.1. tract.3. cap.4. quæſt. 8. num.7.

Suarez. Filliuc.

DE FORMA SACRAMENTI Extremæ Vnctionis.

CAP. III.

1 Forma partis.

LOquimur de forma partis, ideſt illius ſigni ſenſibilis, quod dicitur, & eſt Sacramentum, conſtans ex rebus, & verbis, quorum vnum ſe habet, vt materia per ſimilitudinem ad materiam, alterum verò, vt forma per ſimilitudinem ad formam: Dicimus ergò, quod forma Sacramenti huius ſunt verba illa prolata à Sacerdote cum debita intentione, quando vngit infirmum oleo ſancto conſecrato ab Epiſcopo, quæ verba determinant vnctionem illam ad ſignificandum effectum inuiſibilis gratiæ illius Sacramenti, ſicut plenius explicatum eſt à nobis in tractatu de Sacramentis in genere, & alibi.

Verba formę determinant ſignificationem Sacramenti.

2 Forma huius Sacramenti debet eſſe deprecatiua.

Forma itaque Sacramenti huius ex intrinſeca ratione, ſecundum ius diuinum ex traditione Apoſtolica, ſecundum declarationem Conciliorum præcipuè Florentini, & Tridentini debet dari à Sacerdote ſub forma deprecatiua; ità enim intellexit Eccleſia ex loco illo D. Iacobi cap.5. dicentis: *Infirmetur quis in vobis inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: Et ſi in peccatis ſit dimittentur ei.*

Colligitur ex verbis D. Iacobi.

3 Hoc eſt ſingulare huius Sacramenti.

Ex quibus verbis Apoſtoli intellexit Eccleſia Sancta Dei: formam huius Sacramenti debere eſſe ſub forma deprecatiua: Hoc enim ſingulare eſt in hoc Sacramento, quod non eſt in alijs, quorum formæ dandæ ſunt per modum indicatiuum, quod patet inductione facta in reliquis Sacramentis: & Ratio à priori eſt inſtitutio ipſius Chriſti, qui ſingulis Sacramentis præſcripſit formam, quam voluit, iuxta ſuum diuinum beneplacitum, quare non eſt hic arguendum à ſimili de alijs Sacramentis, quæ dantur ſub alia forma; quapropter D. Iacobus, qui fuit primus promulgator Sacramenti huius taliter promulgauit. Ità Coninch.tom.2. D.19. d.4. num.14.

Ratio à priori talis formę deprecatiuæ.

Coninch.

4 Aſſignantur rationes congruentiæ.

Congruentia autem multiplex eſſe poteſt, quarum prima eſt, quia hoc Sacramentum infirmis tantum periclitantibus conceditur, qui quaſi viribus omnibus deſtituti in ſola Dei miſericordia acquieſcunt, quę prece, & oratione imploranda eſt: Ità Coninch. loc. citat. Secunda eſt, quia infirmus in illo conflictu tranſit ex foro Eccleſiæ, ad forum Diuinæ maieſtatis, cui per Sacramentum hoc ſub forma deprecatiua commendatur. Ità Bonac.tom.1. D.7.p.3.num.3.& alij. Tertia ratio eſt, quia cum hoc Sacramentum non habeat effectum omninò infallibilem, quin non poſſet, aliquando impediri, vel propter obice recipientis quo ad ſpirituales effectus gratiæ, vel quò ad effectum ſanitatis corporalis, quæ aliquando non eſt expediens pro ſalute Animæ infirmi, & ideò petitur conditionaliter per orationem. Ità Suarez tom.4. D.40. ſeſſ.3. num.10. D. Thom. in 4. D.23.q.1.A.4.q.2. Soto q.1. A.3. Pirig. A. 4. & alij.

1. Ratio eſt Coninch.

2. Ratio eſt Bonac.

3. Ratio.

Scotl. D. Thom. Soto. Pirigiani.

5 4. Ratio.

Addunt alij quartam congruentiam: Nam Extremæ vnctionis Sacramentum dicitur, & eſt complementum Pœnitentiæ, & quaſi quædam infirmorum pœnitentia, qui cum plenè ſatisfacere per opera pœnalia non poſſint propter ægritudinem, ideò Sacerdos adminiſtrans vtitur prece ad ſignificandam remiſſionem peccatorum ex ſola Dei miſericordia virtute

Sacramenti eſſe implorandam: & ideò Chriſtus Dominus ſub hac forma hoc Sacramentum inſtituit, & Eccleſia ex Apoſtolica traditione, ità ſemper intellexit, quæ non potuit errare in his, quæ ſunt de Sacramentorum eſſentia: Ità Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 82.

Filliuc.

6 Ex his deducimus, quod, ſi aliquis Sacramentum hoc adminiſtrauerit ſub forma indicatiua ſimpliciter, non includente aliquo modo formam deprecatiuam, nihil faceret, & nullum eſſet Sacramentum, eò quod deficiat in eſſentialibus, quorum principalis eſt forma, ſecundùm Chriſti Domini inſtitutionem: & Ratio huius eſt, quia duæ formæ eſſentialiter diſtinctæ non poſſunt eſſe per ſe, & ſingillatim ſufficientes ad faciendum Sacramentum, niſi ſint æquiualentes in ſenſu, ſi ergò forma deprecatiua eſt ſufficiens, & neceſſaria, forma indicatiua non ſufficit, quia non habet æquiualentem ſignificationem: Ità communiter omnes Theologi in 4. D. 23. legite Bonacinam tom. 1. D. 7. p. 3. num. 3.

Forma deprecatiua eſt de eſſentia huius Sacramenti.

Bonacina.

7 Notandum autem eſt: Efficaciam Sacramenti huius, licèt detur ſub forma deprecatiua nullo modo pendere ex vi operis operantis, quaſi Sacerdos per ſuam orationem imploret peccatorum remiſſionem illius infirmi. Nam efficacia Sacramenti pendet ex vi promiſſionis Chriſti, qui ità hoc Sacramentum inſtituit, & ideò Sacramentum hoc, in quantum Sacramentum, habet ſuum effectum infallibilem ex vi promiſſionis Chriſti, & confert effectum ſuum ex operato, ſicut reliqua Sacramenta nouæ legis, quæ non ponentibus obicem gratiam, vel augmentum conferunt ex opere operato: Ità Coninch. tom. 2. D. 19. d. 4. num. 14.

Efficacia huius Sacramenti eſt ex promiſſione Chriſti.

Coninch.

8 Notandum etiam, quod ſi aliqua Eccleſia aliquando vſa ſit forma aliqua indicatiua in huius Sacramenti adminiſtratione, vt fuit Eccleſia Mediolanenſis, quæ ex inſtitutione D. Ambroſij dicebat: *Ego vngo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamina, aëreas valeas ſuperare poteſtates*, & D. Bona. in 4. D. 23. quæſt. 4. Palud. Riccard. & Gabriel dicunt: Mediolani vſu receptam fuiſſe: Similiter etiam refert Petr. de Palatio ex libro Sacramentali Venetorum hanc formam fuiſſe approbatam tempore Papæ Leonis X. *Vngo te oleo Sancto, vt hac vnctione protectus fortiter ſtare valeas aduerſus Cateruas Dæmonum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Forma, qua vtebatur Eccleſia Mediolanenſis, tempore D. Ambroſij.

D. Bona. Palud. Riccard. Gabriel.

Eccleſia Venetorum, vſa eſt alia forma.

9 His tamen non obſtantibus dicimus, Huiuſmodi verba indicatiui modi, quæ forſitan in aliquibus particularibus Eccleſijs fuerunt in vſu, non fuiſſe formam huius Sacramenti ſimpliciter, ſed quædam præambula, & diſpoſitionem cæremonialem ad formam eſſentialem Sacramenti, & ideò credendum eſt, quod poſtea addebant formam eſſentialem, addendo in fine: *Vt indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum, auditum, tactum, &c.* Ità Soto in 4. D. 23. quæſt. 2. Artic. 4. ad 4.

Quomodo intelligendæ ſunt quo ad praxim.

Soto.

10 Ex quo inferunt multi Theologi, quod ſi aliquis Sacerdos in adminiſtratione Sacramenti huius vteretur iſta forma: *Ego te vngo Sancto iſto oleo, vt Deus tibi indulgeat quicquid peccaſti &c.* eſſet forma ſufficiens ad validitatem Sacramenti, quia tunc verbo indicatiui modi adiungitur ſufficiens deprecatio, quæ ſemper neceſſaria eſt ad formam Sacramenti huius. Vtens tamen huiuſmodi forma non eſſet excuſatus à graui culpa, mutando ſine cauſa formam inſtitutam, ſecundùm ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ maioris auctoritatis eſt cuiuſcumque particularis, quapropter veritas, & neceſſitas formæ ſumenda eſt ex ritu, & determinatione ipſius Eccleſiæ Romanæ, quæ non eſt cæteris accommodanda, ſed è conuerſo. Ità Suarez to. 4. D. 40. ſect. 3. nu. 8. & alij.

Variatio formæ inſtitutæ ab Eccleſia Romana eſt illicita.

Eſt maioris auctoritatis, quam particularis Eccleſia.

Suar.

Dicimus ergò formam eſſentialem Sacramenti huius, qua vtitur Sancta Romana Eccleſia eſſe iſtam, (*Per iſtam Sanctam vnctionem, & ſuam piſſimam miſericordiam, Indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum, auditum &c.*) & dicitur *Per viſum*, quando tanguntur oculi; *Per auditum*, quando tanguntur aures, & ità de cæteris partibus corporis vngibilibus, quæ ſunt quinque ſenſorij partes principales; Si verò aliquæ formæ diuerſæ in verbis aliquarum Eccleſiarum referantur, omnes quò ad ſenſum reducuntur ad iſtam: Ità communiter omnes Doctores. 11

Forma huius Sacramenti, qua vtitur Eccleſia Romana.

In hac ergò forma Sacramenti comprehenduntur tria; quæ ſunt de neceſſitate huius formæ, quorum primum eſt fundamentum ſenſibile iſtius Sacramenti, & explicatur actio miniſtri, quæ fit mediante ſacra vnctione, quæ eſt proxima materia Sacramenti huius, quando dicitur (*Per iſtam ſanctam vnctionem*) & ideò huiuſmodi verba ſunt de neceſſitate formæ, nam in Sacramentis ſemper eſt exprimenda actio miniſtri, applicantis proximam materiam: Non eſt autem neceſsè, vt in forma explicetur materia remota, quamuis enim aliquæ Eccleſiæ declarent expreſsè talem vnctionem fieri ex oleo conſecrato, non eſt tamen de neceſſitate formæ, vt patet in reliquis Sacramentis, in quibus remota materia non exprimitur: quapropter Sancta Romana Eccleſia ſimpliciter dicit (*Per iſtam ſanctam vnctionem*) nulla facta mentione olei, & ideò non eſt de ſubſtantia Sacramenti, neque de præcepto, prout dicunt Suarez d. D. 40. ſect. 3. num. 12. & Graff. tom. 2. Deciſ. lib. 1. cap. 8. num. 6. 12

Declaratur iſta forma verborum.

Per iſtam ſanctam vnctionem, ſunt de neceſſitate formæ.

Suarez. Graff.

Deindè declaratur illud, quod principaliter operatur in hoc Sacramento, & eſt Diuina miſericordia, in qua nititur deprecatio, quæ per hanc formam fit à Sacerdote, quando dicit (*Per ſuam piſſimam miſericordiam*) quæ etiam verba ſunt de neceſſitate formæ. Nam Dei miſericordia in hoc Sacramento principaliter operatur, reſpicit enim miſeriam hominis infirmi in vltima neceſſitate conſtituti, quaſi viribus deſtituti ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis commiſſis: quapropter in forma deprecatur Deum, vt remittat illi, ſi quid forſitan per Pœnitentiæ Sacramentum remanſit. Ità Diu. Thomas in 4. D. 23. quæſt. 1. A. 4. quæſt. 3. ad 2. Soto, & Capreolus ibi. D. Bonau. Art. 1. quæſt. 4. concordat Suarez loc. citato cum alijs. 13

Per ſuã piſſimam miſericordiam ſunt etiam de neceſſitate.

D. Thom. Soto. D. Bona. Suarez.

Poſtmodum exprimitur principalis effectus huius Sacramenti, quandò dicitur in forma (*Indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum &c.*) Exprimitur autem in forma potius peccatorum remiſſio, quam alij effectus, qui ex hoc Sacramento conſequuntur, quia inter effectus Sacramenti huius talis eſt præcipuus, vel ne alij effectus propter peccatorum impedimenta impediantur: Ita Suar. d. Diſp. 40. ſect. 3. nu. 14. 14

Indulgeat tibi Deus quicquid.

Suarez.

Sed dicet aliquis curioſus: Quare additur illa determinatio peccati in ſpecie dicendo (*Quicquid deliquiſti per viſum &c.*) Impium enim videtur eſſe dimidiatam à Deo peccatorum remiſſionem poſtulare? Reſpondetur tamen, quod licèt per ſingulas partiales verborum formas videatur pars remiſſionis peccatorum poſtulari, hoc tamen non fit cum excluſione aliorum, & ideò in quacumque partiali forma ſemper petitur indulgentia aliorum: quapropter ex omnibus formis partialibus perficitur vna integra petitio omnium per vltimam formam, quia tunc confertur effectus formæ Sacramenti, vt dicetur, cùm de effectu huius Sacramenti agemus: non enim confertur effectus niſi in vltima forma. 15

Dubitatio.

Solutio. Petitio partialis informis non excludit aliorũ peccata.

Effectus confertur in vltima forma.

Sed

16 *An dicendũ ſit in fine formæ, In nomine Patris &c. Palud. Angelus.*

Sed hic occurrit vna dubitatio, ſtatim ſoluenda: An in fine formæ huius Sacramenti addenda ſit inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, quam aliqui addere ſolent dicendo in hac forma: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quam Paludanus, & Angelus putauerunt eſſe ſaltem de neceſſitate præcepti.

17 *Reſolutio eſt negatiua.*

Reſpondetur tamen Nullam eſſe talem neceſſitatem: non enim in hoc Sacramento fit fidei profeſſio, ſicut in Baptiſmo, neque in hoc Sacramento occurrit aliqua ſpecialis ratio inuocandi Trinitatem in eius forma: Imò ſi benè attendatur, modus deprecatiuæ formæ non benè illi accommodatur, & ideò neque in Concilijs, neque in Rituali Romano de hoc ſit aliqua mentio, neque adeſt talis conſuetudo, quàpropter concluditur: Non eſſe de neceſſitate: Ità Coninch. tom.2. Diſp.19.d.4.nu.15. Pitigianus in 4. Diſp. 23. quæſt.1. A.4. & Bonacina tom.1. D.7. quæſt. vnic. p.3. num.2. *Coninch. Pitigianus, Bonacina.*

18 Dicitur tandem formam Sacramenti huius non ſolum apud Latinos, verùm etiam apud Græcos eſſe ſub forma deprecatiua, quæ licèt in verbis differat in ſenſu tamen deprecatiuo reſpondet: Talis autem eſt forma Græcorum: *Πάτερ ἅγιε ἰατρὲ τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων ἴασαι τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς, καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας:* &c. *Forma Græcorum huius Sacramenti.*

Interpretatio latina. Pater Sancte medice animarum, & corporum, ſana hunc ſeruum tuum ab infirmitate corporali, & ſpirituali, qua detinetur: Et hęc ſunt verba eſſentialia formæ; prout dicit Petr. Arcudius de Sacr. lib.4. de Extr. Vnct. cap.5. *Petr. Arcud.*

19 *Alia verba deprecatoria, quæ addũtur à Græcis.*

Addunt etiam alia verba in fine formæ huius dicentes: *ὅτι σὺ εἶ ἡ πηγὴ τῶν ἰαμάτων ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, τῶν αἰώνων, ἀμήν*, id eſt: *Interpretatio* Quoniam tu es fons curationum Deus noſter, tibique gloriam offerimus Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen; Quæ verba non ſunt de neceſſitate formæ, ſed adduntur pro fine orationis, & pro maiori reuerentia, & deuotione: Similiter etiam addere ſolent Per interceſſionem Beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum, & per virtutem Sãctæ Crucis, &c. Quæ (vti dixi) non pertinent ad ſubſtantiam formæ, vt patet &c. *Hæc verba non ſunt de neceſſitate formæ.*

20 *Modus, quo vtuntur Græci in hoc Sacramento. Caput in modum Crucis.*

Notandum autem, quod Græcorum Sacerdotes dum recitant formam vngunt ægroti frontem, mentum, & ambas genas, vt fieri videatur vnctio in capite ad modum crucis, eò quod ibi præſertim tanquam in arce reſideant, ſintque collocati quinque corporis ſenſus, quos videl. & ſi non immediatè, & explicitè, mediatè tamen, & implicitè vngere intelligunt: Deindè vngunt pectus, in quo reſidet cor; ex quo exeunt cogitationes malæ, & peccata cordis, id eſt voluntatis: Poſtea vngunt manus, idque ex vtraque parte propter peccata operis, & tandem vngunt pedes propter greſſus. *Pectus. Manus, & pedes.*

21 *Senſus formæ Græcæ.*

Quare ſenſus formæ Græcorum eſt: Sana Domine per tuam miſericordiam ſeruum tuum ab infirmitate animi, hoc eſt à peccato, quod commiſit per quinque corporis ſenſus, qui reſident in capite per ſenſorium in ſenſu communi, & hoc dum vngitur facies infirmi per modum crucis, quæ eſt nobilior pars capitis, ſic de pectore, manibus, & pedibus.

22 *Conſuetudo Græcorum in adminiſtratione huius Sacramẽti, quæ*

Notandum eſt etiam; quod conſuetudo eſt apud Eccleſiam orientalem Græcorum ſeptem conuocare Presbyteros in adminiſtratione huius Sacramenti, quando commodè hoc fieri poteſt, iuxta illud Iacobi Apoſtoli, dicentis: *Conuocet Presbyteros Eccleſiæ:* Verùm eſt tamen, quod in neceſſitate ſufficit vnus proprius vid. Parochus, neque toties iteret formam, & vnctionem, ſed ſemel pro qualibet vnctione principali: Quando autem plures Sacerdotes accerſiti fuerint, tũc omninò, vel vnctione ſuperſideant; vel ità vngant vt à forma recitanda ſe abſtineant, vel ſi proferant verba formæ intentionem habeant non efficiendi nouum Sacramentum, ſed tantum proferant recitatiuè confirmando orationem primi miniſtri Sacramenti: legite Petrum Arcudium d. lib. de Sacramentis lib. 4. de Extr. Vnct. cap. 3. 6. & 7. *Aduertentia pro Græcis. Petr. Arcud.*

23 *Concluſio.*

Ex quo patet, quod forma huius Sacramenti ſemper eſſe debet ſub forma deprecatiua, iuxta Chriſti inſtitutionem, vt patet ex ritu vtriuſque Eccleſiæ, tam Græcæ, quam Latinæ, & ex determinatione Conciliorum, & hæc de forma huius Sacramenti.

DE MINISTRO SACRAMENTI Extremæ Vnctionis.

CAP. IV.

1 *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos. D. Dionyſ.*

Miniſter proprius, & legitimus Sacramenti Extremæ Vnctionis eſt ſolus Sacerdos legitimè ordinatus: Nam adminiſtratio huius Sacramenti, prout dicit D. Dionyſ. de Eccl. Hierarch. cap. 3. 4. & 5. *Eſt actus hierarchicus, qui purgat, & illuminat*, quod omninò munus eſt Sacerdotis, & non alterius: Talis enim fuit Chriſti Domini inſtitutio, promulgata nobis per D. Iacobum, dicentem (*Inducat presbyteros Eccleſiæ, vngentes eum oleo*) Nomine autem presbyteri intelligitur Sacerdos, prout intellexit Sacrum Trident. Conc. ſeſſ. 14. c. 3. Ità Suarez tom. 4. D. 43. ſect. 1. num. 5. Bellarm. tom. 3. de Extrema Vnct. cap. 9. Conioch. D. 19. d. 9. & alij. *D. Iacobus. Conc. Trid. Suarez. Bellarm. Coninch.*

2 *2. Probatur ex verbis D. Iacobi. Oratio fidei ſaluabit infirmum.*

Probatur ſecundò ex verbis illis Apoſtoli, dicentis (*Et Oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit remittentur ei*) Nam oratio fidei, non eſt ſimplicis hominis priuati, ſed Eccleſiæ per ſuum miniſtrum: ſcilicet Sacerdotem, quæ non poteſt deficere, cum homo priuatus in fide deficere poſſit: Ità Chamer. de Sacr. tract. 10. c. 4. de Extr. Vnct. Soto in 4. D. 23. q. 2. D. Thom. quæſt. 11. A. 1. *Chamerota. Soto. D. Thom.*

3 *3. Probatur ratione.*

Probatur tertiò congruentia, & ratione: Ità enim requirebat finis inſtitutionis Sacramenti huius: cum enim ordinatum ſit ad ſanctificandos fideles in extremis, tanquam complementum pœnitentiæ in remiſſionem reliquiarum peccatorum, ad eos talis adminiſtratio ſpectare debuit, qui habent poteſtatem remittendi peccata, ſaltem ex parte Ordinis, & in Corpus Chriſti miſticum: tales autem ſunt Sacerdotes. Ita enim decebat ſanctitatem huius Sacramenti: Nõ enim erat tanta neceſſitas huius Sacramenti, ſicut Baptiſmi, vt poteſtas miniſtrandi cuilibet eſſet concedenda: Neque aliqua ſpecialis ratio, vt in Matrimonio, & ideò ſolus Sacerdos eſt legitimus huius Sacramenti miniſtrator: Ità Suarez d. Diſp. 43. ſect. 1. Bonac. to. 1. Diſp. 7. punc. 4. nu. 1. Coninch. to. 2. Diſp. 19. d. 9. nu. 27. & Filliuc. to. 1. tract. 3. c. 5. nu. 87. *Suarez. Bonac. Coninch. Filliuc.*

4 *Aliquis non Sacerdos nõ poteſt validè hoc Sacramẽtum miniſtrare.*

Ex quo ſequitur: Neminem aliquem, qui non ſit Sacerdos poſſe validè Sacramentum hoc adminiſtrare, etiam ſi ſit Diaconus, neque in hoc poteſt Summus Pontifex diſpenſare, eò quod non habet poteſtatem diſpenſandi in Diuino iure: Chriſtus enim Dominus ità inſtituit, vt tantummodò Sacerdos poſſit Sacramentum hoc miniſtrare, quapropter ſi à Diacono, ſiuè ab alio non Sacerdote legitimè ordinato aliquando Extrema vnctio adminiſtretur, ipſo facto erit nulla ex defectu poteſtatis: Ità Bart. ab Ang. de Extr. Vnct. Dialog. 3. §. 153. Suarez d. D. 43. ſect. 1. num. 5. Bonac. cum alij ſupra. *Bart. ab Angelo. Suarez. Bonacina.*

5 Iuriſdictio Sacerdotis non eſt neceſſaria.

Secundò ſequitur: Quemlibet Sacerdotem legitimè ordinatum poſſe validè ex vi ordinationis ſuæ adminiſtrare hoc Sacramentum: nam in verbis Apoſtoli nulla fit exceptio, ſed abſolutè dicitur (*Inducat presbyteros Eccleſiæ*) nulla facta mentione iuriſdictionis, & ideò ſi hoc Sacramentum collatum fuerit à ſimplici Sacerdote, etiam quod ſit excommunicatus, ſuſpenſus, ſiuè degradatus, erit validum. Ità Suarez cum alijs locis ſupra citatis.

Suarez.

6 Limitatio. Iuriſdictio requiritur de præcepto.

Aduertendum tamen eſt; Hoc eſſe intelligendum de validitate Sacramenti, non autem de licita adminiſtratione: Non enim cuilibet Sacerdoti licitum eſt hoc Sacramentum miniſtrare, niſi vltra ſacerdotalem characterem habeat iuriſdictionem, quæ ab Eccleſia non fuerit impedita: Quapropter Sacerdos excommunicatus, ſiuè ſuſpenſus, adminiſtrans hoc Sacramentum grauiter peccat, & irregularitatem incurrit: Quando autem non eſt proprius Parochus, vel de ipſius facultate, peccat mortaliter, quia nemo debet mittere falcem in meſſem alienam, ſibique alienam iuriſdictionem vſurpare; Ità Sylu. verbo Extr. Vnctio. nu. 4. Armilla, & Tabien. num. 6. Soto in 4. D. 23. quæſt. 2. A. 1. Coninch. ſupra d. 9. Suarez, Filliuc. & Bonacina locis cit.

Sylu. Armilla. Tabiena. Soto. Coninch. Suarez. Filliuc. Bonac.

7 Regulares incidunt in excommunicationem.

Inſuper dico, quod ſi Sacerdos aliquis Regularium ſine licentia Parochi, vel ſine ſpeciali priuilegio Apoſtolicæ Sedis Sacramentum Extremæ Vnctionis alicui ſæculari adminiſtret, non modo mortaliter peccaret, verùm etiam in Excommunicationem incideret in Clem. 1. de Priuileg. Ità Suarez tom. 5. de Cenſ. Diſput. 22. ſect. 4. Nauarr. lib. 3. Conſ. conſ. 17. num. 4. Reginaldus libr. 18. num. 40. Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 4.

Clement. 1. Suarez. Nauarr. Reginal. Henriq.

8 Limitatio, in neceſſitatis articulo.

Verùm eſt tamen, quod excommunicatio iſta non incurritur à Regularibus adminiſtrantibus hoc Sacramentum in neceſſitate, vel cum ratihabitione Parochi, vt quando infirmus eſt in mortis articulo, & non adeſt Parochus, tunc præſumitur conſenſus, ſiue Parochi, ſiuè Epiſcopi, vel Summi Pontificis. Non enim eſt credibile Eccleſiam velle priuare infirmum in tali periculoſo conflictu tanto Sacramento, quo poſſit ex attrito fieri contritus, & conſequenter ſaluari; Ità Regin. lib. 18. nu. 408. & lib. 28. num. 61. Suarez d. tom 4. Diſp. 43. ſect. 2. nu. 5. Valent. to. 4. D. 8. q. 1. p. 2. Henriq. in Sum. lib. 3. c. 13.

Reginal. Suarez. Valentia. Henriq.

9 Vnus Sacerdos ſufficit per adminiſtratione huius ſacramenti.

Quæritur modò: Quot Sacerdotes requiruntur in adminiſtratione Sacramenti Extremæ Vnctionis?

Reſpondetur: Tantum vnum Sacerdotem vngentem, & ſimul verba formæ proferentem neceſſarium eſſe ad validitatem Sacramenti: ſufficit enim vnus miniſter, vt patet ex generali vſu Eccleſiæ, & poteſtate ſufficiente in vno miniſtro ad applicandam materiam & formam, in quolibet Sacramento: Quapropter Alexander Papa III. de hoc quæſitus Reſpondit: *Vnum Sacerdotem, præſente Clerico, & etiam ſolum, ſi neceſſitas fuerit in caſu, poſſe Sacramentum Extremæ Vnctionis licitè miniſtrare*, quod refertur in Sacris Canonibus: c. Quæſitum de verborum ſignificatione.

Alexander Papa III.

C. Quæſitum.

10 Non obſtant verba Apoſtoli, & quomodo intelligentur.

Nec obſtat auctoritas D. Iacobi dicentis: *Inducat presbyteros Eccleſiæ &c.* Noluit enim Apoſtolus multos Sacerdotes requiri ad conficiendum Sacramentum, ſed ſolum, vel ad comitandum Sanctum oleum, vel orandum pro infirmo, & ideò vocandos eſſe Sacerdotes, vel vnum ex illis, ſumens plurale pro ſingulari, vt ſæpè fieri ſolet in communi modo loquendi: Imò ita vnus eſt ſufficiens, vt niſi aliter poſtulet neceſſitas ab vno, & eodem perficiendum eſt Sacramentum, alioquin eſſet peccatum mortale, quia fieret contra Ritum, & ſtatutum Eccleſiæ in re graui; Ità Suarez Diſput. 43. ſect. 2. numer. 1. Chamerot. tract. 10. de Sacramentis cap. 4. Filliuc. tract. 3. c. 5. num. 91.

Suar. Chamerota. Filliuc.

11 An plures Sacerdotes poſſent ſimul miniſtrare? Hoc quatrupliciter intelligi poteſt.

Secundò Quæritur: An plures Sacerdotes ſimul poſſint licitè, & validè Sacramentum Extremæ Vnctionis miniſtrare?

Sed pro maiori intelligentia huius præſentis quæſiti eſt Notandum: Hoc quatrupliciter poſſe contingere. Primò vt vnus vngat, & alter verba proferat; Secundò quod vnus vngat vnam partem, vel plures partes, ſimul proferendo verba formæ, & alius perficiat reliquas partes: Tertiò vt multi ſimul miniſtrent in diuerſis partibus, & Quartò vt multi ſimul, ſed vnus vnum ex geminis ſenſibus, & alter alterum: Quibus poſitis.

12 1. Modo. Idem Sacerdos, qui vngit debet verba formæ proferre. Patet ex D. Iacob.

Reſpondetur ad Primum, quod ſi plures ſint Sacerdotes ſimul miniſtrantes idem Sacramentum, & in eodem tempore vnus vngat, & alter verba proferat non conficitur Sacramentum, & Ratio eſt, quia ſenſus verborum formæ: (*Per iſtam ſanctam vnctionem*) non cadit ſupra alienam vnctionem, ſed ſupra propriam, & ideo ille, qui vngit debet etiam verba proferre; patet etiam hoc ex alijs verbis euſdem Apoſtoli, dicentis (*Orent ſuper eum, vngentes eum oleo &c.*) idem ergo debet eſſe ille, qui orat, & qui vngit, hoc eſt vngendo oret, & vngat orando, ideſt formam proferendo: Patet etiam hoc inductione facta in omnibus Sacramentis, in quibus idem miniſter, qui applicat materiam profert formam, & talis eſt Ritus totius Eccleſiæ: Ità Suarez d. D. 43. ſect. 2. num. 3.

Suarez.

13 2. Modo. Pluribus vnctionibus à diuerſis Sacerdotibus, & quomodo?

Quò ad ſecundum: Si plures miniſtri fuerint, & vnus faciat vnam, vel plures vnctiones proferendo debitas formas partiales pro qualibet vnctione: alter verò Sacerdos poſtea compleat, quæ defuerunt ad complementum cæterarum vnctionum: Sacramentum erit validum; Et ſi hoc fiat propter legitimam cauſam, erit etiam licitum. Quod ſingulare eſt in hoc Sacramento: quod perficitur plurimis vnctionibus, & formis partialibus: Non enim infirmus priuandus eſt hoc Sacramento, eo quod vnus non poſſit, vel noluit perficere: Non eſt autem perficiendum ab alio iterando eaſdem vnctiones factas, quia tunc eſſet quaſi actus Sacramentalis iterare, & quodammodo iterum eamdem materiam conſecrare, ergo tantummodò fieri debet complendo cæteras, quæ requiruntur ad perfectionem Sacramenti: Ità D. Thom. in 4. Diſt. 23. quæſt. 1. A. 1. q. 2. Riccard. A. 1. quæſt. 1. ad 4. Soto quæſt. 1. A. 1. Syluest. verbo Vnctio Extr. quæſt. 4. Tabiena num. 5. Suarez D. 43. ſect. 2. num. 4. Chamerota tractat. 10. cap. 4. d. 5.

Hoc Sacramentum perfici poteſt à diuerſis miniſtris.

D. Thom. Riccard. Soto. Syluester. Tabiena. Suarez. Chamerota.

14 3. Modo. Quando plures Sacerdotes ſimul vnus vngit vnum ſenſorium, & alius alterũ.

Quò ad Tertium, Quandò plures Sacerdotes, ſimul adminiſtrant Sacramentum in diuerſis ſenſorijs, vnus vngendo oculos, proferendo debitam formam, & alius aures, & alius manus &c. eodem modo quilibet proferendo ſuam propriam formam? Reſpondetur, quod in tali caſu Sacramentum erit validum, & ſi adſit neceſſitas infirmi morientis erit etiam licitum: Nõ enim eſt de Sacramenti ſubſtantia, vt illæ vnctiones ſucceſſiuè fiant ab eodem miniſtro, nam ſicut ordo illarum non eſt ſubſtantialis, neque erit ſucceſſio, ergò validè fiet. Neceſſitas autem excuſat prætermiſſionem rei accidentalis, & ideò in tali caſu neceſſitatis talis modus adminiſtrandi erit licitus: ſine verò neceſſitate tali modo fieri non debet, cum ſit contra vſum Eccleſiæ; Ità Riccard. in 4. D. 23. quæſt. 1. A. 12. Suarez loc. cit. & Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 5. quæſt. 3. num. 94.

Riccardus. Suarez. Filliuc.

15 4. Modo. Vnus Sacerdos vngendo vnum oculũ, & alter alterum.

Quò ad quartum: Si duo Sacerdotes ſimul vngant ambos ſenſus vnius ſenſorij, ideſt vnus vnum oculum, & alius alterum, & ita de reliquis? Reſpondetur: hoc

Digitized by Google

hoc non licere, non enim poteſt eſſe talis neceſſitas, neque ad valorem Sacramenti, qui conuenienter perficitur per ſingulas vnctiones alterius oculi, auris, & cet. Neque ad ſubueniendam neceſſitatem infirmi, quia vnctiones huiuſmodi non citius iſto modo conficiuntur, quam ſi ab vno tantùm, per vnam vnctionem vniuſcuiuſque ſenſorii fieret, imò potius poteſt differri, & non dari, quapropter omninò talis modus erit illicitus, quia probabile eſt in caſu eſſe, vel fore duo Sacramenta: Ità Suarez cum Filliuc. locis ſupra citatis.

Suarez.

16 Quæritur tertiò, quæ ſunt præcepta; & obligationes miniſtri huius Sacramenti?

De obligatione miniſtrandi hoc ſacramentum.

Reſpon. Tria quorum primum eſt reſpectu Parochi, ſiuè alterius curam Animarum habentis tenetur enim Parochus, ſiuè Curatus hoc Sacramentum fidelibus ſuo tempore miniſtrare, nam ratione ſui officij ex iuſtitia oritur talis obligatio, vt ordinaria remedia ſalutis præbeat illa, vid. quæ ſunt in ordinario vſu Eccleſiæ, quandò opportuno tempore requiruntur à fidelibus, ideòque ſi in hoc eſſet negligens, ità vt illud neget, vel notabiliter differat cum periculo infirmi, etiam reſpectu vnius, à peccato mortali non eſſet excuſatus: Ità Coninch D. 19. d. 10. num. 31. Suaréz D. 44 ſect. 2. nu. 1. Nauar. c. 25. num. 131. Filliuc. tomo 1. tract. 3. cap. 5. q. 4. nu. 96.

Parochus tenetur ex officio miniſtrare, vel per ſe, vel per alium.

Coninch. Suar. Nauarr. Filliuc.

17 Quòd idem dicendum eſt de Epiſcopo deficiente Parocho, tenetur enim ſub onere peccati mortiferi, vel prouidere ouibus de alio, vel per ſe ipſum id præſtare, niſi iuſta aliqua cauſa aliquandò excuſaretur; Imò dico maiorem obligationem eſſe Paſtoris Eccleſiæ circa hoc Sacramentum adminiſtrandum, quam ſit alterius Sacerdotis, in prædicto euentu: Ità Suarez d. ſect. 3. nu. 7. Filliuc. nu. 97.

Deficiente Parocho tenebitur Epiſcopus eodem modo.

Suar. Filliuc.

18 Cæteri verò Sacerdotes, non habentes curam Animarum obligari quandòque poſſunt ad hoc Sacramentum miniſtrandum ratione neceſſitatis infirmi in extremo mortis periculò conſtituti; quandò non poſſit haberi præſentia Parochi, quia tunc teneretur Sacerdos ex præcepto charitatis, quandò ſine magno incommodo, vel difficultate id poſſit agere, quia niſi tunc hoc Sacramentum miniſtraretur exponeretur eius ſalus probabili periculo æternæ damnationis, quod quiuis à proximo ſub peccato mortali tenetur auertere; Imò qui id ſine graui incommodo facere poteſt, tenetur ſaltem ſub veniali id ei adminiſtrare, quia aliàs ſine eo eſſet neceſſariò moriturus, etſi extra ordinariè eo non indigeat: Ità Coninch to. 2. D. 19. d. 10. conc. 3. nu. 31. Filliuc. & Suarez ſup.

Cæteri Sacerdotes tenentur ex præcepto charitatis.

Quando eſſet peccatum veniale.

Coninch. Suar. Filliuc.

19 Sed Difficultas, & controuerſia magna eſt inter Theologos: An Parochus teneatur tempore peſtis cũ periculo propriæ vitæ Extremæ Vnctionis Sacramentum indigentibus miniſtrare?

An Parochus teneatur tempore peſtis miniſtrare? Prima ſententia affirmatiua.

Reſpondetur in hac re Tres eſſe Opiniones, quarum prima eſt affirmatiua; Abſolutè enim dicit: Teneri Parochum tempore peſtis etiam cum periculo propriæ vitæ Sacramentum hoc ouibus ſuis indigentibus miniſtrare, vt ſuo muneri ſatisfaciat, ad hoc .n. obligatur non ſolùm lege charitatis, ſed etiam iuſtitiæ: plus enim tenetur Curatus in hoc caſu, quam alius ſimplex Sacerdos: propterea enim toto anni tempore alitur à fidelibus, & ſtipendium accipit, vt his temporibus maximè neceſſariis ſubueniat indigentibus ſpiritualia remedia, etiam quod ſe exponat alicui periculo vitæ propriæ: tale enim pactum tacitè videtur incluſum inter Parochum, & ſubditos. Ità Nugn. in 3. p. tom. 2. quæſt. 33. A. 3. diffic. 2. Syluius in 3. p. qu. 32. A. 3. & alii, quos citat Suarez to. 4. D. 44. ſect. 3. nu. 6. ad quam opinionem videtur inclinaſſe, & talem opinionem probabilem eſſe exiſtimat.

Nugn. Syluius. Suar. inclinat.

20 Secunda Opinio eſt Negatiua, abſolutè dicens; Parochum non teneri Sacramentum Extremæ Vnctionis miniſtrare tempore peſtis cum manifeſto periculo propriæ vitæ, & Ratio iſtorum eſt, quia Sacramentum hoc non eſt ad ſalutem neceſſarium, ſed tantùm vtile, & ideò non cadit ſub præcepto: Ità Nauarr. in Man. cap. 24. num. 10. & cap. 25. num. 133. Molfeſius in ſum. tom. 1. tract. 4. cap. 3. num. 51. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 10. diffic. 6. num. 7. & Diana in 3. p. tract. 4. de Extr. Vnctione Reſol. 176.

2. Sententia negatiua.

Nauarr. Molfeſius. Villalobos. Diana.

21 Tertia opinio eſt media, dicit enim Parochos, ſiuè Curatos eſſe obligatos tempore peſtis hoc Sacramẽtum ſuis ouibus miniſtrare, ſi id præſtare poſſint ſine vitæ periculo: Vndè pro vitando tali periculo adhibere debet remedia omnia poſſibilia, vt ſine periculo vitæ ſacramenta fidelibus ſuis adminiſtret. Quapropter in his caſibus non eſt expectandus vltimus terminus infirmitatis, ſed in principio morbi poterit ſtatim Extremam Vnctionem cum reliquis Sacramentis miniſtrare, eò quod talis morbus etiam à principio ſemper eſt periculoſus. Et ideò ſi commodè poteſt, faciat ponere infirmum in loco puro, & libero, præparando ſe præſeruatiuis remediis, & poterit Extremam vnctionem miniſtrare de longiquo cum virga oblonga, verè tamen oleo ſancto intincta, ità vt perficiatur vnctio neceſſaria: Peracta autem vnctione Virgam huiuſmodi diligentiſſimè abſtergat, & in ſimilem vſum conſeruabit propter Sacramenti reuerentiam honeſto loco collocet, vel igne comburat: Ità Suarez d. D. 44. ſect. 3. num. 20. Armilla in Verbo Epiſcopus nom. 6. Tabien. nu. 5. quantum admodum Virgæ; concordat Syluius, Coninch, & Diana loco citato.

3. Sententia media.

Modus miniſtrandi ſine periculo infectionis. Tempore peſtis in principio infirmitatis dantur omnia ſacramenta.

Poteſt fieri vnctio virga oblonga, intincta oleo Sancto.

Suar. Armilla. Tabiena. Coninch. Syluius. Diana.

22 Dicimus etiam poſſe in ſimili caſu ad euitandum periculum Sacerdos breuiſſimo motu vngere quinque organa ſenſuum, leniendo velociter vnum oculum, vnam aurem, narem, os, & vnam manum non expectato ſigno Crucis, quod non eſt de neceſſitate, & ſuper hanc totam vnctionem vnam formam totalem proferendo, quæ omnes quinque, quò ad ſenſum comprehendat, dicendo: *Per has ſacras vnctiones, & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.* Nam hoc modo miniſtrando Sacramentum, videtur tam breui tempore perfici poſſe, vt cuiuslibet neceſſitati moraliter occurrenti ſufficienter ſubueniatur: Ità Zambranus de caſibus temp. mort. cap. 5. num. 9. Coninch tom. 2. D. 19. d. 3. nu. 9. & 12. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. nu. 3. Victorellus de Extr. Vnct. fol. 66. Suarez D. 41. ſect. 3. n. 7. quos nouiſſimè ſequitur P. Diana p. 3. tr. 4. de Extr. Vnct. Reſol. 168.

Alius modus facilis, & breuis vnico actu omnia perficiendo.

Zambranus. Coninch. Layman. Victorellus. Suar. Diana.

23 Verum eſt tamen, quod talis modus abſque maxima neceſſitate non eſt faciendus, cum ſit contra communem vſum receptum Eccleſiæ, & ſecurius eſt conſuetum modum ſeruare; In neceſſitate autem propter periculum contagij, vel quia vrgens periculum eſt, ne infirmus ante perfectionem omnium Vnctionum è vita diſcedat, tunc in tali caſu licitum erit tali modo Extremam Vnctionem miniſtrare, ſaltem ſub conditione mente concepta, quia tunc nulla iniuria fieret Sacramento: Ità Suarez cum omnibus ſupradictis.

Hoc ſolum permittitur tempore neceſſitatis vrgentis.

Suar.

24 Concludimus tandem, quod ſi mortis periculum omninò vitari non poſſet, ne Parochus ſine neceſſitate infirmitate Inficiatur, probabiliter credendum eſt, non teneri Parochum hoc Sacramentum miniſtrare, eò quod non eſt Sacramentum admodum neceſſarium ad ſalutem, cùm poſſit infirmus mediante Confeſſione, & Viatico ſaluari etiam ſine hoc Sacramento:

Concluſio.

Tenc-

Filliuc. Suar.

Tenebitur tamen (vt dixi) tentare omnia media poſſibilia, & conuenientia, vt etiam tale Sacramentum ſine periculo vitæ adminiſtret: Ità Filliucius to. 1. trac. 3. c. 5. nu. 110. Suarez, & alij.

25 Miniſter tenetur eſſe in gratia quando adminiſtrat.

Quò ad alias duas obligationes miniſtri huius Sacramenti in quæſito 3. num. 16. propoſitas, breuiter reſpondendo dicimus: Sacerdotem adminiſtrantem hoc Sacramentum debere eſſe in gratia, ſaltem pee actum contritionis elicitum, ſaltem exiſtimatæ, vt ſancta ſanctè pertractet, ne ſacrilegii peccatum committat: Si autem eſſet aliquo vinculo excommunicationis, ſiuè alterius cenſuræ adſtrictus debet alteri Sacerdoti vices ſuas committere, permittendo, vt alii in eo caſu Sacramentum conferant: Si verò non adſit alius Sacerdos, quamuis probabile ſit in tali caſu Eccleſiam nolle prohibere vſum Ordinis cum tanto diſcrimine infirmi, probabilius tamen eſt etiam prohibere: nam tempore interdicti, hoc non permittit: Ità Suarez, & Filliuc. ſupra num. 97. cum aliis, ſupra citatis.

Quandò eſſet excommunicatus, quid faciendum?

Suar. Filliuc.

26 Tenetur miniſtrare dignis, & capacibus cum debitis Cæremonijs.

Tertiò tandem tenetur Sacerdos, ne tale Sacramentum adminiſtret, niſi illis, qui ſunt ſufficienter diſpoſiti, vt ſint capaces ad licitè tale Sacramentum ſuſcipiendum, de qua diſpoſitione dicetur in ſequenti capitulo: ſimiliter etiam ſeruare debet Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, iuxta Rituale Romanum, vt vid. ſit indutus ſacris veſtibus, ſaltem cum ſtola, & ſuperelio, habeat ſaltem vnum clericum reſpondentem cum Cruce, & lumine accenſo propter Sacramenti reuerentiam, vt dicetur.

27 Dubium: An incurrat irregularitatem, ſi ſit cauſa mortis infirmi. Reſolutio eſt negatiua.

Vltimò tandem Queritur: An Sacerdos incurrat irregularitatem, ſi ægrotus ex hac vita decedat, dum Sacerdos curat illum reuolui ad vnctionem faciendam?

Reſpondetur Negatiuè. Et ratio huius eſt, quia in caſu Sacerdos nullum committit delictum: Irregularitas autem non incurritur, niſi propter delictum, neque talis irregularitas eſt aliquo modo in iure expreſſa ideò, &c. Ità Soto libro 5. de iuſt. & iure qu. 1. A. 9. Poſſeuin. de Offic. Cur. cap. 9. nu. 17. & Bonacina D. 7. p. 4. num. 10.

Soto. Poſſeuinus. Bonac.

DE SVBIECTO SACRAMENTI Extremæ Vnctionis.

CAP. V.

1 1. Aſſertio de ſubiecto capaci huius Sacramenti.

SVpponimus primò tanquam rem ſatis certam, & indubitatam, ſubiectum capax Sacramenti Extremæ vnctionis eſſe Hominem viatorem, fidelem, baptizatum, habentem vſum rationis vel ſaltem, quod ſemel vſum rationis habuiſſet, & in periculo mortis exiſtentem ex infirmitate prouenientis: Ità enim docent omnes Theologi in 4. ſentent. D. 23. vt D. Thom. qu. 2. A. 2. & Soto ibi, Conіnch. tom. 2. D. 19. d. 7. nu. 22. Filliuc. to. 1. tract. 3. cap. 6. num. 101. & eſt doctrina Conciliorum Florent. in Inſtruct. Armen. & Trid. ſeſſ. 14. c. 2. & 3.

D. Thom. Soto. Coninch. Filliuc. Conc. Floręt. & Trident.

2 Debet eſſe homo viator.

Dixi primò (*Hominem viatorem*) vt poſſit eſſe Sacramenti capax, qui enim non eſt viator ideſt in hac vita degens non poteſt eſſe aliquo modo Sacramenti capax: ſacramenta enim pro hominibus viatoribus inſtituta ſunt, qui ſunt gratiæ, & augmenti eius capaces, & non pro illis, qui ſunt in termino, vt patet ex doctrina Sacramentorum in genere ſecundùm omnes Theologos; quàpropter ſi infirmus ex hac vita migrauit, Cadauer illius nullo modo ſacra vnctione eſt vngendum, quia tunc nullum fieret Sacramētum, eò quod Cadauer Sacramenti effectus capax eſſe non poteſt, neque anima ſeparata, cum iam ſit in termino, ideò, &c.

Mortuus nō eſt capax huius Sacramēti.

3 Si infirmus moriatur ante perfectionem Sacramenti.

Ex quo ſequitur, quod ſi infirmus dum vngitur ſacro oleo à Sacerdote, anima illius è corpore exhalet, ſtatim miniſter ceſſare debet ab aliis vnctionibus faciendis, ne Sacramentum conferat ſubiecto incapaci, cum iniuria Sacramenti: Ità communiter omnes: vt Syloeſt. verb. Vnct. Extr. num. 5. Armil. num. 7. Tab. nu. 8. D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 15. §. 6. & omnes Doctores ſupra citati.

Syloeſt. Armil. Tabiena. D. Anton.

4 Quandò eſt dubium an realiter ſit mortuus, quid faciendum?

Si verò dubium ſit, an verè, & realiter infirmus ſit mortuus, nec poterit veritas de facili, & omninò explorari, & timetur, nedum veritas exploretur, infirmus verè moriatur: Tunc in caſu Sacerdos dare poteſt, & debet Sacramentum hoc ſub cōditione ſaltem mente concepta: *Si non es mortuus &c. Per iſtam Sanctam vnctionem, &c.* quia tunc per talem conditionalem adiunctam omne periculum tollitur, tam irrogandi iniuriam Sacramento, quàm priuandi proximum magno illo ſubſidio, & remedio ſalutari, mediante quo poterit ſaluari, quod ſecus forſitan damnaretur. Ità Bonac. d. tom. 1. D. 7. p. 5. nu. 9. Poſſeu. de Off. Cur. c. 9. nu. 19. Em. Sà ver. Extr. vnct. nu. 15. Vict. in ſum. n. 221. Suar. D. 42. ſect. 1. Filliuc. d. tr. 3. c. 6. q. 6. nu. 101. & alii.

Bonac. Poſſeuinus. Em. sà Victoria. Suar. Filliuc.

5 2. Debet eſſe baptizatus.

Dixi ſecundo, (*fidelem baptizatum*) Nullus enim, qui non ſit per aquam Baptiſmi in verbo vitæ regeneratus alicuius Sacramenti poteſt eſſe capax, eò quod Baptiſmi Sacramentum eſt omnium Sacramentorum ianua, cuius character ſe habet, vt potentia paſſiua, ad cætera Sacramenta recipienda; quare ſi conferantur Sacramenta homini non baptizato ipſo facto erūt irrita, & nulla, nulliuſque valoris, & taliter adminiſtrans erit ſacrilegus: Ità communiter omnes: vt Suarez d. D. 42. ſect. 1. & 2. Coninch. D. 19. d. 7. concl. 1. & Ratio principalis Sacramenti huius eſt, quia Extrema vnctio eſt Sacramenti Pœnitentiæ conſummatio, pro vt dicit Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. ideò ſupponit vitam inchoatam in Baptiſmo: Ità Filliuc. d. tract. 3. ca. 6. num. 101.

Suar. Coninch.

Conc. Trid. Filliuc.

6 Tertiò debet eſſe capax vſu rationis.

Dixi tertiò (*Habens vſum rationis*) quia Sacramentum hoc tantummodò dari poteſt illis, qui ad vſum rationis peruenerunt, vel ſaltem aliquandò habuerunt, ſi fortè tūc non habeant propter phrænefim, ſiuè amentiam; Quàpropter infantes, & perpetuo amentes, qui nunquā habuerunt rationis vſum, non poſſunt eſſe Sacramenti huius capaces, alioquin falſa redderetur Sacramenti huius forma, in qua dicitur: (*Quicquid deliquiſti, &c.*) conſtat enim eos, qui nunquam rationis vſum habuerunt non deliquiſſe, nec potuiſſe peccare: non enim eſt peccatum ſine rationali voluntate, & ideò infantes, & perpetuò amentes non poſſunt eſſe huius Sacramenti capaces, quod eſt conſummatiuum Pœnitentiæ: vt dicit Trid. ſupra citatum.

Infantes, & perpetuò amentes ſunt incapaces.

7 Sufficit aliquandò habuiſſe vſum rationis.

Dixi etiam quartò (*Vel ſaltem vſum rationis aliquandò habuiſſet*) quia ſi aliquandò vſum rationis habuit, & peccare poterit, erit capax Sacramenti huius, modò conſenſum aliquem, vel formaliter, vel virtualiter, vel ſaltem interpretatiuum aliquandò habuiſſet, dum eſſet mentis compos, vel quia oſtendit ſigna pœnitentiæ, & deuotionis; vel ſaltem præſumitur probabiliter eſſe diſpoſitus, ſemper enim ità eſt præſumendū, quoties contrarium non conſtet: Ità Nauarr. in Manu. c. 22. nu. 13. D. Ant. 3. p. tit. 11. c. 8. §. 3. Bonac. tom. 1. D. 7. p. 5. num. 2. Suarez D. 42. ſect. 1. num. 6. Filliuc. d. tract. 3. c. 6. q. 6. nu. 101. & omnes Theologi in 4. diſt. 23. Soto, Palud, & Ledeſma.

Nauarr. D. Anton. Bonac. Suar. Filliuc. Soto. Palud. Ledeſma.

8 Debet eſſe Infirmus in extremis.

Dixi quintò (*Infirmus in periculo mortis exiſtens.*) Non enim omnis homo viator, baptizatus, & habens

vſum

vſum rationis poterit hoc Sacramentum ſuſcipere, niſi ſit in vltima neceſſitate poſitus, qualis eſt grauis, & periculoſa infirmitas, ille ergò eſt huius Sacramenti capax, qui corporali infirmitate eſt infirmus, & in eo ſtatu, vt vita eius probabiliter iudicio medicorum periclitetur; Quapropter dicit D. Iacobus: *Infirmetur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, &c.* Et ideò qui non eſt talis non poterit Sacra vnctione Sacramentaliter vngi; & ideò Concil. Florent. dixit: *Hoc Sacramentum niſi infirmis dari non debet*, & Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. expreſsè declarauit dicens: *Extremam vnctionem infirmis tantum adhibendam eſſe, illis præſertim; qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur. Vndè & Sacramentum exeuntium nuncupatur:* Ità Coninch. d. D. 19 d. 7. concl. 3. num. 24. Filliuc. d. tract. 3. c. 6. q. 7. nu. 102. Bonac. to. D. 8. p. 5. nu. 1. cum omnibus Theologis in 4. D. 23.

Infirmitate corporali periculoſa.
D. Iacobus.
Concil. Flor. Concil. Trid.
Coninch. Filliuc. Bona.

9 Probatur ratione, & congruentia.

Patet hoc ex fine inſtituentis tale Sacramentum: eſt enim Extrema Vnctio inſtituta tamquam vltimũ remedium hominum infirmorum, qui in grauiſſimo mortis periculo inueniuntur, & vt minimum requirit hominem ità decumbentem, vt ex tali morbo mors moraliter, & probabiliter ſaltem remotè timeri poſſit, vel quantum ex natura talis morbi in tali ſubiecto. Patet etiam ex forma verborum huius Sacramenti, ideò enim datur ſub forma deprecatiua, vt oſtendatur ſuſcipientem eſſe debere in aliqua neceſſitate graui, vtique infirmitate corporis periculoſa: vt pluribus probant Suarez, & Filliuc. cum alijs, locis ſupra citatis.

Suar. Filliuc.

10 Aduertentia. Non debet eſſe infirmus totaliter deſtitutus ſenſibus.

Non eſt tamen expectandum, vt iam infirmus notabiliter ſenſu, & cognitione careat, neque etiam, vt infirmus ſit in tali ſtatu, vt non poſſit amplius naturaliter viuere, niſi per miraculum: nam primum eſſet contra vtilitatem, & Sacramenti reuerentiam, ſecundum autem eſſet contra ſecundarium finem Sacramenti huius, qui eſt ſanitas corporis, quandò eſt expediens pro ſalute Animæ: quamuis enim Sacramentum hoc poſſet etiam miraculosè in extremis cõferre ſanitatem, non eſt tamen conſentaneum tentare Deum ad facienda miracula, & ideò non eſt expectandum extremum vitæ periculum, quandò ægrotus de proximo videtur moriturus, ſed dari poteſt, & debet, quandò infirmus adhuc eſt integris ſenſibus, vt maiori cum deuotione, & fructu hoc Sacramẽtum ſuſcipiat: Quare fit aliqua iniuria Sacramento, ſi differatur eius collatio, quandò ægrotus eſt penè ſenſibus deſtitutus, tunc enim ſine deuotione ſuſcipitur, & ideò tempus poteſt præueniri, & ſufficit, quod infirmitas ſit periculoſa de qua probabiliter timeatur mors: Ità Pirigianus in 4. D. 23. tom. 2. quæſt. vnic. A. 5 quæſt. 4. Coninch. D. 19. d. 7. num. 24. Henriquez in ſumm. lib. 3. cap. 11. num. 3. Bonacina D. 7. p. 5. num. 7. Poſſeuinus de Officio Curati cap. 9. num. 5. Filliuccius tract. 3. cap. 6. num. 107. & Pater Diana p. 3. de Extr. vnct. tract. 4. reſol. 173.

Non eſt tentandus Deus ad facienda miracula.
Quandò hoc Sacramentũ infirmo poterit licitè miniſtrari.
Pirigianus. Coninch. Henriq. Bonac. Poſſeu. Filliuc. Diana.

11 Illis, qui non laborãt periculoſa infirmitate non eſt hoc Sacramentum dandum.

Aduertendum tamen eſt Sacramentum hoc non eſſe miniſtrandum ijs, qui non laborant periculoſa infirmitate, licèt in magno vitæ periculo verſentur, & ideò ſi conferatur ſano, vel alicui infirmo, ſimpliciter, de quo non timeatur probabiliter mors inualidum eſſet Sacramentum, ſecundùm probabiliorem Doctorum ſententiam, nam Sacramentum hoc tantummodò confertur ægrotis de vita periclitantibus, & ob id appellatur; vltimum remedium, & extrema vnctio; quod etiam patet ex verbis D. Iacobi dicentis, *Et oratio fidei ſaluabit infirmum*, vtique in periculo mortis exiſtentem: Vndè Græca littera legit: *Κάμνοντα* id eſt deficientem, aut penè morientem: Ità Filliucius d. tract. 3. cap. 6. quæſt. 7. num. 103. Suarez D. 42. ſect. 2. num. 4. Bonacina D. 7. p. 5. nu. 5. Licèt Coninch. D. 19. d. nu. 25. exiſtimet: aliquandò poſſe eſſe validum, quamuis illicitum.

D. Iacobus.
Filliuc. Suar.
Bonac. Coninch.

12 Damnati ad mortem non ſunt inungẽdi, niſi ſint infirmi.

Ex quo ſequitur: Non eſſe conferendam Extremã vnctionem omnibus, & quibuſcumque in periculo mortis exiſtentibus, vt ſunt nauigantes in mari cum periculo vitæ, intrantes bellum periculoſum, aut illis, qui ſtatim ſunt ſuſpendendi, vel damnati ad mortem, parturientes, aut huiuſmodi, niſi ſint actu infirmi, de qua infirmitate probabiliter timeatur mors: Ità Filliucius d. tract. 3. cap 6. num. 102. Henriq. libr. 3. de Extr. Vnct. cap. 11. Bellarmin. de Extr. Vnctio. cap. 9. Bonac. D. 7. p. 5. nu. 4. Syluest. Verb. Extrem. Vnct. q. 5. Nauar. c. 22. nu. 13.

Filliuc. Henriq. Bellarm. Bonac. Syluest. Nauarr.

13 Senes in vltimo extremo ſine alia infirmitate ſũt capaces.

Verum eſt tamen Sacramentũ Extremę Vnctionis poſſe licitè conferri ſenibus, qui ſenectute conficiuntur, & propter debilitatem naturæ ſunt in manifeſto mortis periculo abſque alia infirmitate: nam ſenectus ipſa eſt morbus: ſic etiam dicimus conferri poſſe omnibus, & ſingulis morti propinquis propter vulnera, vel morſum Viperæ, ſiuè Aſpidis, ſiuè alterius venenoſi animalis, vel rabidum morſum (ſed in caſu attẽdat miniſtrãs Sacramentum, ne rabidi hominis ſputũ, vel ſaliuam attingat, nam attingentem afficit) ſimiliter etiam dicimus de illis, qui veneno aliquo mortifero ſunt venenati, & huiuſmodi. quia habent intra ſe cauſam proximam mortis, & exiſtimantur re vera infirmi, vndequaque orta ſit talis infirmitas: etiam ex partu, quandò periculum vitæ parturientis fundatur in aliqua actuali ægritudine, vt quia iam cœpit habere acerbiſſimos dolores, ex quibus iudicio Medicorum appareat probabiliter periculum mortis: Quamuis in communi periculo partus abſque infirmitate non ſit parturiens capax huius Sacramenti: Ità Filliuc. d. tr. 3. & Bonac. loc. cit. Quibus addo Suar. D. 42. ſect. 2. Naldum Verbo Extr. Vnct. nu. 42. Armillam n. 6. Tabien. nu. 5. & alios.

Venenati, & vulnerati.
Parturientes quãdo poſſit recipere hoc ſacramentũ.
Filliuc. Bonac. Suar. Naldus. Armilla. Tabiena.

14 An requiratur ſubiectũ aliquandò peccaſſe ſaltem venialiter?

Sed quæritur modò: An ſolus ille, qui actualiter aliquandò peccauit, ſit capax huius ſacramenti: Et ratio dubitandi eſt, quia in verbis formæ dicitur: *Remittat tibi Deus quicquid peccaſti*, ergò vt ſubiectum ſit huius Sacramẽti capax ſupponit aliquod peccatum, ſaltem veniale poſt Baptiſmum commiſiſſe, & ideò propter hanc præcipuè cauſam pueri, & perpetuò amẽtes non ſunt Extremæ vnctionis capaces, qui cùm nõ ſint doli, & peccati actualis capaces non poteſt in illis veritas formæ applicari. Ità Nugnus in addit. 3. p. to. 2. A. 2. diffic. 2. & Sancius in ſelect. D. 27. num. 18. vbi ſic aſſerit: *Ego recenti baptizato Vnctionem miniſtrandam non conſiderem, niſi nouum poſt Baptiſmum peccatum admiſiſſe conſtaret.*

P. opinio. Nugnus. Io. Sancius.

15 2. Sententia eſt negatiua. Sufficit ſubiectũ potuiſſe peccare.

His tamen non obſtantibus, reſolutoriè reſpondendo dicimus: Extremæ vnctionis Sacramentum licitè dari poſſe etiam illi, qui nunquam actualiter peccauit, cùm tantùm ſufficiat, vt ſubiectum potuerit peccare: Et ratio huius eſt, quia peccatum actuale non eſt materia, neque remota Sacramenti huius, ſicuti eſt in Sacramento Penitentię: ergò quamuis nullum præceſſerit actuale peccatum poterit forma Sacramẽti applicari ſupra debitam materiam, quæ eſt vnctio ſacri olei in ſubiecto capace, ideò ſunt omnia requiſita ad eſsẽtia Sacramenti, idemque Sacramentum poteſt conferre effectum ſuum principale, qui eſt confortatio, & alleuiatio contra pericula mortis, & augmentum gratiæ: Neque .n. ex verbis D. Iacobi colligitur talis neceſſitas, Cùm dicat: *Si in peccatis ſit dimittentur ei*, quæ eſt propoſitio conditionata, quæ nihil ponit in eſſe: Vndè, & verba formæ intelliguntur conditionaliter, ſiuè potentialiter, iuxta dictum Apoſtoli, id eſt: *Indulgeat tibi Deus ſi quid peccaſti, ſeu quidquid ſoles per viſum, &c.*

Ratio iſtius ſententiæ.
D. Iacobus.
Propoſitio conditionata nihil ponit in eſſe.
Finis huius ſacramẽti eſt roborare infirmum.

&c. peccari: Neque ex fine aliquid colligitur, quia vnus ex principalibus finibus huius Sacramenti eſt roborare infirmum in illo articulo contra Dæmonis inſidias, & vngere athletam ad pugnam, quo ſubſidio indiget etiam ille infirmus, qui nunquam actualiter peccauit: Ità Suarez to. 4. D. 42. ſect. 2. n. 8. D. Bonau. in 4. D. 23. p. 2. A. 1. q. 21. Rich. A. 2. q. 4. Filliuc. tr. 3. c. 6. q. 8. nu. 108. Vigoer. in Inſt. c. 16. §. 4. Bonac. to. 1. D. 7. p. 5. nu. 13. Henriq. in ſum. lib. 3. c. 8. n. 4. & c. 11. n. 8. Coninch. Diſp. 19. d. 7. n. 23.

Suarez. D. Bonau. Richard. Filliuc. Vigoerius. Bonac. Henriq. Coninch.

16 Confirmatur autem noſtra concluſio ex communi Theologorum conſenſu, dicentium, quod: Si quis adultus in graui morbo, & in fine vitæ baptizetur, & viaticum ſuſcipiat licitè poteſt, & debet Sacramentum Extremæ Vnctionis illi adminiſtrari, etiam ſi nullum peccatum actuale poſt ſuſceptum Baptiſmum cõmiſiſſet: ergò actuale peccatum non eſt de neceſſitate in ſubiecto Sacramenti huius. Quod idem dicendum eſt de eo, qui per priuilegium, & gratiam ſpecialem nullum vnquam peccatum commiſiſſet, eò quod in maternis fuiſſet ſanctificatus, atque in gratia confirmatus: eſſet tamen in morte huius Sacramẽti capax, quia naturaliter poterat peccare: Ità Zambranus de caſib. temp. mort. cap. 5. d. 3. nu. 6. Ledeſm. in ſum. to. 1. de Extr. vnct. c. 6. Conc. 7. Naldus in ſumm. Verb. Extr. Vnct. nu. 9. Poſſeuin. de offic. curat. c. 9. num. 4. cum omnibus ſup. cit. quos ſequitur nouiſſimè Diana 3. p. tract. 4. de Extr. Vnct. Reſol. 172.

Statim baptizatus eſt capax vnctionis extremæ.

Confirmatus in gratia, & ſanctificatus in vtero eſt etiam capax.

Zambra. Ledeſm. Nald. Poſſeuin. Diana.

17 Confirmatur inſuper ſecundò: Nam ipſa Beatiſſima Virgo Dei Mater, licèt præſeruata fuiſſet ab originali peccato, & numquam peccatum aliquod quãtumcunque leuiſſimum commiſiſſet toto tempore vitæ ſuæ, tamen in morte ſua fuit capax huius Sacramenti, ſicut etiam fuit à ſuo dulciſſimo filio baptizata, vt dictum eſt ſupra in tractatu primo de Baptiſmo c. 3. num. 4. Imò ſecundùm probabiliorem ſentẽtiam plurimorum Doctorum etiam de facto Sacramẽtum Extremæ vnctionis in fine vitæ per manus Apoſtolorum ſuſcepit: prout dicunt Henriq. in ſum. lib. 3. c. 11. nu. 7. Albert. Magn. de Laudib. B. V. c. 72. 74. & 81. D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 8. Bernard. de Buſto in Marial. 4. p. principali ſerm. 11. p. 3. Suarez in 3. p. D. Tho. D. 18. to. 1. ſect. 3. & to. 4. D. 42. ſect. 2. nu. 11. Filliuc. to. 1. tract. 3. c. 6. q. 8. nu. 108. cum aliis ab ipſis citatis.

B. V. fuit capax huius ſacramenti.

Recepit per manus Apoſtolorum. Henriq. Alber. Mag. D. Anton. Buſtus. Suarez. Filliuc.

18 Nec valet dicere: Mater Dei ſemper ab inſtanti ſuæ conceptionis Immaculatæ fuit immunis ab omni labe peccati, ergò non potuit Sacramentum Extremæ Vnctionis recipere, quod eſt Sacramenti Pœnitentiæ conſummatiuum?

Obiectio. Solutio.

Reſpondetur enim Non eſſe parem rationem: nam Pœnitentia neceſſariò ſupponit materiam, quod eſt peccatum actuale, quod non ſupponit Extrema Vnctio: Et quamuis Virgo Beatiſſima per gratiam præſeruantem numquam peccauerit, tamen ex vi originis ſuæ non erat impeccabilis per naturam: quàpropter erat etiam naturaliter capax gratiæ expulſiuæ peccati ſi adeſſet, & auxilii confortantis per augmentum gratiæ virtute Sacramenti: Vndè etiam forma illi poterat veraciter applicari, dicendo: *Indulgeat tibi Deus, ideſt confortet te Deus per infuſionem, & augmentum gratiæ expulſiua omnis culpæ, ſi adeſſet, & confortantis contra reliquias eius, ſi neceſſe ſit:* Et ità potuit virtute huius Sacramenti participare vigorem contra natiuam corporis debilitatem, & contra tædium mœroremque animi ex morbo, aut ſenio prouenientem, quos defectus ex peccato non ſuo, ſed primi parentis, tanquam ex cauſa, radiceque contraxit: Nec illa tam ſenio, quam dulci morbo vitam finiuit: Hæc Henriq. Suarez. & Filliucius cum aliis ſupra citatis.

Differentia inter Pœnitentiam, & extremam vnctionem.

Forma Sacramenti quomodò adaptetur B. V. M.

Henriq. Suar. Filliuc.

19 Sed maius dubium eſt: Quomodò Beatiſſima Virgo potuerit Extremam Vnctionem ſuſcipere ex eo, quod non creditur corporaliter ægrotaſſe, neque ex propria aliqua infirmitate ex hac vita migraſſe?

Difficultas.

An B. V. defeciſſet infirmitate corporali? Reſolutio.

Reſpondetur tamen, quod licèt ipſa Beata Virgo non fuerit paſſa infirmitatem prouenientem ex inordinatione humorum, tamen credibile eſt in fine vitæ habuiſſe quamdam corporis debilitatem ab intrinſeco prouenientem, quæ ad eum ſtatum peruenit, vt in corpore ipſius anima conſeruari amplius naturaliter non poſſet; atque hęc diſpoſitio fuit ſufficiens infirmitas corporis ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum: Sicut ſi quis ſimili ætate confectus, ex ipſius naturæ defectu abſque alia infirmitate deficeret, erit capax Extremæ Vnctionis, vt iam dictum eſt ſupra, ità etiam dicendum eſt de Beata Virgine: Ità Suarez d. tom. 4. Diſp. 42. ſect. 2. nu. 11. in fine.

Exemplũ de ſenibus, &c.

Suar.

Quæritur ſecundò: An Sacramentum Extremę vnctionis ſit iterabile in eadem infirmitate? 20

Quæſtio 2.

Reſpondetur, quod licèt Sacramentum Extremæ vnctionis in eadem infirmitate, ſeu in eodem ſtatu infirmitatis iterari nõ poſſit, cum ſemel ſuſcepta ſit medicina ſufficiens ad conferendum effectum, quo infirmus indiget: Nihilominus ſi ſtatus infirmitatis mutetur poteſt iterari: Itàque ſi exiſtens in periculo mortis recepit Vnctionem extremam, & deindè per aliquos dies euaſit mortis periculum, vt ſi per menſem conualuerit, & euaſerit periculum illius mortis, poteſt iterum recipere hoc ſacramẽtum, ſi incidat in aliud graue periculum mortis, Et ratio huius eſt, quia in hoc ſacramento non imprimitur character indelebilis ratione cuius reddatur irreiterabile: Ità cõmuniter docent omnes Theologi in 4. Diſt. 23. & D. Tho. in addit. 3. p. q. 33. Soto D. 23. q. 2. Art. 3. Coninch. D. 19. d. 8. n. 26. Henriq. in ſum. lib. 3. c. 9. n. 4. Victoria in ſum. nu. 224. Sylu. Verb. Vnctio Extr. nu. 8. Armilla n. 9. Suar. D. 41. in fine Bonac. D. 7. p. 6. nu. 4. Poſſeuin. de Off. Cur. cap. 9. n. 18.

An hoc ſacramentum ſit in eadem infirmitate reiterabile. Reſolutio.

D. Thom. Soto. Coninch. Henriq. Victor. Sylu. Armilla. Suarez. Bonac. Poſſeuin.

Tertiò tandem quæritur: Quæ partes corporis ſint proximum ſubiectum huius Sacramenti? 21

Quæſitum 3. Quæ partes corporis ſint vngendæ.

Reſpondetur breuiter: Quinque partes ſenſus corporis, in quibus vigent, quinque ſenſus determinatè eſſe vngendas, quia in quinque illis ſenſibus eſt origo omnium peccatorum cũ nihil poſſit eſſe in intellectu, & voluntate, quin prius fuerit in ſenſu: & ideò huiuſmodi partes ſunt eſſentiales, vt patet ex determinatione Conciliorum, & communi conſenſu totius Eccleſiæ: & quamuis Concilium Florentinũ præter quinque ſenſus vngendos enumeret etiam renes, & pedes, non tamen iſtę duæ ſunt de eſſentia, nam Florentinum Concilium voluit aſſerere omnes has partes eſſe vngẽdas, non de neceſſitate, ſed iuxta loci conſuetudinem: Vndè vnctio renum in fęminis propter honeſtatem eſt omittenda: Ità Bonac. D. 7. p. 5. num. 16. cum aliis ab ipſo citatis.

Concil. Flor.

Vnctio renũ non eſt de eſſentia.

Bonac.

Si verò contingat in infirmo vngendo deeſſe organum alicuius ſenſus, vt oculos, aures, &cet. Tunc vngenda eſt pars magis propinqua: Vndè in quatuor quidem primis vix poteſt accidere difficultas; vt ſaltem non maneat in facie ſitus ille corporis, in quo ſolet talis ſenſus reſidere, & tunc in caſu illa pars erit vngenda: Tactus autem etiam ſi diſperſus ſit per totum corpus: Vſus tamen Eccleſiæ habet, vt fiat in manibus: His autem deficientibus fiat in parte brachii manui proxima, vel ſi brachium deſit, in ea, quæ eſt proxima brachio, & quaſi fundamentum manus facienda eſt: Ità D. Thom. in 4. D. 23. A. 3. quæſtio. 3. Soto quæſt. 2. A. 3. Pitigian. A. 6. d. 5. Sylueſt. Verb. Extr. Vnct. num. 9. Angel. num. 5. Filliuc. tract. 3. cap. 6. qu. 9. num. 111. & Bonac. D. 7. p. 5. num. 17. Et hæc de ſubiecto Sacramenti huius dicta ſufficiant: De diſpoſi- 22

Quando deeſt pars corporis ſenſorii, quid faciendum?

Quando caret manibus, & brachiis, quid faciendum?

D. Thom. Soto. Pitig. Syklueſt. Angelus. Filliuc. Bonac.

ſpoſitione autem neceſſaria ad illud recipiendum dicetur in ſequenti capitulo.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI Extremæ Vnctionis.

CAP. VI.

1 *Effectus ſacramenti huius ſunt plures. D. Iacobus. Concil. Trid. Effectus, qui ſunt iuxta Tridentinũ.*

PRo huius tractatus complemento, dicendum ſupereſt de effectibus illius Sacramenti, qui quidem ſunt plurimi, iuxta Theologorum doctrinam, & colliguntur ex verbis D. Iacobi, dicentis: (*Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei.*) Ex quibus verbis colligit Sacrum Trid. Concil. ſeſſ. 14. c. 2. *Rem Sacramenti huius eſſe gratiam Sancti Spiritus, cuius vnctio delicta, ſi quæ ſint expianda adhuc, & peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Diaboli calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit conſequitur:* Hæc ſunt verba Patrum dicti Concilij, ex quibus clarè patet plurimos eſſe effectus huius Sacramenti.

2 *Difficultas, Quis ſit principalis effectus iſtius Sacramenti. 1. Opinio exiſtimat eſſe peccatorum venialium remiſſionem.*

Sed non parua eſt difficultas ad explicandum, quis ſit primarius, & proprius effectus, ad quem primò, & per ſe ſpecialiter à Domino Ieſu tale Sacramentum eſt inſtitutũ: In qua quidem re maxima eſt inter Doctores controuerſia: Quidem enim exiſtimant: Effectum primarium Sacramenti huius eſſe remittere omnia venialia peccata, non adhuc remiſſa, ne ſint impedimentum ad ingreſſum gloriæ Animæ ægrotantis.

3 *Ratio iſtius ſententiæ. D. Iacobus.*

Ratio autem iſtorum eſt, quia Sacramentum hoc inſtitutum eſt ad remittenda peccata, vt patet, tum ex verbis D. Iacobi, dicentis: *Si in peccatis ſit remittentur ei*, tum ex verbis formæ: vbi dicitur, *Indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti:* ergò effectus eius eſt peccatorum remiſſio, ſed non mortalium, quia pro ipſis inſtitutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum, ergò venialium, non enim duo ſacramenta pro vno effectu principaliter debebant inſtitui.

4 *Confirmatur ratio. Tria peccatorum genera Originalis, Mortalis, & Venialis. D. Bona. Scotus. Richar. Durand. Gabr. Maior.*

Confirmatur etiam iſta ratio, quia tria ſunt peccatorum genera, Originalis, Mortalis, & Venialis: ad delendum originale peccatum primò, & per ſe inſtitutus eſt Baptiſmus, ad tollendum mortale, inſtituta eſt ſacramentalis confeſſio, ergò ad tollenda venialia, inſtitutum fuit Extremæ vnctionis Sacramentum: ità enim ratio Diuinæ prouidentiæ poſtulabat. Ità D. Bona. in 4. D. 23. q. 1. Scot. qu. Vn. Richar. qu. 5. Duran. q. 1. Gabr. q. 2. c. 2. Maior q. 1. Alenſ. 4. p. q. 5. Membr. 7. A. 2. Nauar. in Manu. c. 22. nu. 13. & alij quos refert P. Suar. to. 4. de Pœnit. D. 41. ſect. 1. n. 1.

5 *Alia difficultas circa modum explicãdi. 1. Sententia.*

In modo autem ſe explicandi eſt etiam diſſentio inter Doctores iſtos: Nam alij putant Sacramentum hoc nõ delere venialia peccata, niſi excitando actum diſplicentiæ, vel amoris, qui ſit ſufficiens diſpoſitio ad obtinendam huiuſmodi venialium plenam remiſſionem, quia cùm huiuſmodi ſint peccata actualia, & per conuerſionem voluntatis commiſſa, non poſſunt niſi contrario motu deleri: Quare hoc Sacramentum dicitur eſſe inſtitutum ad remittenda venialia, quatenus virtute illius, & ex opere operato datur homini ſufficiens auxilium, quo poſſint elicere motum, expellentem venialia peccata: Ità Durand. Diuus Bona. & Vigoer. in ſum. c. 16. §. 5. *D. Bona. Vigoer.*

6 *2. Sententia.*

Alii verò ſimpliciter aſſerunt: Sacramentum hoc remittere venialia per ſe, & immediatè ex opere operato, dummodò ſuſcipiens non ponat obicem cõplacentiæ actualis illorum peccatorum, etiam ſi non habeat diſpoſitionem per ſe ſufficientem ad expellendũ talem peccatum, nec Sacramẽtum illum excitet, quia ſatis eſt, quod gratiam conferat ex diuina inſtitutione, ordinatam ad hunc effectum remittendi talia peccata: Ità Palud. Diſt. 23. q. 4. nu. 7. Capreolus quæſt. 1. Art. 3. cum aliis. *Palud. Capreolus.*

7 *In quo conſiſtit ratio, & punctus controuerſiæ.*

Quamuis autem verum ſit: Hoc Sacramentum ex opere operato, per infuſionem gratiæ remittere etiam peccata venialia, ſi quæ ſint expianda; prout dicit Trident. & ex verbis D. Iacobi, & formæ expreſsè colligitur, non eſt tamen principalis effectus, pro quo eſt inſtitutus, & in hoc conſiſtit punctus controuerſiæ: prout aduertit Filliuc. to. 1. tr. 3. c. 6. nu. 116. *Filliuc.*

8 *2. ſententia de primario effectu.*

Quàpropter alii Doctores pro Secunda opinione abſolutè dicũt, Proprium, & primarium effectum huius Sacramenti non eſſe venialium remiſſionem, quia ad hunc finem inſtitutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum, quod directè ab omnibus peccatis, tam mortalibus, quàm etiam venialibus abſoluit, Non ergò fuit neceſsè aliud Sacramentum diſtinctũ inſtitui propter hunc ſolum effectum; quia ſi ſic non deberemus expectare tempus infirmitatis ad illud recipiendũ, ſed quoties peccatis venialibus grauamur: Idcircò dicunt iſti Doctores: Effectum primarium huius Sacramenti eſſe tollere peccatorum reliquias, tam originalis, quàm actualium, mortalium, & venialium. Ità D. Tho. in 4. D. 23. q. 2. A. 2. q. 2. Palud. q. 4. Capr. q. 1. A. 1. Soto q. 1. ar. 2. Ledeſ. 2. p. q. 32. A. 1. Bellar. de Extr. Vnc. c. 8. Nugn. in addit. 3. p. qu. 30. A. 1. Difficul. 1. Victoria in ſum. nu. 197. & alii, quos ſequitur Suar. diſp. 41. ſect. 1. n. 8. & Filliuc. to. 1. tr. 3. c. 5. q. 2. nu. 117.

Effectus primarius eſt tollere peccatorum reliquias. D. Thom. Paludanus. Capreol. Soto. Ledeſma. Bellar. Victoria. Nugnus. Suar. Filliuc.

9 *Quid intelligatur per peccatorum reliquias. Diuerſitas opinionum.*

Sed maius dubium eſt: Quid intelligatur per peccatorum reliquias: Alij enim dicunt eſſe peccata venialia, non adhuc, quò ad culpam remiſſa: Alii dicunt eſſe pronitatem ad malum, prouenientẽ ex effectu peccati; tam originalis, quàm actualis, & alii tandem dicunt eſſe pœnas temporales, quæ luendæ remanent in Purgatorio.

10 *Impugnatur expoſitiones Doctorũ, iſtã opinantium.*

Sed iſti non loquuntur conſequenter: Nam venialia peccata ſine iſto Sacramẽto deleri poſſunt per ſimplicem actum contritionis, & nullum Sacramentum ob ſolum venialia eſt inſtitutum: Et verba formæ cùm ſint indefinita non ſunt reſtrigenda ad ſola venialia, Neque pronitas ad malum, & habitus ex peccatis relicti, nam de huiuſmodi habitibus nõ poteſt rectè intelligi illud D. Iacobi: *Si in peccatis ſit remittentur ei*, Non enim pronitas, & habitus ſunt peccata: Neque tertio reatus pœnæ temporalis, quia ad tollendam temporalem pęnam nullum per ſe eſt Sacramentum inſtitutum, neque erat neceſſarium, quia pro tali effectu conſequendo non requiritur per ſe infuſio gratiæ per operationem Sacramenti: Ità Suar. d. D 41. ſect. 1. num. 8. *Suar.*

11 *Concluſio. Peccatorum reliquiæ, quæ impropriè dictæ.*

Dicimus ergò pro concluſione; Per peccatorum reliquias duo poſſe intelligi: Primò omnia peccata, tam venialia, quàm etiam mortalia, quæ non adhuc, quò ad culpas remiſſa ſunt per alia Sacramenta, vel quia non fuerunt expiata per præcedẽtia Sacramenta malè ſuſcepta, vel quia commiſſa ſunt poſt illa, vel quia non aduertuntur à moriente, & ideò dixit Triden. ſeſſ. 14. cap. 2. *Si quæ delicta adhuc ſunt expianda abſterget Sacra vnctio, iuxta illud D. Iacobi: Si in peccatis ſit remittentur ei.* Secundò intelligi poteſt; debilitas, & ægritudo animæ, & corporis, quæ cauſatur ex peccatis, & illæ ſunt quædam pœnalitates ipſius peccati, quapropter appellari poſſunt peccatorum reliquiæ: & ad talem finem conſequendum hoc Sacramentum eſt inſtitutum. *Concil. Trid. D. Iacobus. Alia expoſitio.*

12 Omnes ergò iſtæ peccatorum reliquiæ vnico verbo

poſſunt

Vnico verbo explicantur, quæ ſint peccatorum reliquiæ.

poſſunt explicari, dicendo: Proprium, & peculiarem effectum huius Sacramenti eſſe corroborationem infirmi contra omnia mala, quæ mortis tẽpore occurrere ſolent, quapropter ſpecialis gratia huius Sacramẽti poſita eſt in conferendis quibuſdam auxilijs gratiæ accommodatis ad finem illius, quæ auxilia maximè neceſſaria ſunt eo tempore, quo homo graui ægritudine laborat, & vix poteſt ſe ipſum iuuare.

13
Corroboratio eſt contra tria mala.
Conc. Trid.

Hæc autem corroboratio præcipuè erit cõtra tria mala, primum contra deſperationem, largiendo fiduciam de diuina miſericordia ad roborãdam virtutem ſpei, iuxta illud Trid. ſeſſ. 14. c. 2. dicentis: *Hoc Sacramentum ægroti Animum alleuiare, & confirmare, magnã in eo miſericordia fiduciam excitando*: Secundùm cõtra tentationes Dæmonum, eò maximè tempore tribuẽdo vim ad reſiſtendum; & Tertium contra morbi incommoda, impartiendo patientiam, & tolerantiam omnium malorum.

14
Concil. Trid.
D. Iacobus.
Suar.
Filliuc.

Quæ omnia colliguntur ex doctrina Tridẽtini Cõc. d. ſeſſ. 14. in initio doctrinæ huius Sacramenti: Docet enim Concilium: In eo vitæ exitu muniri agonizantes tanquam firmiſſimo præſidio virtute huius Sacramẽti. Quàpropter D. Iacobus dixit: *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*: id eſt non adeò deprimetur viribus, vt à tentationibus ſuperetur. Et talis eſt principalis effectus Sacramenti huius, ad quẽ primo, & per ſe fuit inſtitutum: Ità Suar. d. D. 41. ſect. 1. nu. 11. Filliuc. d. tr. 3. c. 5. nu. 121. cum alijs, ſupra citatis in ſecunda ſententia.

15
2. Effectus huius ſacramenti, eſt diſponere ad introitum gloriæ.

Dico inſuper, ſecundùm effectum huius Sacramenti eſſe diſponere morientis Animam ad introitum gloriæ, vt conſummato certamine ſine impedimento cum palma victoriæ, poſſit lætanter ingredi Cœlorum Regnum: Duo enim ſunt, quibus homo poteſt maximè ad gloriæ introitum præparari, quorum vnum eſt perfecta animæ ſanctificatio, quæ præter ipſam gratiam, ſanctificantem dicit excluſionem omnis mali ex peccato prouenientis; Alterum eſt perſeuerantia in illo bono vſque ad mortem, & ad hoc poſterius adiuuat hoc Sacramentum tribus illis auxilijs punc. 13. explicatis; Primum autem confert Sacramentum hoc quantum in ſe eſt, non inueniendo obicem in ſuſcipiente.

16
4. Operatur in ſuſcipiente.
1. Tollit omnia peccata, non adhuc remiſſa.

Quàpropter quatuor operatur in ipſo ſuſcipiente; Primo enim tollit omnia peccata, quo ad culpam, quæcumque illa ſint, ſi reperiantur, nondum remiſſa, vel quia cætera Sacramenta (vt dixi) non ritè ſunt ſuſcepta, vel quia commiſſa ſunt poſt illa alia peccata, & obliuioni mandata; quàpropter dixit Apoſtolus: (*Et ſi in peccatis fuerit remittentur ei*) & Concilium Tridentinum loc. cit. (*Delicta, ſi quæ ſint adhuc expiãda, & peccatorum reliquias abſterget.*) Vndè in forma Sacramenti dicit Sacerdos (*Indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti, &c.*)

17
2. Tollit pœnas tẽporales ſecundùm magis, & minus.
3. Dat robur contra fomitem peccati.
4. Facit ex attrito contritum.
Suar.

Secundo tollit pœnas temporales peccatis debitas, quamuis non ſemper totam, ſed ſecundùm determinationem ipſius Chriſti inſtituentis, & iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis quãdò ſecundùm magis, & minus deuotè ſuſcipiat. Tertiò dat robur contra reliquias peccatorum, fomitem Videlicet, & prauos habitus corporis, & Animæ debilitando, & ideò dixit D. Iacobus, *Et alleuiabit eum Dominus*. Et tandem quartò poteſt facere ſuſcipientem ex attrito contritum, infundendo primam gratiam virtute operis operati ex ſpeciali eius inſtitutione. Ità Suarez d. D. 41. ſectio. 1. nu. 18 & 19.

18
3. Effectus eſt aliquando conferre ſalutem corporis.

Dico tertiò Effectum iſtius Sacramenti eſſe etiam conferre ſalutem corporis, quandò talis ſalus expediret pro ſalute Animæ ſuſcipientis, hæc autem ſalus corporis non ſemper conſequitur, eo quod promiſſio huius effectus intelligitur conditionatè, ſi Videlicet pro ſalute Animæ ſuſcipientis expedierit: Nam ſalus corporis non eſt ſemper neceſſaria pro ſalute Animę: Et quamuis in principio naſcentis Eccleſiæ hoc ſępius accidebat, nunc verò rarius, ità Diuina ſapientia diſponente: Ità Tridentinum d. ſeſſ. 14. c. 2. in fine, & eſt communis Theologorum ſententia in 4. Diſt. 23. legite Suarez d. Diſp. 41. ſect. 3. Bonac. to. 1. Diſp. 7. p. 6. nu. 1. Nugnus to. 2. 3. p. q. 30. Art. 2.

Concil. Trid.
Suar.
Bonac.
Nugnus.

19
Quo tempore hoc Sacramentum producit effectus.

Quæritur ſecundò: Quo tempore Extrema Vnctio conferat prædictos effectus?

Reſpondetur breuiter (ſequendo communiorem Theologorum ſententiam.) Tunc conferri huiuſmodi effectus, quandò perficitur vltima vnctio cum ſua forma eſſentiali, quæ eſt quinta, nam aliæ duæ renum, & pedum non ſunt de eſſentia: Ratio autem huius eſt, quia Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu vnicam gratiam conferunt in eo inſtanti, quo Sacramentum cõpletur; Hoc autem fit peracta vltima vnctione cum ſua forma, ergò tunc confertur Sacramenti effectus, quia dicere, quod quinquies gratia cõferatur, & quod prius tollatur vnum peccatum, quam aliud, & quod conferatur auxilium ad vincendas reliquias quorumdam peccatorum, & non omnium ſunt res gratis dictæ, quæ de facili credendæ non ſunt: Ità Coninch. to. 2. D. 19. d. 6. Suarez Diſp. 41. ſect. 2. num. 7 Soto in 4. Diſt. 23. qu. 1. Artic. 1. Em. Sà Verbo Extrema Vnct. nu. 16. & alij.

Coninch.
Suar.
Soto.
Em. Sà

Quæritur tertiò: Quæ diſpoſitiones requirantur in ſuſcipiente ad conſequendos effectus huius Sacramenti?

20
Quæ diſpoſitiones requiruntur, ad recipiendos effectus.
Recipiens debet eſſe in gratia ſaltem per contritionem peccatorum putatam.

Reſpondetur, quod Recipiens Extremæ vnctionis Sacramentum debet eſſe in Dei gratia, ſaltem putata: Nam Sacramenta conferunt effectum ſuum, non ponentibus obicem: Et ideò prius præcedere debet ſacramentalis Confeſſio, quãdò commodè fieri poteſt, & maximè quandò infirmus conſcientiam habeat alicuius peccati mortiferi: Si verò non poſſit ſacramentaliter confiteri, tunc in caſu ſufficit ei actus contritionis, vel ſaltem ſupernaturalis attritionis, vel quod ſit exiſtimata contritio, vel ſaltem non habeat complacentiam peccati commiſſi, & ideò valdè probabile eſt, ſatis eſſe aliquandò etiam attritionem cognitã, quæ tamen aliqua ratione Deum reſpiciat pro obiecto: Ità Suarez D. 41. ſec. 1. n. 20. Nugn. in addit. 3. p. tom. 2. quæſt. 30. diff. 1. §. 11. Filliuc. d. tract. 3. cap. 6. qu. 7. num. 132.

Suar.
Nugn.
Filliuc.

21
At quoniam hoc Sacramentum recipitur in mortis articulo, & eo tempore eſt præceptum Diuinum Sacramentalis Confeſſionis, quàpropter quandò infirmus tali tempore habet conſcientiam alicuius peccati Lethalis, ratione ſtatus tenetur Confeſſionem ſacramentalem præmittere, quod ſi non poſſet, tunc ſufficit ei actus contritionis, vel ſaltem attritionis perfectæ, vt ſupra dictum eſt.

22
De Ritu ſeruando in adminiſtratione Sacramẽti.

Quæritur 4. Quis ritus ſeruandus ſit in adminiſtratione huius Sacramenti?

Reſpondetur breuiter: In hoc ſtandum eſſe Rituali Romano, & iuxta conſtitutiones Synodales Epiſcoporum in ſua quaque Diœceſi cæremonię ſunt ſeruandæ: Verum eſt tamen, quod communiter loquendo tria ſunt conſideranda. Primum circa locum, nam cũ Sacramentum hoc conferatur infirmis decumbentibus in lecto, & ideò ob Sacramenti reuerentiam, Sacerdos adminiſtraturus indutus Superpelliceo, & ſtola ſacra violaceo colore pergat cum Clerico deferente Imaginem Sanctiſſimi Crucifixi, aſperſorium, & lumen accenſum, prout dicitur in Rituali.

23
De precibus dicendis in adminiſtratione Sacramenti.

Secundùm recitandæ ſunt nonnullæ preces, & orationes ab ipſo miniſtro, partim, quæ precedunt, & partim,

tim, quæ ſubſequuntur ; tenetur enim Sacerdos ſub præcepto prædictas orationes non prætermittere, niſi quando periculum ſit in mora, ne infirmus ſtatim moriatur ſine Sacramento, tunc enim licitè poterit Sacerdos prætermiſſis Orationibus celeriter Sacramentum miniſtrare ; Si autem adminiſtrato Sacramento infirmus adhuc viuat, ſupplendæ ſunt poſteà orationes ſolitæ prætermiſſæ: Ità Suarez d. tom. 4. Diſp. 44. ſect. 2. Henriq. lib. 3. cap. 6. & 12. Bonac. tom. 2. Diſp. 7. p. 6. num. 8.

Suar. Henriq. Bonac.

24 De Pſalmis pœnitentialibus recitādis ab adſtātibus.

Tertium tandem: Antequam Parochus vngere incipiat infirmum monere debet adſtantes, vt pro illo orent. & vbi commodum fuerit pro loco, & tempore, & adſtantium numero, vel qualitate, recitent ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litanijs, & precibus, ſiuè alias preces : Sacerdos dum preces à circunſtantibus deuotè recitantur adminiſtret Sacramentum, intincto pollice in Oleo Sancto in modum Crucis leuiter vngat infirmum in partibus conſuetis, proferendo formam pro qualibet vnctione, & abſtergat ſtatim cum bombace, loca vncta nouo globulo bombacis, eaque in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſteà deferat, & comburat, cuius cineres proijciat in ſacrario.

25 7. Pſalmi Pœnitentiales non ſunt de præcepto.

Verum eſt tamen, quod recitatio ſeptem Pſalmorum non eſt de præcepto, quapropter multi Sacerdotes illos ſine alicuius peccati ſcrupulo prætermittunt, talis enim videtur eſſe conſuetudo recepta, & patet ex rubrica Ritualis. Sine autem ſacris veſtibus non licebit Sacerdoti Sacramentum hoc adminiſtrare : Ità Bonacina, Suarez, loc. cit. & Naldus in ſumm. Verbo Extrema Vnctio.

Sine veſtibus ſacris miniſtrare non licet. Bonac. Suar. Nald.

26 Quare prius datur Eucharistia, & poſtea Extrema vnctio.

Quæritur tandem ; An Infirmus teneatur prius recipere Viaticum Sanctiſſimi Sacramenti, quam Extremam Vnctionem : Quod idem intelligendum eſt de Parocho miniſtrante?

Reſpondetur : Conſuetudinem eſſe Romanæ Eccleſiæ communiter receptam, vt vltimo loco miniſtretur infirmo Extrema Vnctio, tamquam vltimum remedium ſpirituale, quo Eccleſia fidelibus in extremis ſubminiſtrare ſolet : talis enim Ordo ſatis videtur conſentaneus rationi, & inſtitutioni vtriuſque Sacramenti. Nam Extrema vnctio Sacramentum exeuntium appellatur, & ideò rationabiliter vltimo loco confertur. Vndè Pius V. in Catech. Rom. p. 2. cap. 6. num. 12. dicit : *Seruandam eſſe Eccleſiæ perpetuam conſuetudinem, vt ante extremam vnctionem Pœnitentia, & Eucharistiæ Sacramentum adminiſtretur.*

Pius V.

Verum tamen eſt, quod occurrente rationabili cauſa talis Ordo conſuetudinis non obligat ad mortale. Ità Almainus lib. de Diu. offic. cap. 40. & Suarez tom. 4. de Pœnit. ſect. 1. num. 8.

Almainus. Suar.



TRACTATVS XXXI.
DE SACRAMENTIS,
ET DE SACRAMENTO ORDINIS.
TRACTATVS VNICVS.

PROOEMIVM.

Introductio.

QVinque ſacramentis Eccleſiæ iam expeditis, ac declaratis, quibus mediantibus Animæ fidelium Chriſti, pretioſo ſanguine redemptæ ſanctificantur: Hæc enim quinque ſacramenta ſuperius declarata pro ſalute ipſorum fidelium à Chriſto Domino inſtituta fuerunt: Nam mediante Sacramento Baptiſmi renaſcitur homo in vita ſpirituali reſurgendo à culpa, & morte Originalis peccati, deinde mediante Confirmationis Sacramento confortatur ad audacter confitendam fidem Chriſti ſuſceptam, poſtmodum mediante Euchariſtia nutritur in charitate, & augetur in gratia virtute illius cæleſtis cibi, quo Cæleſtis Spiritus reficiuntur in gloria: Poſtremò mediante Pœnitentiæ Sacramento reſurgit à morbo actualis culpæ commiſſæ poſt Baptiſmum, & tandem per Extremam Vnctionem abſterguntur omnes peccatorum reliquiæ. de quibus in ſuperioribus dictum eſt: Reſtat modo dicendum de Sacramento Ordinis, quod Sextum locum in ordine tenet, & neceſſarium eſt ad totam Eccleſiam, vt Sacramenta ipſa licitè, & validè confici poſſint, & miniſtrari: de quo agit Magiſter ſent. cum omnibus Theologis in 4. ſentent. D. 24. & 25. Nos autem breuiter per octo capitula de hoc Sacramento tractabimus: & primò videbimus de Quiditate, & inſtitutione ipſius, deindè de numero, Materia, & forma, Miniſtro, & ſubiecto, ac de effectibus ipſius iuxta conſuetudinem noſtri inſtituti.

Neceſſitas Sacramenti Ordinis.

Theologi tractantes de hoc Sacramento.

Diuiſio Tractatuum.

DE NOMINE, INSTITVTIONE, ET quiditate Sacramenti Ordinis.

CAP. I.

1 Ordo multipliciter accipitur. Prioritatis, Status, & Dignitatis, ſiuè Poteſtatis.

PRiuſquam quiditatem Sacramenti Ordinis per ſuam definitionem explicemus, operæ pretiũ eſt, vt ipſum nomen Ordinis in ſua ſignificata diſtinguamus, ne in æquiuocis laboremus, eſt .n. multiplex, & plura ſignificata ſub diuerſis reſpectibus ſignificare poteſt: Nos autem breuitatis gratia ad tria principalia, & generalia ſignificata reducemus: Quapropter.

2 1. Acceptio nominis Ordinis.

Dico primò, quod Ordo in prima ſui ſignificatione propriè ſignificat habitudinem quamdam, ſiuè reſpectum, quo res vna dicitur Prior altera, vel prioritate naturali, vel temporis, vel cauſalitatis, vel loci, vel dignitatis, ſiuè ſuperioritatis, vel Ordinis. Quapropter Archidiaconus in Can. Cum decernimus 1. q. 1. dixit: Ordo eſt cum diuerſarum rerum vnaquæque propria tenet loca, & D. Aug. lib. 19. de Ciuitat. c. 13. ait: Ordo eſt parium, imparium que rerum ſua vnicuique tribuens loca diſpoſitio.

Quid ſecundum Archidiaconum. D. Auguſt.

3 2 Acceptio. Ordines Regularium.

Secundo modo accipitur per Anthenomaſiam pro quouis ſtatu, ſiuè ciuili, ſiuè Eccleſiaſtico, & ſic dicimus: Aliquos eſſe in Ordine Senatorio, Equeſtri, Militari, Plebæo Clericali, Laicali. Sic etiam in Regularibus in Ordine D. Benedicti, Dominici, Franciſci, &c. Omnes enim Regulares ſub vna Chriſti religione ſub diuerſis ordinibus, & Regulis continentur.

4 3 Acceptio pro Sacramento Ordinis.

Tertio modo ſecundum eamdem appropriationẽ ſignificat quemdam certum gradum Clericorum, quo initiantur, & conſecrantur miniſtri Eccleſiæ per ſacrã cæremoniam Sacramentalem ad aliquod ſacrum miniſterium pro Miſſa celebranda, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè ordinentur, & talis dicitur Sacramentum Ordinis, de quo in præſenti tractatu intendimus agere.

5 Definitio Sacramenti Ordinis ſecundum Magiſtrum.

Definitur autem Sacramentum hoc à Theologis in in 4 libr. ſent D. 24. ſuper litteram Magiſtri, Ità Ordo eſt ſignaculum quoddam, in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato pro Sacramento Euchariſtiæ in Miſſæ Sacrificio: Aliqui autem diſtinctius, ſic definiũt, dicentes: Ordinatio, ſiuè Ordo eſt quædam cæremonia Sacra, qua alicui peculiaris poteſtas traditur ab Eccleſia deſtinata aliquo modo ad Myſterii Venerabilis Euchariſtiæ Sacramentum ritè peragendum: Ità Coninch. tom. 2. Diſt. 20. D. 1. num. 2. Henriquez in ſumm. lib. 10. de Ordine cap. 1. Bonac. tomo 1. D. 8. p. 1. Soto in 4. D. 24. & alij cum D. Thom. in addit. 3. p. q. 34.

Alia definitio communior.

Coninch. Henriq. Bonac. Soto. D. Thom.

6 Declaratur definitio.

Dicitur ergò primò (*Ordo eſt ſignaculum quoddam*) id eſt ſignum quoddam ſacrum ſenſibile ex diuina inſtitutione, efficaciter ſignificans inuiſibilem gratiam, ſignificatam per formam, quæ omnia pertinent ad rationem Sacramenti, quod eſt genus huius definitionis, Quapropter nonnulli dicunt: Ordo eſt Sacramentum quoddam (Additur, *Quo Spiritualis poteſtas*) & hæc eſt differentia eſſentialis, per quam hoc Sacramentum diſtinguitur à cęteris Sacramentis: nam per tale ſignũ, ſiuè Sacramentum traditur ordinato poteſtas ad exequendum miniſterium ſuum ſacrum per characterem indelebilem impreſſum virtute Sacramenti huius, prout ſignificatur per formam prolatam ab Epiſcopo in quolibet Sacramento Ordinis, quandò dicitur: *Accipite poteſtatem, &c.* & in ſingulis Ordinibus etiam minoribus eſt aliquod ſimile, vt dicetur loco ſuo.

Dicitur ſignaculum.

Quo ſpiritualis poteſtas.

7 Pro Sacramento Euchariſtiæ, in Miſſæ Sacrificio.

Additurque tandem (*Pro Sacramento Euchariſtiæ in Miſſæ Sacrificio*) Omnes enim Ordines tam maiores, quàm etiam minores ad hunc finem traduntur ab Eccleſia ordinato, vt ritè diſponatur ad Sacramentum Euchariſtiæ conficiendum, & miniſtrandum, quod intelligi debet mediatè: Nam poteſtas, quę datur per hoc Sacramentum miniſtris Eccleſiæ duplex eſt, vna immediata, quæ confertur Sacerdotibus, mediante qua poſſunt conficere corpus, & ſanguinem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, Altera mediata, & eſt illa, per quam exercetur aliquod miniſterium,

Poteſtas Ordinis dup. immediata, & mediata.

quod

Digitized by Google

quod dirigitur, & ordinatur ad Miſſæ ſacrificium tanquam ad finem, quod miniſterium in ſingulis Ordinibus etiam minoribus reperitur, vt videbitur,& in proprijs locis declarabitur.

Quare hoc Sacramentũ appellatur Ordo.

8 Ex quibus manifeſtè patet ratio, quare tale Sacramentum appelletur Ordo, ideò enim ità dicitur,quia per illud aliquis conſtituitur in quodam gradu, ac ordine certo Eccleſiaſticæ dignitatis: Quare ab effectu, qui per talem poteſtatem exiſtit, ducta eſt ratio eiuſmodi nominis: Nam per quod vnumquodque tale, & illud magis: Sedpropter Ordinem homo efficitur Sacramentorum miniſter, ergò Ordo maximè habet veram rationem Sacramenti, & eſt Sacramentum, & ideò ab omnibus Theologis, & Canoniſtis Ordo enumeratur inter ſeptem Sacramenta nouæ legis: Et ità determinatum eſt de fide per Conc. Trid. ſeſſ. 23. Can. 3. de Sacramento Ordinis.

Quare Ordo numeretur inter 7. Sacramenta. Concil. Trid.

Ordinis Sacramentum, à quo fuit inſtitutum.

9 Dicimus etiam: Hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum immediatè à Chriſto Domino: Solus enim Chriſtus hanc ſibi reſeruauit poteſtatem inſtituendi ſacramenta per poteſtatem excellentiæ,cum ſit Chriſti humanitas inſtrumentum coniunctum Diuinitati per vnionem hypoſtaticam, quod quidem de fide determinatum eſt per Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Sacramẽtis in Gen. Can. 1. vbi dicitur: *Si quis dixerit omnia ſacramẽta nouæ legis non fuiſſe à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, aut pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod eorum ſeptem non eſſe verè, & proprium Sacramentum: Anathema ſit.*

Concil. Trid.

Quandò inſtitutum fuit hoc ſacramẽtum.

10 Inſtituit autem Sacramentum hoc, ſicut, & cætera in ipſa nocte vltimæ Cœnæ quandò Cœna facta, cum diſcipulis ſuis conſecrauit corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis,& vini, tunc enim conſecrauit Apoſtolos ſuos Sacerdotes, noui teſtamenti, deditque illis poteſtatem hoc ipſum faciendi,quandò dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Quorum verborum hic eſt ſenſus: *Quemadmodum ego conſecro Euchariſtiam & illam offero in ſacrificium, ſimiliter, & vos conſecro Sacerdotes, & Epiſcopos, ità & vos accipite poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, & offerendi illam in ſacrificium incruentum in memoriam ſacrificij cruenti à me oblati*: Ità Henriq. in ſumm. lib. 10. cap. 3. nu. 1. ex D.Thom. in addit. 3. p.q. 34. A. 4. Concordat Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 1. num. 3. cum alijs, ex doctrina Trid. Conc. ſeſſ. 22. can. 1. ...

Hoc facite in meam commemorationẽ, quomodò intelligitur.

Henriq. D. Thom. Filliuc. Concil. Trid.

Ordines omnes ſinguli tunc implicitè fuerunt inſtituti.

11 Similiter etiam dicimus, ſecundùm probabiliorem ſententiam Theologorum; Omnes, & ſingulos Ordines, tam maiores, quàm etiam minores immediatè, ab ipſo Domino Ieſu in eadem Cœna fuiſſe inſtitutos: Chriſtus enim Dominus per poteſtatem excellentiæ contulit Apoſtolis omnes Ordines ſimul, & vnica actione illis verbis totam poteſtatem ſingulorum Ordinum Minorum, & Maiorum; Nam ſub principali, quod eſt Sacerdotium cæteri omnes comprehenduntur, qui participant quandam poteſtatem, licèt diminutè reſpectu Sacerdotis, cui miniſtrant, Ità Hẽriqu. cum Filliuc. loc. ſup. cit. Valent. tom. 4. D. 9. q. 1. p. 4. Regin. l. 30. nu. 6. Bonac. tom. 1. D. 7. p. 1. nu. 7.

Henriq. Filliuc. Valentie. Reginal. Bonac.

DE NVMERO ORDINVM, ET AN quilibet Ordo ſit Sacramentum, & de vnitate ipſius.

CAP. II.

Ordines ſunt 7. & 4. dicuntur Minores 3. autem Maiores.

1 ORdines, qui ab Eccleſia conferuntur miniſtris, ſunt omnes numero ſeptem, quorum tres dicũtur Sacri, & maiores, Videl. Presbyteratus, Diaconatus. & Subdiaconatus; reliqui quatuor appellantur minores, & ſunt: Acolytatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus. Hæc eſt communis Theologorum ſententia in 4. ſent. D. 24. D. Bonau. Scoti Rich. & D. Thom. & in addit. 3. p. q. 37. A. 2. Nugni, ibi Henriqu. in ſum. lib. 10. c. 2. Coninch. to. 2. D. 20. d. 2. nu. 9. Vaſq. 3. p. to. 3. D. 240. Regin. lib. 30. tract. 5. nu. 5. Comitol. 1. p. Reſp. mor. q. 48. nu. 11. Filliuc. to. 1. tract. 9. q. 9. n. 11. & aliorum, & patet ex doctrina Trid. Concil. ſeſſ. 23. cap. 2. hos ſeptem Ordines enumerans, & in hoc nulla eſt controuerſia.

D. Bona. D. Thom. Nugnus. Henriq. Coninch. Vaſq. Reginald. Comitol. Filliuc.

Ratio autem huius ſeptennarij numeri deſumitur à fine: ea enim, quæ ſunt ad finem diſponuntur ſecundùm diſpoſitionem finis; cum ergò Ordinis Sacramẽtum ordinetur ad Euchariſtiam, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, & ideò diſtinctio Ordinum ſecundum relationem ad Euchariſtiam accipienda eſt. 2

Ratio quare ordines ſint ſeptem.

In quolibet enim iſtorum Ordinum datur aliqua poteſtas ſpiritualis miniſtris Eccleſiæ, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè pro ſacrificio Miſſæ faciendo; Aliqui enim ordinantur ad ipſum ſacrificium immediatè faciendum, conſecrando Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum vt ſumant, & dent cæteris, & tales ſunt Sacerdotes: Vel immediatè miniſtrando, & tales ſunt Diaconi, Vel ordinando, & præparando materiam in vaſis, & tales ſunt Subdiaconi, & iſti tres ſunt miniſtri in ſacro altari miniſtrantes: alii quatuor deſeruiunt mediatè, ſiuè ad deferendum lumen, & præſtandam materiam Sacramenti, cuiuſmodi ſunt Acolyti, alii ad legendas lectiones ſacræ ſcripturæ, & tales ſunt Lectores. Vel ad expellendos Dæmones à corporibus fidelium, ne impediantur ab immundo ſpiritu, & tales ſunt Exorciſtæ: Vel ad recipiendos fideles, & infideles expellendos ab ingreſſu Eccleſiæ: & tales dicuntur Oſtiarii.

Ordo Sacerdotij ordinatur immediatè ad celebrandum.

Diaconatus immediatè adminiſtrandum.

Subdiaconi ad præparandam materiã ſacrificij.

Minores ordines ordinãtur mediatè ad Miſsã.

Iuriſtæ autem, & Canoniſtæ dicunt: ordines eſſe nouem, addunt enim iſtis Primam Tonſuram, & Epiſcopatum: exiſtimant enim huiuſmodi eſſe Ordines, diſtinctos ab aliis ſeptem, quos refert Graff. to. 2. deciſ. lib. 1. c. 9. n. 5. & Sylu. in Verb. Ordo 1. nu. 1. 3

Canoniſtæ dicunt eſſe nouem ordines. Graff. Sylu.

Sed circa Primam Tonſuram falluntur: non .n. prima Tonſura eſt Ordo, cùm ſit tantummodò quædam diſpoſitio, per quam homo diſponitur, vt ſit aptus ad Ordines ſuſcipiendos, itaq; illi, qui prima Tonſura initiantur ſe habent, ſicut nouitij in Religionibus, qui nõ ſunt adhuc Religioſi Deo conſecrati, ſed in via, & diſpoſitione, vt efficiantur Religioſi: Et ratio eſt clariſſima, quia Ordo eſt poteſtas, ſiuè moralis, ſiuè phyſica ad exercendum aliquem ſpecialem actũ in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ: Sed per Primam Tonſurã nõ recipitur talis poteſtas, ergò non eſt Ordo: Vndè ſi aliquandò Prima Tonſura apud Doctores, ſiuè in iure appellatur Ordo, ſumitur tale nomen largo modo, quẽadmodũ, & Religiones appellãtur Ordines: Ità D. Th. cũ omnibus ſupra cit. n. 1. huius præſentis capituli. 4

P. Tonſura nõ eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines.

Ratio aſſertionis. Appellatur, Ordo largo modo dicta.

Maior autem dubitatio eſt de Epiſcopatu: An ſit Ordo diſtinctus à Sacerdotio, & Sacramẽtum diſtinctum: In qua quidem dubitatione: Duplex eſt opinio, quarum vna eſt Nauarri in Man. c. 22. n. 18. & Greg. de Valent. to. 4. D. 9. qu. 1. p. 4. Michaelis Medinæ. lib. 1. de celebr. cap. 16. Bellar. de Ordine c. 5. nu. 1173. Em. Sà Verbo Ordo nu. 7. Fornarii c. 1. de Ordine, & aliorum, dicentium: Cõſecrationem Epiſcopi eſſe verum, & proprium Sacramentum, & Ordinem ſacrũ, diſtinctum à Sacerdotio. Et ratio iſtorũ eſt, quia per epiſcopatum confertur peculiaris poteſtas, & character diſtinctus à Sacerdotio, mediante quo poſſunt Sacramentum Ordinis conferre, & Confirmationis, Eccleſiaſque, ac ſacra altaria conſecrare, & alia huiuſmodi 5

De Epiſcopatu eſt controuerſia.

P. Sententia eſt. Nauarr. Valent. M. Medin. Bellarm. Em. Sà. Fornar.

Ratio iſtorũ Doctorum.

functiones ſacras, quas alij Sacerdotes ſimplices efficere minimè poſſunt.

6 Altera ſententia eſt ferè omnium Theologorum abſolutè, dicentium: Epiſcopatum non eſſe Ordinem propriè dictum, per quem conferatur peculiaris poteſtas ad conficiendam Euchariſtiam, & ad Sacrificium Miſſæ faciendum (loquendo de Ordine propriè dicto diſtincto à Sacerdotio) quia ſi ſic ſequeretur Ordines eſſe octo, quod videtur contra communem ſententiam, admittentem tantummodò ſeptem Ordines: quâpropter Concilium Florentinum, & Trid. dicunt: *Ordines eſſe ſeptem*, in quibus non enumerant Epiſcopatum: Ità ferè omnes Theologi cum Magiſtro in 4. ſentent. D.24. D. Thom. quæſt. 2. A. 1. q. 3. D. Bona. 2. p. diſt. A. 1. qu. 2. Scotus quæſt. 1. A. 2. Richard. A. 4. qu. 2. Capreolus, & Palud. Nugn. in addit. 3. p. q. 37. A. 2. Henriq. lib. 10. c. 1. Philiarch. libt. 1. c. 10. Bonacina tom. 1. D 8 p. 1. nu. 3. Filliuc. to. 1. tract. 9. qu. 9. nu. 12. & alij.

2. ſententia negatiua eſt Theologorũ.

Conc. Flor. & Trid. Magiſter. D Thom. D. Bona. Scotus. Richard. Capreol. Palud. Nugn. Henriq. Philiarch. Bonac. Filliuc.

7 Ratio autem Theologorum eſt, quia Sacerdos habet eamdem poteſtatem in conficiendo Euchariſtiã, quam habet Epiſcopus, & quamuis per Epiſcopatum conferatur illi peculiaris poteſtas, & character Sacerdotalis, quodammodò extendatur ad ſacros Ordines conferendos: (tamen character) Epiſcopatus, & character Sacerdotalis propriè non dicuntur duo Ordines, ſed vnus, qui extenditur, & perficitur per conſecrationem dignitatis Epiſcopatus, & ſic vnum integrum, & perfectum Ordinem conſtituit: Quemadmodum non dicuntur duo Ordines, quandò ſacerdos in ſua ordinatione accipit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, & deindè, peracto ſacrificio, recipit poteſtatem abſoluendi à peccatis, non recipit duos characteres, ſed prior character extenditur ad aliam poteſtatem: Ità dicas de Epiſcopatu ſuo modo: Ità D. Th. cum aliis, ſupra citatis, quibus addo Coninch. to. 2. D 20 d. 2. n. 9. & Graff. to. 2. Deciſ. lib. 1. c. 9. n. 9.

Ratio iſtius ſententiæ. Character Epiſcopatus nõ eſt diſtinctus à ſacerdotio.

Exemplum de Ordinatione ſacerdotis.

D. Thom. Coninch. Graff.

8 Poſſumus tamen duas iſtas opiniones conciliare, dicendo: Ordinem dupliciter ſumi poſſe, vno modo latè, & generaliter, pro vt etiam dicit officium, ſiuè poteſtatem, & gradum dignitatis reſpectu quarumcumque ſacrarum actionum, & ità Epiſcopatus poteſt dici Ordo ſacer, nam Epiſcopus virtute ſuæ conſecrationis, & dignitatis habet ampliorem poteſtatem in collatione Sacramentorum, & executione ſuarum actionum, quam ſimplex Sacerdos: Poteſt enim confirmare, ordinare, conſecrare Epiſcopos, Virgines, altaria, Eccleſias, conficere Sanctum Chriſma, oleumque Catechumenorum, & infirmorum, & alia huiuſmodi, quæ non conueniunt ſimplici Sacerdoti, quapropter Canoniſtæ, accipientes largius nomen Ordinis, & minus propriè, dicunt, Epiſcopatum eſſe Ordinem: Ità Graff. loc. cit.

Conciliſtur opiniones.

Ordo accipitur dup. largè, & ſtrictè.

Epiſcopatus, dicitur Ordo largo modo.

9 Theologi verò accipiunt Ordinem ſecundo modo, ideſt ſtrictè, & magis propriè, pro vt dicit Ordinem ad ſacrificium Miſſæ, & idcò reſolutoriè dicunt tantũmodò Ordines eſſe ſeptem: Nec enim Epiſcopatus eſt Ordo, cum ſit dignitas, ſiuè excellentia in Ordine, non enim ſecundùm probabiliorem ſentẽtiam imprimit diſtinctum characterem à Sacerdotali, ſed vnus extenditur ad aliam dignitatem, & poteſtatem: Ità dicas de Archiepiſcopatu, Papatu, &c. quæ licèt ſint maiores dignitates, non eſt tamen abſolutè diſtinctus Ordo à Sacerdotio, quantum ad poteſtatẽ conficiendi Corpus Chriſti verum in Euchariſtia.

Epiſcopatus ſtricto modo non eſt Ordo diſtinctus à Sacerdotio.

Character Sacerdotij extenditur ad aliam poteſtatem.

10 Ex quo ſequitur: Non poſſe validè conſecrari aliquem Epiſcopum, niſi antea eſſet ſacerdos ordinatus; Supponitur enim in ordinatione Epiſcopi character Sacerdotalis, quia Epiſcopatus non eſt Ordo diſtinctus ab Ordine Sacerdotali, ſed illum ſupponit, eò quod dignitas Epiſcopalis non imprimit diſtinctum characterem, ſed tantùm perficit characterem ſacerdotalem, iam impreſſum extendendo ipſum ad alios actus maioris dignitatis.

Epiſcopus nõ poteſt Conſecrari, niſi ſit ſacerdos.

Dicimus ergò breuiter, quod Ordo ſacerdotij extẽditur ad Ordinem Epiſcopalem, & ità perficitur tanquam per vltimum complementum, & non tanquam per Ordinem diſtinctum; Et ità optimè verificatur communis ſententia Theologorum dicentium: Sacramẽtum Ordinis eſſe ſeptennarium: Nam Epiſcopatus continentur in Sacerdotio tanquam vltimum complementum illius: Ità Sylu. Verb. Ordo 1. nu. 1. §. 3. Vaſq. 3. p. D. 240. c. 5. nu. 54. Henriq. in ſum. libr. 10. c. 2. nu. 1. Nugn. in addit. 3. p. q. 40. A. 5. diffic. Vnica, Bona. to. 1. D. 7. p. 1. n. 4. Filliuc. to. 1. tract. 9. c. 1. qu. 11. n. 25. Graff. d. c. 2. deciſ. lib. 1. c. 9. nu. 9. & alii. 11

11 Concluſio.

Sylu. Vaſq. Henriq. Nugnus. Bonac. Filliuc. Graff.

Notandum autem, quod ſeptem Ordines ſuperius enumerati ſunt in duplici differentia, alii enim dicuntur Maiores, qui etiam appellantur ſacri Ordines: Alii verò dicuntur Minores, & non ſacri: Ordo autem ſacer ſumitur dupliciter, vno modo ſecundùm ſe, & ſic quilibet Ordo etiam minor dicitur ſacer cùm ſit quoddam Sacramentum: Alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum, & ſic Ordo ſacer dicitur ille, qui habet actum aliquem circa rem aliquam conſecratam, & tales ſunt maiores Ordines, Videlicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, qui dicuntur Ordines ſacri, eò quod verſantur circa res ſacras: propterea tenentur ex vi talis ordinationis ſeruare votum Caſtitatis perpetuæ: Ità D. Thom. in addit. 3. p. q. 37. A. 3. Nugn. ibi. Graff. d. c. 2. lib. 1. c. 9. nu. 24. 12

12 Ordines alii maiores, & ſacri, & alii minores, & non ſacri.

Ordo ſacer ſumitur dup. vel ſecundũ ſe, vel ratione materiæ. Ordines maiores, quare dicuntur ſacri. D. Thom. Nugnus. Graff.

Sed hic inſurgit alia difficultas non parua: An quilibet Ordo ex iſtis ſeptem ſit propriè, & verè Sacramentum: Ità vt in illo conferatur ſpecialis gratia in ſuſcipiente ex opere operato, & An in quolibet iſtorum Ordinum imprimatur character proprius diſtinctus ab altero? Et ratio dubitandi eſt, quia Ordo ſecũdùm communem Theologorum ſententiam, eſt vnũ Sacramentum, ſed ſi ſeptem Ordines eſſent Sacramenta, non eſſet Ordo vnum Sacramentum, ſed ſeptem Sacramenta diſtincta, ergò non quilibet Ordo eſt Sacramentum. 13

13 An quilibet Ordo ſit Sacramentum diſtinctum ab altero.

Quâpropter in hac quæſtione tres ſunt opiniones Doctorum: quarum Prima fuit Durandi in 4. D. 24. q. 2. aſſerentis: ſolum Sacerdotium eſſe Sacramentum; Et ratio iſtius Doctoris eſt, quia quando plures actiones ordinantur ad vnum effectum ſpiritualem, illa ſola actio eſt Sacramentum, quæ talem attingit effectum, & aliæ actiones ſunt diſpoſitiones ad illum, ſed inter ſeptem Ordines ſolum ſacerdotium attingit effectum ſpiritualem, & principaliter intentum, qui eſt conficere Euchariſtiam, & abſoluere à peccatis, alii verò Ordines ſunt diſpoſitiones ad talem effectum: ergò non ſunt Sacramenta diſtincta. 14

14 Tres ſunt opiniones. P. opinio Durandi. Fundamentum Durandi.

Secunda opinio fuit Dominici à Soto in 4. D. 24. q. 1. A. 4. & Caiet. Opuſc. de ſimon. quæſt. 1. Vaſqu. 3. p. D. 237. c. 2. Nauar. in man. c. 22. nu. 18. quibus videtur inclinare Viualdus in Candel. aur. p. p. tit. 15. nu. 14. & eſt aliorum, dicentium, Tantùm tres Ordines maiores Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus eſſe Sacramenta, reliqui verò quatuor, qui dicuntur minores non eſſe Sacramenta, ſed Sacramentalia. Et ratio iſtorum eſt, quia illi tantùm appellantur Ordines Sacri ad diſtinctionem minorum Ordinum: Si autem minores Ordines eſſent Sacramẽta, ſequeretur, quod recipientes ipſos tenerentur eſſe in gratia, & qui illos exercerent in peccato mortali peccarent mortaliter, quod nimis videtur durum. 15

15 2. Opinio Soti. Caiet. Vaſq. Nauarr. Candel. Aur.

Ratio iſtorũ Doctorum.

Tertia ſententia eſt communior, cui tamquam probabilio- 16

16 3. Sententia.

D. Thom. Nugnus. Richar. D. Bona. Scotus. Palud. Bellar. Coninch. Filliuc. Bonac.

babiliori, & communiori adhæreo eſt D. Thom. in 4. D. 24. quæſt. 2. A. 1. quæſt. 3. & in addit. 3. p. qu. 37. A. 2. Nugn. ibi Rich. in 4. D. 24. A. 4. q. 2. D. Bona. 2. p. d. q. 2. A. 1. Scoti & Palud. ibi Bell. to. 3. Ordine c. 6. 7. & 8. Coninch. to. 2. D. 20. d. 6. Filliuc. tr. 3. c. 1. q. 11. nu. 28. Bonac. D. 7. p. 2. n. 2. & aliorum, dicentium: omnes Ordines tam maiores, quàm etiam minores eſſe Sacramenta, & conferre gratiam ex opere operato, & in quolibet Ordine cauſari ſpecialem gratiam in ſuſcipiente, diſtinctam à gratia aliorum Ordinum, imprimendo proprium characterem indelebilem, adeò vt amplius talis Ordo ſuſceptus iterari non poſſit: Patet hoc ex Conc. Florent. in tr. de Sacramentis, vbi enumerantur omnes iſti Ordines cum ſuis formis, & materijs Sacramentalibus, Vndè cum quilibet Ordo etiã minor habeat ſuam propriam materiam, & formam, ſequitur, quod ſit verum Sacramentum: Tum etiam ex Trid. ſeſſ. 23. c. 3. quod poſtquam recenſuit nomina ſingulorum Ordinum abſolutè dixit: Ordinem eſſe Sacramentum, quod de fide determinauit.

Conc. Florēt. — *Concil. Trid.*

17 *Satisfit opinioni Durādi.*

Ad primam ergò opinionem Durandi? Reſpondetur, quod licet alij Ordines ordinentur ad Sacerdotium, non ſunt tamen meræ diſpoſitiones imperfectę, cum quilibet Ordo habeat ſuum proprium effectum gratiæ, diſtinctum à gratia, & charactere cæterorum Ordinum, & ideò quilibet Ordo eſt Sacramentum per ſe, licèt reſpectu Sacerdotii dicatur partiale, vt infrà explicabitur.

18 *Satisfit 2. opinioni.*

Ad ſecundam opinionem Reſpondetur, Ordines maiores appellari Sacros, non quia minores non ſint ſacri ſecundùm ſe, ſed quia illi habent annexum votum caſtitatis, & quia verſantur circa res ſacras, & propiùs accedunt ad ſacrificium Miſſæ, non tamen indè ſequitur: Minores Ordines non eſſe ſacros ſecundum ſe, & Sacramenta.

19 *Recipiēs minores Ordines extra gratiā p. m.*

Ad confirmationem dicimus, quod recipientes etiã minores Ordines extra gratiam peccare mortaliter, eò quod ponunt obicem ad gratiam, quam conferunt ſinguli Ordines, cum quodlibet illorum ſit verè, & proprium Sacramentum, vt ſupra probatum eſt.

20 *Reſpondetur obiectioni.*

Nec valet dicere: Hoc eſſe nimis arduum: Nam ſuſcipiens minores Ordines, ſi eſſet extra gratiam poterit faciliter, ſe ad gratiam diſponere per actum contritionis: Non enim neceſſaria eſt Sacramentalis Confeſſio in ſuſceptione Ordinum, cum ſufficiat, quod Ordo ſuſcipiatur ſine conſcientia peccati mortiſeri, quod ſaltem non putetur deletum eſſe per actum contritionis; Exercere autem actum Ordinis etiam ſacri in peccato mortali non eſt nouum peccatum mortale, niſi in adminiſtratione Sacramenti, vti nos diximus ſupra in tractatu loquentes de Sacramentis in genere.

Exercere actum ordinis extra gratiam non eſt peccatum mortale.

21 *Difficultas. De vnitate illius Sacramenti.*

Sed iterum inſurgit alia dubitatio circa vltimam partem tituli huius præſentis capituli de Vnitate iſtius Sacramenti, quia ſi ſeptem Ordines, quilibet per ſe eſt Sacramentum, ſequeretur, quod ſeptem erunt Sacramenta, & ità Sacramentum Ordinis, non eſſet vnum, ſed plura Sacramenta, & ità Sacramenta Eccleſiæ ſunt plura, quàm ſeptem, quod eſt contra determinationem Conciliorum Florentini, & Tridentini dicentium: *Septem tantummodò eſſe Eccleſiæ Sacramenta.*

22 *Ordinis Sacramentum eſt vnum vnitate ſpecifica. Diuiditur in partes potētiales.*

Reſpondetur, concedendo Sacramentum Ordinis eſſe vnum vnitate ſpecifica, ſiuè generis infimi, non quod diuidatur in partes ſubiectiuas, ſed in partes potentiales, cuius hæc eſt natura, quod totum ſecundùm completam rationem eſt in vno, in alijs enim eſt aliqua participatio ipſius: Vndè in Sacramento Ordinis tota plenitudo Sacramenti eſt in Sacerdotio, in alijs autem eſt quædam participatio Ordinis, & ideò non implicat dicere: Ordinem eſſe vnum Sacramentum, & quemlibet Ordinem per ſe eſſe Sacramẽtum, licèt enim quilibet Ordo (ſimpliciter loquendo) ſit verè, & propriè Sacramentum, non eſt tamen totale, atque completum, ſed partiale: Quapropter dicimus: Quemlibet Ordinem eſſe partem integralem illius Sacramenti, Sacramentum verò totale eſt compoſitum, reſultans ex omnibus illis: Exemplum patet de Sanctiſſimo Sacramẽto Euchariſtiæ, vbi quęlibet ſpecies, ſiuè panis, ſiuè vini eſt ſimpliciter Sacramentum, non tamẽ totale in ratione ſacrificii, & ideò ex vtraque ſpecie conſecrata componitur vnum Sacramentum ſimpliciter. Hæc ex doctrina D. Thom. in 4. D. 24. q. 2. A. 1. q. 3. & in addit. 3. p. q. 37. A. 1. ad ſecundum, Nugn. ibi & aliorum.

Quomodò non implicet Sacramentū ordinis eſſe vnum & quēlibet Ordinem eſſe ſacramentum. Exemplū de Euchariſtia. — *D. Thom. Nugnus.*

23 *Obiectio.*

Nec valet dicere, quod in Ordinibus non ſit tanta vnitas, vt ſit ſufficiens ad faciendum vnum Sacramentum completum ſicut in Euchariſtia: In Ordinibus enim non cadit talis vnitas moralis, eò quod vnus Ordo poteſt diſtare ab altero per ſpatiũ etiam plurimorum annorum, quod non eſt in exemplo dato de Sacramento Euchariſtiæ, ideò, &c.

24 *Solutio.*

Reſpondetur tamẽ: In Ordinibus eſſe ſufficientem vnitatem moralem, eò quod vniuerſi Ordines ordinãtur ad Sacerdotium, & vnicum officium, vt conuenienter conficiatur corpus Chriſti in Euchariſtia, & ideò omnes gratiæ, quæ dantur in Ordinibus ſunt partiales in ratione gratiæ Sacramentalis, & ex omnibus illis reſultat vna gratia completa, atque totalis, & perfecta: quapropter eſt vnum ſignum, & vnicum Sacramentum quamuis quilibet Ordo ſit in ſe verum Sacramentum.

25 *Concluſio.*

Concludimus ergò, quod licèt Sacramentum Ordinis diuidatur in ſeptem Ordines partiales, & quilibet Ordo ſit Sacramentum, non tamen indè ſequitur eſſe plura Sacramenta Ordinis, ſed vnum totale, quia hæc diuiſio eſt quaſi totius integralis, non quidem ſubſtantialis, ſed quaſi potentialis in ſuas partes potentiales modo ſuo: Exemplum patet de domo, quæ eſt vna, & tamen componitur ex diuerſis partibus integrantibus, imperfectis tamen, & quælibet pars domus denominatur domus: Ità dicas de Ordinis Sacramento, nam quilibet Ordo eſt Sacramentum, completè tamen omnes Ordines faciunt vnum Sacramẽtum Ordinis ſpecificum, & perfectum, vti iam explicatum eſt: Ità Henriqu. in ſum. lib. 10. c. 4. ex doctrina D. Thom. ſupra, & aliorum.

Eſt vnū vnitate integralis, & potentialis. — *Exemplum de domo.* — *Henriq.*

DE MATERIA, ET FORMA Sacramenti Ordinis.

CAP. III.

1 *Sacramenta debent habere propriam materiam, & formam.*

CVm omnia Sacramenta nouæ legis debeant habere propriam materiam, & formam, ex quibus conficitur ſignum illud ſenſibile, quod Sacramentum dicitur ad ſignificãdam Dei inuiſibilem gratiam, quæ confertur mediante tali ſigno, iuxta Chriſti Domini inſtitutionem: Ideò quærimus modo: Quænam ſit materia, tam remota, quam proxima illius Sacramẽti? & Quænam ſit forma verborum, quibus perficitur tale Sacramentum? Quapropter pro maiori intelligentia iſtius materiæ;

2 *Materia remota Sacramenti Ordinis, quæ?*

Dico primò: Materiam remotam Sacramenti Ordinis eſſe rem illam; quæ traditur ab Epiſcopo, Ordinante, per quã denotatur Spiritualis poteſtas, quę traditur ordinato mediante tali inſtrumẽto, quapropter inſtrumentum illud, ſiuè vas, ſiuè liber, &c. quod traditur ordinãdis in ſignũ poteſtatis ſpiritualis appellatur talis Ordinis materia, quã recipiunt, mediãte tali quaſi

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

inſtrumento, vt ſuum Ordinem exequantur.

Materia proxima, quæ? Forma huius Sacramenti, quæ?

3 Materia verò proxima eſt ipſa traditio, & acceptatio inſtrumenti, ſiuè vaſis, ſiuè libri traditi ab ordinante, & eiuſdem acceptatio ab ordinando: Forma verò Sacramenti Ordinis ſunt verba illa, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo in traditione talis inſtrumenti cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur: Ita Reginald. lib. 30. nu. 7. Coninch. to. 2. D. 20. nu. 7. concl. 1. Vaſq. 3. p. D. 236. c. 3. Filliuc. to. 1. tr. 9. cap. 2. nu. 29. Bonac. D. 8. p. 3. nu. 1. & 12. Fornarius in addit. Tolet. de Ordine c. 2. nu. 1. & alii.

Reginald. Coninch. Vaſq. Filliuc. Bonac. Fornar. Tolet.

Materia remota, An debet eſſe conſecrata.

4 Ex quo ſequitur: Materiam illius Sacramenti eſſe prorſus extrinſecam, quæ conſiſtit in traditione inſtrumenti, ſiuè vaſis, ſiuè libri, &c. & ideò ſecundùm probabiliorem ſententiam non indigere neceſſariò debere eſſe conſecratam, cùm non concurrat principaliter, vt inſtrumentum Sanctificationis, ſed tantùm materialiter ad denotandam poteſtatem Spiritualem, quæ ordinato traditur, ſignificata per formam verborum, quæ proferuntur ab ordinante, quandò tale inſtrumentum traditur, dicendo: *Accipe poteſtatem, &cet.*

Ratio aſſertionis.

5 Et ratio huius eſt, quia neque Iura, neque Sacra Concilia hoc aliquandò expreſſerunt, ſicuti clarè expreſſerunt de Materia Confirmationis, & Extremæ vnctionis, in quibus Sacramentis neceſſariò materia debet eſſe conſecrata, eò quod Chriſtus Dominus Olei materiam ſuo vſu, & exercitio non cōnſecrauit: In hoc autem Ordinis Sacramento Chriſtus Dominus vſus eſt Calice, quandò Sacramentum inſtituit, & ideò non eſt de eſſentia Sacramenti, vt Calix, cum Patena, ſiuè alia inſtrumenta, quæ traduntur ordinandis fuerint antea ab Epiſcopo conſecrata: Si enim hoc eſſet de eſſentia Concilia expreſsè dixiſſent: Ità Henriq. in ſum. lib. 10. cap. 5. nu. 2. Soto in 4. D. 24. A. 2. q. 1. Ledeſma 2. 4. p. q. 36. Filliuc. to. 1. tract. 9. cap. 2. num. 31.

Calix, vel patena non cōſecrata poſſent eſſe materia.

Oppoſita opinio aliquorum Doctorum.

6 Aduertendum tamen eſt; Nonnullos Doctores dicere, quod ſaltem in Ordinibus Sacris, in Subdiaconatus, & Presbyteratus Ordine calicem cum Patena, quæ traduntur in manus ordinandorum debere eſſe prius ab Epiſcopo conſecrata: Vndè dicitur eis: *Videte quale myſterium vobis traditur. Et Accipite poteſtatem offerendi, &c.* Non enim Sacrificium Miſſæ offertur, niſi in Calice conſecrato; talis enim videtur eſſe communis vſus Eccleſiæ, nam Epiſcopi in collatione ſacrorum Ordinum ſemper vtuntur calice conſecrato pro ſignificatione Myſterij: Ità Palud. in 4. D. 24. q. 2. Turrecremata, & Præpoſit. in Can. per ſacros Diſt. 25. Syluest. Verb. Ordo 2. §. 4. M. Fornarius in addit. ad Tolet. de Ordine c. 2. num. 6. & alii: Vndè hæc ſententia videtur eſſe ſatis probabilis, & ſecura, & ante factum ſemper eſt conſulenda pro maiori ſecuritate: talis enim videtur eſſe communis Epiſcoporum vſus: Verum tamen eſt, quod poſt factum poterit quiſque taliter ordinatus cum Calice, Videlicet non conſecrato ſine ſcrupulo acquieſcere cum priori ſententia, quia etiam eſt valdè probabilis: Ità Filliucius d. tractat. 9. cap. 2. numer. 31. & Fornarius cum aliis, locis ſupra citatis.

Palud. Turrecrem. Præpoſit. Sylu. Fornarius.

Vtraque ſententia eſt probabilis.

Filliuc. Fornar.

An contactus materiæ, ſiuè inſtrumenti, ſit de neceſſitate Sacramenti huius?

7 Sed mouetur quæſtio à Theologis: An contactus materiæ, ſiuè inſtrumenti ſit de eſſentia huius Sacramenti, ità vt non cenſeatur verè ordinatus, quandò materia, ſiuè inſtrumentum, quod in ordinatione traditur ab Epiſcopo realiter, & phyſicè non tangatur, tam ab Epiſcopo ordinante, quàm ab ordinando? An verò ſufficiat moralis traditio, & acceptatio?

Miniſter ordinans neceſſe eſt, quod realiter porrigat inſtrumentum.

8 Reſpondetur primò, quod ſi loquimur de miniſtro ordinante; neceſsè eſt de neceſſitate Sacramenti, quod tangat, & porrigat inſtrumentum: idem enim eſſe debet ille, qui profert formam, & materiam tradit, alioquin non verificarentur verba formæ, quandò dicitur: *Accipe poteſtatem:* cùm ergò miniſter, ideſt Epiſcopus in ordinatione proferat verba formæ ſequitur neceſſariò, quod tangere debeat inſtrumētum, ſiuè materiam, quàm porrigit ordinando: Ità enim expreſsè habetur in can. Subdiaconus D. 23. quod idem à fortiori intelligendum eſt de alijs Ordinibus ſacris: Ità Suarez tom. 5. D. 42. ſectione 3. nu. 12. Filliuc. d. tract. 9. cap. 2. num. 33. D. Thom. in 4. D. 25. q. 1. A. 1. ad ſecundum, Syluest. Verbo Ordo 2. quæſt. 3. Bonacina de Sacramentis D. 8. quæſt. Vnic. p. 3. n. 10. Coninch. D. 20. d. 7. nu. 58.

Suarez. Filliuc. D. Thom. Sylu. Bonac. Coninch.

9 An etiam hoc ſit de neceſſitate in Min. Ordinibus?

Hoc autem abſolutè intelligitur in collatione ſacrorum Ordinum: In minoribus autem olim nō erat de neceſſitate, ſed ſufficiens erat, quod Archidiaconus de mandato Epiſcopi ordinantis traderet in manus ordinandorum inſtrumentum, quo ſignificabatur ſpiritualis poteſtas, quæ conferebatur in tali Ordine; pro vt habetur ex can. Acolytos D. 23. Verum eſt tamen, quod modò talis conſuetudo non adeſt, quapropter idem Epiſcopus in collatione cuiuſcumque Ordinis, etiam minoris porrigit ipſe inſtrumentum iis, qui ordinantur, & ità dicitur in rubrica Pontificalis Romani reformati, ità Henriq. l. 10. c. 10. §. 2. Armilla Verb. Ordo §. 8. & 10.

Can. Acolytos D. 23.

Pontificale. Henriq. Armilla.

10 Circa ordinandos duplex eſt opinio.

Secundò Reſpond. quod ſi loquimur de ordinando, dicimus controuerſiam eſſe inter Doctores: An ſit de neceſſitate Sacramenti, vt inſtrumentum tangatur realiter, & phyſicè, An ſufficiat acceptatio moralis aliquo ſigno extrinſeco exhibita? E. g. vt cùm quis acceptat donum: Videlicet annulum, quem offerens geſtat in digito, abſque eo quod recipiens phyſicè tāgat dictum annulum: Quapropter duplex eſt opinio inter Doctores.

11 1. opinio, exiſtimat ſufficere contactus moralis.

Aliqui enim Doctores exiſtimant, quod non ſit de neceſſitate Sacramenti, vt inſtrumentum, quod traditur ab Epiſcopo tangatur phyſicè ab ordinando, ſed ſufficere acceptationem moralem, ſigno aliquo externo exhibito: Ità Nauar. in Man. c. 22. n. 17. & Victoria in ſumm. num. 230. & Ratio iſtorum eſt, quia effectus huius Sacramenti non prouenit à materia tamquam ab agente aliquid circa ſuſcipientem, ſed tantùm tamquam à determinante ſignificationem formæ ad hunc, vel illum effectum: & ideò exiſtimant probabiliter iſti Doctores non eſſe de neceſſitate Sacramenti cōtactus phyſicus, cum poſſit ſufficere moralis, vt ſupra explicatum eſt: Concordat Filliuc. d. tr. 9. c. 2. num. 34.

Nauarr. Victoria.

Ratio iſtorū Doctorum.

Filliuc.

12 2. Sententia requirit contactus phyſicus.

Alij verò Doctores dicunt, quod Ordinandi neceſſariò debeant tangere inſtrumentum, quod traditur in ordinatione phyſicè, & realiter: nam in quolibet Sacramento habente materiam neceſsè eſt, vt ſuſcipiens tangat illam per acceptationem illius materiæ: nam ad hoc, vt traditio ſit efficax debet ei correſpōdere receptio per contactum, & talis eſt communis vſus totius Eccleſiæ, & exiſtimatio id approbat, & talis contactus realis inſtrumenti traditi præcipitur in rubrica Pontificalis Romani, & ità communiter exiſtimant alii Doctores, vt eſt D. Thom. in 4. D. 24. qu. 1. A. 1. Soto quæſt. 1. A. 2. §. Vnum, & D. Tho. in addit. 3. p. quæſt. 34. A. 5. ad 3. Nugnus 161. diffic. 2. Greg. de Valent, 4. p. D. 9. q. 1. p. 5. Sylu. Verbo Ordo 2. qu. 5. Coninch. tom. 2. D. 20. d. 7. concl. 5. nu. 70. Henriqu. in ſumm. lib. 10, cap. 10. Em. Sà Verbo Ordo num. 3. Caiet. to. 1. Opuſc. tract. 26. q. Vnica, & Paludanus in 4. D. 24. q. 1. D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 14. Bonac. to. 1. D. 8. p. 3. nu. 10. M. Fornarius in addit. Tolet. de Ordine c. 2. nu. 4. aliique ab ipſis citati, &c.

Ratio iſtorū Doctorum.

Pontif. Rom. D. Thom. Nugnus. Valent. Syluest. Coninch. Em. Sà. Caiet. Palud. D. Ant. Bonac. Fornar.

Dicimus

Digitized by Google

13 Concluſio. Dicimus ergò: Vtramque opinionem eſſe probabilem, ſed iſtam ſecundam eſſe probabiliorem, & ſecuriorem: Non enim poteſt negari, ſaltem eſſe de neceſſitate præcepti, obligantis ad mortale, vt recipiens Ordinem realiter tangat, & acceptet inſtrumentum, tamquam materiam talis Ordinis: Vndè quamuis poſt factum ad tollendos ſcrupulos poſſet quis acquieſcere cum prima opinione Nauarri, & aliorum de cõtactu morali. Attamen ante factum omninò ſequenda eſt ſecunda ſententia de contactu phyſico, ſaltem propter præceptum: Ità Filliuccius to. 1. tract. 3. c. 2. q. 3. nu. 25. Henriq. cum alijs ſupra citatis in ſecunda Opinione nu. 12. huius capituli.

Ante factum, & poſt factũ, quid ſentiendum.

14 Limitatio. Hic tamen eſt notandum: Non eſſe de neceſſitate Sacramenti, vt talis contactus rigoroſè, & mathematicè ſimul fiat cum prolatione verborum, cum ſufficiat ſimultas moralis: ideſt ſine mora interpoſita, ſicut patet à ſimili de Baptiſmo, in quo non eſt neceſsè, vt in eodem inſtanti, quo baptizandus abluitur proferatur tota forma, ſed ſufficit, vt ſint ſimul moraliter, cum qua ſimultate morali ſubſiſtit ſignificatio Sacramentorum: Ità à fortiori in hoc Sacramento ſufficit, quod ſit aliqua coniunctio moralis inter materiam, & formam, quapropter ſatis eſt, vt circa finem verborum inſtrumentum tangatur, aut ſtatim poſt tactum, verba formæ proferri incipiant. Ita Henriquez lib. 10. c. 10. nu. 1. in fine, Reginald. lib. 36. tract. 3. nu. 9. Valentia p. 4. D. 9. quæſt. 1. p. 5. Em. Sà Verbo Ordo num. 5. Bonacina tom. 1. D. 8. p. 3. num. 11. Nugnus in addit. 3. p. q. 34. Art. 1. difficul. 2. & alij quamplurimi, qui citantur ab ipſis.

Sufficit ſimultas moralis.

Henriq. Reginal. Valentia. Em. Sà. Bonac. Nugnus.

15 Ex quo patet ſolutio illius dubij: An cùm multi ſimul ordinantur, & Epiſcopus ſemel prolata forma in plurali, dicendo: *Accipite poteſtatem &c.* mox tradit materiam tangendam ordinandis, qui bini, vel terni ſucceſſiuè accedunt ad tangendum calicem, aliquo temporis ſpatio interiecto; non enim omnes poſſunt eundem inſtrumentum ſimul tangere: Reſpondetur tamen breuiter: In tali caſu validam eſſe huiuſmodi ordinationem: nam in hoc caſu materia, & forma cenſentur eſſe ſimul ſimultate morali: Ità Bonacina d. D. 8. p. 3. n. 16. M. Fornarius in addit. ad Tolet. de Ordine c. 2. nu. 5. qui teſtatur, ita Romæ fuiſſe deciſum in Congregatione Cardinalium, quod etiam patet ex praxi, multi enim Epiſcopi in conferendis ordinibus talem obſeruant conſuetudinem.

An poſſint ordinandi prolata forma tãgere inſtrumentum ſucceſſiuè.

Reſolutio.

16 Alia dubit. Sed hic inſurgit alia dubitatio: An quando in quibuſdam Ordinibus traduntur plura inſtrumenta ad tangendum debeat de neceſſitate Ordinandus tangere omnia illa diſtinctè: An verò ſufficiat vnum ex illis tangere?

Reſpondetur, quod quando per talia inſtrumenta traditur diuerſa poteſtas neceſsè eſt, vt omnia illa tangantur ab ordinando: Non enim poteſtas traditur, niſi per traditionem materiæ, ergò ſi diuerſa eſt poteſtas, debet eſſe diuerſa acceptatio talium inſtrumentorum: nam traditioni correſpondere debet acceptatio, & contactus ſingulorum, prout dicit Filliuccius to. 1. tract. 9. c. 2. q. 4. nu. 37. Neque in hoc eſt diuerſitas opinionum inter Doctores &c.

Debent tangere diuerſa inſtrumenta ſi per illa traditur diuerſa poteſtas.

17 Quando autem per talia inſtrumenta traditur eadem poteſtas, non videtur eſſe neceſſarium tangere vtrumque, ſed ſatis eſſe tangere vnum ex illis: exemplum eſt de Acolyto, cui traduntur duo Vrceoli, & in Subdiacono, cui traditur Calix, cum patena vacua, in quibus ſatis eſſet in illo, ſi vnum ex Vrceolis tangat, & in hoc ſi Calicem tantùm tangat, cui coniuncta eſt patena: & Ratio huius eſt, quia qui tangit hoc modo partem vnam exiſtimatur moraliter totum tangere: Ità Soto in 4. D. 24. quæſt. 1. Art. 4. Syluest. Verbo Ordo 2. §. 5. Vict. in ſumm. num. 230. Coninch. tom. 2. D. 20. d. 7. num. 71. Villalob. in ſumm. tom. 1. tract. 11. diff. 4. nu. 3. quos ſequitur Diana p. 3. de Sacramentis tr. 4. Reſol. 185.

Si traditur eadem poteſtas ſufficit vnum tangere.

Ratio aſſertionis. Soto. Syluest. Victoria. Coninch. Villalobos. Diana.

18 Verum eſt tamen, quod ad vitandos ſcrupulos, & omnem difficultatem, diligenter ordinandi attendere debent, vt tangant vtrumque inſtrumentum, quo ad fieri poteſt, talis enim videtur communis vſus Eccleſiæ, quamuis hoc non ſit de eſſentia Sacramenti, prout notauit Filliuc. d. tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 39. quapropter in Pontificali Romano dicitur: vtrumque eſſe tangendum.

De conſuetudine, & præcepto omnia debeat tangi.

19 His ergò præhabitis dicere opus eſt de ipſa materia Sacramenti Ordinis in particulari, & Primò de materia Ordinis Presbyteratus: quæ Duplex eſt. Vna eſt traditio Calicis cum vino vitis, & patenæ cum Hoſtia panis triticei ſuperpoſita, cui adiungitur verborum forma: *Accipe poteſtatem offerendi &c.* & in hoc ſigno imprimitur character ſacerdotalis, & traditur ordinato plena poteſtas conficiendi Euchariſtiam in Miſſæ Sacrificio, & taliter ordinatus eſt verus Sacerdos, quamuis non adhuc collata ſit ei poteſtas abſoluendi à peccatis: nam talis poteſtas confertur poſtea in fine Miſſæ, quando Epiſcopus imponit ambas manus ſuper capita ſingulorum dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* Ità Suar. to. 5. D. 42. ſect. 4. Bell. de Ord. c. 9. Bonac. D. 8. p. 3. num. 2.

Materia Ordinis presbyteratus, quæ ſ

Poteſtas conſecrandi, quã do traditur. Poteſtas abſoluendi quã do confertur.

20 Dicimus ergò vtramque cæremoniam eſſe neceſſariam in ordinatione Sacerdotis, vt ſit completè ordinatus, & recipiat vtramque poteſtatem: Non enim Sacerdos ſimul, & eodem actu recipit poteſtatem conſecrandi; & poteſtatem completam abſoluendi à peccatis: Nam licèt per traditionem Calicis cum vino, & pane recipiat characterem ſacerdotalem conficiendi, & miniſtrandi Sacramenta, non tamen adhuc habet poteſtatem actualem remittendi peccata, quæ confertur poſtea per manus impoſitionem, dicendo: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* quo tempore licèt recipiatur gratiæ augmentum, nõ tamen confertur nouus character, ſed primus extenditur, & perficitur ad completam auctoritatem abſoluendi: vt nos plenius hoc explicauimus ſupra in noſtra Theologia moral. tract. 1. cap. 2. num. 4. de Sacramento Pœnit. Ità Henriquez in ſumm. libr. 10. cap. 6. numero 2. Suarez tom. 4. de Pœnitent. D. 17. ſectio. 3. Filliuccius tom. 1. tract. 6. cap. 2. nu. 32. Bonac. to. 1. D. 5. q. 2. p. 4. nu. 4. Valentia to. 4. D. 9. p. 5. quæſt. 1.

Sacerdos non in eodem tẽpore recipit, vtramque poteſtatem. Actualis poteſtas remittẽdi peccata confertur per manus impoſitionẽ &c.

Henriq. Suar. Filliuc. Bonacina. Valentia.

21 Ex quo ſequitur, quod ſi Aliquis Parochus ordinetur ſacerdos, & accepta poteſtate ab Epiſcopo, offerendi ſacrificium, Epiſcopus deficiat, & non poſſet amplius ordinationem perficere, dicendo in fine: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Non poterit talis Parochus abſoluere Sacramentaliter ſuos parochianos antequam altera poteſtas per manus impoſitionem ei conferatur ab alio Epiſcopo: Ità Bellarminus to. 2. de Sacram. Ordinis lib. 1. cap. 9. ad 2. Henriquez d. lib. 10. cap. 6. num. 3. M. Fornarius in addit. ad Tolet. de Ordine cap. 2. num. 1. & Valentia tom. 4. D. 9. p. 5. quæſt. 1. Filliuccius, cum Suarez locis ſupra citatis, cum alijs plurimis.

Quid faciendum quando Epiſcopus deficiat antequã det poteſtatẽ abſoluendi.

Bellar. Henriq. Fornarius. Valentia. Filliuc. Suar.

22 Sed hic mouetur vna difficultas: An qui ordinatur Sacerdos teneatur de neceſſitate Sacramenti tangere non ſolùm calicem, verùm etiam patenam, & Hoſtiam ſuperpoſitam? & Ratio dubitandi eſt, quia ſunt nonnulli Doctores ità exiſtimantes, & dicentes, quod ſi ſecus fieret nulla eſſet ordinatio, & character non imprimeretur: Ità Fernand. 3. p. Theolog. Moral. c. 11. §. 6. nu. 1. & Faber in 4. ſent. D. 24 Diſp. 1. c. 4. nu. 121. de Sacramento Ordinis, cum alijs aſſeclis.

An neceſsè ſit tangere Hoſtia ſimul cũ calice. 1. Sententia.

Fernand. Faber.

His

Digitized by Google

23 2 Sententia. Ratio iſtius ſententiæ. Tacto calice, aut patena omnia mediatè ſunt tacta.

His tamen non obſtantibus Dicimus, quod: Si caſu ordinandus non tangat phyſicè hoſtiam, ſed tãtum patenam, in qua repoſita eſt Hoſtia, talis eſt verè, & legitimè ordinatus, & Ratio huius eſt, quia ſicut vinum in calice non tangitur immediatè, ſed mediatè, quia tacto calice, in quo eſt vinum dicitur moraliter, & mediatè tangi ipſum vinum; ità & Hoſtia ſufficienter tangitur, tacta patena, in qua eſt Hoſtia ſupepoſita: Imò multi exiſtimant, quod ſufficiat tangere tantum pedem calicis, in quo repoſita eſt patena cum Hoſtia, Ità Soto in 4. Diſt. 24. quæſt. 1. Articul. 2. Valent. 4. p. D. 9. quæſt. 1. p. 5. Nugn. in addit. 3. p. quæſt. 35. Articulo 5. difficul. 2. Bonacina tom. 1. D. 8. p. 3. num. 10. Coninch. tom. 2. Diſp. 20. d. 7. numero 71. & Diana p. 2. tractat. 2. Miſcel. 2. Reſolut. 3. & part. 3. tractat. 4. de Sacramentis Reſolut. 185. & alij, quos citant ſupradicti Doctores.

Soto. Valentia. Nugnus. Bonac. Coninch. Diana.

24 Adhibenda eſt tamen diligentia, vt vtraque tangantur.

Verum tamen eſt, quod tutius eſt adhibere omnem diligentiam, vt ordinandus ſi fieri poteſt tangat immediatè, non ſolùm Calicem, ſed etiam patenam, & Hoſtiam iuxta communem vſum, & ritum Eccleſiæ, ne ordinandus periculo ſe exponat non recipiendi Ordinem: Non eſt tamen hoc ſcrupuloſè intelligendum: Sed poſt factum, quis poterit eſſe tutus in conſcientia, quod ſit legitimè ordinatus, licèt Hoſtiam non tetigerit immediatè, præcipuè cùm ordinandi habeant tunc manus linteo colligatas, & difficillimè fieri poteſt, vt ipſam Hoſtiam, ſimul cum calice tangant, & præſertim, quando habent digitos breuiores, Ità Diana locis citatis Miſcell. 2. Reſolut. 3. p. 2. cum alijs aſſeclis.

Poſt factum quis quieſcere poteſt conſcientiam. Diana.

25 Quando in calice non erit appoſitum vinum: An ſit verè ordinatus? 3. Sententia.

Sed iterum inſurgit Maior dubitatio: An ſi in ordinatione Sacerdotis in Calice non fuerit vinum appoſitum propter inaduertentiam, & obliuionem miniſtrorum Epiſcopi Ordinantis: An in tali caſu Sacerdos ille ſit verè Ordinatus? Et Ratio dubitandi eſt, quia materia eſſentialis, qua ordinatur Sacerdos eſt traditio patenæ cum Hoſtia triticea ſuperpoſita, & Calicis cum vino eo modo, quo offertur Miſſæ ſacrificium: & ideò ſi in patena non ſit Hoſtia, vel in Calice vinum vitis, non videtur talis eſſe ordinatus Sacerdos propter defectum eſſentialem materiæ neceſſariæ; Ità exiſtimant Ledeſm. in ſumm. tom. 1. de Sacram. Ordin. cap. 3. difficult. 3. & Ioannes à Cruce in direct. Conſcient. p. 2. de ſacro Ord. d. 2. concl. 1. & Villalob. in ſum. to. 1. tr. 11. diffic. 4. nu. 1.

Ledeſma. Io. à Cruce. Villalobos.

26 2 Sententia. Henriq. Tabiena. Armilla. Bonac. Homobonus. Filliuc. Diana.

His tamen non obſtantibus dicimus nos ſequendo communiorem ſententiam Henriquez in ſum. lib. 10. cap. 6. num. 1. Tabien. Verb. Ordo 2 §. 7. Armil. §. 2. Bonacinæ tom. 1. Diſp. 8. p. 3. numero 3. Homoboni de Examin. Eccleſiæ p. 1. tract. 4. cap. 9. quæſt. 75. & Filliuccij tom. 1. tractat. 9. cap. 2. num. 4. & aliorum, quos ſequitur nouiſſimè Pater Diana p. 3. tract. 4. de Sacramentis Reſolut. 186. qui dicunt huiuſmodi taliter ordinatum eſſe verum Sacerdotem, & Ratio eſt, quia traditio vaſis cum altera ſpecie videtur eſſe materia ſufficiens, ità vt ſi id ex obliuione contingat, non eſt talis Ordo de neceſſitate iterandus: Nec enim diuiſim datur poteſtas in vnam ſpeciem, ſed qui poteſt alteram, poteſt, & vtramque ſpeciem conſecrare, & ità poteſtas conſecrandi extenditur ad vtramque materiam.

Ratio iſtius ſententiæ.

27 Quid in praxi faciendum ſit pro ſecuritate conſcientiæ.

Verum eſt tamen, quod in tali caſu ad tollendum omne ſcrupulum poterit iterum ſub conditione ordinari cum vtraque materia, ne exponatur periculo non conficiendi Sacramenta, quod eſſet maximum inconueniens, & ità refert doctiſſimus Villalobus in ſumm. tom. 1. tract. 11. diffic. 4. num. 1. fuiſſe determinatum in quadam congregatione multorum eximiorum Theologorum in vniuerſitate Salmaticenſi congregatorum: non eſt tamen abſolutè hoc neceſſarium, ſed pro maiori cautela, ad tollendos omnes ſcrupulos conſcientiæ.

28 In Epiſcopatu, probabile eſt materiam eſſe multiplicem.

Materia autem in conſecratione Epiſcopi multiplex eſt, & Ratio huius eſt, quia Epiſcopus accipit multiplicem poteſtatem in ſua conſecratione, quapropter pluribus ſignis, & inſtrumentis ſignificatur poteſtas, tradita virtute illius conſecrationis, & ideò primò conſecratur per manus impoſitionem in capite, dicendo: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* & tunc confertur ei dignitas Epiſcopalis, & datur poteſtas diſtincta ab ea, quam habebat, vt ſimplex Sacerdos: Epiſcopus enim poteſt miniſtrare omnia Sacramenta, etiam Ordinis, & Confirmationis, ſimiliter etiam conficere Oleum Sanctum Chriſmatis &c. Vndè Apoſtoli ità conſecrabant Epiſcopos per manus impoſitionem, vt patet ex Epiſt. 1. ad Timot. c. 4. & 2. c. 1. & ex lib. Act. c. 6. & alibi, & colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Ità Bellar. to. 2. de Sacramentis lib. 1. de Ordine c. 9. & Filliuccius d. tract. 9. c. 2. q. 5. nu. 41. Patet hoc, quia tunc dicitur ei: *Accipe poteſtatem &c.*

Dignitas Epiſcopalis confertur per manus impoſitionem in capite.

1 Tim. c. 4. Act. c. 6. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Bellar. Filliuc.

29 Aliæ cæremoniæ, quibus Epiſcopus conſecratur. Epiſcopus eſt Paſtor, Doctor & Sponſus Eccleſiæ. Epiſcopatus non eſt propriè Ordo diſtinctus à Sacerdotio.

Deindè conſecratur vnctione Chriſmatis in capite, & manibus, impoſitione Mitræ, traditione baculi paſtoralis, & annuli in digito, atque traditione libri Euangeliorum ad illa interpretanda, eſt enim perfectus Paſtor animarum, Doctor, & Sponſus Eccleſiæ, quapropter pluribus cæremonijs conſecratur: quæ ſunt ſacramentalia quædam: Non enim Epiſcopatus ſecundum probabiliorem ſententiam eſt Ordo propriè dictus, diſtinctus à ſacerdotali, ſed idem character Sacerdotalis virtute huius conſecrationis extenditur ad alias poteſtates, & ideò iſta omnia dici poſſunt Sacramentalia quædam ad ſignificanda varia munera dicti Paſtoris, Doctoris, & Sponſi, ſicut nos fuſius hoc probauimus ſupra in cap. 2. huius tr. nu. 7. Ità Fill. c. 1. tr. 9. cap. 2. num. 4.

Filliuc.

30 De materia, & forma Ordinis Diaconatus. 1. Sententia.

Secundò Dicendum eſt de Materia, & forma, in qua imprimitur character Diaconatus in ſua ordinatione: & dicimus (ſequendo communiorem ſententiam) Materiam eſſe traditionem libri Euangeliorum, Formam verò eſſe illa verba, quæ tunc proferuntur ab Epiſcopo, ordinante, dicendo: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei &c.* in quibus verbis confertur Sacramentum, & imprimitur character Diaconatus indelebiliter in Anima ipſius ordinati: Ità dicunt Gregorius de Valentia p. 4. Diſp. 9. quæſt. 1. p. 5. Faber. in 4. D. 24. quæſt. 1. d. 1. cap. 4. num. 3. Villalob. in ſum. to. 1. tract. 11. Diffic. 4. nu. 1 & Diffic. 5. nu. 2. Nugnus to. 2. in addit. 3. p. quæſt. 37. Art. 5. ad quintum §. ſextus Ordo, & ibi D. Thomas cum alijs, quos ſequitur Diana p. 3. tract. 4. Reſolut. 188. & eſt doctrina Concilij Florentini in tract. de Sacramentis, vbi dicitur: *Hoc Sacramentum in Diacono perfici per traditionem libri Euangeliorum.*

Valentia. Faber. Villalobos. Nugnus. D. Thomas. Diana. Conc. Flor.

31 2. Sententia.

Sunt tamen nonnulli Doctores, dicentes: Ordinationem Diaconatus duabus actionibus perfici: primò per impoſitionem manus Epiſcopi ſuper caput ordinandi, dicendo: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Et ſecundò per traditionem libri Euangeliorum: Nam de impoſitione manus conſtat ex ſcriptura pluribus in locis, ità enim ordinabant Apoſtoli Diaconos; prout probant Bellarminus tom. 2. de Sacramento Ordinis lib. 1. cap. 9. Henriquez lib. 10. cap. 8. num. 3. Coninch. tom. 2. Diſp. 20. d. 7. Concluſ. 3. Ledeſma 4. p. q. 36. Art. 4. Syluius in 3. p. q. 37. Art. 2. quæſt. 3. Filliuccius tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 44. Petr. à Soto lect. 5. de Ordine, & Layman Theol. mor. lib. 5. tract. 9. c. 5. nu. 2. cum alijs aſſeclis, qui hoc varijs rationibus, & auctoritatibus probant.

Bellar. Henriq. Coninch. Ledeſma. Syluius. Filliuc. Pet. à Soto. Layman.

Confirmatur autem hæc ſententia, quia in princi- 32

pio

Confirmatur ratio ſecundę ſententiæ.

pio fundationis Eccleſiæ, quando noudum ſcriptum erat Euangelium ſimpliciter ordinabantur Diaconi per manus impoſitionem, & in hac actione imprimebatur character, & erant veri Diaconi, ergò videtur, quod ſaltem vtraque cæremonia eſt de eſſentia ordinationis Diaconi: tum autem, quia nondum erat ſcriptum Euangelium, & ideò non erat neceſſaria traditio libri Euangeliorum, eo quod non canebatur in Miſſa: modo vero vtraque actio eſt de eſſentia Sacramenti, & per poſteriorem perficitur prima, extendendo characterem ad aliam poteſtatem legendi Euangelium, & ità vtraque actio videtur eſſe neceſſaria, quapropter vtraque ſententia eſt valdè probabilis: prout dicit Diana p. 3. de Sacr. tr. 4. Reſol. 188. cum alijs ſup. citat.

Concluſio.

Diana.

33 Vel poſſumus dicere: In diebus illis, quando nondum ſcriptum erat Euangel. talem modum ordinandi Diaconos fuiſſe permiſſum ex ſpeciali Chriſti Conceſſione, prout dicit Bonac. tom. 1. D. 8. p. 3. num. 4. vel credibile eſt, quod tunc poterat dari aliqua charta in qua detinebantur ſcripta myſteria fidei, & hæc erat ſufficiens materia ordinationis, prout exiſtimāt Henriq. cum Filliuecio: locis ſupra citatis: Vel melius dicere poſſumus eſſe opinionem valdè probabilem: Dominum Ieſum in nocte Cœnæ inſtituiſſe omnes materias Ordinum, non quidem explicitè in particulari, ſed generaliter monendo Apoſtolos, vt Ordines conferrent per diuerſas traditiones inſtrumentorum, quibus ſignificaretur eorum poteſtas: Ità Bellarminus d. tom. 2. lib. 1. de Ordine cap. 9. in fine; & Fornarius in addit. ad Tolet. cap. 2. de Ordine num. 2. Filliuc. & Bonac. locis ſup. citatis.

Alia reſpōſio Bonacinę.

Alia reſponſio.

Bellorm. Fornarius. Filliuc. Bonac.

34 Tertiò dicendum eſt de Materia, & forma in ordinatione Subdiaconatus: Pro cuius intelligentia dicimus, quod Subdiaconus duos habet principales actus ex vi ſuæ ordinationis, qui ordinatur ad Miſſæ Sacrificium perficiendum, quorum vnus eſt legere Epiſtolam in Miſſa cum veſtibus ſacris, alter verò eſt ordinare materiam Euchariſtiæ, & ponere in vaſibus ſacris: Ideò ſunt aliqui Doctores, exiſtimantes per vtramque cæremoniam imprimi characterem in Subdiaconatu: De ſecundo non eſt controuerſia: conueniunt enim omnes, quod traditio calicis cum patena ſit materia huius Sacramenti; De traditione libri probant, quia eodem modo traditur liber Epiſtolarum Subdiacono, dicendo verba formæ: *Accipe poteſtatem &c.* Sicut Euangeliorum Diacono, ſed in hoc traditio Euangeliorum eſt materia illius Ordinis, ergò & in Subdiacono traditio libri Epiſtolarum erit materia, ſaltem partialis: Ità exiſtimant Filliuccius tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 45. Vigoerius Inſt. mor. cap. 16. §. 6. & Chamerota tract. 9. lib. de ſacramentis tract. 11. c. 3. d. 2. volunt ergò iſti Doctores vtraque pertinere ad materiam huius Ordinis.

De materia, & forma Ordinis Subdiaconatus.

Aliqui putāt duplicem eſſe materiam huius Ordinis.

Filliuc. Vigoerius. Chamerota.

35 Sed ſententia communior eſt, quod materia Subdiaconatus conſiſtit in traditione calicis vacui cum patena, in quo actu imprimitur character illius Ordinis: quia iſte ſecundus actus eſt principalior huius Ordinis, eò quod Sacramento Euchariſtiæ immediatior eſt, ergò ad illum tamquam excellentiorem imprimitur character, prout dicitur in Can. Subdiaconus Diſt. 23. & Turrecremata ibi: Ità Vaſquez in 3. p. tom. 5. D. 236. c. 5. Syluius 3. p. quæſt. 37. A. 2. quæſt. 2. Coninch. tom. 2. D. 20. d. 6. nu. 69. & Graffius tom. 1. Deciſ. lib. 1. cap. 9. num. 20. Comitolus Reſponſ. Mor. lib. 1. quæſt. 12. Molfeſius in ſumm. tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 22. Vinaldus in Candel. de Ordine tract. 15. cap. 2. num. 1. Fornarius de Ordine capit. 2. numero 6. Henriquez libr. 10. capit. 8. numer. 3. & Diana p. 3. tractat. 4. Reſolut. 189. & alij, concordant Paulus Layman in Theol. Mor. l. 5. tract. 8. c. 5. num. 3. Valent. tom. 4. D. 9. quæſt. 1. p. 5.

2. Sententia exiſtimat eſſe traditionē calicis &c.

Can. Subd. Turrecrem. Vaſq. Syluius. Coninch. Graffius. Comitolus Molfeſius. Vinaldus. Fornarius. Henriq. Diana Layman.

Valentia.

36 Quartò dicendum eſt de Materia, & forma Ordinum minorum, & Primò de Acolyto, in cuius ordinatione duo inſtrumenta traduntur ab Epiſcopo ad ſignificāda diuerſa munera ipſius ordinati: Primò enim traditur in manu ipſius candelabrum cum cereo, vt illud portet accenſum, quando canendum eſt Euangelium, quò lumine ſignificatur iam non eſſe amplius vmbram veteris teſtamenti, ſed lucem Euangelicæ gratiæ. Deindè traduntur Vrceoli vacui ad illos tangendum, dicente Prælato (*Accipe vrceolos, ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini*) prout legitur in Pontificali Romano.

Materia Ordinis acolytatus eſt dup. Quid ſignificet traditio candelabri cū cereo.

37 Et in hac traditione vrceolorum imprimitur character huius Ordinis indelebiliter in Anima ordinati, cui confertur poteſtas per Ordinem ad Euchariſtiam: Et per talem vſum vrceolorum Acolytus propinquius accedit ad Miſſæ Sacrificium, quam per actum primum, quamuis taliter ordinatus communiter denominetur ab actu primo minus principali, qui magis apparens eſt, & frequentior, & ideò denominari ſolet Ceroferarius: Character autem (vt dixi) imprimitur in traditione Vrceolorum: Ità Henriq. in ſumm. l. 10. c. 9. num. 1. & Bonac. tom. 1. D. 8. p. 3. num. 6. Forn. in addit. Tol. de Ord. c. 2. num. 1. Graff. tom. 2. Deciſ. libr. 1. cap. 9. num. 20. & Turr. in C. Acolytus D. 23. Filliuc. tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 46. quamuis iſte exiſtimet vtramque cæremoniam pertinere ad Ordinis materiam.

Character imprimitur in traditione vrceolorum. Quare Acolytus denominetur Ceroferarius.

Henriq. Bonac. Fornarius. Graffius. Turrecrem. Filliuc.

38 Quintò dicendum eſt de Ordine Exorciſtatus, in quo imprimitur character, iuxta communem omnium ſententiam in traditione libri Exorciſmorum, per quā traditionem datur poteſtas Spiritualis ad impediendam poteſtatem Dæmonum, dicente ordinante: pro forma: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiuè baptizatos, ſiuè Catechumenos:* Ità Graff. & Filliuc. cum alijs ſup. cit. & Turrecr. in c. Exorciſta D. 23. Conc. Cartag. 4. cap. 6.

Materia Ordinis Exorciſtatus, quæ?

Graffius. Filliuc. Turrecrem. Conc. Carth.

39 Sextò dicendum eſt de Ordine Lectoris, in quo character imprimitur in traditione libri, in quo interæ ſunt Lectiones Sacræ Scripturæ, dicente ordinante: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter, & vtiliter impleueritis officium veſtrum partem cum ijs, qui verbum Dei benè adminiſtrauerunt ab initio:* Ità Turrecr. in C. Lector D. 23. & patet ex Conc. Cart. 4 cap. 6. D. Thom. Soto, & Palud. in 4. D. 25. & alij cum Bonac. D. 8. q. Vn. p. 3. num. 7. & Filliuc. d. tract. 9. cap. 2. numer. 47.

Materia Ordinis Lectoris, quæ?

Turrecrem. Conc. Carth. D. Thom. Soto. Palud. Bonac. Filliuc.

40 Septimò dicendum eſt de Ordine Oſtiariatus, quæ infimum locum tenet inter minores Ordines: Materia illius eſt traditio clauium, per quam traditionem datur Spiritualis poteſtas ordinato claudendi, & aperiendi ianuas Eccleſiæ ad recipiendos fideles, & excludendos infideles, & excommunicatos, ne interſint Miſſæ ſacrificio, dicente ordinante pro forma (*Sic agite, quaſi reddituri Deo rationem pro ijs rebus, quæ his clauibus clauduntur.*) Ità communiter omnes ſupracitati Doctores.

Materia Ordinis Oſtiariatus, quæ?

41 Ex his ergò patet præeminentia ſeptem Ordinum deſumitur enim per Ordinem, & approximationem, quam quilibet Ordo habet ad ſacrificium Miſſæ, ſecundum magis, & minus, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè: Quapropter omnibus alijs præeminet Ordo Preſbyteratus, qui ordinatur ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, atque ad ſoluenda peccata: Deindè Diaconatus, qui proximior eſt ad miniſtrandum Sacerdoti Sacrificant.;

De Præeminentia, & officijs Ordinum ſacrorum.

Poſt-

Poſtmodum Subdiaconus, cuius officium eſt ſumere materiam conficiendi Euchariſtiam à populo, & offerre Diacono: Diaconus verò offert ſacerdoti, & ſacerdos Deo, & ideò Diaconus dicitur miniſter Sacerdotis: Subdiaconus verò Subminiſter Sacerdoti, & miniſter Diaconi, & ideò dicitur Subdiaconus.

42 *Præeminẽtia & Ordo inter minores Ordines.*

Inter minores Ordines præeminet Acolytus, qui habet miniſterium ſuper vaſa, in quibus materia Sacramenti Euchariſtiæ præparatur: Deindè Exorciſta, qui cooperatur Sacerdoti, quantum ad actum eius ſecundarium, qui eſt ligare, & ſoluere, per quem energumini liberantur à ſeruitute, & vexatione Dæmonum: Poſtea Lector, qui cooperatur Diacono, quò ad actum eius ſecundarium legendi Euangelium: Officium enim Lectoris eſt legere in Eccleſia lectiones veteris teſtamenti: Vltimò tandem loco eſt Oſtiarius, cuius eſt admittere, vel non admittere in templum, vt ſupra iam declaratum eſt. Et hæc eſt ſufficientia, & dignitas, & munus cuiuslibet Ordinis minoris.

43 *De forma verborum huius Sacramenti. Forma iſtius datur modo imperatiuo cum expreſſione miniſterij.*

De forma tandem Sacramenti Ordinis ferè nihil remanet dicendum, cum in præcedentibus quælibet forma in proprio Ordine fuerit explicata: ſolùm enim generaliter dicimus: Formam Sacramenti huius eſſe verba illa, quæ proferuntur à miniſtro ordinante debita cum intentione modo imperatiuo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur ordinato in traditione illius inſtrumenti proportionati ad Ordinem, qui tunc confertur iuxta formam præſcriptam in Pontificali Romano, in quolibet Ordine; Ità Henriq. in ſum. lib. 10. num. 1. Filliuccius d. tract. 9. cap. 2. num. 49. alijque communiter.

Henriq. Filliuc.

44 *Formę Ordinum, à quo fuerunt inſtitutæ.*

Quæ formæ deſumptæ ſunt ab Eccleſia, ipſo Deo inſpirante, iuxta formam, qua vſus eſt Chriſtus Dominus in nocte cœnæ quando ordinauit Apoſtolos ſuos Sacerdotes, dicendo: *Hæc facite in meam commemorationem*: Ex quibus verbis deindè Eccleſia confecit formam illam: *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* Et ſic de cæteris: Vndè quælibet forma inſtituta eſt iuxta inſtitutionem ipſius Chriſti, ipſo Deo inſpirante, quod colligitur ex ipſo vſu Eccleſiæ, quæ ſemper huiuſmodi formis vſa eſt à tempore Apoſtolorum vſque ad nos: prout dicit Nugn. in addit. 3. p. q. 34. A. 4. in Commento, & alij communiter.

Nugnus.

45 *Quare forma huius Sacramenti datur modo imperatiuo.*

Notandum autem, quod forma Sacramenti Ordinis profertur modo imperatiuo ad oſtendendum ordinatum fungi debere munere ſuſcepto, ne videatur illud inutiliter ſuſcepiſſe: Nam Sacramentum hoc non eſt per ſe ordinatum ad ſanctificationem hominis ſuſcipientis, quatenus eſt perſona priuata, & particularis, ſicut cætera Sacramenta, ſed eſt ordinatum ad Chriſtianam Rempublicam: & ideò eius effectus conſiſtit in poteſtate tradita, & potentia per vſum, & actũ innoteſcit: Quapropter Prælatus ordinans dat formã per modum imperantis, vt ſignificet, quod Ordinatus tali Ordine debet in vſum poteſtatis traditæ ſe exercere, ne in vanum poteſtatem recipiat; Ità D. Thom. in 4. D. 45. & in addit. 3. p. q. 34. Nugnus ibi, & Soto D. 45. q. 1. A. 2. Bonacina tom. 1. D. 8. p. 3. nu. 12. Henriq. in ſum. lib. 10. c. 5. n. 1. Filliuccius d. tr. 9. c. 2. nu. 49. cum alijs ab ipſis citatis &c.

D. Thom. Nugnus. Soto. Bonac. Henriq. Filliuc.

46 *Inuocatio Trinitatis nõ eſt neceſſaria in his formis.*

Notandum inſuper: In forma huius Sacramenti Ordinis: Non eſſe neceſſariam inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, dicendo in ſingulis formis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* ſicut fit in Baptiſmo, & Confirmatione: quia illa prætermiſſa non mutatur eſſentialiter ſenſus formæ, & validum eſt Sacramentum: Verùm eſt tamen, quod de congruentia, & ex vſu Eccleſiæ decenter additur in forma ordinationis, prout dicitur in Concilio Florentino, & habetur ex Pontificali in ſingulis formis, quapropter talem inuocationem omittere, non eſſet ſine culpa Epiſcopi ordinantis, & forſitan grauis, quia eſſet contra communem vſum præſcriptum ab Eccleſia: Ità Henriquez, Nugn. & Bonacina ſup. num. 14. cum alijs ſupra citatis, vt Reginaldus lib. 36. tract. 1. num. 9. Em. Sà Verb. Ordo num. 5.

Debet tamen addi ex congruentia, & ex vſu Eccleſiæ.

Henriq. Nugnus. Bonac. Reginald. Em. Sà.

47 *Greci ſub qua forma ordinãtur in ſacris.*

Notandum, quod Eccleſia Orientalis Græcorum in conferendis Ordinibus vtitur iſta forma, dicendo (*Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & defectum ſupplet creat, vel promoueat hunc venerabilem ſubdiaconum in Diaconum, vel Diaconum in presbyterum, vel Deo amabiliſſimum presbyterum in Epiſcopum, quem tu Dominum Deus voluiſti, vt à me promoueretur, ſeu crearetur Diaconus, ſiuè presbyter*: & dum huiuſmodi verba, debita cum intentione profert, capiti ordinandi manum imponit, & proſequitur dicens: *Oramus igitur pro ipſo, vt veniat ſuper eum gratia, & plenitudo Sanctiſſimi Spiritus Amen.* Ità Arcudius loco infra citando.

Arcudius.

48 *Forma Græcorum quomodo accommodatur cũ Latina.*

Et hæc eſt forma Græcorum, quæ quò ad ſenſum eadem eſt cum Latina: neque enim verba, ſed rem ſpectare oportet (ſanè quidem) idem eſt dicere: *Accipe poteſtatem ſacrificandi &c.* ac dicere: *Diuina gratia conſecrat talem per me in presbyterum &c.* Ad quid enim creatur presbyter niſi, vt ſacrificium offerat: Vndè gratia hoc loco accipitur pro ipſo auctore gratiæ cum ipſamet gratia: & ità multis alijs rationibus exponit, & defendit hanc formam Petrus Arcudius lib. de concordia Eccleſ. Orientalis, & Occidentalis de Sacram. Ordin. lib. 6. c. 8. Et hæc de materia, & forma huius Sacramenti dicta ſufficiant.

Gratia accipitur pro ipſo auctore gratiæ. Pet. Arcud.

DE MINISTRO SACRAMENTI *Ordinis.*

CAP. IV.

1 *Miniſter Ordinis, quis ſit.*

Miniſter huius Sacramenti Ordinarius, & proprius eſt Epiſcopus, legitimè conſecratus: Ità enim communiter ſentiunt omnes Theologi Catholici in 4. ſentent. Diſtinct. 25. cum omnis Canoniſtis, & patet ex Can. 2. Apoſtolorum, & ex Concilio Florentino in decreto Eugen. & Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. & Can. 7. & alibi, & colligitur ex Scriptura, vbi tantummodò legitur Apoſtolos Sacramentum Ordinis alijs adminiſtraſſe: vt Act. cap. 6. 2. Tim. 1. & 1. Tim. 2. & 4. in quibus locis non niſi ab Apoſtolis legimus aliquos fuiſſe ordinatos, & talis habetur vſus perpetuus in Eccleſia, Vndè creditur, quod talis inſtitutio ſit de iure Diuino, & habetur per traditionem Apoſtolicam ſecundum Diuum Dionyſium lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 5. Ità Bellarminus tom. 2. de Sacrament. Ordin. lib. 1. c. 7. Henriq. in ſum. lib. 10. c. 23. Filliuccius to. 1. tract. 9. c. 5. nu. 91. Fornatius de Sacramento Ordinis c. 5. nu. 1. Bonac. to. 1. D. 8. p. 4. nu. 3.

Can. 2. Apoſt. Conc. Flor. Conc. Trid. Actor. c. 6. 2. Tit. 1. 2. 4. Eſt inſtitutio ex Diuino iure. D. Dionyſ. Bellarm. Henriq. Filliuc. Fornar. Bonac.

2 *Quare tãtum Epiſcopi poſſunt conferre ſacros Ordines.*

Ratio autem huius eſt, quia Epiſcopus in ſua Diœceſi eſt quaſi Princeps Eccleſiaſticus, ad quem ſpectat Eccleſiaſticas dignitates, functioneſque ſacras diſtribuere, cuiuſmodi ſunt ſacri Ordines, qui conferuntur in Eccleſia: Tum etiam, quia ſicut ad ſolum Principem ſpectat in exercitu milites bellatores ordinare, & Duces conſtituere ipſius exercitus; Ità ad Epiſcopum, qui eſt Eccleſiæ Princeps ſpectat ordinare homines ad certandum contra fidei perſecutores ad confitendum audacter fidem Chriſti, quod facit conferendo Sacramentum Confirmationis: inſuper debet ordinare Duces, & Miniſtros ſacramentorum, quod facit per collationem ſacrorum Ordinum: Si ergò adminiſtratio Sacramenti Confirmationis eſt munus Epiſcopi, eò fortius dicendum eſt de Ordinis Sacramento, prout

dicit

Digitized by Google

D. Thom. Bonac. Filliuc. Henriq.

dicit Diuus Thomas in addit. 3.par. q. 38. Articulo 1. arg. Sed contra &c. Bonacina, Filliuc. & Henriq. loc. ſup. citatis.

Simplex ſacerdos non poteſt aliquo modo Ordines conferre.

3 Ex quo ſequitur, quod ſi ſimplex Sacerdos, qui non adhuc ſit Epiſcopus conſecratus Ordines ſacros conferre præſumpſerit, non ſolùm alieni muneris vſurpator eſſet, & grauiſſimè peccaret, verùm etiam Sacramentum collatum nullum eſſet, incideretque in pœnam ſuſpenſionis, & eſſet grauiter puniendus: Non enim ſimplex ſacerdos poteſt validè Ordinis Sacramentum adminiſtrare, neque per conceſſionem ipſius Epiſcopi: Nam Epiſcopus ea, quæ ſui iuris ſunt non poteſt Clericis inferioribus, ideſt inferioris ordinis demandare, quia hoc tantum ſpectat ad Summum Pontificem, in quo reſidet plenitudo poteſtatis, qui poteſt aliquando committere ſimplici Sacerdoti aliquos Ordines conferre poſſe, vt dicetur: Ità docent omnes Theologi ſupracitati, quibus addo Chamer. lib. de Sacram. tract. 11. c. 4. & colligitur ex c. Aqua de Conſ. Eccleſiæ, & alibi.

De miniſtro extraordinario ex cõmiſſione Papæ.

4 Dixi autem (*Miniſtrum ordinarium*) ad denotandum duplicem eſſe poſſe miniſtrum huius Sacramenti: Vnum ordinarium, alterum verò extraordinarium, & ex commiſſione Papæ: Miniſter ordinarius eſt ille, cui ratione Ordinis, vel officij conuenit talis poteſtas ex iure abſque aliqua commiſſione, ſiuè diſpenſatione, & talis eſt Epiſcopus, legitimè conſecratus, qui hanc poteſtatem recepit virtute diuina in ſua conſecratione, in qua, ſiuè imprimatur nouus character, (vt nonnulli exiſtimant) ſiuè melius (vt alij dicunt) idem character Sacerdotalis impreſſus extenditur ad alias poteſtates, vt Videl. poſſit miniſtrare Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, quorum adminiſtratio ſolius eſt Epiſcopi, vt patet ex rationibus ſupradictis, prout dicunt Doctores, ſtatim citandi numero ſequenti.

Poteſt Summus Pontifex concedere ſimplici ſacerdoti conferre minores Ordines.

5 Miniſter ex commiſſione dicitur ille, qui non habet proprium officium, ad quod talis conſequatur poteſtas, ſed requiritur, vt ei committatur ab habente talem facultatem: quàpropter poteſt Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis concedere, quod Minores Ordines aliquando conferantur à ſimplici Sacerdote non Epiſcopo, Et ideò vſu receptum eſt, quod Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ poſſint minores Ordines, & primam Tonſuram conferre, ſed hoc in proprijs Eccleſijs ex permiſſione Summi Pontificis: Ità Henriquez in ſumm. libr. 10. cap. 23. num. 3. Coninch. tom. 2. D. 20. d. 9. Bonacin. D. 8. p. 4. numer. 3. Filliucc. tom. 1. tractat. 9. cap. 5. num. 93. Fornarius de Ordine c. 5. num. 2. Soto in 4. D. 25. & Valentia D. 9. quæſt. 3. & alij Doctores communiter, nulla enim in hoc eſt controuerſia.

Cardinales in proprijs Eccleſijs.

Henriq. Coninch. Bonac. Filliuc. Fornarius. Soto. Valentia.

Abbates mitrati poſſunt conferre Ordines minores.

6 Similiter etiam: Abbates, habentes vſum mitræ, & baculi benedicti ab Epiſcopis poſſunt per conceſſionem ſacrorum Canonum conferre primam Tonſuram, ac quatuor minores Ordines, vt patet ex c. Quoniam D. 29. & ex c. Cum contingat de ætat. & qualit. Ordin. Quod tamen intelligendum eſt de ſuis ſubditis Regularibus, non autem de alijs: non enim licèt Abbatibus quantumcumque exemptis intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit ordinare, niſi tales habeant dimiſſorias ſuorum Prælatorum, & cum ſpeciali licentia, & conſenſu Ordinarij illius loci, in quo Ordines huiuſmodi cupiunt ſuſcipere: Ità enim habetur ex declarat. Cardinalium ex mandato Clementis VIII. quam refert Quaranta in Verb. Ordo §. Abbatibus pag. mihi 369. & patet ex Trid. ſeſſ. 23. c. 10. Ità Bonac. to. 1. D. 8. q. Vn. p. 4. nu. 3.

Limitatio in ſubditionis.

Declaratio Cardinaliũ. Quaranta. Concil. Trid. Bonacina.

Simplex Sacerdos ex cõceſſione Papæ poteſt conferre minores Ordines.

7 Dico etiam inſuper: poſſe aliquando ſimplicem Sacerdotem ex conceſſione ſpeciali Summi Pontificis validè, & licitè conferre primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines: Nulla enim afferri poteſt ratio ſufficiens, vt hoc ab Apoſtolica Sede concedi non poſſet: Imò hoc ſæpius conceſſum fuiſſe referunt Nauar. lib. 5. Conſil. 33. de Priuileg. Conſ. 13. & Vict. in ſum. §. 226. Henriquez lib. 10. cap. 23. num. 1. Bonacina tom. 1. D. 8. p. 4. nu. 3. & Filliuc. tom. 1. tract. 9. c. 5. num. 94. Quàpropter Chorepiſcopi, qui conſecrati non erant, ſed tantum erant coadiutores Epiſcoporum, ſicut modò ſunt Vicarij Generales poterant ex permiſſione Papæ conferre minores Ordines, ac etiam Subdiaconatum; (ſed tunc Ordo Subdiaconatus non erat inter ſacros Ordines deputatus) vt benè aduertit Filliuccius loc. cit.

Nauarr. Victoria. Henriq. Filliuc.

Maiores Ordines à ſolis Epiſcopis cõſecratis.

8 Quàpropter modo Ordo Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, qui dicuntur Ordines Maiores, & ſacri non poſſunt conferri, niſi ab Epiſcopis conſecratis: Nec enim Papa in hoc poteſt diſpenſare, eò quod ex traditione Apoſtolica creditur hoc eſſe de iure Diuino, quod miniſter Sacrorum Ordinum ſit ſolus Epiſcopus: prout dicunt Bellarmin. tom. 2. lib. 1. de Sacr. Ord. c. 7. Henriq. lib. 10. c. 23. Chamer. de Sacramentis tract. 11. c. 4. Vict. de Sacramentis nu. 222. Fornarius de Sacramento Ord. c. 5. nu. 2. & Bonac. d. D. 8. p. 4. nu. 3. cum alijs, & eſt doctrina D. Tho. in addit. 3. p. q. 38. A. 1. Nugnus ibi, & aliorum Theologorum, & Summiſtarum communiter.

Bellarm. Henriq. Chamer. Victoria. Fornarius. Bonac. D. Thom. Nugnus.

9 Sed Quæritur modo: An Ordo collatus ab Epiſcopo excommunicato, interdicto, ſuſpenſo, vel degradato ſit validus? & imprimat verum Characterem Ordinis ab illo collati?

Epiſcopi etiã hæretici, & degradati validè conferũt Ordines.

Reſpondetur Affirmatiuè, dum tamen fuerit legitimè conſecratus, & in collatione Ordinum debitam materiam, & formam, cum debita intentione applicauerit: Non enim poteſtas Ordinis Epiſcopalis, & conſecratio habita amittitur per huiuſmodi cenſuras, quia adhuc retinet character, & poteſtatem conferendi ſacramenta, quamuis illicitè, & ſacrilegè talem facultatem exerceat, vt colligitur ex Can. Non nocet. 1. quæſt. 1. & Can. Baptizatus de Conſ. D. 6. D. Tho. in addit. 3. p. q. 38. A. 2. Nugnus ibi, Soto in 4. D. 25. q. 1. A. 1. Paludanus q. 2. Coninch. D. 20. d. 6. Henriq. lib. 10. c. 21. Fornar. c. 4. nu. 2. Bonacina d. D. 8. p. 4. nu. 2. & alij: Ordinati tamen à talibus Epiſcopis, vltra peccatum mortale ſacrilegij ipſis cum ordinantibus commune, ſunt etiam ipſo facto ex iure ſuſpenſi ab ordinum executione: & ſi in ſuſceptis Ordinibus, ſiuè diſpenſatione miniſtrauerint fierent irregulares, cuius diſpenſatio pertineret ad Papam, prout dicunt omnes communiter ſupra citati, quibus addo Filliuc. tract. 9. capit. 5. num. 95.

C. Non nocet & Can. Baptizatus. D. Thom. Nugnus. Soto. Palud. Coninch. Fornar. Bonac.

Ordinati à talibus ſunt ipſo facto ſuſpenſi.

Filliuc.

Miniſter debet eſſe Epiſcopus, proprius nõ alienus. Niſi ex facultate facta ab Ordinario loci.

10 Notandum etiam ſecundò: quod diximus ſupra Epiſcopum ordinantem debere eſſe proprium, non alienum, quia ille, qui non eſt proprius Epiſcopus illius ordinandi, & in propria ſua Diœceſi, in qua habet iuriſdictionem conferendi Ordines, non poteſt eum licitè ordinare, niſi de licentia proprij Ordinarij: Neque in aliena Diœceſi poteſt licitè ordinationem facere, niſi habeat expreſſam facultatem illius Ordinarij: Quàpropter ſi ſecus fecerit, tam ipſe Epiſcopus, quàm ordinatus pœnam ſuſpenſionis incurrent: Ille à collatione Ordinum, hic verò ab executione Ordinum ſuſceptorum arbitrio proprij Ordinarij, vt patet ex Trident. Conc. ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 8. Ità Bonacina D. 8. quæſt. Vnic. 5. p. 4. numer. 7. Sanchez de Matr. l. 3. D. 23.

Concil. Trid. Bonac. Sanchez.

11 Quæritur 2. Quis nam dicatur Epiſcopus proprius alicuius?

Re-

Epiſcopus proprius tripl. Originis, Domicilij, & Beneficij, & qui ſunt.

Reſpondetur proprium Epiſcopum, Tripliciter eſſe poſſe; Originis, Domicilij, & Beneficij: Epiſcopus proprius Originis dicitur Epiſcopus loci, in cuius Diœceſi ordinandus natus eſt, & baptizatus, & parentes illius ibi habitabant: & ideò non ſufficit, quod aliquis natus ſit fortuito, dum parentes ibi eſſent cauſa itineris, vel negotij: Epiſcopus Domicilij eſt ille, in cuius Diœceſi ordinandus habitat, vel incipit habitare cum animo ſemper ibi remanendi; Epiſcopus Beneficij dicitur ille, in cuius Diœceſi ordinandus habet aliquod beneficium Eccleſiaſticum reſidentiale, quamuis fortè ex diſpenſatione ibi actu non reſideat; Ità Henriq. lib. 10. cap. 22. num. 2. Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 44. d. 19. num. 9. Coninch. D. 20. d. 9. num. 93. in fine: Bonacina D. 8. p. 4. num. 13. & alij. Quilibet enim ex his poteſt dici Epiſcopus proprius, qui poteſt ſuum ſubditum ordinare.

Henriq. Leſſius. Coninch. Bonac.

12 Quæritur 3. An Epiſcopus poſſit licitè ordinare perſonas ſibi non ſubditas, vel in aliena Diœceſi ſine proprij Epiſcopi facultate conceſſa in particulari?

Epiſcopus nō poteſt ordinare, niſi ſuos ſubditos.

Reſp. Negatiuè: Non enim poteſt licitè ordinare, niſi ſuos ſubditos, & non alios, niſi de licentia ſuorum Prælatorum per dimiſſorias, conceſſas: Vndè ſi ſecus fecerit ſuſpenſionem à collatione Ordinum incurret, & taliter ordinati ab executione Ordinis ſuſcepti ad arbitrium proprij Ordinarij: pro vt habetur ex Trid. d. ſeſſ. 23. c. 8. de Reformat. Ità Bonacina D. 8. q. Vnica p. 4. num. 7.

Conc. Trid. Bonac.

13 Epiſcopus nō poteſt licitè in aliena Diœceſi ordinationem facere.

Similiter etiam non licèt Epiſcopis in aliena Diœceſi Ordines conferre alicui, niſi de licentia expreſſa illius Epiſcopi, in cuius Diœceſi vult Ordines conferre, nec poterit aliquo modo ordinare perſonas, quæ non ſunt ſubiectæ illius iuriſdictioni, niſi tales habeāt dimiſſorias generales à ſuis Ordinarijs conceſſas, pro vt declaratum fuit à Congregatione Cardinalium ſuper Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. de Reform. & ſeſſ. 14. cap. 6. Ità Chamerota d. tract. 11. cap. 4. d. 6. & alij communiter.

Declaratio Cardinaliū. Chamer.

14 Regulares debent habere dimiſſorias ſuorum Prælatorum.

Similiter etiam dicimus de Regularibus: Non enim poteſt Epiſcopus licitè Sacramentum Ordinis Regularibus conferre, niſi habeant obedientiam, & conceſſionem ſuorum Prælatorum recipiendi talem, ac talem Ordinem; & Ratio huius eſt, quia Epiſcopus licitè Ordinare non poteſt niſi ſuos ſubditos: Regulares autem ſunt exempti à ſua iuriſdictione ordinaria, & ideò eos ordinare non poteſt, niſi de conſenſu ſuorum Prælatorum, vt ex ſupra dictis clarè patet: pro vt notauit Filliuc. d. tract. 9. c. 5. q. 4. nu. 97.

15 Regulares ordinantur ab Epiſcopo loci.

At quoniam Prælati Regularium cum non ſint Epiſcopi non habent facultatem ordinandi ſuos ſubditos in ſacris, neque in minoribus, niſi ſint Abbates mitrati, ideò Sacra Congregatio Cardinalium decreuit: Superiores Regularium poſſe litteras dimiſſorias ſuis ſubditis concedere, & ad Epiſcopum Diœceſanum illius Monaſterij, ſiuè Conuentus, in quo habitant de familia traſmittere ad Ordines ſuſcipiendos: Et ſi Epiſcopus Diœceſanus non adſit in ſua Diœceſi, vel ſi adſit in propria Diœceſi, & non eſſet habiturus tunc ordinationem, ad quemcumque alium Epiſcopum examinandum, & ordinandum tranſmittere poteſt, explicationem ſpecialem faciendo in dimiſſorijs, quod Diœceſanus non vult illo tempore ordinationem tenere, aliàs faciendo Prælati Regularium incurrent pœnam priuationis officij, & vtriuſque vocis actiuæ, & paſſiuæ ad alias electiones Ordinum faciendas: Hæc enim declaratio Cardinalium facta eſt de mandato Clementis VIII. anno Domini 1596. die 15. Menſis Martij, & refertur à Quaranta in ſum. Bullat. Verbo Ordo: & eſt iuxta Decretum Concilij Trid. d. ſeſſ. 23. c. 10. Quod benè aduertant Regulares in dimiſſorijs faciendis.

In dimiſſorijs facienda eſt expreſſa mentio, quod proprius Epiſcopus loci ordinationē non faciat. Quam pœnā incurrant, ſecus facientes.

Declaratio Cardinaliū. Quaranta.

16 Epiſcopus poteſt concedere facultatem alteri Epiſcopo ordinandi ſuos ſubditos. Dimiſſorias, qui poſſunt concedere. Conc. Trid. Dimiſſoriæ non expirant per mortem concedentis. Zabarella. Rebuff. Henriq. Filliuc. Bonacina.

Epiſcopus autem non ſolum per ſe ipſum poteſt ſuos ſubditos ordinare, ſed poterit quando ſibi videbitur expedire alteri Epiſcopo concedere facultatem conferendi Ordines ſuis Clericis, concedendo litteras dimiſſoriales, & commendatitias, quarum conceſſio pertinet ad proprium Epiſcopum Diœceſanum, ſiuè Domicilij, ſiuè Beneficij, vt ſupra explicatum eſt, & illo abſente, ſiuè mortuo poterit concedere dictas dimiſſorias Vicarius Generalis illius Diœceſis, vt patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 10. Quæ dimiſſoriæ conceſſæ non extinguuntur per mortem concedentis, aut finita eius poteſtate: nam gratiæ, & priuilegia non expirant per mortem concedentis: Ità Card. Zabarella in Clem. fin. de elect. quæſt. 1. Rebuff. in praxi tit. de forma dimiſſ. nu. 34. & 43. Henriquez lib. 10. c. 22. §. 3. Filliuc. tom. 1. tr. 9. q. 6. nu. 102. & Bonacina to. 1. D. 8. p. 4. nu. 21. & alij.

17 Capitulum ſede vacante concedere poteſt dimiſſorias, elapſo anno.

Quandò verò Epiſcopus Diœceſanus, eſſet defunctus, tunc capitulum illius Diœceſis, ſede vacante, elapſo anno à die mortis Diœceſani poterit concedere dimiſſorias clericis Diœceſanis, vt poſſint ſe conferre ad alium Epiſcopum ad ordines ſuſcipiendos, concedendo illis litteras dimiſſoriales, & teſtimoniales, ſed non antequam elapſus ſit annus à die mortis illius Epiſcopi, niſi in caſu talis Clericus eſſet arctatus ad Ordines ſuſcipiendos ratione beneficij; Vel quia niſi tunc Ordines ſuſciperet beneficium amitteret, ſiuè receptum, ſiuè recipiendum: in hoc enim caſu poterit Capitulum ſede vacante, etiam ante annum dimiſſoriam concedere: Ità Barboſa in Trid. ſeſſ. 7. c. 10. Henriquez lib. 10. c. 22. nu. 3. Fornar. de Sacr. Ord. c. 4. nu. 4. cum alijs, quos refert Bonacina d. D. 8. p. 4. nu. 22. Videte Stephanum Quaranta Verb. Capitulum, & Verb. Ordo.

Barboſa. Henriq. Fornar. Bonac. Quaranta.

18 Litteræ teſtimoniales diſtinguuntur à dimiſſorijs. Nauar. Bonac.

Poterit tamen Capitulum ſede vacante, etiam ante annum, concedere litteras teſtimoniales, quamuis dimiſſorias concedere non poteſt: Nam litteræ teſtimoniales non dicuntur dimiſſoriæ, pro vt benè aduertit Nauarr. De Temp. ordin. Conſ. 27. & Bonacina ſupra numer. 24. & in hoc conueniunt omnes communiter.

19 Quibus temporibus poſſunt ordines conferri.

Sed inſuper 4. Quæritur, quibus temporibus in anno permiſſum eſt Epiſcopis conferre ſacros Ordines?

P. Tonſura omni loco, & tempore.

Reſpond. quod prima Tonſura, cùm non ſit Ordo, ſed diſpoſitio quędam ad recipiendos Ordines, vti iam nos diximus ſupra in hoc tractatu c. 2. nu. 4. ideò licitè conferri poteſt prima Tonſura quocumque die, quacumque hora, & in quocumque loco decente, & honeſto: Quatuor verò minores Ordines conferri poſſunt, vel in quatuor temporibus ieiuniorum, vel in Dominicis diebus, & feſtis duplicibus, ſed ante prandium: pro vt dicitur in Pontificali Romano: & in c. de eo de Tēporibus ordinandorum.

MinoresOrdines in diebus feſtiuis, & 4. temporibus. Pontif. Rom. C. de eo.

20 Maiores Ordines, quo tempore licitè cōferuntur. Quā nam pœnam incidant ſecus facientes. Conc. Trid. C. Sanè. C. Conſultationi. Graff.

Ordines verò maiores, ſiuè ſacri non poſſunt licitè conferri, niſi in Sabbatis quatuor temporum ieiuniorum, vel in Sabbato Sancto maioris Hebdomadæ, vel in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & in Miſſa, pro vt dicitur in Pontificali: Si autem Epiſcopus ſine diſpenſatione Papæ ſecus fecerit incidit in pœnam ſuſpenſionis per annum à collatione Ordinum; ordinati vero extra tempus præſcriptum ſunt ipſo iure ſuſpenſi ab Ordine ſuſcepto, pro vt habetur ex Trid. ſeſſ. 23. c. 8. & in c. Sanè &c. Conſultationi de Temp. Ord. Graff. to. 2. deciſ. lib. 3. c. 12. nu. 16.

21 Duo Ordines ſacri ſimul ſi eidem conferri non poſſunt. C. Dilectus.

Duo autem Ordines ſacri, numquam conferri poſſunt eidem in eodem die, neque Subdiaconatus, ſimul cum minoribus abſque Summi Pontificis diſpenſatione; vt dicitur in cap. Dilectus: de Temp. Ordin. & taliter Ordinatus remanet ſuſpenſus ab executione Ordinum ſuſceptorum, donec abſolutionem obtineat

Digitized by Google

Syluest. Bonac. Em. Sà. Concil. Trid. Nauarr. Reginal.

tineat ab Apoſtolica Sede: Itá Syluester Verbo Ordo 2. numer. 7. Bonacina D. 8. p. 5. numer. 36. Em. Sà Verb. Ordo num. 18. & colligitur ex Trid. d. ſeſſ. 23. cap. 11. & 13. Nauar. de Temp. Ordinand. conſ. 17. Reginal. loc. cit. nu. 28.

22 Non debet Epiſcopus ordinare, niſi perſonas idoneas, & fide dignas, & in ætate conuenienti.

Notandum inſuper Epiſcopum licitè conferre non poſſe Ordines niſi perſonis dignis, & idoneis, de quorum moribus, & vita habeatur ſufficiens relatio à perſonis fide dignis, & quod huiuſmodi ordinandi ſint in ætate legitima conſtituti: Quapropter non debet dare primam Tonſuram, & tres minores Ordines, Oſtiariatum, Vid. Lectoratum, & Exorciſtatum, niſi illis, qui iam ad annos diſcretionis perueniſſent, ſaltem ſeptimo anno completo à natiuitate, Acolytatus autem ordinem conferre non debet, niſi illis, qui iam ad annum duodecimum perueniſſent: Ad Subdiaconatus verò requiruntur viginti duo anni incœpti: ad Diaconatus viginti tres: ad Sacerdotium viginti quinque, & ſufficit, quod ſaltem per horam ſint incepti, & in hoc non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi Summus Pontifex: vt ex Trid. d. ſeſſ. 23. c. 12. Quod etiam intelligitur de Regularibus: Itá Em. Sà Verbo Ordo nu. 18. & eſt communis ſententia omnium Theologorum, & Canoniſtarum.

Conc. Trid. Em. Sà.

23 De temporũ interſtitijs. Minores Ordines poſſunt vni, & eidem eodem die cõferri.

Notandum etiam: Seruandas eſſe temporum interſtitias, non ſolùm in maioribus Ordinibus, verùm etiam in minoribus, iuxta determinationem Concil. Trid. ſeſſ. 23. Poterit tamen Epiſcopus aliquando, (ſi itá videbitur expedire) omnes quatuor minores Ordines vni, & eidem eodem die ſucceſſiuè conferre: non verò primam Tonſuram, ſimul cum Ordinibus minoribus eodem die conferri debent, pro vt dicit Graff. tom. 2. Deciſionum lib. 3. cap. 12. numer. 20. & patet ex Pontificali Romano, præciſa tamen conſuetudine, quia vbi talis conſuetudo eſt introducta poterit aliquando Epiſcopus diſpenſare, & ſic vni, & eidem ſimul eodem die dare primam Tonſuram, & minores Ordines, vbi fuerit talis conſuetudo, pro vt aduertit Sorbus in compend. Priuil. Verbo Ordo Capuccini adnotatio §. An autem de rigore; Henriq. lib. 10. cap. 11. in fine. Nam Concilium Trid. d. ſeſſ. 23. id in arbitrio Epiſcoporum committit, pro vt obſeruat Suar. tom. 5. D. 31. ſect. 1. num. 43.

Graff. Pontif. Rom. Sorbo. Henriq. Concil. Trid. Suar.

24 Duo maiores Ordines ſimul conferri non poſſunt. Diſpenſatio interſtitiarũ, ad quem ſpectat.

Ordines vero ſacri conferri non debent, niſi in anno completo, Quapropter à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad Subdiaconatus Ordinem, ſimiliter etiam à quolibet Ordine ſacro ad alium promouere non debet, niſi poſt annum completum, niſi aliter aliquando Epiſcopus ordinans diſpenſauerit, attenta neceſſitate, ſiuè vtilitate Eccleſiæ, pro vt habetur ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. capitul. 11. & 13. & alibi.

25 Annus completus quomodo ſit cõputandus.

Notandum inſuper, quod circa annum interponendum ab vno ad alterum Ordinem ſacrum attendendum eſt annum Eccleſiaſticum, non autem ſolarem, quapropter illi, qui quatuor temporibus, E. g. Quadrageſimæ promoti fuerunt poſſunt licitè ſine aliqua diſpenſatione anno ſequenti eiuſdem quatuor temporum Quadrageſimæ ad alium Ordinem ſacrum promoueri, licèt annus naturalis integer non ſit iam elapſus, eò quod in tali anno celerius, quàm ſuperiori celebretur: Itá enim Sacra Congregatio Cardinalium declaranit die 7. Septembris 1593. pro vt refert, & teſtatur Quaranta in ſumma Bullarij Verbo Ordo in additione Vltima in fine.

Declaratio Cardinaliũ. Quaranta.

26 Diſpenſare ſuper temporum interſtitias pertinet à Epiſcopũ ordinantem.

Notandum denique talem diſpenſationem ſuper temporum interſtitias circa omnes Ordines ſuſcipiendos pertinere ad Epiſcopum ordinantem, etiam reſpectu Regularium exemptorum: Quapropter in dimiſſorijs ſuorum Superiorum debet fieri mentio petendo ab Epiſcopo ordinante, vt ſuper illas interſtitias temporum dignetur diſpenſare, attenta neceſſitate, ſiuè vtilitate Eccleſiæ, ſiuè Religionis: Itá enim habetur in comp. priuil. Mend. Verb. Ordo Capuccini adnot. §. Et ſic concluditur; vbi dicitur talem fuiſſe factã declarationem Cardinalium, ſic etiam refert Quaranta loc. ſupra cit. Quod dicitur pro Prælatis Regularium ne errent in dimiſſorijs eorum.

Comp. Priu Capuc. adno. Quaranta.

Quæritur tandem 5. An quando Epiſcopus ante ordinationem prohibet ſub excommunicatione, ne quis fraudulenter ante legitimam ætatem, ſiuè cum dimiſſorijs falſificatis, ſiuè excommunicatus, ſiuè irregularis, ſiuè non admiſſus in examine, ſiuè alio impedimẽto impeditus ad Ordines recipiendos accedat: ſi aliquis contra talem prohibitionem Ordinem recipiat ſit excommunicatus ipſo facto? etiam ſi ſit Regularis exemptus? &c. 27

An excom. lata ante ordinationem contra malè promotos incurratur ab Ordinatibus.

Reſpond. quod ſi Epiſcopus realiter talem excommunicationem latæ ſententiæ fulminauerit, tales eſſent ipſo facto excommunicati, non ſolum ſubditi illius Epiſcopi, verùm etiam ſibi non ſubditi, etiã quod ſint exempti, & Regulares: quia in hoc caſu poteſtas Epiſcopi ordinantis videtur amplè interpretanda, nam Prælatus eorum per litteras dimiſſoriales ſubditos illos facit in collatione Ordinum: Poteſt enim Prælatus exemptus ſubijcere Regularem ſuum ad ea, quæ pertinet ad ordinationem, quapropter ſicut poterunt Regulares ante ordinationem generaliter abſolui ab Epiſcopo à quocumque vinculo cenſuræ occulto, itá etiam, poſſunt excommunicari ſi contrauenerint ad ea, quæ ad collationem Ordinum faciunt: pro vt dicunt Henriq. lib. 10. c. 20. lit. h. in Gloſſa, Nauarr. in man. c. 25. nu. 70. Bonacina D. 8. p. 3. nu. 32. & Fornar. in addit. ad Toletum. 28

Reſolutio eſt affirmatiua, etiam contra Regulares. Prælatus Regularium in acto Ordinationis ſubditos illos facit per dimiſſorias &c.

Henriq. Nauarr. Bonac. Fornar.

Verum eſt tamen, modo non debere Epiſcopos in collatione Ordinum huiuſmodi cenſuras latæ ſententiæ contra ordinandos fulminare, neque debere ſe proteſtare, & dicere (vt nonnulli ſæpè facere conſueuerunt) ſe non habere intentionem verè ordinandi eos, qui contra prohibitionem factam accedant; Imò potius in generali debet eos omnes abſoluere ad cautelam ab omni, & quocumque vinculo, & impedimento Canonico, diſpenſando in quacumque irregularitate occulta, in qua poterit ſecundum Deum, & Canones, quæ abſolutio, & diſpenſatio etiam valet pro Regularibus, quos Prælatus eorum Epiſcopo ordinanti in tali caſu ſubiecit, pro vt dicunt Henriquez d. lib. 10. c. 20. nu. 2. & Filliuc. to. 1. tract. 9. c. 5. q. 5. nu. 99. & Bonacina D. 8. p. 5. nu. 31. Mart. Fornar. in addit. Tolet. de Ordine c. 8. nu. 3. Quapropter in nouo Pontificali Romano talis excommunicatio eſt comminatoria, cum ſimpliciter dicat (ſub pœna excommunicationis) ideſt ferendæ: pro vt obſeruat Suar. to. 5. D. 42. ſect. 3. nu. 5. cum alijs ſupra citatis. 29

Aduertentia Epiſcopum. Non debent facere talem excommunicationem, neque proteſtationem de intentione. Abſolutio data ab Epiſcopo valet etiã pro Regularibus. Henriq. Filliuc. Bonac. Fornar. Pontif. Rom. Suar.

Sed Quæritur tandem Vltimò: An quando Epiſcopus dicat ſe non habere intentionem ordinandi eos, qui contra ſuam prohibitionem furtiuè ad ordinandum accedunt: An realiter tales ſint ordinati nec ne? 30

An quando Epiſcopus dicit, ſe non habere intentionem, ordinandi &c. accedẽtes in fraude, ſint ordinati.

Reſpondetur, quod ſi Epiſcopus itá realiter intenderet etiam in actu, quo confert ſacros Ordines, huiuſmodi non eſſent ordinati, quia miniſtri intentio in conferendis Ordinibus eſt de neceſſitate Sacramenti, vt patet per Concil. Trident. ſeſſ. 17. can. 11. de Sacramentis in genere, & omnes Theologi communiter fatentur.

Quoniam verò Epiſcopi in conferendis Ordinibus, vt plurimum huiuſmodi proteſtationem facere ſolent ad terrorem, nam in actu, quo conferunt Ordines ſimpliciter intendunt cuilibet ordinando poteſtatem 31

Epiſcopi talẽ proteſtationẽ facere ſolent ad terrorem.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Ff tra-

tradere, ideò creditur tales eſſe verè ordinatos, dum Epiſcopus dicit: *Accipe poteſtatem, &c.* realiter intendit, ſicut realiter debet intendere poteſtatem Ordinis ſimpliciter tradere: Imò Nauar. to. 2. Conſ. lib. 5. tit. de eo qui furtim Ordinem ſuſcipit Conſ. 1. n. 12. dicit Epiſcopum grauiter peccare, ſi in conferendis Ordinibus expreſse, vel tacitè non haberet intentionem ordinandi eos, qui ſunt Ordine indigni, vel excommunicati, vel fraudulenter accedant ad ſuſcipiendos Ordines, & ideò creditur: Epiſcopos in tali caſu huiuſmodi proteſtationem facere ad terrorem, & non cordetinus, ne ſit occaſio iniiciendi nouos laqueos.

Nauarr.

32 De ijs, quæ Epiſcopus ſeruare debet in conferẽdis Ordinibus.

Vltimò tandem dicimus: Epiſcopos in collatione Ordinum obſeruare debere ea omnia, quæ à Sacro Trident. Concil. ſeſſ. 23. de Reformat. ordinata ſunt, & habentur in rubricis Pontificalis Romani, tam circa ſcrutinium, quàm circa cæremonias, & tenetur in collatione Ordinum etiam minorum, (eò quod quodlibet illorum eſt Sacramentum) eſſe in ſtatu gratiæ, ſaltem per contritionem putatam: ne Sacramentum indignè adminiſtret. Debet etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi ſaltem ſemel in anno ordinationem facere per ſe ipſum, quod ſi ægritudine, ſiuè alio impedimento legitimè fuerit impeditus poterit mittere ſuos Clericos ad alios Epiſcopos per dimiſſorias, illos tranſmittendo examinatos, & approbatos, pro vt dicit Trid. d. ſeſſ. 23. cap. 3. Et hæc de miniſtro Sacramenti Ordinis.

Tenetur ſaltem ſemel in anno habere ordinationẽ in ſua Diœceſi.

DE SVBIECTO SACRAMENTI Ordinis, deque Conditionibus in eo requiſitis.

CAP. V.

1 Circa ſubiectum Sacramenti Ordinis duo ſe offerunt conſideranda in hoc præſenti capitulo. Primò de ſubiecto capaci, quò ad validitatem Sacramenti: Secundò de conditionibus requiſitis in ſubiecto, vt licitè, & ſine peccato poſſit illud ſuſcipere: Quod autem ad primum, dico breuiter: Subiectum capax Sacramenti Ordinis eſſe hominem maſculum, baptizatum, in quacumque ætate conſtitutum, etiam quacumque cenſura ligatum: eſt communis ſententia omnium Theologorum in 4. ſentent. D. 25. D. Thom. Bonau. Richardi, Scoti, & Dominici à Soto quæſt. 1. A. 2 & in addit. 3. p. q. 39. A. 2. & Nugn. ibi Coninch. D. 20. d. 10. numer. 94. & 97. & Bonacinæ D. 8. p. 5. numer. 1. & Filliucc. tom. 1. tract. 9. cap. 5. num. 73. cum alijs communiter.

Subiectum capax Ordinis, quis ſit.

D. Thom. D. Bonau. Richard. Scotus. Soto. Nugnus. Bonac. Filliuc.

2 Sexus fœmineus eſt incapax Ordinum Eccleſiæ.

Dixi ergò primò (*Hominem maſculum tantummodò eſſe capacem Sacramenti Ordinis*) ad excludendas fœminas, non enim ſexus fœmineus poteſt eſſe capax huius Sacramenti, cùm de iure Diuino ſit excluſa. Non enim aliqua fœmina quæcumque ſit illa poterit aliquo modo characterem recipere alicuius Ordinis, neque etiam actum alicuius Ordinis Eccleſiaſtici exercere; Vndè nec vaſa, & corporalia pallaſque ſanctas attingere poteſt, neque incenſum circa altare deferre, quantalibet Sanctitare ſit dorata, pro vt dicitur in c. Sacratas D. 23. Quàpropter dicit Abbas in c. Noua de Pœnit. & remiſſ. quod ſi mulier de facto ordinetur, non recipiet characterem, quia Chriſtus Dominus numquam fœminas ordinauit, ſed tantùm Apoſtolos, qui fuerunt homines dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: Ità Vaſq. D. 245. nu. 12. Coninch. D. 20. d. 10. nu. 94. & alij ſupra cit.

Nec vaſa ſacra tangere poteſt. C. Sacratas. Abbas.

Vaſq. Coninch.

3 Obiectio de Diaconiſſis, & Presbyteriſſis.

Nec valet dicere: In Sacris Canonibus mentionem fieri mulierum Diaconiſſatum, & Presbyteriſſatum, quæ prohibebantur ordinari aute quadrageſimum ætatis ſuæ annum, ergò mulier non eſt omninò incapax Sacramenti Ordinis, quia tales mulieres tempore illo ordinabantur Diaconiſſæ, & Sacerdotiſſæ, & pro vt habetur ex Can. Diaconiſſas 27. q. 1. & alibi.

4 Solutio. Quid intelligitur pro Diaconiſſis.

Reſpondetur Diaconiſſas illas, de quibus fit mentio in Sacris Canonibus nullo modo eſſe verè initiatas Sacramento Ordinis Diaconatus, aut Presbyteratus, ſed fuiſſe deſtinatas ad quædam obſequia diuina in inſtruendis fœminis Catechumenis ad Baptiſmum honeſtè recipiendum, & Presbyteriſſas illas non fuiſſe inſignitas Sacro Presbyteratus Ordine, ſed habuiſſe curam quarumdam rerum Eccleſiæ, & fundebatur forſitan ſuper eas aliqua benedictio, ex qua conſequebatur aliquod ſpeciale officium faciendi hebdomadam in choro, & legendi Euangelium, & Homilias ad matutini officium, quod non licebat alijs: ſicut modò etiam benedicuntur Abbatiſſæ, & Virgines conſecrantur. Ità Gloſſa in d. Can. Diaconiſſas: Vel poſſumus dicere, quod tales fuerunt forſitan vxores Diaconorum, & Presbyterorum, numquam tamẽ fuerunt ſacris Ordinibus initiatæ propter incapacitatem illius ſexus. Ità Valent. to. 4. D. 9. q. 4. p. 1. Coninch. D. 20. d. 10. nu. 16. Vaſquez D. 245. c. 2. nu. 12. & Bonac. d. D. 8. p. 5. nu. 5. Reginald. l. 3. nu. 19. D. Tho. in addit. q. 1. Henriq. in ſum. lib. 15. c. 8. nu. 6.

Quid de Presbyteriſſis.

Gloſſa in c. Diaconiſſas.

Valent. Coninch. Vaſq. Bonac.

5 De Hermaphroditis. Hermaphroditus, quis ſit & Vndè dicatur.

Sed modò Quæritur, An Hermaphroditus poſſit validè Ordinari ordinibus ſacris? & ſi de facto ordinetur, An verè recipiat characterem? Pro cuius intelligentia eſt Notandum, quod Hermaphroditus dicitur ille, qui vtrumque membrum habet genitale virile, Vid. & fœmineum, & appellatur ità propter nomen cuiuſdam ità dictum, de quo fabulantur Poetæ fuiſſe filium Mercurij, qui à Græcis appellatur, E΄ρμης, & Veneris ἀφροδιτῃ: Vndè ipſorum filius appellatus eſt Hermaphroditus, quaſi filius Mercurij, & Veneris: Et quoniam talis filius habuit vtrumque ſexum virile, Videlicet, & fœmineum, quò ad partes genitales, ideò omnes, qui ità naſcuntur appellati ſunt Hermaphroditi, quos Archidiaconus in c. Hæc imago 33. q. 5. circa medium appellat Androgynos; nam apud Græcos, ανδρογυνοι, dicuntur illi, qui vtrumque habent ſexum maris, Videlicet, & fœminæ: Ità Viualdus in Cand. de Irreg. Verbo Hermaphroditus.

Etymologia nominis.

Archidiaconus.

Viualdus in Cand. Aur.

6 Si magis participet ſexum fœmineum, aut æquè nõ poteſt ordinari.

Reſp. ergò modo ad quæſtionem, quod ſi talis Hermaphroditus æquè, aut magis participat ſexum fœmineum, quàm virilem, non poterit validè Ordinibus initiari, eò quod non magis dici poteſt maſculus, quam fœmina. Subiectum autem capax characteris Ordinis eſt tantùm maſculus, & non fœmina, & ideò talis inualidè eſſet ordinatus: Si verò præualet ſexus virilis, validè poteſt ordinari, cùm huiuſmodi dicatur maſculus: Verum eſt tamen Hermaphroditam non poſſe licitè ordinari propter defectum, & monſtruoſitatem naturæ, & talis reputatur irregularis, pro vt dicunt Suarez tom. 5. D. 51. ſect. 2. Henriq. lib. 10. cap. 16. Bonac. D. 8. p. 5. nu. 6. Nauar. c. 27. nu. 203. & Filliuc. to. 1. tract. 9. c. 4. num. 37. Syluester in ſumma Verbo Hermaphroditus nu. 1.

Si præualet ſexus virilis validè ordinatur, ſed illicitè.

Hermaphroditus reputatur irregularis.

Suar. Henriq. Bonac. Nauarr. Filliuc. Syluest.

7 Subiectum Ordinandum debet eſſe baptizatum.

Dixi 2. (*Baptizatum*) quia character huius Ordinis neceſſariò ſupponit characterem Baptiſmi, quia defectus Baptiſmi impedit receptionem aliorum Sacramentorum, cùm ſit fundamentum, & ianua omnium Sacramentorum: Vbi autem non eſt fundamentum ſuperædificari non poteſt: quàpropter, ſi quis non baptizatus eſſet ordinatus, debet prius baptizari, & iterum de nouo ordinari, eò quod prior ordinatio fuit omninò nulla: pro vt dicitur in cap. Veniens de Presbyter. non bapt. Si verò dubium ſit probabile ad vtramque partem: An ille talis fuiſſet verè baptizatus?

Si non baptizatus ordinetur, quid faciendum?

tunc

tunc in caſu vtrumque Sacramentum iterandum eſt ſub conditione, ad euitandum quodcumque periculum: Itâ Graff.tom.2.Deciſ.lib.1.c.11.num.8.alijque communiter.

8 *Infans, aut inſanus poterit validè ordinari, non verò licitè.*

Dixi 3.(*In quacumque ætate conſtitutum*) ad denotandum Infantem, aut inſanum, etiam ante vſum rationis eſſe capacem Sacramenti Ordinis: In huiuſmodi enim nullum eſt impedimentum ad recipiendum Ordinis characterem: Non ætatis: quia infans ſecundum omnes poterit validè etiam Sacerdos Ordinari. Non defectu proprij conſenſus, quia talis conſenſus non requiritur in infantibus ad validitatem huius Sacramenti: Nam in Sacramentis, in quibus datur poteſtas aliqua, quæ eſt prior actu ipſius ſubiecti non requiritur conſenſus recipientis, ſed ſufficit capacitas potentiæ, ſeù poteſtatis, quæ confertur, pro vt communiter dicunt omnes Theologi in 4.ſententiar. Diſtin. 25. & D. Thom. in addit. 3.p. quæſt.39. Art.2. Nugnus ibi, Coninch. Diſp.20. d.10. num.94. Vaſquez Diſp.246. cap. 1. Toletus libr.1. capitul. 16. Filliuccius d. tractat. 9. capitul.4. num.75. Henriquez libr. 10. cap.14. num.3. & Mart. Fornarius de Sacrament. Ordin. capit.6. num. 3. & alij.

D. Thom. Nugnus. Coninch. Vaſq. Tolet. Filliuc. Henriq. Fornarius.

9 *Obiectio.*

Nec valet dicere: Ad validitatem Sacramenti requiri intentionem non ſolum miniſtri, ſed etiam recipientis: At infans, vel inſanus, cum non ſint rationis capaces: non poſſunt habere intentionem recipiendi Sacramentum, ergò non poſſunt eſſe capaces Ordinis.

10 *Solutio. In Ordinibus recipiendis in infantibus non eſt neceſſaria ipſorū intentio.*

Reſpond. Negando aſſumptum: Non enim eſt neceſſaria actualis intentio recipientis ad validitatem Ordinis, ſed ſufficit in infantibus voluntas Eccleſiæ, & miniſtri conferentis: Niſi tamen recipiens habeat voluntatem contrariam non recipiendi Sacramentum: quia tunc huiuſmodi non remaneret ordinatus, quæ voluntas contraria in infantibus, & inſanis formaliter inueniri non poteſt, & idcò poſſunt validè ordinari: Itâ dicunt Soto in 4. Diſtinct. 25. quæſt.1. A. 2. ad ſecundum Bonacina D.8. p.5. num.3. Valentia tom.4. D.9. quæſt.4. p.1. Coninch. p.2. Diſp.20. d.10. numer. 100.

Soto. Bonac. Valent. Coninch.

11 *Differentia inter infantes & amentes.*

Vndè: Hæc eſt differentia inter pueros vſu rationis carentes, & inter amentes, & inſanos, quod illis validè conferri poſſunt Ordines, cùm in illis non ſit contraria voluntas, iſtis autem, qui poſt vſum rationis in amentiam inciderunt non validè conferuntur Ordines, ſi ante amentiam non expetierunt, quia tunc cenſentur habitualiter nolle Ordines ſuſcipere: pro vt dicunt Coninch. D.20. d.10. nu.100. & Bonac. d. D.8. p.5. nu.3. cum alijs ſupra citatis.

Coninch. Bonac.

12 *An infans ordinatus Sacerdos teneatur ad caſtitatē?*

Sed hic inſurgit alia difficultas: An Infans ordinatus ordinibus ſacris, antequam ad annos diſcretionis peruenerit, teneatur poſtea, poſtquam ad conuenientem ætatem ſit peruentus ex vi voti, ſiuè præcepti Eccleſiaſtici, annexi Ordinibus ſacris ad recitandum Diuinum Officium, & ad caſtitatem ſeruandam? iuxta Eccleſiaſticum præceptum.

13 *Reſolutio eſt negatiua. Votum quid ſit.*

Reſpondetur: Non teneri, niſi votum ratificauerit, acceptando voluntariè, & exequendo Ordinem ſacrum receptum: & Ratio huius eſt, quia: Votum eſt deliberata promiſſio facta Deo, animo ſe obligandi: carens autem vſu rationis non potuit deliberatè promittere, & ſe obligare: Quapropter aiunt Doctores huiuſmodi infantem taliter ordinatum, cum ad ætatem conuenientem peruenerit relinquendum eſſe in arbitrio ſuo, vt ſi ſacerdotium velit exercere, tunc remanebit adſtrictus ad Diuinum Officium, & caſtitatem colendam: quia tunc voluntariè ratificat, & acceptat ſacrum Ordinem ſuſceptum, in quo annexa eſt talis obligatio: Si verò Matrimonium eligat, poterit quidem liberè Matrimonium contrahere: quia non tenetur caſtitatem ſeruare, manet tamen ſuſpenſus ab executione Ordinis propter præceptum Eccleſiæ: Itâ Henriquez d. libr. 10. capit.14. numer. 3. Filliuccius ſupra numer.77. Azorius lib.13. capit.14. Tolet. libr.1. cap.61. Soto de Iuſt. libr.7. quæſt.4. Art.2. conc. 2.

Quid faciendum in caſu.

Poterit eligere Matrimonium, ſed remanet ſuſpēſus ab Ordine.

Henriq. Filliuc. Azorius. Soto.

14 *De Ordinatis per vim, & metum.*

Quod etiam dicendum eſt de adulto, qui per metum grauem, cadentem in conſtantem virum promotus fuerit ad ſacros Ordines, ſi talis omninò inuitus, reluctante voluntate ordinatus fuerit, non recepit characterem Ordinis, quia in adulto requiritur voluntas recipiendi Ordines: Si autem metu graui, etiam cadente in conſtantem virum ordinatus eſſet, ſi tamen in actu, quo conferebantur Ordines habebat intentionem recipiendi, licèt coactè, tunc recepit quidem characterem Ordinis, ſed iſte talis non erit obligatus ad caſtitatem ſeruandam, & Officium Diuinum perſoluendum; ſi nolit vti Ordine ſacro per vim ſuſcepto: Nam obligatio voti pendet ex voluntate non coacta, ſed libera: Nec Eccleſia ſuo ſtatuto intendit inhibitionem facere Matrimonij, niſi illis, qui ſpontè Ordines ſacros ſuſcipientes obligantur implicitè ad ſtatum continentiæ: Si verò ſemel, vel pluries ratificauerint, verbis, aut facto exercendo Ordinem ſacrum ſuſceptum, tunc adſtricti erunt ad vtrumque, vt patet, quia talis obligatio illis Ordinibus eſt annexa. Itâ Henriquez lib.10. cap. 14. num. 3. Bonacina de Matrimon. quæſt.3. p.9. num.12. & D. 8. de Ordine p.5. num.41. Sanchez de Matrimon. lib. 7. D.29 num.5. & alij, vt Coninch. p.2. D.20. d.11. numero 50.

Obligatio voti pendet ex voluntate libera, non coacta.

Henriq. Bonac. Sanch. Coninch.

15 *Hæretici, & irregulares ſunt capaces Ordinum. Concluſio.*

Dixi tandem (*Etiam ſi ſit Hæreticus, excommunicatus, ſiuè irregularis*) quia huiuſmodi impedimenta, licèt impediant executionem Ordinis malè ſuſcepti non impediunt tamen validitatem ſacramenti ſuſcepti, quamuis illicitè, & ſacrilegè: ſufficit enim ad validitatem Sacramenti ſubiectum eſſe maſculum, baptizatum ſine voluntate contraria recipiendi Ordinem, vt patet ex ſupradictis, pro vt communiter dicunt omnes Theologi in 4. ſentent. D.25. & Canoniſtæ in verbo Ordo, & Bonacin. d. Diſp.8. p.5. numer. 38. & alij.

Theologi, & Canoniſtæ. Bonac.

16 *De conditionibus ad licitè ordines ſuſcipiendos.*

Secundò Dicendum eſt de conditionibus, quæ requiruntur in ſubiecto, vt licitè, & ſine peccato Ordines recipere poſſet: Quæ quidem multæ ſunt: Nos autem breuiter ad aliquas principales reducemus, quarum prima eſt: Vt clericus ordinandus debeat eſſe prius ſacro chriſmate confirmatus, pro vt habetur ex Trident. ſeſſ.23. cap.4. vbi dicitur: *Neminem prima Tonſura initiari debere, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperit*: Non eſt tamen talis conditio de neceſſitate Ordinis, nam ſi quis non adhuc confirmatus initiaretur, valida omninò eſſet ordinatio: Ordo enim non ſupponit de neceſſitate characterem Confirmationis, ſicut Baptiſmatis, qui neceſſariò ſupponitur: Itâ Suarez tom.3. de Sacramentis D.38. ſect.1. in fine, Reginaldus libr.28. numer.24. Coninch. tom.1. quæſt. 72. d.8. numer.6. & tom.2. D.20. d.10. numer.102. Soto in 4. D.22. quæſt.2. Art.4. Henriquez in ſumm. libr. 10. cap.14. Nauarr. cap.26. num.9. Bonacina Diſp.8. tom. primo, quæſt. vnic. p.5. num.11. Tolet. lib.2. cap. 24. num.1.

Prima conditio eſt, quod ſit antea confirmatus. Non eſt tamē de neceſſitate Sacramenti.

Coninch. Soto. Henriq. Nauarr. Bonac. Tolet.

17 Verum eſt tamen, quod non confertur licitè, & ſine graui culpa, tam Epiſcopi, quàm recipientis, quia fieret contra vſum, & præſcriptionem Eccleſiæ, itâ determinantis per Trident. & contra Rubricam Pontificalis Romani, dicentis: *Non debere prima Tonſura initiari illos, qui antea non fuerint confirmati*: Non eſſet tamen reſpectu vtriuſque

Digitized by Google

Non eſſet tamen p.m. ſed tantũ veniale graue. Ratio aſſertionis. Victoria. Candel. Aug. Aliqui exiſtimãt eſſe mortale. Bonacina. Tolet. & Fornarius.

peccatum mortale, ſed tantùm veniale, licèt graue: & Ratio huius eſt, quia Concil. Trident. non præcipit abſolutè, ſed tantùm præſcribit, quid facere debeant Epiſcopi ante collationem ordinum. Ità communiter omnes præcitati Doctores, quibus addo Victoriã de Ordine num. 232. & Viualdum in Candelab. de Confirmat. num. 41. Quamuis Bonacina tom. 1. D. 8. p. 5. num. 10. cum Tolet. lib. 2. cap. 24. num. 1. & Fornario de Ordine capit. 3. numer. 2. videantur dubitare: an tale ſit peccatum mortale, quia videntur facere contra Decretum Tridentini, & conſuetudinem Eccleſiæ: communior autem ſententia exiſtimat non eſſe p.m. ſed veniale.

18 Secunda conditio eſt, vt ſuſcepturus Ordines ſit prius initiatus prima Tonſura, mediante qua factus ſit clericus, & de foro Eccleſiæ: eſt enim Prima Tonſura fundamentum, & diſpoſitio ad Ordines licitè recipiendos, ſicut nouitiatus ad profeſſionem: patet hoc ex praxi, & communi vſu totius Eccleſiæ, & ex Trid. d. ſeſſ. 23. cap. 4. & ex Pontificali Romano: Verùm eſt tamen, quod ſi quis Ordines ſuſciperet ante primam Tonſuram valida erit ordinatio, quamuis taliter ordinatus, & Epiſcopus, ſciens huiuſmodi non adhuc eſſe initiatum prima Tonſura, & Ordines conferret à culpa mortali non excuſarentur, quia licèt non ſit de neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de neceſſitate præcepti in re graui: Ità Tolet. d. lib. 2. c. 51. nu. 10. & Fornarius loc. cit. Bonac. d. D. 8. p. 5. num. 11. cum alijs communiter.

Secunda conditio eſt vt ſit Clericus prima Tonſura initiatus. Concil. Trid. Secus faciens eſt validè ordinatus, ſed peccat mortaliter. Tolet. Fornarius. Bonac.

19 Dico inſuper, quod Sacramentum Ordinis, quomodocumque recipiatur, ſiuè gradatim, ſiuè per ſaltum, ideſt aliquo prætermiſſo Ordine inferiori, character ſuperior ſemper imprimitur, dummodò ordinandus fuerit baptizatus: Quapropter ſi quis prætermiſſis Ordinibus minoribus ordinaretur in ſacris, ſi per inaduertentiam hoc fecerit, putans ſe gradatim ad Ordines aſcendere, pœnitentia ſibi iniuncta, cautè ſupplendum eſt, quod incautè fuerat prætermiſſum: prout habetur ex ſacris Canonibus Can. ſolicitudo D. 52. Ità Hoſtienſis in ſum. de Cler. per ſaltum promoto §. vlt. in fine.

Ordo per ſaltum validè ſuſcipitur, ſed p. m. Per inaduertentiam excuſatur.

20 Si verò voluntariè, & ex certa ſcientia aliquo Ordine inferiori prætermiſſo per ſaltum quis ordinaretur, tunc non ſolùm peccaret mortaliter, ſed ipſo facto ab Ordine malè ſuſcepto eſſet ſuſpenſus, nec poſſet vti Ordine ſuſcepto, neque ad alios Ordines promoueri, donec à tali ſuſpenſione ſit abſolutus, & ità Ordine prætermiſſo recepto ad reliquos Ordines poſſet promoueri; Si autem ante diſpenſationem in tali Ordine ſacro, male ſuſcepto adminiſtraſſet, tunc eſſet incurſus in pœnam non ordinati adminiſtrantis, & tunc non poſſet cum eo diſpenſari niſi à Romano Pontifice: pro vt dicunt Hoſtienſ. in ſumm. de Clerico per ſaltum promoto, Graff. tom. 2. Deciſ. lib. 3. cap. 12. numer. 22. Quando verò in ſuſcepto Ordine non miniſtraſſet, tunc Epiſcopi diſpenſatione pœnitentia iniuncta poterit Ordinem prætermiſſum in alia ordinatione ſuſcipere: prout dicit Trident. d. ſeſſ. 23. cap. 14. in fine.

Voluntariè recipiens p. m. & eſt ſuſpenſus. Si adminiſtrat fit irregularis. Hoſtienſis. Graffius. Conc. Trid.

21 Tertia conditio eſt: Legitima ætas ordinandorum juxta determinationem Concil. Trident. d. ſeſſ. 23. cap. 11. & 12. & ex communi conſenſu omnium Theologorum: Pro prima Tonſura requiritur, vt Ordinandus peruentus ſit ad annos diſcretionis, poſt videl. ſeptimum annum ſuæ ætatis: Pro tribus minoribus Ordinibus primis relinquitur arbitrio Epiſcopi ordinantis, dummodò ordinandus perfectum vſum rationis habeat, & ſcientiam ſingulis Ordinibus ſufficientem. Pro Acolytatu verò duodecimus annus completus, prout dictum eſt ſupra in præcedenti capitulo; nu. 22. Si verò quis ſcienter ante debitam illam ætatem ordinaretur, licèt valeret ordinatio grauiter tamen peccaret: Et ſi eſſet puer ante rationis vſum, tunc peccaret grauiter miniſter ordinans, & qui ad talem ordinationem concurrerent, eò quod faciant contra communem Eccleſiæ vſum, & præceptum Trident. Concilij: Ita Em. Sà verbo Ordo nu. 18. & Pater Ioſeph de Auguſt. de Sact. Ord. nu. 16. Bonacina to. 1. D. 8. quæſt. vnica p. 5. num. 12.

Tertia conditio eſt legitima ætas iuxta Trid. Cõc. Prima tonſura poſt 7. annum. Acolytatu duodecimũ annum. Conc. Trid. Em. Sà. Ioſeph. de Auguſt.

22 In Ordinibus autem ſacris maior requiritur ætas: Nam Trident. d. ſeſſ. 23. capit. 12. expreſsè prohibet, & præcipit: vt Nullus in poſterum ad ſubdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur: ſufficit autem annum præſcriptum eſſe incœptum ſaltem per medium tantùm diem: & Ratio huius eſt, quia quando annus profertur cum dictione ante in accuſatiuo, tunc ſufficit annus incœptus: pront dicunt Graffius tom. 2. Deciſ. libr. 1. cap. 11. numer. 11. Bonacina d. D. 8. p. 5. num. 11. & de Cenſ. D. 3. p. 5. numer. 2. in fin. Sayrus libr. 6. cap. 11. numer. 9. Nauarr. in Man. cap. 25. nu. 116. Et colligitur ex Gloſſa in Clement. Generalem de ætat. & qualitat. Ordin. Quaranta in Sum. Bullar. verbo Ordo in principio ex Bulla Pij II.

Subdiaconatus 22. Diaconatus 23. Presbyteratus 25. Sufficit eſſe inceptũ per medium diẽ. Graff. Bonac. Sayrus. Nauarr. Gloſſa in Clement. Quaranta. Pius Papa II.

23 Qui verò ante dictam ætatem ad aliquem ex prædictis ſacris Ordinibus ſcienter promoueatur eſt ipſo facto ſuſpenſus, & ſi in ſuſcepto Ordine adminiſtrare præſumpſerit efficeretur irregularis. prout dicitur in Bulla Pij II. contra clericos malè promotos pag. 79. & refertur à Quaranta verbo Ordo in principio: Quæ ſuſpenſio non ſolùm intelligitur vſque ad legitimam ætatem ſuperuenientem, ità vt completa ætate ceſſet ſuſpenſio: Nam virtute huius Bullæ huiuſmodi taliter ordinatus eſt perpetuò ſuſpenſus, donec abſolutionis beneficium ab habente facultatem conſequatur: Verum eſt tamen, quod modò virtute Concilij Trid. in foro conſcientiæ poſſunt Epiſcopi Ordinarij in hac ſuſpenſione abſoluere delinquentem, & in Regularibus Superiores maiores Ordinis per conceſſiones Summorum Pontificum; vt nos diximus ſupra in tract. de Sacramento Pœnitentiæ tract. 9. c. 3. nu. 12. agendo de caſibus reſeruatis.

Contra facientes ſunt ipſo facto ſuſpẽſi. Pius II. Quaranta. Talis ſuſpenſio durat, vſque ad legitimam diſpenſationẽ Papæ. In foro conſciẽtiæ diſpẽſat Epiſc. Cum Regularibus Prælati eorum maiores.

24 Verum tamen eſt, quod ſi quis per inaduertentiam, putans ſe eſſe peruentum in legitima ætate bona fide teſtimonio ſuorum Parentum ante legitimam ætatem Ordines ſacros ſuſcepiſſet, tunc in caſu non incideret in ſuſpenſionem, eò quod ſumendo Ordines bona fide non peccauit, & ideò adminiſtrando non fieret irregularis, cùm non dicatur violare cenſuram, quamuis ſi ante legitimam ætatem ſcienter celebrauerit mortaliter peccaret toties quoties, faciendo contra præceptum Eccleſiæ: pro vt colligitur ex prædicta Bulla Pij II. Ità Suarez tomo 5. de Cenſuris D. 51. ſect. 2. numer. 4. Tolet. libr. 1. capitul. 49. numer. 4. Quaranta Verbo Ordo, Nugnus in addit. 3. par. quæſt. 39. Articulo ſecundo, Rodriquez 2. par. cap. 10. concl. 2. Bonacina d. D. 8. p. 5. numer. 13. Henriquez libr. 13. capit. 10. & libr. 14. cap. 3. num. 6. Sayrus libr. 4. capit. 15. numer. 23. & libr. 6. capit. 12. num. 11.

Inaduertentia excuſat. Pius II. Suarez. Tolet. Quaranta. Nugnus. Rodriq. Bonac. Henriq. Sayrus.

25 Sed hic mouetur vna difficultas: An quando quis mala fide, & ſcienter ordinatur Sacerdos ante legitimam ætatem, ſi talis incidat in irregularitatem, eò quod ſuſpenſus ab Ordine ſuſcepto celebrat in ipſa ordinatione cum Epiſcopo? Quapropter multi Doctores exiſtimant irregularitatem incurrere, & Ratio iſtorum eſt, quia cum talis ſit ipſo facto ſuſpenſus ab Ordine malè ſuſcepto per Bullam Pij Secundi, & ſu-

Difficultas. De Presbytero concelebrante Epiſcopo ante legitimam ætatem. 1. Sententia exiſtimat fieri irregularẽ.

Digitized by Google

& ſuſpenſus ab Ordine conſecrat cum Epiſcopo, exercendo officium ſui Ordinis, cuius eſt ſuſpenſus, & ideò ex vno, & eodem actu ſuſpenſionem ſimul & irregularitatem incurrit antequam ipſe ſolus celebret; Nam cum in eodem actu ordinationis vtatur Ordine Preſbyteratus celebrando cum Epiſcopo: Ità Nauarr. libr. 5. Conſil. conſ. 4. de Cleric. excommunicat. min. & Lopez in pract. Crim. Can. cap 26. teſtatur hanc opinionem tenuiſſe quoſdam grauiſſimos Patres Ieſuitas, cum de hac re inter eos ſermo haberetur: & ità etiam exiſtimat Sorbus in comp. Priuil. mend. verbo Ordines ſacri Verſ. Item notandum Capuccini adnotatio Couarruuias in relectione c. Alma mater p. 2. §. 3. num. 5.

Nauarr. Lopez. Sorbo. Couarr.

26 2. Sententia negatiua. His tamen non obſtantibus communior Theologorum opinio eſt oppoſita dicens: Preſbyterum ordinatum contra dictam Bullam Pij Secundi non incurrere irregularitatem, celebrando in ipſa ordinatione cum Epiſcopo ordinante, quia hæc videtur vnica actio ordinationis, & pro vnico actu exiſtimatur, quamuis contineat duas malitias morales, ideò non incurritur ſimul duplex pœna: quàpropter Sacerdos ordinatus ante legitimam ætatem, ſiuè per ſaltum &c. quamuis remaneat ſuſpenſus ab Ordine malè ſuſcepto, non tamen fit irregularis celebrando cum Epiſcopo in actu ordinationis, quia talis celebratio non eſt praeſumptuoſa, ſed neceſſaria: Ità Henriquez in ſumm. libr. 14. de Irregul. capit. 3. numer. 6. littera V. Rodriquez in ſumm. p. 1. capit. 168. conc. 2. Sayrus lib. 4. theſau. conſ. capit. 16. numer. 23. & libr. 6. capit. 12. numer. 11. Suarez tomo 5. de Cenſuris Diſput. 31. ſect. 1. Auila 3. par. D. 5. d. 7. Verſic. Dico 2. Quaranta verbo Ordo, verſic. Notandum: & Bonacina tom. 1. D. 8. p. 5. numer. 13. cum alijs recentioribus, ab ipſis citatis.

Ratio ſecundæ ſententię. Henriq. Rodriq. Sayrus. Suarez. Auila. Quaranta. Bonac.

27 4. Cōditio eſt ſcientia ſufficiens. Quarta Conditio eſt ſcientia ſufficiens ad Ordinem ſuſcipiendum, & exequendum: Quàpropter illitterati, & ignorantes non ſunt promouendi ad Ordines, & ideò Concilium Trident. ſeſſ. 23. capit. 4. de Reformat. pro prima Tonſura requirit, vt ordinandus ſciat ſaltem legere, & ſcribere mediocriter, & fidei documenta ſint edocti. & quod probabilis coniectura ſit: Ordinandos hoc vitæ genus inire, non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent: Quod ſi ſecus talem animum habeant grauiter peccarent, cum agatur in materia graui contra præſcriptionem Triden. Concil. Ità Ioſeph. de Auguſt. de Ordin. numer. 19. Bonacina D. 8. quæſt. vnic. p. 5. numer. 16.

1. Prima Tonſura, quā ſufficientiam requirit. Concil. Trid. Ioſeph. de Auguſt. Bonac.

28 Pro minoribus Ordinibus. Ad minores Ordines requiritur, vt mediocriter Latinam linguam intelligant, & in ſchola Grammaticæ per aliquod tempus ſint inſtructi: Ità Trident. ſeſſ. 23. cap. 11. Pro Subdiaconis verò, & Diaconis requiritur maior ſufficientia, vt videlicet benè, & ſufficienter Latinam linguam intelligant, & in ijs, quæ ad ſacrum Ordinem exercendum pertinent ſufficienter ſint inſtructi, vt benè intelligant, & pronuncient ea, quæ in Eccleſia ſunt lecturi, & quod ſperent ſe Deo adiuuante continere poſſe, & caſtitatem illæſam ſeruare: quàpropter ante quam in ſacris ordinentur dicit eis Epiſcopus: *Attendite filij, quod ſi ſacrum Ordinem ſuſceperitis amplius non licebit à propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuo famulari, & Caſtitatem illo adiuuante ſeruare, oportebit, atque in Dei Eccleſia ſemper eſſe mancipatos.* Prout in Pontificali Romano in Ordinatione Subdiaconorum habetur. Ità Bonacina, & Ioſeph de Auguſt. locis ſup. citatis.

Concil. Trid. Pro ſubdiaconatu, & Diaconatu. Pontificale Roman. Ioſeph. de Auguſt. Bonac.

29 Pro Presbyteris verò maior ſufficientia requiritur, vt benè, & accentuatè Miſſam legere, & intelligere poſſint, & rectè, & ſine errore officium ſacerdotij adimplere, & Sacramenta conficere, & miniſtrare: Qui enim non callent tali ſcientia, vt ſaltem ſciant verba diuini officij, & Miſſæ congruè pronuntiare, & intelligere ſaltem grammaticaliter, quæ legunt promouendi non ſunt, ſi verò huiuſmodi litteratum non ſint notitia inſigniti omninò non ſunt ordinandi Sacerdotes: quàpropter dixit Dominus per Oſeam c. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi:* Ità Bonacina to. 1. de Sacr. D. 8. p. 5. num. 16. Filliuceius d. tract. 9. cap. 4. num. 79. Graſſius tom. 2. deciſ. lib. 1. cap. 11. nu. 19. Henriquez lib. 10. cap. 16. num. 2.

Pro ſacerdotio qualis ſcientia requiritur. Ignorante promouendi non ſunt. Oſea c. 4. Bonac. Filliuc. Graſſ. Henriq.

30 5. Cōditio eſt Bonitas vitæ. Quinta Conditio eſt Bonitas vitæ: Qui enim promouendi ſunt ad Ordinem Clericatus debent habere bonum nomen, & ideò Epiſcopus ante collationem Ordinum ſollicitè, & diligenter de moribus, & vita vniuſcuiuſque ordinandorum inquirere, & perſcrutari debet, ideoque pro minoribus Ordinibus, & prima Tonſura oportet habere bonum teſtimonium, & relationem à Parocho, & Magiſtris ſcholæ, & quod ſperetur Diuina cooperante gratia in virtutibus, & moribus profecturos, aliter enim initiari non debent: pro vt dicitur in Trid. d. ſeſſ. 23. c. 11.

Scrutinium de moribus faciendū ante ordinationē. Concil. Trid.

31 Qualis bonitas vitæ requiratur pro ordinandis in Sacris. Pro ſacris ordinibus verò maioribus monet Epiſcopos Triden. non quoſlibet in debita ætate conſtituros debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit, ad quod requiritur, vt bonum teſtimonium habeant, & qui ſperent Deo adiuuante ſe continere poſſe, & caſtitatem illæſam ſeruare, quod maximè ad ſacri altaris miniſtros pertinet, & vt ità pietate, & caſtis moribus ſint conſpicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab alijs expectari poſſint: Quàpropter dixit Apoſtolus 1. Tim. c. 3. *Oportet Diaconos ſine crimine eſſe, pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura: Et hi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes:* & multo magis à fortiori tales virtutes, & maior ſanctitas requiritur in ſacerdotibus, qui debent quotidiè Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini conficere, & miniſtrare, pro vt patet ex Trident. loc. citato.

1. Tim. c. 3.

32 Infames, & ſcandaloſi nō ſunt promouendi ad Ordines. Quàpropter publici peccatores, ſcandaloſi, vitioſi, & infames, ſiuè infamia iuris, ſiuè facti nullo modo ſunt ordinandi, quamdiu talis infamia reſidet in ipſis, niſi prius tali nomine, & infamia purgati fuerint, ſiuè per iudicis ſententiam, ſiuè per diſpenſationem factam à Pontifice, quando eſt infamia iuris, ſiuè per emendationem vitæ præteritæ, quando eſt infamia facti, vt colligitur ex Can. Infames 6. quæſt. 1. & videatur de hoc Bonacina de Irregular. D. 7. quæſt. 3. p. 1. qui de hoc diffusè tractat, & in hoc omnes conueniunt.

Bonac.

33 6. Conditio, quod non ſit Neophitus. Sexta Conditio eſt vt ordinandus non ſit Neophitus: ideſt nouellus in fide, & nuper baptizatus: dicitur autem Neophitus à νέος, quod eſt nouum, & πίστις ſiuè πίστος, quod eſt fides: Vndè Neophitus dicitur ille, qui paulo ante conuerſus eſt ab infidelitate ad fidem: Neophitus ergò ad ſacros Ordines promoueri non debet, ſine diſpenſatione Pontificis, & hoc ex duplici ratione, quarum prima eſt: Ne in ſuperbiam elatus, putans, quod Chriſtiana Religio eo eguerit, incidat in ruinam, & in laqueum Diaboli, pro vt dicit Apoſt. 1. Timor. cap. 3. Secunda ratio eſt, quia cum huiuſmodi Neophiti non ſint experti ſtatum Eccleſiæ, & Religionis, communiter neſciunt eſſe graues, & ſe contemperare pro diuerſitate perſonarum, & propter periculum, ne redeant ad priſtinum ſtatum infidelitatis, pro vt colligitur ex can. Sicut olim: D.

Neophitus quis ſit, & vndè dicitur. Duplici cauſa Neophiti non ſunt Ordinandi. 1. Timor. Can. Sicut olim.

Graff. Bonac. Filliuc. Sayrus. Suarez.

48. Ità Graff. tom. 2. Deciſ. lib. 1. c. 9. nu. 46. Bonac. de Cenſ. Diſp. 7. p. 1. nu. 4. Filliuccius to. 1. tract. 20. q. 5. nu. 240. Sayrus de Cenſ. c. 13. nu. 10. Suarez to. 5. Diſp. 43. ſect. 3. nu. 5.

34 7. Cõditio eſt vt non ſit omninò pauper. Concil. Trid.

Septima Conditio eſt, quod Ordinandus non ſit omninò pauper, quod habeat facultatem honeſtè viuendi: Non enim decet eos, qui diuino miniſterio adſcripti ſunt cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere: quapropter ſtatuit Sancta Tridentina Synodus ſeſſ. 21. c. 2. Ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamuis aliàs ſit idoneus, moribus, ſcientia, & ætate ad ſacros Ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad vitam honeſtè ſufficiat pacificè poſſidere: Tale autem beneficium reſignare non poterit, niſi facta mentione, quod illius beneficij titulo ſit promotus, neque talis reſignatio admittatur, niſi conſtet, quod aliundè commodè viuere poſſit, aliter facta reſignatio nulla erit. Ita Bonacina de Cenſuris D. 3. quæſt. 6. p. 5. num. 4. cum alijs, infra citandis.

Bonac.

35 Qui ſine titulo, vel patrimonio ordinantur ſunt ſuſpenſi.

Quapropter, qui ſine titulo, mala fide per fraudem ad ſacros Ordines promouetur, ipſo facto incurret ſuſpenſionem ſuſcepti Ordinis. Similiter etiam, qui ficto patrimonio, vel beneficio, vel faciendo pactum cum Epiſcopo ordinante, vel cum Patrono præſentante, non petendi victum, alimenta, vel prouiſionem: & ità mentito titulo, per fraudem ſacros Ordines receipiet eſt, ipſo facto, ſuſpenſus: & ſi in ſuſceptis Ordinibus adminiſtret, incidit in irregularitatem, in qua ſolus Papa diſpenſat: Ità enim colligitur ex Bulla Pij V. quæ incipit: Romanus Pontifex, edita 12. Nouẽbris 1568. quæ refertur à Quaranta in Summ. Bullar. verbo Ordo. Ità Bonac. de Cenſ. D. 3. quæſt. 6. p. 5. num. 4. Nauar. Man. c. 27. num. 158. Auila 3. p. D. 5. d. 4. Henriq. lib. 13. de excom. c. 37. nu. 1. Sayr. c. 15. num. 22. Suarez to. 5. D. 31. num. 33. & Quaranta loc. cit. ſup. Verbo Quotidianus caſus, & alij ab ipſis citati in proprijs locis communiter.

Pius V. Quaranta. Bonac. Nauarr. Auila. Henriq. Sayrus. Suarez.

36 Titulus ordinandorum trip. Beneficij, Patrimonij, & Profeſſionis. Ieſuitæ ordinantur ſub titulo paupertatis.

Dico inſuper Titulum ordinandorum in ſacris triplicem eſſe poſſe. Primus eſt Beneficij: Secundò Patrimonij, & Tertiò profeſſionis ſolemnis in aliqua Religione à Sede Apoſtolica approbata, ad quem reuocatur titulus Societatis Ieſu poſt biennium approbationis; licèt enim tunc non faciant vota ſolemnia, ſed ſimplicia, admittuntur tamen ſub titulo Religioſorũ mendicantium ex conceſſione Gregorij XIII. & ideò ordinantur in ſacris, ſicut alij profeſſi mendicantium ſub titulo paupertatis: Ità Fornarius de Ord. c. 8. nu. 8. Suarez to. 5. D. 31. nu. 38. Filliuc. tract. 9. c. 4. nu. 83. Bonac. D. 8. p. 5. nu. 31. cum alijs &c.

Fornarius. Suarez. Filliuc. Bonac.

37 Quantitas Patrimonij, ſiuè Beneficij relinquitur in conſcientia Epiſcopi. Sacra Congr. Card. Quaranta.

Quantitas autem Patrimonij, ſiuè Beneficij, quæ requiritur, vt quis ad Ordines ſacros licitè promoueri poſſit, non eſt taxata, ſed relinquitur arbitrio proprij Ordinarij, iuxta locorum conſuetudinem, cùm in vno loco ſufficiat ad ſubſtentationem, quod alibi non erit ſufficiens, pro vt declarauit Sacra Congregatio Concilij Trident. prout refert Quaranta verbo, Ordo verſ: Secundo extende. Si verò Epiſcopus aliquem Clericum ſcienter ordinauit in ſacris abſque vllo titulo, vel non ſufficienti ad honeſtam ſuſtentationem, tenebitur alere ordinatum, donec beneficium ſufficiens conferat, & eò mortuo ſucceſſor: Si verò præſentatus fuerit ab aliquo Patrono, tunc tenebitur ipſe Patronus, ſiuè Capitulum ſede vacante, ſi in hoc eſſent culpabiles, Ità Quaranta, Fornatius loc. citat. & Bonacina d. D. 8. p. 5. num. 27. Sayrus de Cenſ. l. 4. capit. 14. numer. 16.

Quam pœnã incurrunt ſeipſas facientes. Quaranta. Fornarius. Bonac. Sayrus.

38 Quando autem quis non habet beneficium vel patrimonium ſufficiens per ſe ipſum ſeparatim, ſed ex vtroque ſimul coniuncto poterit habere ſufficientem ſubſtẽtationem: tunc poterit licitè Ordines ſacros ſuſcipere: Non tamen, ſi cùm inſufficienti beneficio, & patrimonio iungantur eleemoſynæ, vniuerſalia, & ſimilia emolumenta incerta, quæ ex Ordinum exercitatione obueniunt, vel lucra ex induſtria cum honeſto labore parta: pro vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Decretum ſupradicti Concilij Tridentini ſeſſ. 21. c. 2. Ità Bonac. ſupra nu. 29. Fornarius d. c. 8. nu. 10. in fine, & Quaranta, cum alijs ſupra citatis numero præcedenti.

Congregatio Cardinaliũ. Bonac. Fornarius. Quaranta.

39 Vltima conditio eſt, quod non ſit ligatus vinculo cenſuræ, vel irregularitatis.

Vltima tandem conditio eſt, vt ordinandus non ſit impeditus aliquo vinculo cenſuræ excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, aut irregularitatis, ſiuè inhabilitatis ad Ordines recipiendos, vel exequendos, de quibus dicere opus eſt diſtinctè in ſequenti capitulo.

DE INHABILITATE SVBIECTI ad Ordines ſuſcipiendos, vel exercendos.

CAP. VI.

1 Inhabilitas ordinandorũ Dup. naturalis, & poſitiua. Inhabilitas naturalis quæ?

INhabilitas ſubiecti ad Ordines dupliciter poteſt conſiderari, vel quatenus prouenit à cauſa naturali propter impotentiam, & incapacitatem ipſius ſubiecti, vel quatenus tale ſubiectum eſt impeditum per aliquod ius poſitiuum, & Eccleſiaſticum, quapropter circa primum, dicimus; Eos eſſe inhabiles ad Ordines, qui natura ipſa ſunt impediti ad vſum eorum, adeò vt in pluribus, neque cum ijs ſoleat diſpenſare, vel ſaltem difficillitèr, eò quod impedimentum ſit permanens, & ſua natura quaſi perpetuum: cuiuſmodi ſunt perpetui amentes, Inſani, ſtolidi, omninò cœci, ſurdi, aut muti, priuati manibus, & ſimiles, qui ſunt inhabiles non ſolum, ad recipiendos, ſed nec etiam ad exercendos Ordines. Vndè licèt huiuſmodi eſſent aliquando ordinati, & valida eſſet ordinatio, tamen vltra peccatum mortale, quod committerent, eſſent etiam, ipſo iure, priuati vſu, & exercitio eorum, Vndè tales potius dici poſſunt inhabiles, quam irregulares, prout communiter dicunt omnes Theologi, locis infra citandis, vt Suarez, Filliuc. & Bonac. in tractatu de Irregularitate, vt ſuis locis apertè videbitur.

Inhabiles, & Irregulares quomodo differant.

2 Irregularitas Eccleſiaſtica dup.

Secundò dicendum eſt de inhabilitate, ſiuè Irregularitate Iure Eccleſiaſtico inducta: quæ ad duo capita principalia reduci poſſunt, quorum quodlibet plures in ſe continet ſpecies: Primùm continet irregularitates illas, quæ contrahuntur ſine peccato, & dicuntur ex defectu; quarum quinque ſunt ſpecies: Prima prouenit ex defectu ſignificationis reſpectu Sacramenti: Secunda ex defectu lenitatis propter Chriſti ſimilitudinem: Tertia ex defectu Natalium: Quarta ex defectu libertatis, & quinta ex defectu ipſius ſubiecti, ſiuè in anima, ſiuè in corpore: Secundum caput continet alias quinque ſpecies, & illæ procedunt ex delicto commiſſo: quarum prima eſt propter Sacramenti Baptiſmi iterationem: Secunda ex indebita ſuſceptione, vel vſu Ordinum: Tertia ex actu infidelitatis, & Hæreſis: Quarta ex infamia procedente ex delicto, & quinta ex Homicidio illicitè perpetrato, de quibus omnibus ſigillatim eſt dicendum.

Vna ex defectu ſine peccato. Huius quinq; ſunt ſpecies. Altera ex delicto, cuius etiã ſunt quinque ſpecies.

3 Prima irregularitas ex defectu ſignificationis Sacramenti eſt Bigamia.

Eſt ergò prima inhabilitas, ſiuè irregularitas ex defectu ſignificationis reſpectu Sacramenti, & talis appellatur Bigamia, eò quod bigamus non repræſentat vnionem Chriſti Domini cum Sancta Eccleſia vnica ſponſa ipſius; quapropter Sacerdos ſecundũ Apoſtolum

Digitized by Google

lum debet eſſe Monogamus; ideſt vnius vxoris vir, dicitur autem Monogamus à μόνος monos, quod eſt vnum, ſiuè ſolum, & γάμος: quod eſt coniugium: Non enim Sacerdos poteſt licitè eſſe bigamus, ideſt bis vxoratus cum muliere, vel trigamus: quia tunc careret Chriſti ſimilitudine, ideoque rationabiliter ab Eccleſia bigami priuantur à receptione Sacrorum Ordinum.

Sacerdos debet eſſe Monogamus.

Quare Bigami ſunt irregulares.

4 Bigamia ergò poteſt eſſe triplex: quarum vna dicitur vera, altera Interpretatiua, tertia verò Similitudinaria; Vera Bigamia eſt, quandò quis realiter ſucceſſiuè duas duxit vxores, & cum vtraque Matrimonium conſummauit, ſiuè antequam eſſet Baptizatus, ſiuè poſteà, ſiue ſimul ante Baptiſmum, ſiuè poſt Baptiſmum, ſiuè ſemel antea, & ſemel poſteà: ſufficit enim quod duabus vicibus ſit vxoratus, vt dicatur bigamus; & talis ex præcepto Eccleſiæ eſt irregularis; Vndè non poteſt ſine Pontificis diſpenſatione initiari, neque ſuſceptos Ordines licitè exercere, prout dicitur in can. Acutius D. 26. & Can. Si quis Viduam D. 34. Itâ communiter omnes Theologi, & Canoniſtę, vt Suarez to. 5. de cenſ. D. 49. ſect. 1. Sanchez de Matrim. lib. 7. D. 83. num. 8. Henriquez in ſum. lib. 12. cap. 6. num. 6. Coninch. tom. 2. D. 18. d. 11. nu. 102. Tolet. lib. 1. cap. 70. Nauar. cap. 27. nu. 191. Filliuc. tom. 1. tract. 19. cap. 4. num. 98. & Bonacina to. 1. de cenſ. D. 7. p. 5. nu. 2. cum aliis, quos ipſi citant communiter.

Bigamia triplex. Prima dicitur vera, & quæ ſit.

Bigamus verus nõ poteſt initiari ſine diſpenſatione Papæ. Can Acutius Can. ſi quis Viduam. Suar. Sanch. Henriq. Coninch. Tolet. Nauarr. Filliuc. Bonac.

5 Bigamia Interpretatiua dicitur illa, quandò quis contraxit Matrimonium, vel cum vna vidua, vel cum virgine aliàs ſtuprata, & cognita ab alio viro, vel eam cognouit poſtquam adulterauit, ſiuè voluntariè conſentiendo, ſiuè precibus, aut metu: Tunc enim iſte talis dicitur Bigamus interpretatiuè, quia ſecundùm interpretationem Iuris cenſetur, ac ſi contraxiſſet cũ duabus fœminis, & ideò eſt irregularis, eò quod deficit in ipſo, ſaltem interpretatiuè ſignificatio vera Sacramenti: nam Matrimonium conſummatum ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia vnica ſua ſponſa: patet hoc ex c. Nuper de Bigamis. & can. Si cuius, & can. Si laici D. 34. Itâ Bonacina de cenſ. D. 7. quæſt. 2. p. 5. num. 2.

Secunda Bigamia dicitur interpretatiua, & quę ſit.

Quare dicatur Bigamus.

C. Nuper Can. Si cuius Can. Si laici. Bonac.

6 Tertia Bigamia dicitur Similitudinaria, quæ contingit, quandò quis poſt votum ſolemne caſtitatis, emiſſum in profeſſione Religionis, vel in ſuſceptione Sacrorũ Ordinum contrahit (licèt inualidè) Matrimonium cum aliqua muliere, ſiuè virgine, ſiuè corrupta, eamque carnaliter cognouit. Iſte talis dicitur Irregularis, & bigamus ſimilitudinariè: Et ratio huius eſt, quia adſtrictus voto ſolemni caſtitatis cenſetur ſpirituali quoddam Matrimonio coniunctus cum Chriſto, & Eccleſia: ſi ergò poſteà coniungatur carnaliter in Matrimonium cum aliqua muliere, cenſetur ac ſi celebraſſet duo Matrimonia, non quidem vera, ſed ſimilitudinaria: prout colligitur ex c. Nuper de Bigamia, & c. Quotquot D. 27. Itâ Suar. d. to. 5. D. 49. ſect. 4. Filliuc. to. 1. tract. 19. c. 4. quæſt. 9. num. 121. & Sanchez de Matrim. lib. 7. D. 85. num. 11. & alii ab ipſis citati, quibus addo Bonac. de cenſ. D. 7. quæſt. 2. p. 5. n. 2. in fine.

Tertia Bigamia dicitur ſimilitudinaria, & quę ſit.

Quare iſte talis dicatur Bigamus.

C. Nuper C. Quotquot Suar. Filliuc. Sanch. Bonac.

7 Ex qualibet ergò ſpecie bigamiæ ex iſtis tribus cõtrahitur irregularitas, & inhabilitas ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, prout colligitur ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 17. & ex c. 1. 2. & 3. de Bigamia. Ratio autem quare Eccleſia talem prohibitionem inſtituit præcipua, eſt, quia Bigamus non ſignificat vnicam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia: nam Matrimonium conſummatum repræſentat vnionem Chriſti per incarnationis myſterium cum Eccleſia vnica ſua ſponſa, quæ coniunctio cùm ſit vna, & non multiplex, non poteſt repræſentari per multiplicationem Matrimonii, quàpropter bigamus ſit irregularis: Tum quia per bigamiam derogatur prærogatiua Sacramenti Ordinis: Indecens enim eſt, vt bigamus ad altare licitè accedat: Quamuis enim qui coniugium iterauit culpam aliquam non contraxerit, exuitur tamen prærogatiua veri Sacerdotis, prout dicitur in Can. Qui ſanè D. 26. Tum quia bigamus difficilè poterit caſtitatem alіis perſuadere, quam præſertim pollere debent, initiati ſacri Ordinis c. Propoſuiſti D. 82. & Can. Vna D. 26. Itâ Filliuc. & Bonac. loc. ſupr. citatis.

Concluſio. Conc. Trid.

Quare bigami ſint irregulares. Prima ratio.

Secunda ratio.

Can. Qui ſanè d. 6. Tertia ratio. Can. Propoſuiſti. Can. Vna.

8 In duabus ergò primis ſpeciebus Bigamiæ veræ, & Interpretatiuæ ſolus Summus Pontifex poteſt diſpenſare, non autem Epiſcopus: non enim Epiſcopus poteſt diſpenſare in iure communi (niſi quatenus illi cõceditur à Sede Apoſtolica, & ideò tantùm Summus Pontifex poteſt diſpenſare in Bigamia, tam vera, quã interpretatiua) non ſolùm ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, vel ad vſum ſuſceptorum: Verùm etiam neque ad minores, & primam Tonſuram, neque ad beneficium Eccleſiaſticum, etiam ſimplex: prout colligitur ex Trid. d. ſeſſ. 23. cap. 17. in fine: Quod etiam declaratum fuit per ſacram Congregationem Cardinaliũ: teſte Garzia p. 7. cap. 6. num. 5. & Bonacina to. 1. de cen. D. 7. p. 5. nu. 15. Suarez de cenſ. D. 49. ſect. 6. Coninch. p. 2. D. 18. d. 11. nu. 103.

In Bigamia vera & interpretatiua ſolus Papa diſpenſat.

Etiã ad minores Ordines, & beneficia.

Concil. Trid. Declaratio Card. Garzia. Bonac. Suarez. Coninch.

9 In Bigamia verò ſimilitudinaria, poterit aliquandò Epiſcopus diſpenſare cum illo, qui Matrimonium contraxit cum Virgine, ſi ſpontè conuerſus ſit ad pęnitentiam, hoc ſibi iure concedente in c. 1. Qui Clerici, vel vouentes, non autem alii ſuperiores Religionum, vt Abbates, Prouinciales, &c. quia hoc eis non eſt ſpecialiter commiſſum; Itâ Rodriq. p. 1. cap. 158. Suarez to. 5. D. 39. ſect. 6. Coninch. D. 18. d. 11. n. 10. & Em. Sà verbo Irregularitas nu. 4. Bonac. loc. ſup. cit. citans Reginaldum. Coninch, & Filliucium.

In Bigamia ſimilitudinaria poteſt Epiſcopus. Rodriq. Suar. Coninch. Em. Sà Bonac. Reginald.

10 Notandum autem: Ad incurrendam irregularitatem Bigamiæ non ſufficere quamlibet copulã ex parte viri, ſed requiri copulam habere cum iis, cum quibus Matrimonium contraxit; Quapropter multiplicitas fornicationis, ſiuè adulterij ex parte viri non inducunt bigamiam: Nam Sacramentum Matrimonij eſt illud, quod ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, quãm non poteſt ſignificare fornicatio: Et ideò ille non dicitur Bigamus, qui poſt multas fornicationes commiſſas cum aliis fœminis etiam viduis, ſiuè coniugatis contraxit Matrimonium cum vna tãtùm virgine: prout dicitur in c. Quia circa, de Bigamis, & Can. Acutius D. 26. Bonacina de cenſ. D. 7. qu. 2. p. 5. num. 7.

Multiplicitas fornicationis ex parte viri non inducit Bigamiam.

Et quare.

C. Quia circa. Can. Acutius

Bonac.

11 Si quæras autem, quare Eccleſia ſtatuerit illum eſſe bigamum, qui contrahit cum fœmina ab alio cognita, non autem cum Virgine, licèt ipſe ſæpius cum multis fornicatus ſit?

Quare cõtrahens cum fęmina corrupta cõtrahat Bigamiam.

Reſpondetur: Hoc ab Eccleſia rationabiliter fuiſſe ſtatutum, quia defectus virginitatis in ſponſa arguit maiorem indecentiam, quam in viro: Et ignominioſum eſt ducere vxorem ab alio corruptam: ſicut etiã ignominioſum eſſe videtur contrahere cum ſerua, aut mima, ſiuè ſcenica: ideſt publica ſabularum actrice: & ob id etiam contrahens cum talibus eſt irregularis: etiam ſi illa virgo eſſet; pro vt notat Suarez d. Diſ. 39. ſect. 3. ex can. Apoſt. 18. & refertur in Can. Siquis viduam, aut eiectam D. 34. Itâ Filliuc. d. to. 1. tract. 10. c. 4. q. 6. num. 108.

Defectus virginitatis ſpõſæ arguit maiorẽ indecentiam, quã in viro.

Contrahens cũ mima eſt irregularis. Suar. Can. Si quis viduam. Filliuc.

12 Et ratio huius eſt, quia, ſicut motus non ſpecificatur à termino à quo, ſed à termino ad quem, qui eſt fœmina, cuius caro ſæpiùs diuiſa eſt, & ideò facta eſt bigamia, & quia ex concubitu quo fit vna caro cũ ea, ideò contrahit bigamiam ipſius, Quapropter ſi fęmina eſſet capax Ordinum fieret irregularis, & bigamia

Motus non ſpecificatur à quo, ſed à termino ad quem.

Digitized by Google

ma ducendo virum fornicarium, ſicut ipſe vir ſit bigamus, contrahendo, & conſummando Matrimoniū cum ea, quæ fuit ab alio viro carnaliter cognita: Ità Bonacina de cenſ. D.7.p.5. nu.7. Filliuc.tract.19.c.4. n.117. Vgolin. de cenſ. c.56. nu.1.

Bonac. Filliuc. Vgolinus.

12 Secunda ſpecies irregularitatis dicitur ex defectu lenitatis, ſiuè manſuetudinis: huiuſmodi ſunt illi, qui voluntariè ſunt, cauſa mortis, ſiuè abſciſſionis mēbri alterius, etiam ſine peccato, vt ſunt Iudices ferentes ſententias mortis, ſiuè alicuius membri abſciſſionis, eiuſque aſſeſſores, & cooperatores, & ſatellites, comprehendentes Reum, & torquentes ad veritatem dicendam: Ità etiam notarius ſcribens, vel legens ſententiam, ſecuta morte aut mutilatione: omnes ergò iſti, & huiuſmodi de proximo conſentientes, adiuuātes, & incitantes ad iuſtitiam incurrunt in irregularitatem prout dicitur in c. fin. Ne clerici, vel Monachi in 6. & Can. Si quis viduam & Can. Clericum D. 50. Ità Nauarr. cap.27. num. 215. Auila p.7. D.5. ſect.1. Coninch. D.18. d.10. Filliuc. tom.1.p. tract.19. cap.9. nu.231. Bonac. de cenſ. D.7. q.4. p.1. nu. 3.

Secunda irregularitatis ſpecies eſt ex defectu lenitatis, & quæ ſit.

C. fin. Ne Clerici. Can. Si quis viduam. Can. Clericū. Nauarr. Auila. Coninch. Filliuc. Bonac.

Ratio autem quare Eccleſia ſtatuit huiuſmodi eſſe irregulares eſt, quia omnes Ordines Eccleſiaſtici ordinantur pro conficienda Euchariſtia conuenienter
14 in Miſſæ Sacrificio: cum autem in Euchariſtia contineatur Chriſtus Dominus, qui eſt auctor pacis, & mānſuetudinis, quique ſuo pretioſiſſimo Sanguine pacem attulit, par eſt vt miniſtri ipſius Eccleſiæ hanc pacem, & manſuetudinem exemplo Chriſti præſeferant, & ideò repelluntur ab Ordinibus recipiendis, & exercendis omnes Clerici, qui fuerunt cauſa mortis, ſiuè mutilationis membri alicuius etiam ſine peccato, vt cauſa iuſtitiæ, &c. tales enim non poſſunt ſatis referre Chriſti lenitatem, & manſuetudinem, qui nullius ſanguinem fudit, & non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat: Ità Filliuc. tom.1. tractat.9. c.4. nu.79. Nauar. c.27. nu.215. Auila p.7. D.5. ſect.1. Coninch. D.18. d.10. & Bonac. de cenſ. D.7.p. 1. nu.3. q.4. alijque communiter.

Quare ab Eccleſia introducta eſt hęc irregularitas.

Occidēs, aut mutilans membrum alicuius, etiam ſine peccato ſit irregularis.

Filliuc. Nauarr. Auila. Coninch. Bonac.

15 Tertia ſpecies irregularitatis prouenit ex defectu Natalium, quę tripliciter euenire poteſt: Primò quandò quis non eſſet ortus, & generatus ex legitimo Matrimonio: Secundò ſi eſſet filius alicuius Hæretici, & tertiò ſi eſſet filius alicuius proditoris magni Principis, ſiuè Prælatis de quibus breuiter eſt dicendum.

3. Species irregularitatis ex defectu Natalium trip. eſſe poteſt.

16 Prima ergò irregularitas ſine peccato ex defectu Natiuitatis, quæ contrahitur in ipſa generatione, eſt quandò non eſt facta de legitimo Matrimonio, tunc enim tales filij ex fornicatione illicita generati, dicuntur Illegitimi, & vt tales ab Eccleſia repelluntur ab Ordinibus ſuſcipiendis, & miniſtrandis ante legitimationem, vel diſpenſationem: pro vt dicitur in cap.1. de filijs Presbyt. in 6. & alibi, ità communiter omnes Theologi, & Canoniſtæ Suarez tom. 5. D. 50. ſect. 3. num.1. Bonac. de cenſ. D. 7. q. 2. p.2. num. 2. Filliuc. to.1. tract.19. c.5. nu.138.

1. Contra illegitimos.

C.1. de filijs Presbyt. Suar. Bonac. Filliuc.

17 Ratio autem, qua mota eſt Eccleſia ad inducendum talem irregularitatem triplex eſt: Prima in deteſtationem delicti commiſſi à parentibus terminati ad terminum, qui eſt filius productus in peccato: Secunda propter infamiam quamdam, quam indè contrahit proles: Pater enim dat eſſe filio per turpem generationem: nam generatio eſt quædam actio in paſſum, ideſt in prole, non in agente, & Patre, & idcò defectus, & indecentia eſt in filio, quapropter indecens eſt, vt filius illegitimus ad Sacrificium celebrandum accedat, & ideò propter Sacramenti Euchariſtiæ reuerentiam inducta eſt talis irregularitas: & Tertia Propter periculum incontinentiæ, ne filius imitetur parentum incontinentiam, vt in pluribus euenire

Ratio iſtius irregularitatis trip. eſt.
1. In deteſtationem delicti.
2. Propter Infamiam.
3. Propter periculum incontinentiæ.

ſolet: Ità communiter dicunt Doctores, pro ut benè notauit Filliucius to.1. tract.19. c.5. nu. 138. Suar. de cenſ. D.50. ſect.3.

Filliuc. Suar.

Illegitimi ergò filii (generaliter loquendo) ſunt in duplici differentia: alii enim dicūtur Naturales, & alij Spurii: Filii illegitimi naturales ſunt illi, qui generati ſunt mediante copula illicita illorum, inter quos poterat eſſe Matrimonium, qui ideò dicuntur Naturales, quia ſola natura illos generauit, non autem honeſtas coniugii: Illi autem ſunt in duplici differentia, alij .n. dicuntur Nothi, qui ſcilicet generantur ex patre, & ſoluta, domi tamen retenta: alii autem ſunt filij Patris ſoluti, & matris publicæ meretricis, & iſti appellātur Manzeri: Hæc tamen diuiſio effecta eſt à legiſtis in ordine ad quoſdam effectus Iuris ciuilis, non autem in ordine ad irregularitatem Ordinis, quia ad hoc parum refert: An ſint Nothi, ſiuè Manzeri, ſufficit enim quod ſint illegitimi naturales, vt ſint irregulares. Ità Couar. p.2. deſpenſ. c.8. §.4. Sayrus lib.6. c.10. n.1. Bonac. de cenſ. D.7.p.3. n.1. Filliuc. d. tr.29. c.5. n.135. & Suarez to.5. D.50. ſect.2. n.1. & alii, vt Leſſius d.l.2.c.19.d.6. Molina tract.2. D.165. 18

Illegitimi, alij Naturales, alii Spurij.

Quare dicūtur Naturales illegitimi.

Alij dicūtur Nothi, alij Manzeri.

Couarr. Sayrus. Bonac. Filliuc. Suarez. Leſſius. Molina.

Spurij autem ſunt illi, qui generati ſunt ex coito lege damnato, videlicet ex Adulterio, Inceſto, vel ſacrilegio, qui ideò dicuntur ſpurij, quia lex tale ſcelus execratur, & condemnat ad pęnas: Nā licèt ſimplex fornicatio in foro animæ coram Deo ſit damnata, tamē humano Iure permittitur, & nulla pęna punitur: quàpropter orti ex fornicatione damnata à lege dicūtur Spurij, ex quibus, alij dicuntur Adulterini generati in adulterio: Alij dicuntur Inceſtuoſi, qui generantur ex ijs, inter quos eſt impedimentum conſanguinitatis, ſiuè affinitatis ſufficiens ad dirimēdum Matrimonium Intra quartum gradum incluſiuè: Alij denique dicuntur ſpurij Sacrilegi: & ſunt illi, qui generantur à parētibus ſacrilegis, quorum alter, ſiuè ambo habebat votum ſolemne caſtitatis: Ità Filliuc. cum omnibus alijs Doctoribus ſupra citat. n.18. huius præſentis capituli. 19

Spurii ſunt generati, ex ſacrilegio, inceſto, vel Adulterio.

Spurii adulterini.

Spurii inceſtuoſi.
Spurii ſacrilegi.
Filliuc.

Omnes itaque huiuſmodi illegitimi, ſiuè naturales, ſiuè ſpurij quomodòcumque ſint nominati prohibentur ex præcepto Eccleſiæ, ne poſſint initiari, & ſacros Ordines ſuſcipere, niſi prius eſſent legitimati, vel diſpenſati ab iſta irregularitate, & ſi ordinentur ante legitimationem, quamuis ordinatio valeret, ipſi tamen mortaliter peccarent, & remanent ſuſpēſi, ipſo facto, ab Ordinibus malè ſuſceptis, vſquequo diſpenſationē obtineant; prout communiter dicunt omnes Doctores vt Henriq. lib.14. c.8.n.10. Vgolin. c.44. §.1. Auila de cenſ.p.8.D.3.d.6. & alii, vt Nauar. c.27.num.96. aliique communiter. 20

Concluſio.

Henriq. Vgolin. Auila. Nauarr.

Hæc autem irregularitas, proueniens ex illegitimatione tribus modis auferri poteſt, Primò per legitimationem Canonicam, Vndè legitimatus à Papa cenſetur factus habilis, tum ad Ordines, tum ad beneficia, tum ad dignitates, & ad alia omnia, ad quæ ſe extēdit poteſtas legitimantis; ità in c. Per venerabilem: Tit. Qui Filij ſunt legitimi, Vel per diſpenſationem ſimpliciter à Summo Pontifice, quò ad Ordines ſuſcipiēdos: eſt tamen differentia inter diſpenſationem, & legitimationem factam à Pontifice, quia per legitimationē Canonicam ſit habilis ad omnia, ac ſi verè eſſet legitimus: per diſpenſationem autem efficitur ſolùm habilis ad certum aliquem actum, iuxta verba diſpenſationis, quæ ſtrictè ſunt explicanda: pro vt dicunt Couar. 2.p. c.8. §.8. & Sayr. lib.6.c.11. nu. 15. 21

Irregularitas ex illegitimatione Trip. auferri poteſt.
1. Per legitimationē canonicam.
C. per venerabilem, vel diſpenſationem à Summo Pontifice.
Quæ differētia eſt inter vtramque.
Couarr.

Secunda ſit per Matrimonium indè ſequutum inter parentes, nam licèt ij, qui nati ſunt ex concubito illicito ſint illegitimi naturales, tamen per ſubſequens Matrimonium facti ſunt legitimi. Id autem tantùm contingit quandò parentes tempore generationis erant 22

2. Per Matrimonium initum inter parentes poſteà contractum. Limitatio.

habiles

habiles ad contrahendum Matrimonium inter ipſos, tunc enim per ſubſequẽs Matrimonium retrotrahitur, ex quadam benignitate iuris Canonici C. Tanta: Qui filij ſunt legitimi; Spurij verò non legitimantur.

C. Tanta.

23 Tertiò fit legitimatio per profeſſionem factam in aliqua Religione approbata: tunc per profeſſionem illegitimus fit habilis ad Ordines ſuſcipiendos: nõ autem ad Prælaturam, & beneficium: vt conſtat ex cap. Tanta, ſupra citato, & ex c. 1. de filij Presbyt. vbi ſunt illa verba (*Niſi monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viuentes.*) Ità Suarez d. D. 50. ſect. 5. n. 15. & Filliuc. d. tr. 19. c. 5. q. 9. n. 153. Nauar. c. 27. n. 207. Sayr. lib. 6. c. 11. n. 3. Bonac. de cenſ. D. 7. quæſt. 2. p. 3. num. 14.

3. Fit per profeſſionem Religionis.

C. Tanta. C. 1. de filijs Presbyt. Suar. Filliuc. Nauarr. Sayrus. Bonac.

24 Ad hanc ſpeciem irregularitatis Natalium reducũtur filij Hæreticorum, vſque ad ſecundam generationem per lineam rectam virilem paternam: per lineam verò maternam vſque ad primam tantùm incluſiuè, prout dicitur in c. Statuimus, 2. de Hæreticis: Quod intelligendum eſt de parentibus, qui mortui ſunt in delicto Hæreſis, ſiuè obſtinati, ſiuè relaxi: Si autẽ ante mortem fuiſſet reconciliati, filij ipſorum non eſſent irregulares: Ità Henriq. lib. 14. c. 4. nu. 6. & c. 5. n. 4. Bonac. de cenſ. D. 7. q. 3. p. 7. n. 9. Coninch. p. 2. D. 18. d. 7. n. 51. Sayrus de cenſ. lib. 6. c. 10. nu 4.

Filij hæreticorum quomodò ſunt irregulares. C. Statuimus. Limitatio.

Henriq. Bonac. Coninch. Sayrus.

25 Reducuntur etiam Tertiò filij Proditoris Principis magni, ſiuè Cardinalis, quandò ipſorum Pater fuit cõnictus de tali crimine perpetrato, quia tunc etiã ipſius filij redduntur infames, & inhabiles ad ſacros Ordines ſuſcipiendos c. Fœlicis de Pœnis. l. Quiſquis C. de legib. Ità Bonac. de cenſ. D. 7. q. 3. 1. p. nu. 13.

Filij proditoris Principis, & Cardinalis. C. Fœlicis L. Quiſquis. Bonac.

26 Quarta ſpecies irregularitatis, ſiuè potiùs inhabilitatis ad Ordines licitè ſuſcipiendos prouenit ex defectu Libertatis. Quàpropter defectus libertatis irregularitatem inducit in ſequentibus caſibus: Primò In coniugatis, nam coniugati non admittuntur ad Ordines, niſi prius de communi conſenſu ſeparentur, & vxor Religionem ſit ingreſſa, & profeſſa C. Vxoratus de Conuerſione coniugat. Secundò in mãcipijs, quæ ſunt omninò deſtituta libertate: Nullus .n. de ſeruili conditione ad ſacros Ordines promoueri poteſt, niſi de conſenſu illius domini, vel antea libertate fecisset: non .n. decet ſeruum ob vilem conditionem ad dignitatem ſacerdotalem promoueri, ne dignitas ſacerdotalis paruipendatur, vt patet ex Tit. de ſeruis non ordinandis: & Tertiò in obligatis ad ratiocinia reddenda, quamuis enim iſti ſimpliciter ſint liberi: Eccleſia tamen propter talium ordinationem infamatur: niſi depoſito onere, & reddita ratione venerint liberati: pro vt dicitur in c. Vnico de obligatis ad ratiocinia: Ità Filliuc. d. tract. 9. c. 4. nu. 79.

4. Species eſt ex defectu libertatis.

1. Sunt coniugati durãte Matrim. C. Vxoratus. 2. Sunt mancipia.

Tit. de ſeruis ordinandis.

Obligati ad ratiocinia. C. de oblig. ad rat. Filliuc.

27 Quinta tandem ſpecies irregularitatis ſine culpa prouenit ex defectu ipſius ſubiecti inhabilis ad licitè Ordines ſuſcipiendos, vel exercendos: quæ Duplicitet poteſt conſiderari, prim ò reſpectu animæ, ſecùdò reſpectu corporis vitiati; quò ad primum conſideratur Tripliciter iuxta triplices eſſentiales potentias ipſius Animæ: Memoriæ, videlicet, Intellectus, & Voluntatis: Quàpropter circa primum ex defectu memoriæ vitiatæ, Dico: Omnes amentes, & furioſos habitualiter eſſe irregulares, & inhabiles ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & exercendos, non ſolùm tẽpore amentiæ, ſed etiam poſtquam conualuerint, & hoc propter ſcãdalum, & periculum noui lapſus in amentiam, pro vt patet ex Can. Maritum: Can. Clerici, & Can. Communiter D. 33. Quàpropter huiuſmodi amentes, & furioſi non poſſunt ſacris Ordinibus miniſtrari, ſine diſpenſatione Summi Pontificis, cui conſtet per teſtes de ſanitate mentis recuperata, etiam ſi omninò liberati ſint ab amentia: Non enim Epiſcopus poteſt in hac irregularitate, quò ad Ordines ſuſcipiendos diſpenſare: Ità Maiolus lib. 2. de Irreg. c. 14. Nauar. c. 27. n. 203. & Suarez to. 5. D. 51. nu. 5. Filliuc. to. 1. tract. 19. c. 6. nu. 184. Bonac. de cenſ. D. 7. q. 2. p. 2. nu. 23.

5. Species ex defectu ſubiecti incapacis, vel reſpectu corporis, vel reſpectu animæ. Reſpectu Animæ tripl. eſt. Primò ex defectu memoriæ vitiatæ. Omnes amẽtes, & furioſi ſunt irregulares. Can. Maritũ. Can. Clerici. Can. Communiter. Requiritur diſpenſatio Papæ ad Ordines ſuſcipiendos.

Maiolus. Nauarr. Suar. Filliuc. Bonac.

28 Dixi autem (ad Ordines ſuſcipiendos) quoniam differentia eſt inter Ordinandos, & ordinaros: Si .n. loquimur de Ordinibus ſuſceptis ante amentiam, Epiſcopus poterit cum ordinatis, tranſacto anno ab amẽtia, habita prius ſufficienti ratione à viris fide dignis, quod mediante illo anno nullum ſignum amentiæ oſtendiſſet: Tunc enim poterit Epiſcopus conſentire, & declarare ſublatum eſſe impedimentum circa vſum Ordinum antea ſuſceptorum; pro vt colligitur ex C. communiter D. 33. & dicunt Coninch D. 20. n. 107. & Bonac. de cenſ. D. 7. p. 2. q. 2. nu. 23. Nauar. Suarez, & Filliuc. cum alijs ſupra citatis, quibus addo Reginaldum lib. 30. nu. 37.

Epiſcopus poteſt diſpẽſare cum ordinatis, elapſo anno ab amentia.

C. Communiter. Coninch. Bonac. Nauarr. Filliuc. Suar. Reginald.

29 Quod dictum eſt de amentibus, & furioſis, eodem modo etiam intelligendum eſt de ijs, qui aliquandò fuerunt à Dæmone vexari, qui appellantur Energumeni, ſiuè Arreptitij: iſti enim ſi nondum in ſacris eſſent ordinati non poſſunt in poſterum promoueri ad ſacros Ordines ſuſcipiendos ſine Summi Pontificis diſpenſatione, eò quod huiuſmodi, qui ſemel fuerunt incorporati à Dæmone dicuntur, & ſunt irregulares, de qua irregularitate ſolus Papa diſpenſat: pro vt habetur ex ſacris Canonibus: Can. Maritum, Can. Communiter; & Can. Clerici D. 33. Quod etiam intelligitur de illis, qui ſe Dæmoniacos ſimulauerunt, pro vt dicitur ex 6. Synodo Gen. Conſtantinop. Can. 7. Ità Sayr. lib. 6. c. 9. n. 14. Tolet. lib. 1. c. 59. n. 2. Bonac. de cenſ. D. 7. p. 2. q. 2. nu. 24. Filliuc. d. tract. 19. c. 6. q. 8. nu. 181. Nauarr. c. 27. nu. 183.

Energumeni ſunt irregulares. Ad Ordines ſuſcipiendos ſolus Papa diſpeſat. Can. Maritũ. Can. Cõmuniter. Can. Clerici. Et ſimulantes eſſe Energumenos. Conc. Cõſt. 6. Sayr. Tolet. Bonac. Filliuc. Nauarr.

30 Similiter etiam dicimus de Lunaticis, & de ijs, qui laborant, ſiuè laborauerunt malo Herculeo, ſiuè Comitiali, ſiuè Caduco, qui etiam à quibuſdam appellantur Epileptici; Iſti enim propter talem morbum exiſtimantur irregulares, nec poſſunt amplius ad ſacros ordines promoueri ſine Pontificis diſpenſatione: eadem ratione, vt ex ſupradictis ſacris Canonibus, & Doctoribus ſupra citatis conſtat, legite Bonac. loc. cit.

Lunatici, & morbo caduco vexati.

Bonac.

31 Si verò iam fuiſſent antea Sacerdotes ordinati, tunc elapſo anno, & habita relatione medicorum, aliorumque virorum fide dignorum, quod dicti Energumeni, ſiuè lunatici, ſiuè E pileptici, ſint totaliter reſanati, & non eſt amplius periculum reincidendi in eãdem vexationem, ſiuè infirmitatem, tunc poterit Epiſcopus diſpenſare, ſiuè potius declarare ceſſatum eſſe impedimentum, & ſic poterunt celebrare, prout dictum eſt ſupra de amentibus, & furioſis, eſt enim eadem ratio: Ità Vgolinus c. 54. §. 1. cum omnibus ſupra citatis, & patet ex Can. Maritum, Can. Clerici, & Can. Communiter D. 33.

Cũ ordinatis, elapſo anno, diſpenſat Epiſcopus.

Vgolin. Can. Maritũ. Can. Clerici. Can. Communiter.

32 Secũda Inhabilitas prouenire poteſt ex defectu Intellectus, vt ſunt ſtolidi, & ignorãtes: huiuſmodi enim non poſſunt licitè ad Ordines promoueri; pro vt dicitur in Can. Illiteratos Diſt. 36. huiuſmodi enim, durãte tali inſufficientia, & imperitia ſunt inhabiles ad Ordines ſuſcipiendos, & miniſtrandos, non ſolùm iure Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure naturæ, ità dictante, huiuſmodi inhabiles non eſſe promouendos, & admittendos ad Ordines: Quæ autem ſciẽtia requiratur pro ſingulis Ordinibus, iam dictum eſt ſupra in præcedẽti capitulo nu. 23. iuxta doctrinam Trid. Concil. ſeſſ. 22. de Deformat. cap. 4. & c. 11. & 12.

2. Ex defectu intellectus, vt ſunt ſtolidi & ignorãtes.

Concil. Trid.

33 Tertia Inhabilitas animæ prouenire poteſt ex defectu Voluntatis. In adulto enim requiritur voluntas recipiendi Ordines, quando conferuntur: ſi enim talis voluntas ſaltem virtualiter nõ adſit non imprimeretur character, vt ex ſupra dictis cõſtat: Requiritur etiam, vt

3. Ex defectu voluntatis. Voluntas recipiendi neceſſaria eſt in adulto.

vt effectum gratiæ conſequatur, vt ſuſcipiens in actu, quo ordinatur tam in maioribus, quàm etiã in minoribus Ordinibus ſit in ſtatu gratiæ, quod ſi conſcientiã alicuius peccati mortiferi habeat præparare ſe debet, vel per confeſſionem, vel per actum contritionis ſaltẽ putatæ; aliter enim contraſaciens ſacrilegium cõmitteret recipiendo Sacramẽtum Ordinis extra gratiam: Requiritur etiam recta intentio, & integritas vitæ: vt patet ex Rubrica Pontificalis Romani.

Requiritur eſſe in gratia.

Requiritur recta intẽtio.

34 Quò ad ſecundùm de impedimentis reſpectu corporis, dicimus breuiter, quod: Quicumque corporis defectus, qui impedit vſum, & exercitium Ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, efficit hominem irregularem, durante tali deformitate, vel defectu, vt eſt Naſi amputatio, carentia vnius oculi, ſiuè habere inſignem deformitatẽ in viſu, habere labia omninò corroſa, vel abſciſſa, carentia alicuius manus, vel pedis, & quæcumque mõſtruoſitas, vt habere duo capita, quatuor manus, aut vultum adeò fœdidum, vt ipſum intuentibus facilem incutiat horrorem, aut deriſum: & huiuſmodi non ſunt ordinãdi, neque poſſunt Ordinem ſuſceptum licitè exercere, eò quod durante tali deformitate irregulares ſunt, ſiuè huiuſmodi vitiũ contractum ſit ex culpa, ſiuè ſine culpa, ſiuè ex cauſa iuſta, ſiuè iniuſta, ſiuè naturali, ſiuè accidentali.

De corporibus vitiatis. Quæcumque deformitas corporis reddit hominem inhabilem.

35 Et ratio huius eſt, quia æquitas ipſa naturalis dictat eum ad Ordines, & eorum vſum non eſſe promouendum, qui neque Ordines exercere poteſt, aut horrorẽ incutit adſtantibus: vt conſtat per multos Canonea tit. De Corp. vitiat. & tit. de Clerico ægrotante: Ità Nauar. c.27.nu.200. Suarez to.5. D.50. ſect.2. nu. 16. Sayrus lib.6.c.7.n.6. Coninch. D.18.d.13. n.106. Filliuc. d.tr.19. c.6. Tolet. lib.1. c.58. Vgolin. de Irregul. c.46. & alij ab ipſis citati.

Ratio huius irregularitatis. Can. de corporibus vitiatis. De Clerico ægrot. Nauarr. Suar. Sayrus. Coninch. Filliuc. Tolet. Vgolin.

Similiter etiam dicimus de laborantibus infirmitate lepræ, vel multa ſcabie nimiam inducente deformitatem, aut morbo Gallico, qui foris appareat, horro-
36 remque, ac ſcandalum generet, vel febri peſtifera; & contagioſa laborantibus propter periculum infectionis aliorum: huiuſmodi enim exiſtimandi ſunt tã quã irregulares, durante tali morbo, & ideò non ſunt ordinandi, neque permittẽdum eſt ad ſacrum altare accedere: prout colligitur ex cap. Tua nos de Clerico ægrot. Ità Maiol. de Irreg. lib.2. c.18. Molina tom.4. de iuſt. tract.3. D.70. nu.11. & 16. Vgol. c. 55. §.1. Bonac. de cenſur. D.7. p.2. q.2. nu.18.

De leproſis, Et morbis contagioſis laborãtibus.

C. Tua nos. Maiolus. Molina. Vgolin. Bonac.

37 Dicimus tandem pro concluſione huius capituli, quod carentia alicuius membri, vel partis membri, qui nullam faciunt deformitatem notabiliter apparẽtem in ſubiecto, horrorem, vel deriſum inducentem, non impedire executionem Ordinum ſuſceptorum, etiam ſine aliqua diſpenſatione: dum tamen huiuſmodi mẽbra ſine voluntate, & conſenſu patientis fuiſſent amputata: vel ſi permiſiſſet amputari propter ſanitatem obtinendam: tunc ille talis non eſſet irregularis, neque ad Ordines ſuſcipiendos, dummodò talis membri carentia non impediat executionem Ordinis, neque notabilem deformitatem adiunctam habeat: prout dicitur in Can. Qui partem D.33.

Quandò defectus corporis non impedit.

Can. Qui partem.

38 Secus autem dicendum eſt, ſi propria culpa contingiſſet talium membrorum abſciſſio in pœnam alicuius delicti commiſſi, vt ſi Clerico, vel alij eſſent virilia amputata à marito adulteræ, cum qua turpiter inuentus eſt, vel ſi eſſent amputata per iudicis ſententiam in pœnam alicuius delicti commiſſi: tunc efficeretur irregularis, quia talis membri abſciſſio fuit culpabilis: Ità dicunt Nauar. c.27. n.198. Suarez to.5. D.51. ſect.2. nu. 8 Henriq. lib.14. c.8. §.4. Vgol. c.51. n. 4. Filliuc. d. tr. 19. c. 6. q.7. n. 177. & Bonac. de cenſ. D.7. p.2. q.2. n.33.

Secus ſi talis membri abſciſſio fuit voluntaria, aut culpabilis. Nauarr. Suarez. Henriq. Vgolin. Filliuc. Bonac.

39 Hinc ſequitur, quod ſi quis virilia ſe amputauit, vel ſibi fecit amputare abſq; iuſta cauſa, ſiuè per deſperationem, ſiuè pro voce conſeruanda ratione cantus, ſiuè cauſa caſtitatis ſeruandæ, non excuſaretur ab irregularitate, quia teſtium abſciſſio, non eſt medium ſufficiens ad caſtitatem, imò ſecti, & amputati huiuſmodi membris ſolent, vt plurimũ, ardentioribus carnis ſtimulis vexari præſertim in virili ætate, pro vt fatentur communiter Doctores teſtante Bonac. d. Diſp. 7. p.2. qu.2. nu.34. & Hæc omnia colliguntur ex ſacris Canonibus Can.4.6. 8. & 9. D. 55. & c. ſignificaſti, de corp. Vitiatis.

Teſtium abſciſſio non eſt medium pro caſtitate.

Bonac.

Cap. ſignificaſti.

Si verò talis membri abſciſſio non fuit voluntaria ipſius patientis, ſed per accidens, vel ſi alicui fuiſſent amputati teſtes, ſiuè virilia tempore infantiæ, vel ab inimicis, vel propter infirmitatem, tunc ille talis non eſſet irregularis, neque indigeret aliqua diſpenſatione, neque tenebitur teſtes, aut virilia abſciſſa deſiccata, ſiuè in cineres ſecum deferre, adhoc vt poſſit celebrare (vt falſo nonnulli putant & à vulgò communiter dicitur) nullo enim iure probatur ad hoc teneri: Ità Couar. in Clem. vnica ſi furioſus, 1.p.c.5. & Gloſſa in cap. Eunuchus D.55. Tolet. li.1.c.58. n.2. in fine Filliuc. d. tract.19. c 6. n.159. Bonac. d. D.7. p.2. q.2. n. 31. Vgol. c.54. n.5. Molina lib.1. de Irregul. c.24. n.15. 40

40 Secus ſi contra voluntatem patiẽtis fuiſſent amputata. Non tenetur apud ſe habere deſiccata. Couarr. Gloſſa in c. Eunuchus. Tolet. Filliuc. Bonac. Vgolin. Molina.

DE SPECIEBVS ALIIS IRREGVlaritatum, prouenientium ex delicto.

CAP. VII.

Diximus in præcedenti capitulo de irregularitatibus, ex defectu, & inhabilitate ſubiecti ad recipiendos, & exercendos Ordines, tam reſpectu corporis, quàm etiam reſpectu animæ; Reliquum eſt, vt breuiter dicamus de alijs ſpeciebus irregularitatum Canonicarum, quæ contrahuntur ab hominibus in pœnã delicti perpetrati, mediante qua homo fit inhabilis ad licitè recipiendos Ordines, vel in ſuſceptis adminiſtrare ante diſpenſationem obtentam eiuſdem irregularitatis, ſiuè impedimenti ab eo, qui facultatem habet in ſimilibus impedimentis diſpenſandi. 1

1 De irregularitatibus, prouenientibus ex delicto.

Eſt ergò Prima ſpecies huiuſmodi irregularitatum ea, quæ contrahitur per delictum ex voluntaria reiteratione Sacramenti Baptiſmi: Quapropter ſi quis voluntariè, & ſcienter ſine conditione, ſaltem mente concepta aliquem rebaptizauerit, ſiuè iam baptizatus iterum ſe rebaptizari ſcienter permiſerit, ipſo facto irregularitatem incurret, nec poterit amplius ad Ordines promoueri ſine Summi Pontificis diſpenſatione: imò toties talis irregularitas in vtroque multiplicabitur, quoties Baptiſmi Sacramentum voluntariè, & ſcienter reiterauerit, vel paſſiuè recipiendo, vel actiuè miniſtrando; Et ratio huius eſt, quia toties quoties, multiplicatur culpa, propter quam inducta eſt ab Eccleſia talia irregularitas, toties etiam multiplicabitur noua irregularitas: Ità Bonac. de cenſ. D.7. q.3. p.3. n. 2. Couar. in Clement. Si furioſus 1.p. nu. 8. Coninch. D.18. d.5. n.34. Suarez to.5. D.42. ſect.1. nu.1. Tolet. lib.1. c.65. & patet ex c. Ex litterarum de Apoſtat. & Canone Confirmandum Diſtinct.50. & Can. Qui in qualiber 1. q.7. 2

2 Prima irregularitas. Ex reiteratione voluntaria Sacramenti Baptiſmi.

Ratio huius irregularitatis.

Bonac. Couarr. Coninch. Suarez. Tolet. C. Ex litterarum. Can. Confirmandum. Can. Qui in qualibet.

Hæc autem irregularitas inflicta eſt ab Eccleſia,
propter reuerentiam Sacramenti Baptiſmi, quod dicitur Regenerationis Sacramentum: nam ſicut non poteſt homo natus iterum corporaliter renaſci, ità nec ſpiritualiter regenerari, tum quia Baptiſmus datur contra peccatum Originale, quod ſemel tantùm contrahitur, tum quia homo per Baptiſmum configuratur Chriſti morti, Chriſtus autem ſemel tantùm mortuus 3

3 Quare contrahitur iſta irregularitas.

Ad Hebræos. c. 6.

Digitized by Google

mortuus eſt: Vndè dixit Apoſtolus ad Hebr. c. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, id eſt per Baptiſmum iterum, &c.* Ità Filliuc. to. 1. tract. 20. c. 6. n. 163. Qui ergò reiterat Sacramentum Baptiſmi iniuriam facit Sacramento: & ità ſe gerit in eo facto, ac ſi eſſet extra Eccleſiam, quapropter in Sacris Canonibus abſolutè dicitur: *Nunquam permittendum eſſe, vt rebaptizati ad clericatus gradum promoueantur, C. Confirmandum Diſt. 50.*

Filliuc. — Can. Confirmandum.

4 Reiterans Confirmationem, & Ordinem, non fit irregularis. Ratio huius aſſertionis.

Ex iteratione autem Sacramenti Confirmationis, ſiuè Ordinis non contrahitur irregularitas, quamuis huiuſmodi Sacramentum reiterans mortaliter peccet propter iniuriam Sacramenti, in quibus imprimitur character indelebilis; quapropter iterum reiterari nō poſſunt ſine graui ſacrilegio, non tamen incurritur pœna irregularitatis, ſicut per reiterationem Baptiſmi; Et ratio huius eſt, quia in iure talis pœna irregularitatis iniuncta non eſt, contra tales hæc Sacramenta reiterantes, eſſent tamen grauiter puniēdi, & ſuſpendendi ab Ordinibus ſuſceptis: Ità Filliuc. d. to. 1. tra. 19. c. 7. q. 1. & Reginald. lib. 30. tract. 2. n. 178. Bonac. to. 1. D. 7. p. 3. q. 3. n. 8. & alij.

Filliuc. Reginal. Bonac.

5 2. Species eſt de illis, qui furtiuè & in fraude ordinantur.

Secunda ſpecies irregularitatis proueniens ex delicto, eſt illa, quæ incurritur ab eo, qui furtiuè Ordines ſuſcipit, ſiuè quia non admiſſus ſe ſe ingerit cum aliis ordinandis, ſiuè quia vſurpato nomine alterius perſonæ approbatæ eius locum occupat, ſiuè quia ſub nomine ſuo facit alium examinari, & poſteà ipſe nomine proprio vocatus accedit ad Ordinem: hunc inquā eſſe irregularem; pro vt dicitur in c. 1. & vltimo de eo, qui furtiuè Ordin. ſuſcipit. Ità Suarez to. 5. Diſp. 42. ſectio. 9. n. 5. & Filliuc. to. 1. tr. 20. c. 7. q. 4. 195.

Suar. Filliuc.

6 Excommunicatus miniſtrans, ſiuè ordinem recipiens fit irregularis.

Similiter etiam ex indebita ſuſceptione, & vſu Ordinum Sacrorum malè ſuſceptorum: quapropter ſi quis excommunicatus, ſuſpenſus, vel Interdictus, ſiuè aliqua cēſura ligatus ſacros Ordines ſcienter ſuſcipit ſiuè ſolemniter ſacrum Ordinem ſuſceptum in cenſura miniſtrare præſumpſerit, vel miniſtrauerit in Ordine, quem non habet, eo ipſo fit irregularis, vt patet ex c. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtrante.

7 De ordinatis per ſaltum, ſeu ante legitimam ætatem.

Si verò per ſaltum, vel ante legitimam ætatem, vel ſine titulo in fraudem fuerit ordinatus, tunc ipſo facto, incurrit pœnam ſuſpenſionis, & ſi in ſuſceptis Ordinibus ante legitimam diſpenſationem miniſtrauerit, tūc irregularitatem incurret, in qua ſolus Papa diſpenſat, quandò eſt publica, ſi verò fuerit occulta in foro conſcientiæ poterit Epiſcopus ordinarius cum ſuo ſubdito diſpenſare: pro vt dicunt Suarez d. to. 5. D. 42. ſect. 3. n. 1. Filliuc. d. tract. 20. c. 7. nu. 192. Sayrus de cenſ. lib. 7. c. 10. n. 14. & Bonac. to. 1. de cenſ. D. 7. q. 3. nu. 2.

Suar. Filliuc. Sayrus. Bonac.

8 Hæretici formales, eorūque fautores.

Tertia ſpecies irregularitatis incurritur ex delicto Hæreſis formalis, etiam occulta, dum tamen aliquo ſigno externo manifeſtata fuerit: Quapropter omnes Hæretici, ſiuè Apoſtatæ à fide, eorumque fautores, & defenſores ſunt irregulares, etiam ſi ſint occulti, dum tamen talem hæreſim (vt dixi) aliquo ſigno externo manifeſtauerint, vt patet ex ſacris Canonibus Cano. Saluberrimum 1. q. 7. c. Presbyteros D. 50. & c. 1. & 2. de Hæreticis, in qua quidem irregularitate contracta, ſolus Papa diſpenſat, vt eſt communis Theologorum ſententia: ex Suarez to. 5. D. 43. ſect. 1. Nauar. in Man. c. 27. n. 205. Syluest. Verbo Irregularitas q. 5. Tolet. lib. 1. c. 64. Filliuc. d. tract. 20. c. 9. nu. 227. & Coninch. D. 18. d. 7. & Bonac. to. 1. de cenſ. D. 7. q. 3. p. 7. n. 1.

Can. ſaluber. Can. Presb. — Suarez. Nauarr. Syluest. Tolet. Filliuc. Coninch. Bonac.

9 4. Species ex infamia.

Quarta ſpecies Irregularitatis prouenit ex infamia, ſiuè iuris, ſiuè facti propter delictum commiſſum: Infamia Iuris eſt, quandò committitur delictum, cui impoſita eſt à Iure Canonico, ſiuè ciuili pœna infamiæ, pro vt dicitur in Canon. omnes: 3. qu. 6. Verum eſt tamen, quod ad incurrendam talem pœnam infamiæ requiritur ſententia iudicis, vel notorietas facti, vt delictum commiſſum ſit notorium ſaltem maiori parti Ciuitatis, vel viciniæ, vel collegii, vel loci, in quo quis degit, vel per propriam confeſſionem factam ab ipſo reo in iudicio legitimè interrogato: pro vt dicūt Suarez to. 5. D. 48. ſect. 1. n. 20. Nauarr. c. 27. nu. 248. Coninch D. 18. d. 7. nu. 54. Tabiena Verbo infamia n. 2. Bonac. de cenſ. D. 74. q. 3. n. 1.

Infamia Iuris, quæ. Can. omnes. — Quando incurritur talis infamia. Suarez. Nauarr. Coninch. Tabiena. Bonac.

10 Infames infamia Iuris ſunt irregulares. De Reg. Iur. Nauarr. Auila. Sayr. Suar. Cā. Infames.

Quapropter concludendo dicimus, quod omnis infamis infamia iuris, dum tamen huiuſmodi infamia non fuerit purgata eſt irregularis, & inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos, & exercendos ſuſceptos, vt patet ex Reg. Iuris in 6. Regula 87. vbi dicitur *Infamibus Porta non pateant dignitatum:* Ità communiter: Nauar. d. c. 27. nu. 204. Auila de cenſ. d. 5. Sayrus cap. 11. Suarez D. 48. ſect. 2. pro vt colligitur ex Can. Infames 6. quæſt. 1.

11 Infamia facti quæ, & quomodò purgatur.

Infamia verò facti, proueniens ex delicto infami facit delinquentem irregularem, & inhabilem ad recipiendos Ordines, quamdiù delinquens non fuerit emendatus, quia per emendationem delinquentis tollitur infamia facti, nam irregularitas, per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur: Ità dicunt communiter Doctores, vt Nauar. d. c. 27. nu. 204. Suarez ſupra nu. 8. Filliuc. to. 1. tract. 19. cap. 8. nu. 221. & alii.

Nauarr. Suarez. Filliuc.

12 5. Species prouenit ex homicidio voluntario cum peccato.

Quinta tandem ſpecies Irregularitatis, & inhabilitatis ad Ordines ſuſcipiendos, & exercendos prouenit ex delicto homicidii voluntarii, ſiuè ex mutilatione alicuius membri, ſiuè propriæ perſonæ, ſiuè alterius cum peccato: Nam huiuſmodi ipſo facto, ſunt irregulares, nec poſſunt ad Ordines promoueri, neque in ſuſceptis adminiſtrare, ſine Summi Pontificis diſpenſatione: & hoc propter defectum lenitatis, & manſuetudinis, quæ debent eſſe in Sacerdote ad Chriſti Domini imitationem, quem ſacerdos debet repræſentare: pro vt patet ex ſacris Canonibus, & ex communi Theologorum ſententia, vt plenius probabitur loco ſuo in tractatu de Irregularitate in ſecunda parte noſtræ Theologiæ moralis. Legite Bonacinam de cenſ. Diſp. 7. q. 4. p. 8. Filliuccium to. 1. tract. 20. cap. 1. alioſque apud ipſos: Et hæc de impedimentis ſubiecti ad Ordines ſuſcipiendos, ſint ſatis.

In hac ſolus Papa diſpenſat. — Bonac. Filliuc.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI Ordinis.

CAP. VIII.

1 Effectus Sacramenti Ordinis reducūtur ad duo capita.

PRo complemento huius præſentis tractatus operepretium eſt, vt de effectibus huius Sacramenti iuxta morem noſtrum aliquid dicamus, ne opus mācum relinquatur, & ideò breuiter, quantum fas erit de ipſis effectibus, colligendo dicimus: Effectus Sacramēti Ordinis ad duo capita principalia reduci poſſe, quorum alter eſt de iure Diuino, alter verò pendet ex determinatione facta ab Eccleſia, & circa primum duo effectus præcipui conſiderantur, quorum vnus eſt gratia ſanctificans animam, alter verò eſt Character indelebilis ſpiritualiter impreſſus in anima Ordinati virtute Sacramenti collati, ſimiliter etiam ex ordinatione Eccleſiæ conſecutiuè duo alii effectus cauſantur in Ordinato, Videlicet Cælibatus reſpectu ſacrorum Ordinum, & priuilegia Clericatus in Clerico, de quibus omnibus breuiter in hoc capitulo dicere opus eſt.

2 P. effectus de Iure diuino, Cōfert augmentum gratiæ, & ipſam confert ex operato.

Primus ergò effectus principalis de iure Diuino eſt conferre gratiam iuſtificantē, augendo ipſam ex opere operato; Supponit enim hoc Sacramentum per ſe gratiam ſpecialem ad dignè, & ex officio miniſtrandum in illo Ordine, vt patet ex dictis de Sacr. in ge-

nere,

nere, & ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 6. & 7. vbi dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei: Anathema ſit*: Sic etiam ſeſſ. 23. cap. 3. & alibi, & eſt communis Theologorum ſententia in 4. D. 25. & D. Thom. in add. 3. p. q. 35. A. 1. Nugn. ibi ad Tertium. Filliuc. to. 1. tr. 9. c. 3. nu. 52. Bellarm. to. 2. de Sacr. Ord. lib. 1. cap. 10. & Bonac. tom. 1. de Sacr. D. 8. p. 6. nu. 2.

Concil. Trid. D. Thom. Nugnus. Filliuc. Bellarm. Bonac.

3 Recipiens hoc Sacramentum debet eſſe in gratia. Can. Tales D. 23.

Concludimus ergò, quod in ſubiecto ad ſuſceptionem Ordinis præexigitur gratia gratum faciens in ipſo ſuſcipiente de congruitate ad hoc, vt dignè Sacramentum ſuſcipiatur: quàpropter dicitur in Can. Tales D. 23. *Tales ad miniſteria eligantur, qui dignè poſſint dominica Sacramenta miniſtrare*, hoc autem eſſe non poteſt ſine gratia gratum faciente: Verum eſt tamen hoc non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quia ſine ea ſuſcipitur verum quidem Sacramentum, licèt indignè, & ſacrilegè ſuſcipiatur. Ità Graff. tom. 2. Dec. li. 1. c. 9. nu. 25. Nugn. in addit. 3. p. to. 2. qu. 35. ad ſecundum, & alii.

Graffius, Nugnus.

4 Gratia particularis, quæ confertur, qua?

Gratia autem, quæ confertur in quolibet Ordinis Sacramento dignè ſuſcepto eſt excellens: Et quamuis quanto maior ſit diſpoſitio ſuſcipientis, tanta maior conferatur gratia, attenta natura talis Sacramenti: Nihilominus cum æquali diſpoſitione confertur maior gratia in hoc Sacramento, quam in aliis Sacramentis (non loquendo de Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento, quod eſt omnium Sacramentorum præſtantiſſimum, eò quod contineat in ſe fontem, & Originem gratiarum omnium, qui eſt Chriſtus Dominus.) Et in hoc nulla eſt controuerſia inter Catholicos Theologos: legite Bellarm. D. Tho. & Nugn. loc. ſupr. cit.

Bellarm. D. Thom. Nugnus.

5 Character indelebilis imprimitur in quolibet Ordine. Concil. Trid.

Secundus effectus, qui cauſatur virtute Sacramenti huius de iure diuino eſt character indelebilis, qui imprimitur in anima ordinati, in quolibet Ordine etiam minori, vt patet ex determinatione Trid. ſeſſ. 7. can. 9. vbi dicitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima ſuſcipientis; hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, quàpropter illa iterari non poſſunt, Anathema ſit.*

6 Hinc eſt, quod quotieſcumque homo Ordinatus ad Laicatum ſe transferat, ſemper tamen manet in eo character Ordinis clericatus, quod patet ex eo, quia ſi iterum ad Clericatum reuertatur non iterum Ordinem, quem habuerat ſuſcipit, qui quidem effectus characteris confertur eodem tempore, quo confertur primus, prout dicunt Vaſqu. in 3. p. tom. 3. D. 243. Reg. lib. 30. num. 3. & 16. Coninch. D. 20. nu. 8. Henriq. lib. 10. c. 14. nu. 2. Bonac. to. 1. de Sacr. D. 8. p. 6. nu. 3. Filliuc. to. 1. tr. 9. c. 3. nu. 55.

Quando imprimitur character Ordinis. Vaſq. Reginald. Coninch. Henriq. Bonac. Filliuc.

Sunt autem, & alii duo effectus ſecundarij, qui conſequenter ſequuntur ex ordinatione Eccleſię, quorum Primus eſt Cęlibatus, & obligatio perſoluendi ſingulis diebus horas Canonicas reſpectu Ordinum maiorum: Et ratio huius eſt, quia Eccleſia ſtatuit ſacris Ordinibus annexum eſſe votum caſtitatis, ſiuè continentiæ cum obligatione recitandi diuinum officium, quæ omnia ſaltem tacitè videntur promitti à quolibet per ſuſceptionem voluntariam ſacrorum Ordinum: Qui enim vult antecedens cenſetur velle, & conſequens; & qui vult ſtatum aliquem, vult etiam onera ſtatui illi annexa: Ità Nauarr. in Man. cap. 12. num. 32. Henriq. lib. 10. de Ord. c. 14. nu. 8. Toler. lib. 4. cap. 18. Filliuc. d. tr. 9. c. 3. nu. 67.

7 Effectus ſecundarij ex determinatione Eccleſiæ.

Cęlibatus, & obligatio recitationem diuini officij perſoluendi. Hæc obligatio eſt annexa. Nauarr. Henriq. Toler. Filliuc.

Quàpropter Clericus ſacris Ordinibus ordinatus tenetur geſtare habitum clericalem, & tonſuram: prout docent omnes Doctores communiter: in c. penult. de Vita, & Honeſt. Cler. Vndè ſi quis initiatus ſacris maioribus Ordinibus, non geſtaret ad longum tempus abſque iuſta, & legitima cauſa, peccaret mortaliter, quia eſſet violator Legis Eccleſiæ in materia graui, & faceret contra ſacros Canones, & eſſet grauiter puniendus à Prælato: vt habetur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 6. de Reform. Ità Nauar. in Com. 4. de Regularib. nu. 27. Henriq. lib. 13. c. 39. nu. 3. & Vaſq. to. 3. D. 25. c. 3. Bonac. ſup. D. 8. p. 7. nu. 2.

8 Ordinatus in ſacris tenetur geſtare habitum clericalem. Concil. Trid.

Nauarr. Henriq. Vaſq. Bonac.

Exiſtens verò in minoribus Ordinibus facilius excuſatur à peccato, ſi non deferat habitum Clericalem, & tonſuram: quia huiuſmodi poſſunt licitè, ſi voluerint ad ſtatum Laicalem tranſire: Verum eſt tamen; quod tunc non gauderent priuilegio Clericatus, & non eſſent exempti à iuriſdictione iudicis temporalis: Et talis eſt effectus ſecundus ſecundarius, qui ſequitur ex ſuſceptione Ordinum, etiam primæ Tonſuræ.

9 In minoribus non peccat, ſed non gaudet priuilegio clericali.

Et hæc de Sacramento Ordinis breuiter dicta ſufficiant.

TRA-

TRACTATVS XXXII.
DE SACRAMENTIS,
ET DE MATRIMONII SACRAMENTO
TRACTATVS PRIMVS.

PROOEMIVM.

Ad Eph. c.5. Theo. in 4. ſentent. Canoniſtæ. *SAcramentorum ſex nouæ legis tractatibus peractis, iuxta Tridentini Concilij Ordinem; Reſtat modò dicendum de ſeptimo, quod quidem vltimum locum in ordine Sacramentorum tenet, quamuis propter ſignificationis myſterium vnionis Christi cum Eccleſia Sacramentum hoc magnum in ſe ſit: ex Apoſtoli ſententia Epheſ. c.5. dicentis:* Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia, *de quo Sacramento multa, diffuſèque dixere peritiſſimi viri Theologi, & Canoniſtæ: Illi quidem in 4. lib. ſent. à D. 26. vſque ad 42. Iſti autem in 4. lib. Decretalium Greg. IX. ſub titulo de Sponſalibus, & Matrimon. qui liber totus agit de hac materia: Summiſtæ verò omnes in ſuis titulis Verb. Matrimonium, & Sponſalia: Nouiſſimè verò de hac materia miſticè ſpeculatiuè, & moraliter tractant Sayrus, Coninch, Bonacina, & Filliucius, cum alijs, inter quos P. Thom. Sanchius diffuſè, & accuratiſſimè tres libros de hac materia compoſuit, vt meritò omnem dubitationem omnibus adimat quidquam vlterius de tali ſcribendi materia, eò quod omnes huius materiæ difficultates, ità explicatæ ſint, vt nulla videatur ſupereſſe: Quoniam autem Intellectus hominum ſemper noua ſcire deſiderat, & ne tractatus noſtra Theologia moralis, in quo de omnibus Sacramentis nouæ legis moraliter inſtituimus agere mancus, & mutilus relictus remaneat, breuiter, quantum fas erit, rem totam pro fidelium commoditate, & vtilitate ad quatuor Tractatus reducemus, In quorum Primo: De Nominibus, Inſtitutione, & quidditate ipſius: Deindè de cauſis materiali, & formali efficienti, & finale: Poſtmodum de effectibus, aliiſque neceſſarijs ad ipſius Matrimonij Sacramenti materiam explicabimus: In ſecundo de Sponſalibus, quæ præcedere ſolent ipſum Matrimonium contrahendum, & ſunt via ad ipſum: In tertio de Impedimentis dirimentibus, & non dirimentibus, & de eorum diſpenſatione: In quarto tandem de ijs, quæ ad vſum Matrimonij pertinent, deque peccatis, quæ à coniugatis contra fidem Matrimonij ſæpè ſæpius committi poſſunt dicere opus eſt, ea breuitate, & claritate, quâ dante Deo optimo maximo, à quo cuncta bona procedunt poterimus ſcribere.*

Sayrus. Coninch. Bonac. Filliuc. Sanch.

Diuiſio totius tractatus. Diuiſio prioris tractatus. 2. Tractatus. 3. Tractatus. 4. Tractatus.

DE NOMINIBVS, INSTISVTIONE, & Definitione Sacramenti Matrimonij.

CAP. I.

1 Nomina Matrimonij. MVltifariè, multiſque modis Sacramentum hoc ab hominibus eſt appellatum: ab aliquibus enim dicitur Connubium, ſiuè Nuptiæ: à quibuſdam autem Coniugium, ſiuè Sponſalia appellari ſolet: communiter autem Matrimonium dici ſolet. Etymologia ſumpta à matre, non quidem adhuc maternitate obtenta, ſed cum ſpe ſtatim adipiſcendi, ideò enim mulier viro coniungitur in Matrimonium, vt mater fiat, & ideò dicitur Matrimonium, quaſi matris munium, ideſt officium, nam prolem concipere, parere, & adducere potius matris munus eſt, quã patris: mater enim magis laborat in vtero geſtando, lac præbendo, aliaque infantilia continuè miniſtrando primò munit Filium: Pater autem adulto Filio præbet neceſſaria, & in acquirendis, & conſeruandis diuitijs facit patrimonium: Denique ipſa mater certior eſt de Filio ſuo quam pater: Ità Diuus Thomas in addit. 3. parte quæſtion. 44. Articul. 1. Diuus Auguſtinus libro 19. capit. 16. contra Manichæos: Sanchez lib. 1. de Matrimonio in proœmio numero 4. Filliucius tomo 1. tract. 10. capitul. 1. numero primo Chamerota de Matrimonio tractatu 12. cap. 1. Vel Secundò dicitur Matrimonium quaſi matrẽ muniens:

Etymologia nominis Matrimonij. Quare dicitur Matrimonium. Pater facit patrimonium. D. Thom. D. Aug. Sanch. Filliuc. Chamer.

P. Geſualdus de Bononijs Capucc.

Vxor enim per Matrimonium acquirit virum, à quo defendatur, & muniatur: Ità Bonac. to. 1. de Sacram. q. 2. 1. p. de Matrim. Bonac.

Secundò dicitur Connubium à nubendo, eò quod vxor in benedictionibus nuptiarum velo quodã, quaſi nube caput ſuum velet, quia Spõſa per Matrimonium ſub viri poteſtate conſtituitur, iuxta Domini ſententiam in pœnam peccati Gen. c. 3. *Sub viri poteſtate eris*, Quãpropter ipſa quaſi nube velo obnubitur, ſiuè pudoris gratia, ſiuè in peccati commiſſi erubeſcentiam, dum à Serpente decepta virum ſuum feſellit: pro vt dicitur 30. qu. 5. capitul. 7. & 8. ideò à Græcis Connubium appellatur γαμὸς deducendo vocem ipſam à δαμᾶ, quod domare ſignificat: mutato δ: in γ, eò maximè quod fœminas ſiuè coniuges domet: Ità Petrus Arcudius de Matrimonio lib. 7. c. 1. in princ. 2

2. Appellatur connubium, & vndè dicatur. Gen. c. 3. Quare dicatur Connubium. Can. 7. & 8. 30. q. 5. γαμὸς, apud græcos, quid ſignificet. Pet. Arcud.

Tertiò ob eamdem rationem ipſa connubia appellantur Nuptiæ, quæ propriè dicuntur cæremoniæ, quæ fieri ſolent in ducendis vxoribus à nubendo, eò quod noua nupta, dum viro tradebatur præ pudore caput velo obuoluebat, teſte Lucano lib. ſecundo dicente: 3

3. Dicuntur Nuptiæ, & quare. Lucanus.

(Ni timidum nupta leuiter tectura pudorem)
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus,

& ideò nuptiæ accipiuntur communiter pro maris, & fœminæ coniunctione in Legitimum Matrimonium, in quo fieri ſolent conuiuia, quæ etiam communiter appellantur Nuptiæ; iuxta illud Euangelij: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilæa, & Nuptiæ quidem paratæ ſunt.*

Conuiuia, & appellatur Nuptiæ.

Quartò etiam appellatur Coniugium, eò quod vxor, & maritus ſtrictiſſimo Matrimonij vinculo coniunguntur, fiantq; vna caro, quãpropter à Græcis cõiu- 4

4. Dicuntur coniugia, & quare.

Coniuges quomodò à Græcis nuncupantur.

gium appellatur, συζύγια, ideſt maris, & fœminæ coniunctio ideſt ſimul Matrimonii iugum ducentes, ζυγὸς, enim apud Græcos iugum ſignificat, & ideò coniuges appellantur συζύγοι, ſiuè ὁμοζύγοι, eò quod coniuges onera, & moleſtias Matrimonii vna ſuſtineant, & idem iugum ſimul trahant: Itá Petrus Arcudius loc. cit. Vaſquez de Matrim. D. 1. capit. 1. Henriquez libr. 11. cap. 1. num. 1. Sanchez to. 1. de Matrimon. in proœm. num. 4. Bonac. quæſt. 2. de Matr. 1. p. num. 1. & alii.

Pet. Arcud. Henriq. Sanch. Bonac.

5 Quintò tandem appellantur ſponſalia á ſponſione, quæ fieri ſolet ante contractum Matrimonii, de quibus ſponſalibus dicetur plenius in ſequenti tractatu: Itá Couarr. 1. p. de Matrimon. capit. 1. numer. 3. Henriquez d. libro 11. cap. 1. §. 1. Sanchez tom. 1. D. 1. & alii.

5 Dicuntur Sponſalia, & quare?

Couarr. Henriq. Sanchez.

Matrimoniũ conſideratur tripl. P. vt officium naturæ. 2. vt remediũ cõcupiſcentiæ. 3. vt Sacramentum.

6 Notandum autem, Matrimonium tribus modis á nobis conſiderari poſſe: Primò quatenus eſt officium naturæ ad filios procreandos, & educandos. Secundò, vt eſt remedium concupiſcentiæ ad extinguendos humores libidinis, ſecundùm rectam rationem: & Tertiò, vt eſt Sacramentum nouæ legis ad hoc, vt mediante gratia alleuientur onera Matrimonii, pro vt docet Magiſt. in 4. lib. D. 26. cum omnibus Theologis; & ideò primo modo fuit inſtitutum ante peccatum Adæ in officium naturæ pro ſpecie conſeruanda: Poſt peccatum originale eſt in remedium cõcupiſcentiæ illicitæ: In lege autem gratiæ eſt eleuatum ad eſſe Sacramentum.

Quando Matrimonium in officium naturæ fuit inſtitutum.

7 Quamuis autem de hoc nulla ſit diſſentio inter Catholicos Theologos, de tempore autem inſtitutionis Matrimonii, tam in lege naturæ, quàm gratiæ eſt aliqua difficultas: Quidam enim Doctores exiſtimant; Matrimonium primo modo, vt eſt officium naturæ inſtitutum fuiſſe ab ipſo Deo immediatè in Paradiſo terreſtri quandò, creato primo homine, dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, & ideò maſculum, & fœminam fecit eos, dixitque eis creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; pro vt legitur Gen. cap. 1. nu. 27. tunc enim dicunt illi Doctores fuiſſe Matrimonium Legitimè inſtitutum, quia tunc dedit Deus Matrimonii præceptũ, & poteſtatem coniugalem vtrique coniugi per mutuam corporum traditionem, in quo eſſentia Matrimonij conſiſtit: Quandò verò Adam dixit: *Hoc nunc os de oſſibus meis*: tunc contraxit Matrimonium, & fuit promulgator inſtitutionis factæ á Deo, ſicut D. Iacobus fuit promulgator Extremæ vnctionis: Itá Soto in 4. D. 26 quæſt. 1. Art. 2. §. Nihilominus, Sylueſter Verb. Matrimonium 1. quæſt. 2. 1 hom. Sanchez tom. 1. de Matrim. libro 2. D. 4. num. 3. Filliucius tractat. 10. cap. 1. numer. 7. Viuald. in Cand. 1. p. de Matrim. tit. 17. num. 7. D. Ant. 3. p. tit. 1. cap. 2. aliique, qui alios referunt.

1. Sentent. Gen. c. 1. Ratio iſtorũ Doctorum.

Soto. Syluest. Sanch. Filliuc. Cand. Aur. D. Anton.

8 Alij autem probabilius exiſtimant: Matrimonium inſtitutum fuiſſe quidem á Deo, non immediatè, ſed mediatè; per verba Adami: quandò præcedente Diuina inſpiratione pronunciauit illa verba (*Hoc nunc os de oſſibus meis*.) Hoc autem declaratum fuit á Domino Ieſu in Euangel. Matth. 19. quandò dixit: (*Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio maſculum, & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*.) Quæ quidem verba non fuerunt á Deo prolata, ſed ab Adamo, Deo tamen inſpirante: tunc enim Adam, & Heua Matrimonium contraxerunt, præbendo mutuum conſenſum, & Deus mediãtibus illis verbis Matrimonium inſtituit in officium naturæ; Itá Magiſt. in 4. Diſp. 26. cap. 1. Scotus Diſt. 26. quæſt. Vnica in probat. 3. concluſ. Richardus Articul 1. quæſt. 3. Baſſolis Art. 3. Paludanus ibi; Franciſc. Mayron. ibidem, cum alijs: concordat D. Auguſtinus lib. 9. in Gen. ad litt. capitul. 19. & lib. 14. de Ciuitat. Dei cap. 22. Alenſis 4. p. quæſt. 2. memb. 2. Artic. 1. D. Bona. in 4. D. 26. Art. 1. q. 2. Baſilius Pontius de Matrim. lib. 1. c. 3. n. 2. qui multos alios citat pro ſua ſententia, reiiciendo primam opinionem.

2. Sentent. Matt. c. 19. Magiſt. Scot. Richard. Baſſolis. Palud. Frã. Mayr. D. Auguſt. Alenſis. D. Bona. Pontius.

9 Quàpropter pro conciliatione, & deciſione dicimus nos, ſequendo probabiliorem rationem: Matrimonium habuiſſe principium ab inclinatione naturali, inſtituente Deo: Ad hoc enim maſculum, & fœminam creauit hominem, vt Videlicet inter eos Matrimonium contraherent, pro conſeruatione naturæ in indiuiduis procreandis mediante Matrimonio, quod dicitur á Deo inſtitutum in Paradiſo, quia primi Parentes ex diuina illuminatione, & inſpiratione contraxerunt coram Deo, & ideò poſtquam creauit Heuam ſtatim adduxit eam ad Adam, vt videret quid vocaret eam, Scilicet præſtando conſenſum Matrimonij: Quàpropter eam videns adamauit, & ſtatim dixit. (*Hoc nunc os de oſſibus meis: Propter hoc dimittet, &c.* quibus verbis conſenſus Adami exprimitur, ſine quo Matrimonium conſtare non poteſt: cui veroſimile eſt ſimilibus verbis, ſiuè nutu, ſiuè ſigno aliquo oſtenſo, Heuam feciſſe, quo conſenſum ſuum declarauit: & itá Matrimonium legitimũ contraxerunt Deo inſtituente: Itá Baſil. Pont. locis citatis n. 6. cum alijs ſupra citatis in ſecunda opinione: Et ideò Adam ſubdidit illa verba: (*Propter hanc dimittet homo patrem, &c. & erunt duo in carne vna*) vbi indiſſolutionis vinculum, & amorem inter virum, & vxorem demonſtrauit.

Reſolutio. Quomodò Matrimoniũ à Deo inſtitutum fuit.

Adã, & Heua dederunt mutuum cõſenſum.

Pontius. Deindè Adã oſtẽdit indiſſolubilitatẽ vinculi, &c.

10 Poſteà verò Deus illis benedixit, dicens: *Creſcite, & multiplicamini*: tunc enim non ſolùm dedit illis Deus benedictionem, verùm etiam præceptum Matrimonij fecit: Quàpropter dicitur Deus cõiunxiſſe coniuges indiſſolubili vinculo Matrimonij, Vndè dixit Dominus: (*Quod Deus coniunxit homo non ſeparet Matth.* 19.) Dixit enim Adam inſpirante Deo. (*Et erunt duo in carne vna*.) Itá enim expreſsè docuit Trident. Conc. ſeſſ. 24. in princip. Et hæc eſt vera ſententia quam ſequitur Baſilius Pontius locis ſupra citatis, citans innumerabiles Doctores, & Patres, Concilia, atque Decreta.

Deus deindè benedixit, & dedit præceptũ Matrim.

Matt. c. 19. Concil. Trid.

11 Poſt peccatum autem originale commiſſum illud, quod inſtitutum fuerat in officiũ naturæ in principio, illud ipſum Matrimonij vinculum in remedium cõtra concupiſcentiam indebitam permãſit, vt genitrix natura á culpa exciperetur: Vtriuſque enim ſexus infirmitas perpendens in ruinam turpitudinis rectè excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod ſanis eſt in officiũ ægrotis ſit in medelam: quàpropter in ipſo Paradiſo terreſtri per internum inſtinctum, quandò Adam, & Heua peccauerunt, & erubuerunt, tunc applicatũ fuit Matrimonium in remedium contra concupiſcẽtiam: Itá D. Auguſt. loc. cit. ſup. Gen. ſequitur Magiſt. in 4. D. 26. nu. 1. & docet Concil. Colonienſe p. 7. c. 41. Itá Chamer. de Sacr. Matrim. tract. 12. c. 1. d. 6.

Matrimoniũ poſt peccatũ ordinatũ fuit in remedium concupiſcentiæ.

D. Auguſt. Concil Colonienſe. Chamer.

12 Hoc autem Matrimonium poſteà in lege Euangelica fuit eleuatum á Domino Ieſu Chriſto ad eſſe Sacramentum nouæ legis, conferens gratiam contrahẽtibus, non ponentibus obicem ex opere operato, quàpropter dixit Trid. Concil. ſeſſ. 24. *Cum igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Chriſtum gratia præſtet merito inter noua legis Sacramenta annumerandum Sancti Patris noſtri, Concilia, & Vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt*.

Quomodò fuit eleuatũ ad eſſe Sacramentum. Concil. Trid.

13 Quod autem Matrimonium ſit verè, & proprium Sacramentum nouæ legis, nulla eſt dubiratio, imò eſt de fide cùm hoc ſit expreſsè determinatum per Canonem Concilij Trident. d. ſeſſ. 24. Can. 1. vbi dicitur;

Matrimoniũ eſt verum ſacramentum nouæ legis.

Si

Digitized by Google

Nolite fraudari inuicem niſi fortè ex conſenſu ad tempus vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipſum; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram; Quapropter Iudex Eccleſiaſticus nullo modo permittere debet, coniuges iuuenes ſeparatos eſſe ob periculum incontinentiæ, niſi vterque per ſolemne votum caſtitatis Religionem ingrediatur de communi conſenſu. Itá Sanchez d. lib. 9. D. 4. num. 5. Hoſtienſis in c. Veniens de Regularib. nu. 1. Ioan. Andreas, ibi num. 9. Abbas c. 1. nu. 7. de Coniug. Leproſ. & ibi Alex. de Neuo nu. 6. alijque communiter.

Sanch. Hoſtienſis. Io. Andreas. Abbas. Alex. de Neuo.

10 Quæritur Septimò: An poſſit alter coniux ad modicum tempus abeſſe á ſuo coniuge?

Quæſitum 9. An poſſit alter ab altero coniuge aliquando abeſſe?

Reſpondetur: Affirmatiuè, non enim modica abſentia debet eſſe moleſta, & grauis alteri coniugi: Vndè quamuis hoc permittatur pro modico tempore, non tamen ad longum tempus permittitur, eò quod lex Diuina, & humana obligant coniuges ad ſimul cohabitandum, & ideò in c. 1. De Coniug. Leproſ. dicitur: *Cum vir, & vxor ſint vna Caro non debent alter, ſine altero diutius eſſe:* Quæ quidem facultas potius conuenit viro, quam vxori, ſeruando debitum ordinem inter vtrumque: Quanto verò eſſe poſſet talis breuis abſentia, prudenti iudicio committitur, conſideratis abſentiæ cauſis, & incontinentiæ periculo, non enim in Iure tale tempus determinatum eſt. Itá Sanchez d. libr. 9. D. 4. numer. 12. Alexand. de Neuo d. capitul. 1. de Coniug. Leproſ. numer. 6. Auerſa d. quæſt. 22. ſection. 3. §. 3.

C. 1. de coniug Leproſ.

Sanch. Alex. de Neuo Auerſa.

11 Quæritur Octauò: An maritus ob iuſtam cauſam poſſit aliquando diſcedere á propria Patria ad longum tempus, & relinquere vxorem ſuam, durante tali tempore?

Quæſitum 8. Occurrente aliqua vrgente cauſa poterit maritus, etiam ad longum tempus abeſſe.

Reſpondetur, quod: Quando adſit aliqua iuſta cauſa, & neceſſitas rationabilis, vt ſi Princeps ad bellum conuocet, Vel ad familiæ gubernationem, & rem familiarem tuendam, vel ſit neceſſitas pro lite aliqua facienda, ſiuè pro defenſione, ſiuè pro lucranda aliqua poſſeſſione bonorum; tunc in caſu licebit viro, etiam ad longum tempus relinquere vxorem ſuam, dummodò prudenter prouideat domui ſuæ, & quò ad honeſtatem, & quò ad prouiſionem rerum neceſſariarum ſecundum conditionem vxoris, & propriam reputationem; Non enim in tali euentu vxor conqueri poteſt de tali abſentia mariti, & neque tenebitur vir, aut res ſuas contemnere, aut Patriæ, vel Principi deeſſe, ne ad certum tempus vxorem relinquat. Itá Soto de Iuſt. libr. 7. quæſt. 3. Art. 1. Verſ. An Verò, & in 4. D. 32. quæſt. Vnic. Art. 3. ad primum. Nauarr. capit. 16. num. 32. Rodriquez in ſumm. tom. 2. cap 90. numer. 7. Sanchez d. libr. 9. D. 4. numer. 13. Quod quidem vxori non conceditur, quæ abſque viri licentia abeſſe non debet; eò quod nec militiæ, neque alijs negotijs mulier eſt idonea, neque decens eſt, vt ipſa longè à viro ſuo diſcedat.

Soto. Nauarr. Rodriq. Sanch.

12 Quæritur Nonò: An ſi vxor velit in tali caſu virum ſuum ſequi, teneatur maritus ipſam ſecum ducere?

Quæſitum 9. An teneatur maritus vxorem ſecum ducere? Reſp. diſtinguendo.

Reſpondetur, diſtinguendo: Quando enim vir proficiſcitur ad bellum, ſiuè ad aliqua negotia neceſſaria facturus, cum animo ſtatim redeundi, negotio peracto, maximè quando negotia agenda ſint in diuerſis locis, non tenebitur ſecum ducere vxorem ſuam, quia hoc nimis illi moleſtum eſſet, valdèque impediret iter, eò quod fœminæ non itá facilè, vt viri poſſunt iter peragere, magiſque expenſis opus eſſet, & itá non decet fœminas iter peragere ſicut virum: Quare tunc vxor irrationabiliter conquereretur de viri abſentia: Quandò verò maritus ſit diu alicubi permanſurus, poſſetque ſine magno incommodo, ac difficultate vxorem ſuam ſecum ducere, habeatque facultatem hoc faciendi; tunc tenebitur ſecum ducere, ipſa volente, quia tunc rationabiliter vxor vult virum ſuum ſequi, & comitari: Quod totum iudicio boni viri, attenta rerum grauitate, conditione perſonarum, loci, & temporis determinandum committitur. Itá Auerſa de Matrimon. q. 22. ſect. 3. §. 4. Sanchez cum alijs ſupra citatis de hac materia tractantibus.

Quando debeat vxorem ſecū ducere?

Sanch.

13 Quæritur Decimò: An quando vxor propter aliquam vrgentem cauſam cogatur è loco recedere, teneatur vir ſuus eam ſequi?

Quæſitū 10. An teneatur Vir ſequi vxorem ſuam diſcedentem, propter neceſſitatem?

Reſpondetur: Affirmatiuè, & Ratio eſt, quia cum vxor in caſu non ex leuitate animi, neque ex indignatione, aut electione voluntaria, ſed neceſſitate compulſa cogatur recedere, nullam iniuriam viro ſuo infert, neque ſibi vſurpat, quod ei non competit: Quare dum vir ſuus non ex alio capite ſit legitimè impeditus debet eam ſequi, & cum ea diſcedere, vt poſſint ſimul in eodem loco habitare, pro vt decet, & expedit. Secluſa autem neceſſitate, vxor non debet, nec poteſt cogere virum ad ipſam ſequendam; eò quod mulier debet eſſe ſubdita viro, non autem è contra: Quapropter ad virum ſpectat eligere domicilium, & cogere vxorem ad ipſum ſequendum. Itá Sanchez tom. 1. de Matrimon. libr. 1. D. 41. Auerſa d. quæſt. 22. ſect. 3. §. 7.

Sanch. Auerſa.

14 Quæritur Vndecimò: An quando in contractu matrimoniali appoſitum fuit pactum, vt vir teneatur habitare in Patria vxoris, tale pactum ſit validum, & obligatorium?

Quæſitū 12. De pacto facto habitandi in Patria vxoris.

Reſpondetur: Affirmatiuè, & Ratio huius eſt, quia tale pactum iuſtum eſt, vt ſupponitur, & voluntariè acceptatum: Nam ſicut in traditione rei ſuæ poteſt quilibet pactum interponere; itá in traditione ſuæ perſonæ in contractu matrimoniali: Vndè tale pactum cadit in maximum vxoris fauorem, ne patriam ſuam deſerat, & inter extraneos vitam agere conetur: Quare ſi vir poſtea nollet tale pactum ſeruare, non tenebitur vxor in alium locum cum ſuo viro ſe transferre: Et ſi in pacto adiecta eſſet aliqua pœna ſoluenda à viro tale pactum non ſeruante, cogi poterit talis vir ad eam ſoluendam, iuxta conuentionem factam. Itá Hoſtienſ. in ſum. De Coniug. ſeruor. num. 5. Roſella Verbo vxor num. 3. Angel. num. 9. Sylu. q. 8. Tabien. q. 2. numer. 3. Armilla num. 6. Sanchez tom. 1. de Matr. lib. 1. D. 40. num. 2. Pontius de Matrim. lib. 12. c. 20. nu. 8. Bonac. q. 4. de Matr. p. 6. num. 22. Diana p. 3. reſol. 212. cum alijs plurimis.

Tenetur vir pactum ſeruare, niſi aliqua neceſſitate cogatur.

Hoſtienſ. Roſella. Angel. Sylu. Tabiens. Armilla. Sanch. Pontius. Bonac. Diana.

15 Verum eſt tamen, quod quando poſt Matrimonij contractum ſuperueniat viro aliqua iuſta cauſa, ſiue legitima occaſio, atque rationabilis neceſſitas faciendi talis loci mutationem, tunc non amplius adſtringeretur ad ſeruandum tale pactum, etiam ſi fuiſſet iuramento firmatum: Promiſſio enim ſemper intelligitur ſub hac conditione, Niſi iuſta cauſa ſuperueniat domicilium transferendi, vndè in caſu poſſet licitè alium in locum ſe transferre, & vxor tenebitur eum ſequi, neque vir tenebitur in caſu pœnam conuentionalem ſoluere, pro vt dicunt Rodriq. in ſum. p. 1. c. 15. nu. 2. Sanch. d. lib. 1. de Matr. D. 40. nu. 3. Bonacina cum alijs ſup. cit.

Limitatio Aſſertionis: niſi ſuperueniat neceſſitas vrgens.

Rodriq. Sanch. Bonac.

16 Quæritur Duodecimò: An teneantur coniuges ad ſimul habitandum, quando adeſt periculum infectionis, ſiuè periculum animæ, vel corporis?

Quæſitū 13. Quando adeſt periculum infectionis corporis, aut animæ non tenentur.

Reſpondetur: Negatiuè, Non enim tenetur vnus coniux cohabitare cum altero coniuge, quando adeſt tale periculum, vt ſi alter eſſet morbo contagioſo infectus, non tenebitur coniux ſanus habitare cum illo ratione periculi infectionis: Nemo enim ſe intendit obligare per Matrimonij contractum, niſi ſub

hac

Extrema vnctio quomodo ſit facienda illis, qui carent aliquo membro ſenſorio. pag.315.n.30
Extrema vnctio quomodo, & ſub qua forma, & ritu adminiſtratur à Græcis. pag.317.n.18
Extrema vnctio, An poſſit aliquando à pluribus Sacerdotibus adminiſtrari, & quomodo? pag.318.n.11
Extrema vnctio quomodo tempore peſtis adminiſtrari poterit ad cauendum Infectionis periculum? pag.318.n.21
Extrema vnctio quomodo ſit adminiſtranda quando dubitatur, An Infirmus ſit adhuc viuus? pag.320.n.4
Extrema vnctio: An poſſit dari infantibus, & Amentibus? pag.320.n.6
Extrema vnctio quibus infirmis eſt adminiſtranda. pag.321. num.8
Extrema vnctio miniſtrari poteſt ſenibus morientibus ex defectu ſenectutis ſine alia infirmitate. pag.321.n.13
Extrema vnctio, An poſſit iterari in eadem infirmitate, & quomodo? pag.322.n.2
Extrema vnctio quomodo adminiſtranda eſt illis, qui carent manibus, aut Brachijs. pag.322.n.22
Extrema vnctio diſponit hominem morientem ad Introituum gloriæ. pag.324.n.15
Extrema vnctio quomodo tollat, & remittat pœnas peccatis debitas ſecundum magis, aut minus. pag 324. numer.17.
Extrema vnctio quo tempore producit effectus ſuos. pag. 324.n.19
Extrema vnctio qua diſpoſitione eſt recipienda ab infirmo. pag.324.n.20
Extrema vnctio quare adminiſtratur infirmo poſt viaticum. pag.325.n.26
Extremæ vnctionis neceſſitas, quæ. pag.18.n.21
Extremæ vnctionis Sacramentum habet affinitatem cum Pœnitentiæ Sacramento. pag.310.in Proœ.
Extremæ vnctionis Sacramentum quando inſtitutum fuit à Chriſto Domino. pag 310.n.11
Extremæ vnctionis definitio, quæ. pag.311.n.19
Extremæ vnctionis remota, & proxima materia, quæ. pag. 311.n.21
Extremæ vnctionis Sacramentum quomodo dicatur neceſſarium. pag.312.n.22
Extremæ vnctionis Sacramentum perficitur in vltima forma, & vnctione. pag.314.n.22
Extremæ vnctionis Sacramentum, An adminiſtrandum ſit cum forma, & ſigno Crucis in qualibet vnctione. pag. 315.n.33
Extremæ vnctionis forma quare debet eſſe deprecatiua. pag. 315.n.21
Extremæ vnctionis miniſter quis ſit. pag.317.n.1
Extremæ vnctionis Sacramentum habet effectum ex promiſſione Chriſti infallibiliter. pag.316.n.7
Extremæ vnctionis Sacramenti ſubiectum quale debet eſſe, ad hoc vt ſit capax Sacramenti. pag.320.n.1
Extremæ vnctionis Sacramentum, An requirat ſubiectum aliquando peccaſſe ſaltem venialiter. pag.321.n.14
Extremæ vnctionis forma quomodo applicata fuit B. Virgini Mariæ, & in quo ſenſu. pag.322.n.17
Extremæ vnctionis Sacramenti effectus qui, & quis ſit effectus principalis. pag.323.n.1
Extremæ vnctionis Sacramentum quibus cæremonijs, & ritu eſt adminiſtrandum. pag.324.n.22
Extremam vnctionem, An acceperit B. Virgo Maria in Extremo vitæ, & ſub qua forma? pag.322.n.17

F A

Facultas.

Facultas eligendi Confeſſarium duobus modis haberi poteſt, vel à Iure, vel ab homine. pag.250.n.1
Facultas eligendi confeſſarium quanto tempore duret, & quando expiret. pag.254.n.32
Facultas eligendi confeſſarium petitur à ſuperiore, & non obtenta: An ſit ſufficiens? pag.255.n.41
Facultas facta Confeſſario manifeſtandi peccatum in confeſſione dictum debet eſſe data liberè, & voluntariè. pag. 263.n.10
Facultatem eligendi ſibi Confeſſarium quemcumque voluerit ſolummodò habet Papa ex diuino Iure. pag.250.n.2
Facultatem eligendi ſibi confeſſarium habent omnes Prælati exempti à Iure Canonico. pag 250.n.4
Facultatem ex conſuetudine eligendi ſibi confeſſarium, qui habeant. pag.251.n.10

Falſificans, & Falſificare.

Falſificans manum, vel ſigillum Monaſterij quando incidit in caſum reſeruatum apud Regulares. pag.287.numer. 1. & 8
Falſificatio manus, ſeu ſigilli Monaſterij, quid ſit. pag.287. num.2
Falſificata re vtens, & non ipſe falſificans non incidit in caſum reſeruatum. pag.228.n.11
Falſariorum peccati abſolutio: An ſit Epiſcopis reſeruata ex conſuetudine? pag.274.n 17

Faciens, Farreum, & Faſcia.

Facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam pag.157.n.7
Farrei panis non eſt materia ſufficiens conficiendi Euchariſtiam. pag.61.n.3
Faſcia quæ ligari ſolet ad frontem confirmati, quid ſignificet, & quare. pag.55.n.13

F E

Fœmina.

Fęmina infantula quando reputatur animata in ventre matris. pag.286.n.4
Fęmina: An licitè poſſit reſpondere Sacerdoti celebranti ſtando remotè ab illo, & quomodo. pag.147.n.50
Fęmina non debet accedere ad Sacrum altare, & miniſtrare Sacerdoti celebranti, & quare. pag.147.n.50
Fęmina eſt incapax Sacramenti Ordinis. pag.338.n.2
Fęmina non poteſt licitè vaſa Sacra tangere. pag.338. numer.2
Fęmina grauida vendendo ſeipſam non vendit prolem in ventre antea genitam. pag.410.n.33
Fęmina: An ſine peccato mortali poſſet perfricare propria pudenda quando in actu copulæ coniugalis non effudiſſet ſemen, & quomodò. pag.450.n.15
Fęmina in actu copulæ ſi non ſeminet generatio prolis ſequi poterit ex ſemine viri. pag.449.n.14
Fęmina parturiens. An obligetur ad confeſſionem faciendam propter periculum mortis. pag.207.n.28
Fęmina peccans carnaliter cum Sacerdote Religioſo, An committat duo ſacrilegia? pag.168.n.6
Fęminæ ſeminatio: An ſit neceſſaria ad conſummationem matrimonij. pag.362.n.3
Fęminæ ſunt faciles ad facienda vota. pag.452.n.2
Fęminæ quinquaginta annorum reputantur tamquam ſteriles propter ſenectutem. pag.412.n.12
Fęmina nunquam potuit habere duos viros in matrimonio legitimo. pag.419.n.17
Fęminam rapiens maſculum ad matrimonium contrahendum cum eo, An incidat in pœnas Iuris? pag.426. numer.15

Feria, & Feſtum.

Feria quinta in Cœna Domini: An licitè quilibet Sacerdos poſſit illa die celebrare? pag.117.n.7
Feria ſexta in Paraſceue nulli Sacerdoti celebrare licet, & quare. pag.117.n.9
Feria ſexta Paraſceues: An poſſint fideles Sacram communionem recipere? pag.117.n 11
Feſta Iudæorum quomodo computantur. pag.58.n.3
Feſtum Annunciationis B. Virginis quando incidit in Sabbatum Sanctum quid faciendum pro auditione Miſsæ. pag. 117.n.16

F I

Fideles, & Fides.

Fides, quid ſit ſecundum Apoſtolum. pag.74.n.3
Fides eſt omninò neceſſaria ad ſalutem animæ conſequendam. pag.43.n.8
Fides: An ſit neceſſaria ad validè Sacramentum Baptiſmi recipiendum. pag.43.n.8

Fides,